GALLIA CHRISTIANA.

TOMUS XV.

PARISIIS. — EXCUDEBANT FIRMIN DIDOT FRATRES, VIA JACOB, 56.

GALLIA CHRISTIANA

IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTA;

IN QUA SERIES ET HISTORIA

ARCHIEPISCOPORUM, EPISCOPORUM ET ABBATUM

REGIONUM OMNIUM QUAS VETUS GALLIA COMPLECTEBATUR,

AB ORIGINE ECCLESIARUM AD NOSTRA TEMPORA DEDUCITUR,

ET PROBATUR EX AUTHENTICIS INSTRUMENTIS AD CALCEM APPOSITIS.

TOMUM QUINTUM DECIMUM,

UBI DE PROVINCIA *VESUNTIONENSI* AGITUR,

CONDIDIT

BARTHOLOMÆUS HAURÉAU.



PARISIIS,

VENIT APUD FIRMIN DIDOT FRATRES, FILIOS SOCIOSQUE,

INSTITUTI FRANCIÆ TYPOGRAPHOS,

VIA JACOB, 56.

M DCCC LX.

GALLIA CHRISTIANA

IN PROVINCIAS

DISTRIBUTA.

PROVINCIA VESUNTIONENSIS

CUJUS METROPOLIS VESUNTIO.

Vesuntionensis tractus olim Sequania dictus. Quamvis autem de Sequanorum Celtarum nomine et origine multi prolixe disseruerint, multum dubitationis rem habere profitemur. Ipsius Dunodii pace, dicam Sequanorum gesta ante Cæsaris in Galliam adventum incomperta; qui, ut Cæsar adest, primum cum Arvernis consilia salutis suæ consociant, deinde cum ipsis Romanis fœdus faciunt, Ariovistum debellaturi. Præcipua tunc temporis Sequanorum civitas Bisuntium, Vesuncinium, Visontium, Vesuntiove, quæ sub Romanorum imperio magna incrementa cepit. Irruentibus autem postea Barbaris, tantam cladem passa est, ut Julianus imperator, ad Maximum philosophum scribens, eam πολίχνιον appellet, quæ tamen, ut ipse memorat, validissimis quondam propugnaculis munita, et splendidissimis ædificiis ornata fuerat. Has habuit, priscis temporibus, Vesuntionis fortuna vices. Eo sedenim terrarum, per multorum annorum seriem, diversæ Barbarorum gentes, consistere nescientes, devenerunt, donec, anno circiter 411, Burgundiones, patria, ut ferunt, Suevica extorres, Honorio qui tunc imperabat auctore, Sequaniam obtinuerunt possidendam. Hi quoque indole moribusque Barbari; non tamen ad disciplinam prorsus indociles, qui regibus parerent. Unde nonnulli opinati sunt Sequanos, eis potius permixtos quam submissos, quamdam libertatis auram sub eorum patrocinio captavisse. Certius nobis videtur Burgundionum reges, armorum vi prævalentes, jam toties conculcatam atque ideo quietis tantum studiosam gentem facile in obsequio primum continuisse, eosdemque, postquam Romanorum præfectorum quælibet munera insigniaque usurpaverant, Gallis, seu Romanis, hanc rerum mutationem ægre ferentibus, terrorem fecisse. Ut ut ea se res habuit, dux Hunnorum Attila, anno 451, Vesuntionem ceterasque nobiliores Sequaniæ urbes permeavit, quas perpetuo incendio pro more vastavit. E tanto nihil excidio superfuisse memorant, præter fumosa eversarum civitatum rudera, et, Burgundionum proceribus in fugam actis, omni re exhaustam plebem, et ad quodcumque jugum pronam. Tunc Sequani, in Francorum ditionem redacti, ducibus primum, deinde comitibus suis obtemperaverunt, Vesuntionem incolentibus. Ne vero singula referamus quæ ad eam ætatem, frequentibus agitatam discordiis, spectant, Burgundiæ, ut vocabant, comitatus quandoque sui juris fuit, quandoque Francorum regum dominationi adscriptus, tandem Germanorum imperatorum tutelam optavit potius quam subiit. Minor e longinquo auctoritas. Cæsares igitur Germani erga Vesuntionenses oppidanos ea benignitate usi, ut hi pene arbitrio suo viverent. Nec Hispanorum dynastarum, eosdem qui protegendos post susceperunt, adductius imperium. Vesuntionem vero Ludovicus XIV, Gallorum inclytus rex, anno 1668 expugnatam, dein Aquisgrani fœdere, Hispanis restitutam, postremo, redintegrato bello, iterum cepit, 15 Maii 1674, et in perpetuum Francorum regno adunavit. Amissam diu Vesuntio libertatem lugere, et patriæ proditores eos appellare qui Francis obviam promptius iverant. Ludovicus tamen rex nihil antiquius habuit quam civitatis decus augere; quo consilio, annis 1676 et 1691, senato-

riam superioris Burgundiæ curiam, academiamque humaniorum litterarum cultu florentem, Dolo Vesuntionem transtulit. Id vero publico mœrori impar solatium.

De rebus Sequanorum civilibus summatim diximus. Nunc paulo fusius de iis quæ ad ecclesiasticam administrationem pertinent.

Bisuntium *metropolim civitatem* primumque locum in tertia Germania tenentem nuncupat vetus provinciarum Galliæ Notitia; Rer. Gallic. Script., t. II, p. 5. Constitutis igitur Galliarum ecclesiis, ecclesiastica etiam *metropolis* Vesuntio. Præclaro hoc nomine certe gaudebat septimo decurrente sæculo, ut e litteris Theodorici regis comperimus; ibid., t. IV, p. 658. Attamen initia Vesuntionensis ecclesiæ admodum obscura. Pro vero quidem accipitur quosdam boni verbi nuntios in Vesuntionensem tractum sub secundi sæculi finem advenisse, quos Ferreolum et Ferrutium appellant: quorum vero alter, Ferreolus scilicet, an episcopali dignitate cohonestatus exstiterit, magis ambiguum majores nostri reliquere. Nec alios de ceteris Vesuntionis episcopis testes habemus, præter indices undecimo sæculo conditos et controversæ fidei annales, usque ad tempora Celidonii, qui circa mediam quinti sæculi partem hujus ecclesiæ gubernaculo præfuit. Quem scilicet ex episcoporum Vesuntionensium albo eradendum nonnulli contenderunt, sed eorum sententia minime prævaluit. Nostris quidem temporibus majoris audaciæ est de dubiis dubitare quam non satis nota affirmare. Dubitationum igitur nostrarum causas amplioribus infra verbis evolvemus. Ceterum ut Vesuntionensis episcopus metropolitanum decus assecutus est, suffraganeos episcopos quatuor habuit. Quibus cum urbes, quas sortiti sedes erant, diu obtinere non licuerit, hoc loco eorum migrationes breviter enarrandæ videntur. Adventicum scilicet Helvetiorum, vernaculo sermone *Avanche,* Augusta Rauracorum, *Augst,* Equestris, *Nion,* et Vindonissa, *Vindisch,* episcopales olim civitates fuere, intra Vesuntionensis provinciæ terminos. Postea vero, sicut jam dictum est, dicendumve superest, Lausannam translatus Aventicus episcopatus, Basileam Augustanus, Bellicium Equestris: ipsa quoque Vindonissa, dignitatis imminutione, proprium pastorem amisit, qui Constantiam secedens, inter Moguntini metropolitæ suffraganeos ab illo tempore annumeratus est. Tres igitur tantum episcopos recentior ætas archipræsuli Vesuntionensi subjectos vidit, Lausannensem, Basileensem et Bellicensem: exiguam sane provinciam, sed eximiis juribus et prorsus singularibus privilegiis ornatam, præsertim dum Sequaniæ regimen imperatoribus Germaniæ obtigit. Tunc enim Vesuntionensis metropolita, urbi gubernandæ præpositus, princeps imperii Germanici dictus est, et in comitiis Germaniæ majoribus sedit. Eodem nomine ipse palatii sui sex ministros habuit, marescallum scilicet, cubicularium, panetarium, rei venatoriæ præfectum, camerarium et pincernam, nobilissimos ortu viros, qui morem ei gerere, obsequium in omni re spondere, famulos uti decet, et mortui funus comitari debebant. Igitur tam insigni præsuli non rustica prædia tantum, ut ceteris, colonorumque familiæ, et lætus amœnissimarum villarum secessus in dominio fuere, sed castella fluminum ripis montiumque arcibus imposita, ibique præsidia militum. Adde quod nonnulli Vesuntionenses inter archiepiscopos, apud Cæsares acceptissimi, in aulicorum turba præpotentes fuerunt. Archiepiscopatui igitur Vesuntionensi inter veteris Galliæ sedes, nisi supremus, excelsus tamen locus Unde tamen Vesuntionensis archipræsul Vesuntionem Chrysopolim, et semet Chrysopolitanum archiepiscopum, a nono sæculo usque ad duodecimum, quadam superbiloquentia, appellare consueverit, Berthodius ceterique incompertum habuere.

Basilicæ metropolitanæ olim duæ, S. Stephano et S. Joanni sacræ, inter quas magna diuturnaque de maternitatis, ut aiebant, privilegio certamina; de quibus infra disserere suo tempore nobis propositum. Capitulum 43 canonicis titulo officii insignitis constabat, 4 honorariis, 7 adjutoribus, 6 familiaribus, quibus summus decanus præerat. Prima post decanatum dignitas summi archidiaconi, cui permultorum quondam demandata negotiorum cura: quare suos ipse decanum et officialem habuit. De summi archidiaconi officiali fidem facit Dunodius, Hist. Eccl. Vesunt., t. I, p. 60; Lambertumque, Landrici archidiaconi decanum, plura diplomata præbent, annis 1138, 1142. Aliæ vero capituli Vesuntionensis dignitates cantor, thesaurarius, archidiaconi Salinarius, Faverniacensis, Graiacenus, Luxoviensis, et theologiæ professor. Canonicorum plerique natalibus clari. Capituli quidem aditus hominibus quibusdam novis æque patebat, ea tamen conditione ut in doctorum consessum publice jam cooptati, neque patre artifice orti essent.

Vesuntionensis diœcesis, sub postremi sæculi finem, in quindecim decanatus rurales distributa, et quæ, anno 1226, ut e litteris Honorii III cognitum est, 60 circiter erant in eadem diœcesi parochiales ecclesiæ, 748 anno 1705 recensebantur, 840 anno 1790. Superstites sub idem tempus 28, tam virorum, quam puellarum abbatiæ, et 99 prioratus, quorum 9 conventuales. Plura de singulis abbatiis infra dicentur. Pauca nunc de collegiatis ecclesiis dicenda. Numero 14 erant, canonicis sæcularibus addictæ, quarum 12 intra comitatus Burgundici fines. Præclarissima inter eas ecclesia S. Mariæ Magdalenæ sacra, in ipsa urbe, ab Hugone I condita, in qua 12 canonici integro annonæ jure fruentes, decano præ-

sidente, qui etiam in ecclesia metropolitana thesaurarii munus implebat. Prædiis dives ea ecclesia, multorum altarium patrona, et juribus gaudens amplissimis, de quibus non semel litigatum. Post S. Magdalenam recensebantur: S. Anatolius Salinarius, cujus fundatio anno 1050 adscribitur, ubi præpositus, a summo Pontifice electus, 12 canonicos regebat; S. Michaelis ecclesia, antiquos Salinarum dynastas auctores sibi vindicans, in qua decanus 9 canonicis præfectus; S. Mauricius æque Salinarius, quam scilicet ædem canonici S. Joannis Bisuntini anno 1204 instituerunt, et cujus administrationem decano tradiderunt, ab 11 sodalibus habitandæ; Dolense collegium, cujus Alicia comitissa erigendi consilium iniit anno 1277, quodque anno demum 1303 erectum apostolicæ litteræ probaverunt, 12 canonicis, præter decanum, constans; S. Hippolytus, ab anno 1303, Joanne, Rupis et S. Hippolyti toparcha, fundatore, cujus sub tectis 7 canonici; Graiacenum collegium, a Joanna comitissa anno 1319 instauratum, in quo 9 canonici et 4 clerici nutriebantur; S. Pancratius, in vico *Ray*, ab anno 1341, ubi decano subjecti canonici 5; Arbosiensis ecclesia, litteris Clementis papæ VII, 23 Martii 1382, condita, quas Margarita comitissa, Ludovici Flandrensis vidua, impetraverat, statuente scilicet apostolico decreto ut in Arbosiensi domo 12 residerent canonici, 6 minimum capellani, et 4 clerici ad ecclesiæ officium deputati, sub unius decani præsidatu (1); ecclesia *Noseroy*, in quam 7 canonicos Joannes Cabilonensis, anno 1429, intromisit; ecclesia Poliniacena, bullarum apostolicarum auctoritate 29 Aprilis 1431 ædificata, in qua 12 canonici sub decani (2) regimine degerent, fundationis auctore Joanne *Chousat*, cive Poliniaceno; ecclesia *Champlitte*, ab anno 1439, 11 collegis attributa; S. Georgii Visuliensis ecclesia, sub annum 1661 canonicis deputata, qui antea Columbæ Monasterium incoluerant: tandem, extra comitatus Burgundi fines, in diœcesi tamen Bisuntina, ecclesiæ *Belfort* in Alsatia et *Darnay* in Lotharingia.

In eadem insuper diœcesi quam plurimi conventus diversis religiosorum ordinibus adscripti. Dominicanos Vesuntio anno 1215 excepit; Poliniacum, 1271; *Quingey*, 1669; Mons Bosonis, anno non satis certo: Carmelitanos veterem recentioremve vivendi normam sequentes Vesuntio anno 1392, Joanne de Vienna institutore; Clara Vallis, 1434, approbante Eugenio IV, 26 Martii 1435; Dolum, 1622; *Marnay*, 1625; Salinæ, 1625; Graiacenum castellum, 1645; *Blatterans*, 1664; Vesuntio iterum, 1695. Permultæ quoque domus a Capucinis habitatæ: qui, e Dolensis senatus auctoritate, Salinas incolere cœperunt anno 1582: Doli quoque sedem habuerunt ab anno 1587; Graii, 1588; *Fond de Chaux*, 1589; Vesuntione, 1607; Visulii, 1608; Ledone Salinario, 1612; Poliniaci, 1614; Pontarli, 1618; *Champlitte*, 1619; Luxovii, 1620; Jusseii, 1621; Luthræ et Palmæ, 1624; *S. Amour*, 1628; Arbosii, 1671; *Orgelet*, 1686. Nec prætereamus Minimos, Oratorianos, Carthusianos, PP. Societatis Jesu, Moniales a Visitatione necnon ab Annonciatione dictas, Carmelitanas puellas, sorores S. Ursulæ regulam observantes, S. Francisci quoque et S. Bernardi. Nulla forsan apud Gallos ecclesia pluribus cœnobiis dives.

Vesuntionensis diœcesis historiam non pauci jam scripserunt: quos postea adjutores operis nostri, contextum narrationis intermittentes, non semel laudabimus. De quibusdam summatim nunc dicendum, qui præcipuum nobis auxilium contulerunt. Præsulum Bisuntinorum seriem digessit anonymus S. Pauli canonicus et usque ad annum 1502 perduxit. Ad eam, quam nobis exhibet integram Buherianus codex, num. 3, in Maxima Parisiorum Bibliotheca, frequenter confugimus, aliquot vetustiorum ibi fastorum rudera quærentes. Auctor enim anonymus sermonem his verbis suum inchoavit: « Ego frater « monachus S. Pauli Bisuntini, licet omnium abjectior, nolens successoribus nostrorum « temporum occultare, licet imperito stylo et inculto sermone, *ea quæ in quibusdam « scriptis versibus annotata de fundatione hujus Chrysopolitanæ ecclesiæ, vel ejus funda- « toribus et successoribus pontificibus reperire potui*, licet perpauca sint relatui digna, et « ea quæ propriis oculis vidi, et audivi ... huic membranæ adnotari studui. » Nec minus subsidium habuisse nos profitemur ex Illustrationibus Claudianis R. P. Chiffletii, apud Bollandum, 1 Julii. Catalogum quoque Archiepiscoporum Bisuntinorum, gallice sub initium decimi septimi sæculi scriptum, non sine quodam fructu legimus in tomo II Comment. et Document. ad Sequaniam spectantium. Idem volumen egregiam exhibet Com-

(1) Decanorum Arbosiensium seriem Dunodius digessit. Hi fuere: Henricus *de Pupillin*; Humbertus *du Champ*; Guillelmus *de la Tespe*; Theobaldus *de Domos*; Girardus *le Blanc*; Alexander *de Vereux*; Alexander *Barthod*; Petrus *Bontemps*; Antonius *Perrenot de Grandvelle*; N. *de Chateau-Rouillaud*, dictus *Monchet*; Guillelmus *Gillaboz*; Alexander *Glanne*; Petrus *de la Baume*, postea episcopus S. Flori; Alexander *Colin*; Stephanus *Renaud*; Claudius *Quanteal*; Matthæus *Lescot*; Pontius *Richard*; Antonius *Vosgien*; Anatolius *Paraudier*; Antonius *d'Orchamps*; Laurentius *Bontemps*.

(2) Ex ejusdem Dunodii Historia Vesuntionensis Ecclesiæ Poliniacensium decanorum series desumpta prodeat: Ægidius *Gruslgnot*, theologiæ doctor; Jacobus *Morel*, licentiatus in decretis; Joannes *Loridel*; Joannes *Bourtrand*; Stephanus *Carondelet*; Joannes *Février*; Joannes *Rivot*; Joannes *de Louhans*; Joannes *Roignard*; Joannes *Longin*; Claudius *de Boisset*, abbas idem Faverniacensis et pluribus aliis beneficiis dives; Guillelmus *de Boisset*, antecedentis frater; Claudius *de Vautravers*; Simon *d'Arc*; Laurentius Joannes *Brun*, idem et Clari Fontis abbas; Joannes Claudius *de Malpas*; Joannes Philippus *Le Maire*; Joannes Ignatius *Masson*; Franciscus Xavierius *Masson*.

mentationem Anselmi *Ferron* de primorum Vesuntionensium antistitum Chronologia. Dunodius tandem, et, inter hodiernos scriptores, D. Richardus multa ad historiam Vesuntionensis diœcesis congesserunt, operi quæ nostro plurimum profuerunt. Nemini vero tantas persolvemus grates quam Drozio, senatori Burgundo, qui immensam Vesuntionensium chartularum farraginem nobis tradidit, in Maxima Parisiorum Bibliotheca hodie asservatam.

ARCHIEPISCOPI VESUNTIONENSES.

ANNI CHRISTI

I. S. Linus.

A majoribus accepimus S. Linum ecclesiæ Bisuntinæ conditorem fuisse. Cujus traditionis testes præsertim adducendi Bisuntinorum archiepiscoporum indices, sub undecimum sæculum digesti, quos Dunodius publici juris fecit. Liber quoque S. Prothadii ritualis Lini meminit, his verbis: « XI cal. « Augusti, S. Mariæ scilicet Magdalenæ: Li« nus, nostræ ecclesiæ episcopus, ecclesiam « propriam fecit, ad quam ista die proce« dendo pergimus. » Nemo igitur est, inter scriptores aliquatenus antiquos, qui primum S. Lino locum in Bisuntinorum præsulum serie concedere dubitaverit. Explosa tamen jam multis ab annis eorum sententia, qui eumdem hunc Linum, unum ex septuaginta duobus discipulis, in Galliam, anno Christi 54, missum, Petro denique in ipsa Romana cathedra subrogatum fuisse contenderunt. Dubia pro exploratis referre consueti de S. Lino, Vesuntionensi episcopo, pluribus disserant.

II. S. Ferreolus.

Ferreolum et Ferrutium, amicos aut germanos, ex Asia Minore oriundos, S. Irenæus, Lugdunensis antistes, in Sequaniam, ut memorant, deputavit, qui fidei christianæ præcepta Bisuntini tractus incolas edocerent. Hos vero Claudius, Sequaniæ gubernandæ præfectus, comprehendi jussit, Deumque ejurare recusantes ultimo supplicio afflixit. Quod anno Christi circiter 212 contigisse traditum est. Coluntur Ferreolus et Ferrutius 16 Junii. Paucis vero eorum vitam ex hagiographis contrahere non satis est. Ferreolum enim episcopis Bisuntinis vetus quidam index annumerat, cujus auctoritatem permultis argumentis tueri Dunodius inter alios conatus est. Quin imo S. Ferreolum episcopum ante S. Linum collocare, præter veterem consuetudinem, apud hodiernos scriptores fere jam usitatum est. Animadvertendum sane quod S. Ferreolum antiquiora monumenta presbyterum et hierarcham nuncupent, nullo modo episcopum.

A Quis autem de ipso S. Lini episcopatu omne dubium discussit?

Per obscuras vias prudenter eundum. Certum quidem videtur SS. Linum et Ferreolum christianæ fidei præcones in agro Bisuntino sub idem circiter tempus exstitisse, eamque fidem ipsorum ad exemplum professis aliquo modo præfuisse. Incertum autem est an cœtus fidelium Bisuntinorum ad hierarchicum hunc ordinem jam tunc compositus fuerit, in quo primas episcopus tenet, et post eum reliqui sacerdotes, diaconi, ceterique clerici peculiaria munia implent. Pace igitur B nostra, Linum ante Ferreolum, aut Ferreolum ante Linum inter archiepiscopos Vesuntionenses recenseas licet, aut utrumque ex ea serie removeas, dummodo quam maxima laus utrique tribuatur, quorum alter martyrium exoptavit, alter consecutus est.

Nec minus ambigua quæ de proximis SS. Lini et Ferreoli successoribus enarrantur. Eorum quidem gesta veteres hagiographi descripsere; tot vero commentis pias illas narratiunculas condivere, ut eis fere nemo, præsertim hodierno tempore, simpliciter confidere profiteatur. Quamobrem, inter C recentiores criticos, a dubiis aut falsis vero similia pro libitu quisque suo sejungere studuit. Hagiographorum autem libros expurgare difficillimum. Sæpe fit enim ut spernenda approbemus, et approbanda spernamus. In eo quod ad primos ecclesiæ Bisuntinæ præsules spectat, allucinantes hagiographos castigantium improbus labor eos ad rejiciendam prorsus veterum indicum auctoritatem adduxit. Cur vero potior commentitiis, ut palam est, sermonibus, quam antiquioribus, aut saltem coætaneis, tabulis fides adhibeatur? A longo tempore tritam freD quentioremque eamdem viam sequi tutius nobis videtur. Pristinos igitur ecclesiæ Bisuntinæ pastores eo recensebimus ordine quem majores nostri nobis tradidere, subjunctis tamen hodiernorum scriptorum animadversionibus, quibus hic ordo aut convenienter emendatus, aut perperam perturbatus fuit.

III. S. Maximinus.

S. Maximinum post SS. Linum Ferreo-

lumque veterum indices ponunt, eumque Bulierianus codex a Caio papa, qui a 17 Decembris 283 usque ad 22 Aprilis 296 Romanam sedem occupavit, consecratum fuisse asserit. Ejusdem codicis ad fidem, Bisuntinam ecclesiam S. Maximinus sex annos rexit, templum a S. Lino, quondam exstructum, opere novo refecit, aliudque *prope civitatem, in foro, juxta Capitolium,* altare ædificavit, S. Joanni-Baptistæ nuncupatum. Ibidem legere est de S. Maximino: « Ad secretiorem « vitam anhelans, in quodam viridario, sexto « ab urbe milliario distante, eremitica vita « est functus, ubi quantum vitæ sanctitatis « et prædicationis refulserit instantia, non « sufficit enarrare lingua. » Silvam *Foucherans* locum hunc esse Dunodius autumavit, in quo S. Maximinus segregem vitam egit. Ibi enim ejus in honorem antiquitus condita capella. Sacer Maximino, Sequanorum episcopo, dies 29 Maii. In eumdem incurrit festum clarioris alterius S. Maximini, Trevirensis antistitis: unde nonnulli de Vesuntionensi dubitavere.

IV. S. Paulinus.

Proximam mortem sentiens Maximinus, S. Paulinum accersiri jussit, eique curam ecclesiæ Bisuntinæ demandavit. Tunc vero christianorum in Occidente res adversissimæ, imperante Herculeo Maximiano. Paulinus igitur in eadem ac antea Maximinus solitudine delitescere, ut ferunt, coactus est. Deinde vero Vesuntionem reversus est, ibique obiit anno incerto, quem Christi 310 D. Anselmus *Ferron,* post Sudanum aliosque, opinatur. S. Firminus quoque, idem aut alter, ecclesiæ Trevirensi præfuisse dignoscitur. Per quosdam igitur scriptores æque de Vesuntionensi Maximini Paulinique episcopatu ambigere licet.

V. S. Eusebius.

De S. Eusebio sic anonymus S. Pauli canonicus: « Cum de ordinando antistite ele« ctio populi Dei penderet in arbitrio, qui« dam subdiaconus Romanæ ecclesiæ, Euse« bius nomine, subrogatur basilicæ, ipsius « judicio præsignante qui in Jordane flumine « sub specie columbæ supra caput Christi « descenderat, quem B. Melchiades papa « presbyterum ordinavit et episcopum Chry« sopolitanum consecravit. » Sedit Melchiades, alias Miltiades, papa, a 2 Julii 311 ad 10 Januarii 314. Eusebius autem per duos tantum annos et semestrium ecclesiæ Bisuntinæ clavo præfuit; quibus elapsis obiit, « sepultusque est in basilica quam ipse in « suburbio construxerat et in nomine prin« cipis apostolorum B. Petri dedicaverat, « circa annum Christi 312. » Hactenus supra laudatus codex.

VI. S. Hilarius.

S. Hilarius, Ecclesiæ Romanæ diaconus, a Silvestri papa Vesuntionensi ecclesiæ præfectus legitur, quem, ut aiunt, Helena, Constantini imperatoris mater, invisit et donis maximis ornavit. Eodem auctore ædificata est cathedralis basilica, tunc S. Stephano necnon S. Joanni, dein vero soli S. Joanni sacra. Macharium quoque, ipsum revera tunc temporis Hierosolymitanum patriarcham, ad Hilarium, metropolitanæ proprium dignitatis ornamentum, pallium misisse nonnulli memorant. Ea de re dubitanti verisimile tamen videbitur metropolitanum decus ecclesiæ Bisuntinæ sub hoc tempus firmius adscriptum, cum in Nicæno concilio, anno 325, provinciæ ipsæque diœceses ecclesiasticæ certioribus limitibus circumscriptæ fuerint. S. Hilarii martyrologia 21 et 22 Julii meminere.

VII. S. Pancharius.

Pancharius, quem æque Pancratium appellant, a Julio papa I consecratus memoratur, post annum, ut videtur, 337. Anno siquidem 346, vel, ut Alberico placet, 347, 12 Maii, concilii Agrippinensis actis per legatum consensit, apud Sirmondum, Concil., t. II, part. 2. Quod concilium an fuerit congregatum nonnulli dubitant; fuisse plerique credunt. Pancharius quoque S. Stephani ecclesiæ manum admovit, opus vero non perfecit: Constantius enim, Arianis favens, in Latinos tunc acerbe desæviit; quare Pancharius, ecclesiam suam deserere coactus, in eremo decessit.

VIII. S. Justus.

Juliani, quem Apostatam dicunt, æqualis S. Justus, eo Christianos persequente, apud Eusebium, Vercellensem tunc episcopum, exsulasse dicitur, anno circiter 362; imo in ipso exsilio nondum tutus, altiores latebras quæsivisse, et in cisterna diu latuisse. Dein tamen Vesuntionem, iisdem testibus, rediit, obiturus anno circiter 366.

IX. S. Anianus.

« Vir eloquentissimus in omnibus scri« pturis sacris, et christianæ fidei prædicator « egregius, » S. Anianus a veteri fastorum Bisuntinorum auctore nuncupatur. Eo sedem occupante, SS. Ferreoli et Ferrutii corpora reperta sunt non procul ab urbe, et in ecclesiam S. Joannis translata, anno circiter, ut quidam opinantur, 368. Quæ an vera sit temporis nota non liquet.

X. S. Silvester.

In quodam Stephaniensis ecclesiæ codice

ANNI CHRISTI

legitur : « Anno 376, Silvester, spreto uxo-« ris suæ toro, clericis se adjunxit, ec-« clesiamque Bisuntinam, Aniano defun-« cto, sibi desponsavit. » Eumdem postea memorant ædem in honorem S. Mauricii et ejus sociorum erexisse. Anno 1730, in ecclesia S. Ferrucio sacra, sarcophagus ex humo refossus est, eo perveteri epigrammate exornatus : *Silvester episcopus, qui vixit in pace annis 48, et mansit in episcopatu annis 22.* De eo necrologia 10 Maii.

XI. S. FRONIMIUS.

S. Fronimius, alias Frominius, ecclesiam S. Stephani, a multis jam annis inchoatam, consummavit, et « inibi fideles viros sub re-« gulari tramite Christo Domino victuros « congregans, » ut anonymi scriptoris verba usurpemus, « apostolicum privilegium de « eodem cœnobio nactus est a summis Pon-« tificibus Damaso et Cyrico, ut in anti-« quissimis chartis reperitur. » Non alius quidem testis est has qui chartas semet vidisse contendat, nec invalida videntur argumenta quibus traditam ab anonymo rei memoriam confutare nonnulli aggressi sunt. Consulendus inter ceteros his de pontificiis litteris D. Anselmus *Ferron;* Comment. et Docum. ad Seq. Spect., t. II, p. 144. Quam habemus antiquissimam Romani pontificis ad quem nominatim e Gallicanis præsulibus, de privatis unius congregationis privilegiis, epistolam, Hormisdæ papæ nomen exhibet et annum 415.

XII. S. DESIDERATUS.

S. Desideratum, inclytis parentibus ortum et litteris apprime excultum, clerus Bisuntinus Fronimio defuncto suffecit; e Buher. codice. Qui Ledone Salinario decessit, VI cal. Aprilis, anno incerto, et in eodem loco sepultus est. Anno 1465, ejus reliquiæ, quæ pridem e lapideo sepulchro translatæ erant in ligneam thecam, in capsa argentea, coram Stephano Falquerio, S. Claudii Jurensis abbate, conditæ fuerunt.

XIII. S. GERMANUS.

S. Germanum post S. Desideratum indices cuncti posuere, et præstitutum ab auctoribus horum indicum, certe diversis, ordinem tum Buheriani codicis anonymus scriptor, tum J. Jac. Chiffletius multique alii servavere. Cujus nisi vitam, mortem saltem audi. Impiger christianæ fidei assertor, quosdam hæreticos insecutus erat Vesuntione profugos, et in civitate, muris et turribus tunc munitissima, quam Grandifontem appellabant, delitescentes. Hi vero insidias Germano moliti, cum, in ipso ad metropolita- A nam urbem itinere, sagittis primo confossum gladiis postremo contrucidaverunt. Nihil quidem obstare videtur quominus ea, indicum prælaudatorum ad fidem, sub quarti sæculi finem evenerint. Dunodius vero pro dictis hæreticis antiquorum numinum cultores supposuit : alia dein et liberiori conjectura, Germanus, Vesuntione depulsus et Grandifontem exsul incolens, ipsius provincialis præfecti, Ethnicorum superstitionibus dediti, jussu percussus est. Nec mirum igitur si tot additamentis adeo deformatam narrationem ad Macriani imperantis tempora re- B troduxerint, Germanumque, conculcato veterum omnium testimonio, S. Lino successisse asseruerint.

XIV. S. LEONTIUS.

« Vir illustris et magnificus » dicitur in Buheriano codice Leontius, imo « parentum « ex utraque parte regali stemmate præcla-« rus. » De eodem præterea : « Ecclesiam « suam Bisuntinensem, quæ præ nimia ve-« tustate jam ruinæ parata erat, solo pro-« sternens, de novo ampliorem ædificavit, et C « ejus claustrum, refectorium, dormitorium « ceterasque officinas intus et extra repara-« vit; » et infra : « ad occidentem Dubio « transnatato, in summitate montis qui civi-« tati imminet ecclesiam applicuit, et ibi-« dem filiabus Dei et monachis congrega-« tis monasterium condidit, quod usque ad « tempora Wandalorum permansit. Eccle-« siam quoque egregii martyris Laurentii « ædificavit non longe a ponte civitatis. » Sic denique eorumdem fastorum scriptor S. Leontium, post vicenorum annorum regimen, obiisse refert : « Fratres ad ejus D « stratum occurrunt, qui, ut quocumque « modo poterat, Christum annuntiabat : et, « cum jam esset ex tertia parte corporis « præmortuus, in extrema parte lectuli re-« sedit, et circumspectis fratribus : *Pax,* in-« quit, *vobis!* Deinde, manu elevata, eos « benedixit. Quo facto migravit ad Domi-« num, anno Incarn. Domin. 399, sepultus-« que est in ecclesia S. Stephani, in tumulo « lapideo, super quo lapis columnis lapi-« deis sustentatur, in quo imago sculpta est « quasi episcopi jacentis, baculum pastora-« lem in manu tenentis. » Supervacaneum E esset dicere quid præmemorata temporis nota dubitationis habeat. Sunt qui Leontium ante extremos vitæ dies episcopali dignitate semet abdicavisse memorant, ad eumque tunc temporis superstitem pertinere contendunt Leonis papæ epistolam, anno 445 ad episcopos Viennensis et Sequanicæ provinciarum missam. Hanc autem conjecturam, cui veterum fides nullo modo suffragatur, approbare non possumus. Attentius explorato Leonis papæ scripto, Leontium

ANNI CHRISTI

ANNI CHRISTI

cujus meminit alium opinamur a Leontio Vesuntionensi olim metropolita. Cujus autem, vel apud Sequanos, vel in agro Viennensi, sedis episcopus ille fuerit prorsus ignotum fatemur.

XV. S. Celidonius.

Certiora de S. Celidonio enarrantur. Bisuntinam enim sedem obtinebat anno 444;
444
quod sub tempus Vesuntionem ingrediente S. Hilario, Arelatensi episcopo, concilium congregatum est, et Celidonius, ex hujus concilii sententia, munere privatus. Id quidem tradit Vita S. Romani, apud Bollandum, die ultimo Februarii. Rem vero totam ex authenticis Leonis papæ litteris melius didicimus. Hilarius scilicet, nimiam sibimet ubique auctoritatem vindicans, de culpatis Celidonii moribus testes audit, eumque, utpote qui defuncti cujusdam viri viduam iterati matrimonii vinculo sibi conjunxerat, velut bigamum e metropolitana cathedra removet. Quid autem juris penes Hilarium, Arelatensem episcopum, in Bisuntina ecclesia? Celidonius, edicta sententia, Romam petit, ad papam judicem provocans. Ipse protinus Romam Hilarius se recipit, eoque præsente rursus exploratum tanti momenti negotium. Improbatur vero quod fecerat, Leoque papa, ad episcopos Galliæ scribens, his verbis utitur, epist. 87: « Absolutus est Celidonius episcopus, quoniam « se injuste sacerdotio fuisse dejectum manifesta testium responsione, ipso (Hilario) « etiam præsente, monstraverat.... Redditus itaque est ecclesiæ suæ, et huic, quam « amittere non debuit, dignitati, coepiscopus noster Celidonius. » Sub Celidonii tempora, Theodosius Junior, Constantinopolitanus imperator, plures ecclesiæ Bisuntinæ sanctorum corporum reliquias dono dedit, de quibus præcipue consulendus J. Jac. Chiffletius, Vesunt., part. II, p. 100.

In indice veteri post Celidonium nuncupatur Importunus, *pseudo-episcopus, receptus, sed turpiter ejectus*. Existimant fere omnes hunc Importunum Celidonio Romanam sedem appellanti suffectum, quem paulo post amovit Leo papa, Celidonio in amissæ dignitatis possessionem restituto.

XVI. Chelmegiselus.

Chelmegiselus, qui Celidonio, sicut ferunt, successerat, claustrum S. Stephani construxit: « sed, proh dolor! in extremo vitæ ipse « hæresi Ariana correptus est; quare ordi« natum fuit, ut, pro tanto facinore, ipso « mortuo, de archiepiscoporum catalogo de« leretur. » Hæc anonymus canonicus S. Pauli. Unus ideo tantum e veteribus archiepiscoporum Bisuntinorum indicibus Chelmegiseli meminit: de eodem alter silet. Ex his tamen quæ de Chelmegiselo canonicus anonymus enarrat, satis liquet eum ecclesiæ Vesuntionensi ante adventum Attilæ præfuisse. Adventus autem Attilæ anno 451 a plerisque adscribitur. Diversa igitur diversi referunt, sicut nuper D. Richardus animadvertit, Hist. diœc. Vesunt., t. I, p. 51.

XVII. S. Antidius.

S. Antidium, cujus memoriam ecclesia Bisuntina singulari cultu multis ab annis prosecuta est, veteres Chelmegiselo defuncto subrogatum fuisse referunt. Ejus autem Vita, quam J. Jac. Chiffletius publici juris fecit, circa mediam undecimi sæculi partem digesta, tot commentis, aut saltem tot rebus inter se pugnantibus scatet, ut ex ea nihil certi depromere liceat. De his quidem non ambigitur, Antidio scilicet ecclesiam Bisuntinam gubernante, ingruisse Vandalos, Hunnosve, et ab eis vastatam provinciam, Antidiumque obtruncatum in Ruffeio castro fuisse. Verum inter cetera quæ adeo imperite consarcinata memorat hagiographus, quænam eximam pro veris, quæ pro fictis habenda removebo? Operam nostra sententia perdiderunt, qui, prorsus discordantia componere studentes, præscriptum ab auctoribus indicum ordinem mutaverunt, et S. Antidium vel S. Fronimio, vel S. Germano successisse voluerunt. Audacior, nec felicior tamen, Bollandistarum et Dunodii conjectura, qui eum in idem tempus, non autem in eumdem virum convenire cernerent quæ de uno Antidio memorantur, duos eodem nomine nuncupatos præsules, unum tertio, alterum quinto sextove sæculo, in Bisuntina cathedra collocavere. His igitur e tenebris quam citius emergamus.

Sed in alias protinus recidendum est. Hunnis enim Bisuntinam provinciam multos annos occupantibus, metropolitanam sedem per idem tempus vacuam remansisse annales Bisuntini testantur. Imo nullum sæpe memorati nomen præbent indices a S. Antidio ad S. Nicetium, qui, S. Columbani æqualis, septimo sæculo incipiente episcopum agens reperitur. Occurrunt tamen plura et optimæ fidei documenta, e quibus nomina gestaque non unius inter Antidium Nicetiumque episcopi prodeunt. Unde conjecit J. Jac. Chiffletius Bisuntinos antistites, Vesuntione per Attilam eversa, alibi domicilium habuisse, donec, quiescente procella, ecclesia instaurata fuerit. Id vero minime comprobatum est. Ut ut ea se res habuit, auctoritati diptychorum confidere jam inde non possumus.

ANNI CHRISTI

XVIII. Amantius.

Narrat auctor vitæ S. Lautheni eum, anno circiter 500, ab *Amantio antistite* sacris initiatum fuisse. Quæ vero sedes Amantio adscribenda? Conjecit Dunodius metropolitanam cathedram, post Vesuntionis excidium, in urbem Equestrem, alias Nividunum, vulgo *Nion*, apud Helvetios, translatam fuisse, et Amantium Equestris episcopum nuncupat. Ea autem conjectura, ut satis superque D. Anselmus *Ferron* demonstravit, omni fide caret. Nosne vero hunc Amantium Bisuntinis episcopis rei certiores annumerabimus? Quod quidam recentiores scriptores ulla sine dubitatione fecerunt; adeo apud eos valuit hagiographorum, vel obscure scribentium, auctoritas! Anselmus autem *Ferron* minus ambiguum ejusdem rei testem exoptavit: quem nemini reperire adhuc contigit.

XIX. Claudius I.

De Claudio veterum indices, sicut diximus, nullam mentionem fecere. Is tamen,
517 anno 517, actis Epaonensis concilii subscripsit, *episcopum ecclesiæ Vesuntionensis* semet
518 ferens, et, anno 518, ut Sirmondo videtur, in concilio Lugdunensi, unus e congregatis episcopis fuit a quibus Stephani, fisco regio præfecti, matrimonium incestum renuntiatum est. Ad eumdem, ut videtur, Claudium Avitus, Viennensis metropolita, epistolam misit, quam in gallicum sermonem nuper transtulere studiosissimi rei Bisuntinæ viri a quibus Sequanicorum Sanctorum Vitæ scriptæ. Minime vero probanda tam Baronii quam Vincentii Barralis, in Chronol. Lerinensi, conjectura, qui nostrum Claudium Fausto, Regensi episcopo, Lucidum presbyterum persequenti, circa annum 475, adhæsisse referunt.

A duobus Claudiis ecclesia Bisuntina diversis temporibus gubernata fuit. Cum vero Claudii nomen in indicibus priscis semel tantum occurrat, nonnulli inter recentes criticos vel priorem hunc Claudium, vel posteriorem illum de quo mox dicturi sumus, prout cuique placuit, e Bisuntinorum episcoporum serie removerunt. Eos jam D. Anselmus *Ferron* confutavit. Argumentis tamen quibus feliciter usus est ultimum hoc addere nos juvat, quod forsan decretorium videbitur. Posterior quidem Claudius, ex omnium consensu, in abbatia Jurensi, exeunte septimo sæculo, mortuus et sepultus est. Ipse vero Leo papa IX, possessiones ecclesiæ Bisuntinæ anno 1049 recensens, ecclesiæ Metenaci meminit, in qua, inquit, S. Claudius tunc temporis requiescebat. Metenacum autem *Mainal* interpretantur, in decanatu Ledonis Salinarii. Quæ si fortasse interpretatio non sine A dubitatione accipienda sit, certe Metenacum, in Bisuntina, ut palam est, diœcesi situm, alius prorsus est locus ac Jussanum, in Lugdunensi diœcesi, monasterium. Ecce igitur duos, teste Leone papa, Claudios. Conjecere quidem nonnulli S. Claudium, Metenaci sepultum, Clodium quemdam fuisse, statuarum artificem, anno 302 Romæ mortuum; sed ea conjectura prorsus improbanda.

XX. Urbicus.

Urbicus, cujus facta nullus e priscis scri-
B ptoribus peculiari narratione posteris com-
mendavit, subscripsit, Octobri mense 549, 549
actis Aurelianensis concilii. Quo etiam anno Claromontano concilio interfuit; apud Labb. t. V, p. 401 et 402. De eodem vero nihil aliud præterea compertum habemus.

XXI. Tetradius I.

Neque Tetradii nomen in veteribus catalogis legitur. Anno tamen circiter 551, con- 551
cilio Parisiensi interfuit. In actis quoque
Lugdunensis concilii secundi, anno 566, re- 566
C peritur: *Cæsarius presbyter, directus a domino meo Tetradio, episcopo ecclesiæ Vesuntiensis, subscripsi.* Quanquam igitur de Tetradio nec diptycha, nec hagiographorum libelli, nec ipsa ecclesiæ Bisuntinæ necrologia mentionem faciunt, de ejus episcopatu minime dubitandum.

XXII. Silvester II.

Silvester, de quo veterum indices æque
silent, sedit, anno 573, in concilio Pari- 573
siensi, et in conciliis Matisconensibus, an-
D nis 581, 585. 585

Vitalis post Silvestrem a Chiffletio inducitur; ejus enim nomen suppeditant quædam exemplaria privilegii quod Gregorius papa I monasterio S. Medardi Suessionensis, anno 593, concessit. Launoium vero, Blondellum, Cointium aliosque multos secutus, Dunodius hoc diploma falsis annumerat. Quod si, Quatremerio suadente, sincerum idem reputes, adverte tamen quod in antiquioribus hujus diplomatis exemplaribus nulla subscribentium episcoporum nomina reperiantur. Vitalem igitur Dunodius e Bisuntino-
E rum episcoporum serie removendum jure contendit. De suspecto diplomate plura, Diplom., Chart., edit. nova, t. I, p. 163 et seq.

XXIII. S. Nicetius.

De S. Nicetio fidem faciunt veteres ecclesiæ Vesuntionensis indices et ejusdem Vita, ab anonymo conscripta, quam apud Bollandum, 8 Februarii, reperies. Ex hac tamen Vita nihil fere colligendum, nisi Nicetium,

ANNI CHRISTI

S. Gregorii papæ coætaneum, ab eo plures, circulatorias videlicet, epistolas de simoniaca hæresi exstirpanda accepisse, et S. Columbano Luxoviense monasterium ædificanti assiduam operam contulisse. Super eo denique Buherianus codex: « Hic ecclesiam S. « Petri collapsam reparavit; » et infra: « vi « id. Februarii, exutus hominem, in Do- « mino quievit, a suisque delatus est ad « ecclesiam S. Petri extra muros, et ibi se- « pultus est circa annum Domini 594. » Hanc autem temporis notam plane conjecturalem confutat præmemorata Vita, in qua legitur Nicetius exsulantem Columbanum et Vesuntione aliquantisper commorantem amicissimis verbis recreasse: quod anno Theoderici decimo quarto, Christi 609, vel 610, permultis optimæ fidei criticis contigisse videtur. Colitur nunc S. Nicetius 31 Januarii.

XXIV. S. Prothadius.

S. Prothadium Prothadii patricii filium, sed nullo teste, quidam asserunt. Nec fortasse fide dignius, quod, eum apud Clotarium regem II acceptissimum fuisse, narrat anonymus scriptor, apud Chiffletium, Vesunt., part. II, p. 131. Idem enim scriptor S. Prothadium temporibus S. Gregorii papæ simoniacam hæresim viriliter impugnasse contendit, et jam aliquot ab annis mortuus erat S. Gregorius cum Prothadius Bisuntinam cathedram conscendit. Hunc tamen anonymi S. Pauli canonici locum transcribere placet: « Interim, » ait non adeo quidem priscus, non hesternus tamen auctor, « orta fuit dubitatio inter clerum, quo- « niam diversos ritus et multiplices diversæ « habebant ecclesiæ ordinationes, cui magis « adhærerent. Quare ad preces et reque- « stam domini Stephani, sanctæ matris eccle- « siæ B. Joannis Evangelistæ, et Haymini S. « Stephani decanorum, B. Prothadius quem- « dam libellum composuit, continentem qua- « liter fratres in conventu et in claustro es- « sent et viverent, quid haberent et quid « relinquerent, quot ministri essent in ec- « clesia in festivis diebus, quo tempore om- « nes congregationes totius urbis in majori « ecclesia convenirent; breviter totum con- « scripsit quidquid per totum annum in ec- « clesia erat congruum fieri et etiam oppor- « tunum. » Illum scilicet libellum a S. Prothadio digestum etiam nunc habemus, non vero sincerum: nova enim ab eo tempore officia, novos ritus ætas excogitavit, et, mutatis Prothadii institutis, ritualis ipse liber interpolatorum calamo non semel corruptus est. Hunc quære inter Instrumenta Hist. Diœc. Vesunt., a D. Richardo conscriptæ, t. I, p. 568. Nos præterea veteres fasti docent S. Prothadium in ecclesia S. Petri sepultum fuisse.

XXV. S. Donatus.

De S. Donato sic Jonas, monachus, S. Columbani vitam enarrans: « Erat eo tem- « pore dux quidam, nomine Waldelenus, « qui gentes quæ intra Alpium septa et Ju- « rani saltus arva incolunt, regebat. Huic « soboles nulla erat... Hic cum conjuge « sua, Flavia nomine, et genere et pruden- « tia nobili, ad B. Columbanum ex Vesontionensi oppido pergit, precantes simul ut « pro eis Dominum deprecaretur. Dicunt se « multis opibus esse ditatos, sed cui hære- « ditatem post obitum relinquerent hære- « dem non habere. Quibus vir sanctus: *Si « voti*, inquit, *vestri est ut largitori donum « consecretis, mihique ex lavacro suscipien- « dum tradatis, pro vobis ego Domini cle- « mentiam implorabo, ut non solum quem « Domino voveatis habeatis, verum etiam « quanta volueritis post pignora suscipiatis.* « At illi promittunt se ejus imperiis læto « animo parituros... Mirum dictu! vix do- « mum remeant, dono creatoris alvo gra- « vida, mater futura exspectat. Editum mox « ad sanctum virum defert, et suis orationi- « bus largitum munus demonstrat... Quem « vir sanctus manibus receptum sacravit, « sacroque lavacro ablutum ipse suscepit, « Donatique nomen imponit, matrique ad « nutriendum reddit. Qui post alitus in eo- « dem monasterio (scilicet Luxoviensi), sa- « pientia imbutus, Vesuntionis pontifex « effectus, nunc usque superest eamdem « cathedram regens. » Hæc Jonas, ipsius Donati, ut satis apparet, coævus, quem veteres ecclesiæ Bisuntinæ fasti sequuntur. Addunt quidem e scriptoribus recentioribus nonnulli Donatum Luxoviensia tecta primum deseruisse, ut Helvetios, christianæ fidei eatenus ignaros, edoceret, et Lausannensis tractus episcopus salutaretur. Id autem conjecturale potius quam indubio testimonio traditum. Magis compertum est eum, anno,
ut videtur, 625, Bisuntinum tunc temporis 625
præsulem, concilio Remensi interfuisse, de quo Flodoardus, Hist. Eccl. Rem., lib. II.
Anno dein 636, Burgundofaronis, Meldensis 636
episcopi, litteris subscripsit, in quibus Resbacensis monasterii privilegia recensita; Dipl. Chart., t. II, p. 41. Idem Burgundofaro, Joannis, ut aiunt, papæ IV litteras accepit, quibus S. Crucis Meldensis privilegia confirmata. Burgundofarone postea rogante, has Joannis papæ litteras ecclesiæ Gallicanæ quamplurimi proceres sancivisse memorantur, et inter eos Donatum, Vesuntionensem episcopum, reperies in mutilo prorsus exemplari quod Mabillonius publici juris fecit, Ann., t. IV, p. 752. Integras vero easdem litteras sub annum 642 cautissimus vir *de Bréquigny* excudit, et ab imperitissimo diplomatum subjectore confictas detexit; Dipl., Chart.,

ANNI CHRISTI

t. II, p. 71. Nec minus forsan commentitium quod Jacobus *Du Breul* aliique de Donato, sub annum Clodovæi II regnantis quintum, Christi pariter 642, referunt. Ab his enim, Vitam S. Baboleni parum fide dignam contrahentibus, producitur Donatus noster, sigillo suo stabiliens instrumentum Audoberti, Parisiensis episcopi, pro Fossatensi monasterio. Hoc autem instrumentum nemini mortalium adhuc videre concessum est, ut jam antecessores nostri, ad quos mendacium semper difficiles aditus habuit, supra notavere, t. VII, col. 24. Quam citissime autem ad juratissimas auctoritates, dum obviæ sint, pergere decet. Cabilonense concilium, 24 Octobris, anno, ut plerisque vi-
650 detur, 650, habitum est, adstante magna magnique nominis præsulum corona. Quos inter Donatus recensetur, apud Labbeum. Anno denique 657, si notam hanc temporis congrue *de Bréquigny* proposuit, legitur ad calcem instrumenti quo Adalsinda, abbatissa S. Martini de Bregillis, Besuensis monasterii dominio non tantum ipsam S. Mar-
Ch. II, col. 3. tini abbatiam, sed etiam ceteras ejusdem possessiones adscripsit. Has quidem Adalsindæ litteras, damnata ea temporis nota, Cointius expungendas censet, Donatum anno 652 defunctum reputans. Ex altera vero parte Joannes Jacobus Chiffletius eumdem Donatum post annum 660 vixisse contendit. Argumentum Chiffletii sublestum, qui concilium Cabilonense, de quo supra dictum est, in anno 660 collocat. Ceterum minime certum est Adalsindæ donationem anno 657, sicut *de Bréquigny* autumavit, factam fuisse: hanc enim Annales Besuenses, inter Monum. Germaniæ a D. Pertzio collecta, t. II, p. 248, anno 652 adscribunt. Nihil aliud tamen quam parum valida Cointii conjectura Donatum hoc anno 652 vitæ metam attigisse probat.

Episcopalem dignitatem adeptus, non tantum vestem, sed etiam mores monachorum Donatus retinuerat. Totis igitur viribus enisus est ut jam conditorum monasteriorum rem augeret, novasque domos ædificaret, viris puellisve monachicum vivendi genus consectantibus addicendas. Sic Jussanum monasterium, S. Mariæ sacrum, ad imum montis qui tecta Bisuntinæ civitatis super impendet, Donatus et Flavia mater exstruxere. Ipse dein eo adductis monialibus insignes Donatus constitutiones præscripsit, quas typis jam diu mandatas, imo in gallicum sermonem nuper translatas, quivis monachicarum originum studiosus attentissimis oculis semper leget. Quorumdam sententia est hanc Jussani monasterii fundationem ultimis Donati pontificem agentis temporibus adscribendam esse. Mabillonius contra eamdem sub annum circiter 624 memorat. Mabillonii conjecturam firmat anonymus fastorum Bisuntinorum scriptor, quo teste Jussanum monasterium *paulo ante* S. Paulum exstructum est (1). Nunc de S. Pauli fundatione paucis disserendum. « Monasterium, ait anonymus sæpe laudatus scriptor, infra urbis « mœnia condidit, et in honore B. Pauli « Apostoli sacravit, possessionibus ditavit, « privilegio munivit, atque ibi fideles viros, « sub B. Benedicti et B. Columbani Luxo- « viensis regula victuros, instituit. » Eadem fere Jonas, in Vita S. Columbani. Regulam hanc ex institutis S. Benedicti et S. Columbani compositam, quam S. Paulum incolentibus ascetis Donatus dedit, Commonitorium vulgo nuncupant, typis non semel vulgatum.

In eo S. Pauli monasterio Donatus, juxta Waldelenum patrem, terrenis functus curis sepultus est. Dein in ejus honorem exstructa est ædicula, quæ vici Paulini parochialis ecclesia fuit, quæque penes S. Pauli cantorem, beneficiario jure, diu exstitisse dignoscitur. Colebatur Donatus 7 Augusti.

Donnium eumdem Vincentius Bellovacensis appelat, Agilique, Resbacensis abbatis, coævum fuisse refert; Specul. Hist., lib. 23, c. 101. Cui nullo modo refragamur. Advertendum vero quod antecessores nostri, t. VIII, col. 1680, Agilum Resbacensis abbatiæ regimen sub annum Dagoberti quartum decimum, Christi videlicet 641, adeptum esse contendunt, posthabita, quam clerus Burgundus obtulerat, ecclesiæ Bisuntinæ administratione. Unde antecessoribus nostris visum est Bisuntinam sedem hoc anno 641 pastoris tutela destitutam fuisse. Eos autem rerum series sub Donati præsidatu gestarum in ea conjectura peccavisse demonstrat.

XXVI. S. MIGETIUS.

S. Migetium post S. Donatum omnes, veterum pro fide nomenclatorum, ponunt. De eodem insuper Adso, in Vita S. Waldeberti, fidem facit, eum qui *magnarum virtutum virum* nuncupat. Compertum insuper habemus ex Adsone Migetium sub tempora S. Waldeberti vixisse, eumque sepultura donavisse. Prorsus vero commentitium videtur quidquid tam de cæremoniis et ritibus ecclesiæ Bisuntinæ in meliorem ordinem a S. Migetio compositis, quam de institutis ab eo tunc primum archidiaconis quidam tradidere. Mortuus est S. Migetius anno circiter 670, et sepultus in ecclesia S. Pauli. Ejus meminit Martyrologium Gallicanum, 7 Augusti.

(1) « Suo denique tempore, paulo ante, matre ejus Flavia cooperante ex propria hæreditate, aliud in eadem urbe ....; » e codice Buheriano. Hæc verba *paulo ante*, eumdem locum transcribens, J. Jac. Chiffletius prætermisit; Vesunt., part. II, p. 153.]

ANNI CHRISTI

XXVII. Ternatius.

Ternatium, alias Terniscum, Migetio veterum indices successisse ferunt. Certe metropoli Bisuntinæ præerat ante annum 677,
677 quo Theodericus rex Chramlinum, Miecionis filium, ipsius et aliorum quorumdam metropolitarum sententia ex Ebredunensi cathedra jure dejectum denuntiavit. Id enarrat nemini suspectum Theoderici diploma, quod post Mabillonium Buquetius edidit, Rer. Gallic. Script., t. IV, p. 658. Traditur insuper Ternatium sanctis martyribus Marcellino Petroque ecclesiam in urbe sua dicavisse, prædecessorumque suorum hodie deperditam historiam conscripsisse, aut conscribi jussisse. Sepultus est in ecclesia S. Pauli, anno circiter 680.

His de pristinis ecclesiæ Bisuntinæ fastis, qui Ternatio tribuuntur, certum quid subdere non displiceret. Prorsus autem deperditi sunt, nisi tamen ex eis narrationis suæ argumentum, in eo saltem quod ad antiquiora tempora spectat, deprompserit anonymus S. Pauli canonicus, cujus sæpe jam meminimus. Is plura memoravit quorum solus nunc testis superest, quæque e veteribus, ut ait, libellis certe sumpsit. Antiquitatem enim ea sapere nemo non agnoscet. Ipse vero anonymus *in quibusdam* olim *versibus annotata* soluta semet oratione enucleavisse profitetur. Ternatione, aut cuidam coætaneo scriptori, adscribere decet hos metrice scriptos ecclesiæ Vesuntionensis annales? Veteres quidem, sed Ternatio recentiores eos reputamus, præsertim cum ex eisdem nonnulla deduxisse videatur anonymus ad Ternatii successores spectantia. Materiam igitur, ut conjicimus, præbuit Ternatius, quam versibus polivit anonymus, versusque postea canonicus S. Pauli in prosam ampliorem transtulit.

XXVIII. S. Gervasius.

Gervasius Ternatii frater a canonico S. Pauli appellatur. Eodem teste, archiepiscopale decus minime conquisivit, sed invitus accepit. Nec tamen aliud quid de Gervasio colligere nobis licuit.

XXIX. S. Claudius II.

S. Claudium post S. Gervasium indices præbent. Ejusdem insuper vitam plures scripsere, prolixitatem sermonis æmulo veluti studio consectantes. Adeo non igitur de S. Gervasio testimonia desiderantur, ut contra superabundent. Antiquior vero scriptorum ejus qui gesta posteris tradere studuerunt sub duodecimum sæculum vixit, et, sicut a Dunodio aliisque jam comprobatum est, ei dubia falsaque multa paucis veris permiscenti nemo propemodum cautus con-

A fidet. Ex ea tamen farragine antecessores nostri quædam detulerunt certis historiæ documentis non omnino repugnantia: S. Claudium scilicet e nobili domo ortum, quæ Salinenses toparchas postea genuit, primis ab annis clero Bisuntino adscriptum fuisse; dein, positis in Jurensi monasterio monachicæ vitæ tirociniis, Injurioso abbati subrogatum, Joanne papa IV sedem Romanam occupante, anno 641, vel 642; eumdem, Gervasio defuncto, a Bisuntino clero archipræsulem salutatum fuisse; denique, post septem annos, eo munere semet abdicavisse, ut
B Jurensis monasterii regimen rursus susciperet, et anno 696 obiisse; supra, t. IV, c. 244. Ab ea chronologia parum declinat D. Anselmus *Ferron,* qui S. Claudium anno 644 monasterii Jurensis regimen inchoavisse, anno dein 686 Bisuntinum archiepiscopum institutum fuisse, et anno 699 decessisse conjecit. Certius est S. Claudii maximam famam in ecclesia Bisuntina semper fuisse, quem jam Rabanus Maurus, nono sæculo, sanctis intercessoribus annumerabat, in martyrologio suo, VII id. Junii. Adde quod usque ad hesternos dies peculiari cultu ejus reliquiæ co-
C honestatæ fuerunt, ut copiose rem enarraverunt anonymi scriptores qui Vitas Sanctorum Sequanicorum nuperrime condiderunt; t. I, p. 272.

XXX. Felix.

Vel ipsum Felicis nomen posterioris indicis auctor prætermisit. Eo enim Bisuntinam ecclesiam administrante omnia in pejus ruere, sicut verbis valde notatu dignis rem memorat anonymus S. Pauli canonicus. Archiepiscopo scilicet vitam omni intemperantiæ addictam
D agente, et altarium possessiones deprædante, canonici nec divinis officiis, nec studiis vacare, sed assiduis commessationibus, ludis militaribus, imo scortatibus publicis, raptibus matronarum puellarumque. Ne vero singula, quæ prolixius anonymus scriptor describit, referamus. Bisuntinos tandem cives tantorum flagitiorum adeo puduit, ut, conjuratione facta, in canonicorum domos gladiis accincti irruerint, et plerosque trucidaverint, ceteros in Dubim præcipites egerint. Cujus stragis audito nuntio, Felix
E fugam arripuit, et in superiorem Burgundiæ tractum secessit. Hoc in exsilio mortuus est.

XXXI. Tetradius II.

Tetradius non minus quam Felix turpitudine morum famosus. Quo præsidente, idem regularis disciplinæ ac sæcularis naufragium. Eo ventum est ut ecclesiæ Jussani monasterii, S. Marcellini, S. Petri, S. Pauli aliæque vix unum quæque sacerdotem alere possent. Æqualis memoratur Tetradius Caroli Mar-

ANNI CHRISTI

ANNI CHRISTI

telli, necnon Zachariæ papæ; unde conjicere licet eum ab anno 741 Bisuntinam sedem occupavisse. His autem in angustiis, Zachariæ papæ jussu, S. Bonifacius desolatæ pro viribus ecclesiæ consuluit. Tetradius demum occubuit, inter venandum ab apro quem insequebatur confossus.

XXXII. Abbo.

Abbo, cathedralis ecclesiæ antea canonicus, Tetradii mores aversatus, Luxovium secesserat, ubi monachum, ut videtur, induerat. Postea vero in metropolitanam civitatem redux enarratur, et Tetradio mortuo, consentientibus oppidanis, subrogatus. Corrigendos canonicorum mores aggressus, susceptæ reformationis adjutorem habuit Adonum, Luxovii priorem. Res autem improspere cessit. Post multos episcopatus annos, Abbo, vicinam sentiens mortem, in Wandelbertum Bisuntini gregis curam transtulit. Ad Abbonem respicere videtur quarumdam litterarum locus, quas, anno 869, Lotharius rex ad Arduicum archiepiscopum misit, illius
Ch. III, col. 4. prædecessores Gedeonem *Adonem*que nuncupans.

XXXIII. Wandelbertus.

Wandelbertus, alias Guadalbertus, vestigia prædecessoris sui ingressus, optimam famam assecutus est. De eo tamen pauca memorantur.

XXXIV. Euroldus.

Euroldus, quem alii Curoldum Conradumve appellant, anno episcopatus sui duodecimo decessit.

XXXV. Aurulcus.

Aurulcus, a quibusdam vocatus Arnulfus, ortu, consilio, virtute præclarus laudatur. De eo tamen nihil amplius.

XXXVI. Hervæus.

Eadem qua Aurulcus familia genitus Hervæus, alias Harifeus, Hermesve, episcopale munus magna cum laude implevit. Eum, anno 765, actis Attiniacensis concilii subscripsisse quidam referunt : quod chronologicum ordinem ab aliis propositum prorsus everteret. Aurulcum enim in annum 785 vixisse hi contendunt. Sed in eo monumentorum silentio conjecturis quæ fides?

XXXVII. S. Gedeon.

De cella Lauconensi, quam S. Lupicinus abbas in agro Bisuntino exstruxerat, Gedeon cum Richerto, abbate Condatescensi,

A acerrime litigavit. Animis utriusque adeo motis, Carolus rex Doctonem, Luxovii, ut videtur, abbatem, et Adelardum comitem eo misit, qui tanti dissidii materiam attentius investigarent. Nec multo post, auditis partibus, Carolus rex, anno regni sui vicesimo secundo, 21 Septembris, tunc Remis residens, controversam rem Richerto adjudicavit; supra, t. IV, Instr., col. 3. Regium diploma jam vulgaverat Perardus, Perardumque necnon Cointium sequens Mabillonius, id Carolo Magno annoque 790 adscripserat. Ipse vero postea Mabillonius easdem litteras
B Carolo Calvo annoque 862 tribuendas asseruit; Annal., t. II, p. 294. Posteriorem sane Mabillonii conjecturam minus quam priorem valere Dunodius, adductis pluribus non parvi momenti rationibus, demonstravit. Refellendum tamen Dunodius nobis reliquit præcipuum, quod Mabillonius habuisse profitetur, sententiæ mutandæ consilium. Longius, ut ait, Carolus Magnus Remis id sub tempus aberat, qui Wormatiæ considebat. Quod perperam dicitur. Duriæ scilicet, inter Leodium et Coloniam Agrippinam, commorabatur Carolus Magnus 16 Septem-
C bris 790, ubi possessiones S. Dionysii confirmavit. Wormatiæ deinde reperitur 3 Januarii 791, diploma quoddam edens pro Cremifanensi S. Salvatoris monasterio. Nihil obstat igitur quin Remis 21 Septembris aliquantisper conversatus sit. Adde quod vicesimum secundum annum Caroli Magni ab ejus regno Burgundico intelligere fas sit, ideoque edictum sæpe laudatum anno 793 adscribere, et quod nullo modo compertum sit Carolum Magnum vel per unam hujus anni diem Wormatiam incoluisse. Caroli igitur Magni, minime Caroli Calvi, ex ipso
D chartarum testimonio, coævus Gedeon fuit. Chartis insuper suffragantur prisci Vesuntionensium archipræsulum indices, quibus Gedeon ante Bernoinum collocatur, longe scilicet ante Caroli Magni decessum. Superest tamen quod e Cluniacensis chronographi dictis in contrariam partem refertur, Bernonem scilicet abbatem, qui anno circiter 910 Clunianum instituit, a nostro Gedeone consecratum fuisse. Levior autem justo probatur Cluniacensis scriptoris fides. Lotharius enim rex, anno 869, longe, sicut palam est, ante Cluniacensis domus institutionem, Gedeonis
E meminit, eum Arduici prædecessoribus annumerans. Inter duas Mabillonii conjecturas hæserant antecessores nostri, remque altius investigandam distulerant; supra, t. IV, col. 245.

« Cujus quidem temporibus, ait S. Pauli « canonicus, gente aliena, populorum ur« gente scelere, urbs Chrysopolitana com« busta, et totus archiepiscopatus vastatus « est. » Gentem hanc alienam Saxones J. Jac. Chiffletius opinatur.

ANNI CHRISTI

XXXVIII. Bernoinus.

Bernoinum, alias Germinium, e clarissima regum Austrasiorum prosapia satum veterum testimonia usque ad nos delata referunt. Quanquam autem super ea cognatione nonnulli disseruerint, indubiis argumentis res indiget. Addunt antiqui Bisuntinæ ecclesiæ fasti Bernoinum a quam plurimis magnatibus regibusve, quos inter Constantinum imperatorem expressis verbis recensent, amplissima munera accepisse. Obiit autem Constantinus V, Irenes filius, Augusto mense 797: Bernoinum igitur ante hunc annum 797 Bisuntinam sedem conscendisse traditur. Certius de eo documentum pro-
811 fertur sub annum 811; testamentum scilicet Caroli Magni, ab Eginhardo servatum, cui Bernoinus, aulicos inter antistites conspicuus, sigillum suum apposuit.

822 Ludovici Pii capitulare, anno 822 prolatum, quod ad munia missorum dominicorum imprimis spectat, Bernoini sic meminit: *In Vesuntio, quæ est diœcesis Bernoini archiepiscopi, Heiminus episcopus et Monogoldus comes.* Heiminus episcopus et Monogoldus in Bisuntino tractu missorum dominicorum partes his litteris, anno 822, implere jubentur. Eædem, ut videtur, manifeste Bernoinum ab Heimino distinguunt. Quadam igitur allucinatione nonnulli ea quæ ad Heiminum his in litteris pertinent ad Bernoinum retulerunt. Memoratur vero Ber-
828 noinus anno 828, in epistola Ludovici et Lotharii, imperatorum, eum quæ monet ut Moguntiam cum suffraganeis suis se recipiat. Nec multo post, ut aiunt, decessit, et in ecclesia S. Viti sepultus est. Obitus ejus pridie id. Augusti memoratur. Fama est Bernoinum ecclesiæ Bisuntinæ multa contulisse, S. Joannis imprimis basilicam opulentis possessionibus, variaque eamdem et ditissima supellectili exornavisse, et altare S. Andreæ sacrum refecisse.

XXXIX. Amalwinus.

Aquisgrani reperitur Amalwinus, pridie
838 cal. Maii 838, qua die imperatoriæ sententiæ subscribit contra monachos Anisolenses latæ, qui scilicet Cenomanensis episcopi tutelam pro jure suo, ut melius postea visum est, detrectaverant; e Gestis Aldrici, Rer. Gallic.
840 Script., t. VI, p. 301. Anno postea 840, Ingelheimum Amalwinus accitus, inter permultos sedit episcopos, qui, Lotharii imperatoris ad mentem, Remensis ecclesiæ archiepiscopum Ebbonem in pristinam amissamque diu dignitatem restituerunt; tam e Narratione clericorum Remensium, quam ex ipsius Ebbonis Apologetico, ibid., t. VII, p. 278, 281. Nec aliud quid super Amalwino traditum, nisi quod, rem referente Chiffletio, abbatiam S. Pauli reditibus auxerit, aliasque multas Bisuntinæ diœcesis ecclesias vigili studio refecerit.

XL. Arduicus.

Arduicus anno circiter 843 electus videtur. In subscriptionibus enim Germiniacensis concilii, eo anno coacti, legitur *Adricus, Vesontionensis vocatus archiepiscopus.* Ut vero Baluzius Cangiusque notavere, *vocatum* semet episcopum sæpius profitebatur ille qui recens electus consecrationem suam etiam tum exoptabat. In eodem quoque concilio occurrit Agius, *Aurelianensis ecclesiæ vocatus episcopus*, qui revera eo anno 843 Jonæ defuncto nuper suffragiorum jure suffectus fuerat. Nomen Arduici præbent, anno 859, epistolæ synodi Tullensis tam ad episcopos Britanniæ quam ad Wenilonem, Senonensem episcopum; Rer. Gallic. Script., t. VII, p. 582, 583. Tuciacensi dein concilio, anno 860, interfuit. Satis frequens est Arduici mentio quam maximis negotiis operam impendentis: unde comperitur eum inter ecclesiæ Gallicanæ rectores summam auctoritatem consecutum esse. Theodorico scilicet, archiepiscopo Cameracensi, anno 863 defuncto, Lotharius imperator Hilduinum pro more subrogaverat, quem Hincmarus, Remensis archipræsul, consecrare noluit. Partes vero Hilduini tres metropolitæ, quos inter Arduicus, suscepere, et ad Hincmarum acerbissimam epistolam conscripsere; supra, t. III, col. 13. Quare quidam Arduicum vituperaverunt, plus imperatoris voluntati quam canonibus obsequentem. Synodus Metensis eo anno congregata, Junio mense, in qua Lotharius Theotbergam uxorem legitimam dimisit, et Walradam sibi junxit, adstantibus remque comprobantibus cunctis regni sui, Annalium Fuldensium pro fide, episcopis, præter Hungarium Trajectensem. Arduicus igitur in hoc conventu sedit, et regii divortii assertor fuit. Hincmaro jam eum diximus semet infensum præbuisse. Anno sequente, 864, ejusdem quoque iracundiam movit, partes amplexus Rothadi, Suessionensis episcopi, quem ille, neminem refragantem unquam passus, ex episcopali sede dejecerat. Vesuntionem tunc temporis Rothadus secessit; unde, Arduico opportunam opem subministrante, Romam tetendit, coram Nicolao papa causam oraturus suam. Feliciter quidem, ut sæpe dictum est: quare acerbior Hincmari in Rothadi patronos animus. Miserrimus ea tempestate tum ecclesiæ, tum imperii status, nec major apud episcopos quam apud reges juris potentia. Romanam vero sedem optimi consilii pontifex Nicolaus regebat, qui, adeo turbatas res componendi studiosus, erga quoscumque sibimet adversantes sæpius clementia quam au-

Margin (right column): 843 (beside "Arduicus anno circiter 843"); 859 (beside "859, epistolæ synodi"); 860 (beside "anno 860, interfuit"); Rer. Gall. Script. t. VII, p. 170. (beside "in qua Lotharius"); 864 (beside "Arduicus igitur in hoc conventu").

ANNI CHRISTI

ctoritate utebatur. Arduicum sane male tulerat non tantum Hilduino, sed etiam Waldradæ, regiæ pellici, faventem. Annum tamen
865 865 præ se fert præclarum Nicolai papæ rescriptum, quo summus Pontifex plures, nec minimi momenti, quæstiones, ad supremam sedem ab Arduico delatas, benignissime solvit; ipsumque etiam his in litteris Arduicum, utpote fidissimum Romani Pontificis clientem, magnis laudibus cohonestat. Eodem anno, Lotharius, constantia Nicolai victus, amicam Walradam e regio pulvinari ablegare, Arsenio legato eum urgente, tandem decrevit. Tunc Arduicus Vindonissam, sitam in pago Remensi villam, jussu Lotharii, Lotharingorum regis, se recepit, conventusque pars fuit percelebris, coram quo Theotbergam conjugem Lotharius semet revocare professus est. Lothario, multis ærumnis afflicto, Arduicus semper obsequiosus fuit; rex igitur præsulis merita repensare non semel, ut conjicere fas est, curavit. Anno saltem
869 869, cum Lotharius Romam iter ageret, læsæ dignitatis vindicem papam appellans, eum adiit Arduicus, pluresque villas, a metropolitano dominio disjunctas, pro suo jure repetivit. Has autem, ex altera parte, Ottone comite, cujus fidem infirmare tunc temporis rex
Ch. III, col. 4. verebatur, sibi vindicante, statuit Lotharius IX cal. Februarii, ut abbatia Carnonis Castrum nuncupata, cellulaque Balma metropolitanæ res fierent. Obiit quidem Lotharius VI id. Augusti 869: antequam vero vitæ metam attingeret, Bertulfum Adventii, Metensis episcopi, nepotem, Trevirensi ecclesiæ præfecerat. Quod non tulit Ludovicus rex, atque Waltonem, Trevirensis diœcesis monachum, Bertulfo sufficere conatus est. Partes vero Bertulfi tuendas plures non parvi nominis episcopi suscepere, inter quos Arduicum nostrum Flodoardus recenset, Hist., lib. III, c. 20, et quam potiorem habuerant causa, multas post contentiones, victrix evasit. Episcoporum qui Bertulfo favebant princeps Hincmarus, Remensis archipræsul. Magnas quidem in eum antea simultates exercuerat Arduicus: sed ab illo tempore eadem semper molientes ambo occurrunt. Sic, anno
870 870, reperitur Arduicus una cum Hincmaro Remensi, Remigio aliisque conveniens, qui, ad Carolum regem in gratiam Hincmari Laudunensis scripsere; ex Epist. Hincmari, t. II, p. 593. Arduici meminit alia ad Laudunensem antistitem Hincmari Remensis epistola, e qua discimus Arduicum infeliciter ab altero ad alterum, pacis conditiones ferentem, ivisse; ibid., p. 535. Defuncto, ut diximus, Lothario, Carolus Calvus Vesuntionem suo regno adscripsit. Qui ut Arduicum sibi beneficiis conciliaret, ei, anno, ut videtur, 872, Vesuntionem pertransiens, S. Martinum de Bergillis, olim alicujus nominis abbatiam, liberaliter contulit. Eidem per eumdem Carolum nummos signare licuit; cujus concessionis ex auctoritate, sæpius a Romanorum regibus confirmatæ, archiepiscopi Vesuntionenses per multos annos monetam cuderunt, Stephaniensem dictam ex ipso nomine cathedralis basilicæ S. Stephano sacræ.

XLI. THEODORICUS I.

« Genere nobilis et moribus nobilior » Theodoricus a canonico S. Pauli memoratur. Anno 875, unus fuit ex episcopis qui, in Cabilonensi suburbio congregati, privilegia Trenorchiensi monasterio concessa confirmavere. *Hist. Abb. Trenorch. pr., p. 215.* Anno sequente, Vesuntionem Carolus Calvus rursus venit, Roma rediens. Quem Theodoricus excepit; dein Pontigonem Bisuntinus archipræsul tetendit, ubi celeberrimus Gallicanorum præsulum conventus. Hi primum, 1 Junii, monasterii Carilocensis, in agro Matisconensi, fundationem probavere. Dein, pridie cal. Julii, Carolum imperatoria dignitate legitime donatum renuntiavere. De ceteris hujus concilii gestis Rer. Gallic. Script. consule, t. VII, p. 691: sedentem in tanta concione Theodoricum
discernere nostra tantum res est. Anno 878, 878
Joannis papæ legatum, Deusdedit nomine, magistrum quidem militum ducemque, sed in rebus ecclesiasticis exercitatissimum, Theodoricus excepit, a quo papam audivit, Lingonibus tunc moram facientem, eo valde dolere quod Vesuntionensis archiepiscopus eum visitare tandiu distulerat. Eadem objurgatio in litteris apostolicis legebatur, IV id. Junii datis. Episcopo scilicet Lausannensi mortuo, suffragia bipartita, ortæ contentiones. Joannes autem papa, ad Theodoricum scribens, eum monebat ne mandato regis, aut votis populi obsequens, alterutrum electum consecraret; decreverat enim summus Pontifex ut ipsi prius Theodoricus morem gereret debitum. Hunc sub annum congregatum Trecense concilium, præsidente papa, mense Augusto. Cui Theodoricus interfuit, et coram cœtu questus est de Versinda, moniali, quæ matrimonium contraxerat, necnon de suffraganeis episcopis, qui, in provincialem synodum nuper vocati, metropolitæ mandato minime paruerant. Quam maximæ tunc temporis in tota Gallia turbæ. Auctoritate nulla prævalente, vanum ipsius regis nomen. Ea dum fervebant dissidia, procerum episcoporumque cœtus, qui in urbe pagi Viennensis Mantala factus erat, Bosonem regem conclamavit, idibus Octobris
879. Hujus acta conventus exhibet tom. VII, 879
Rer. Gallic. Script., p. 304: ibi Theodoricum inter fautores Bosonis reperies, cujus regnum Delphinatum, Sabaudiam, Lugdunensem agrum, Bressiam et Burgundiæ comitatum complexum est. Bosonem vero Lu-

ANNI CHRISTI

dovicus et Carolus, Ludovici II filii, haud æquo tulerunt animo regalibus insignibus ornatum. Carolus ei præcipue semet adversarium præbuit, qui, partitione Galliarum peracta, Burgundiæ regnum sortitus erat. Proceres igitur Carolo adhærentes Theodoricum, Bosonis assertorem, vexare et insidiis appetere. Quos inter Hubo quidam memoratur Bisuntinæ ecclesiæ deprædator, in litteris Joannis VIII ad Carolum regem, Theodorico querente missis, anno 880; apud Rer. Gallic. Script., t. VII, p. 190. Moritur autem Boso anno 887, eodemque anno, 11 Novembris, Carolus Crassus regali dignitate privatur. Unde major in dies animorum rerumque conflictus. Tunc Radulfus *de Stratlingen* regnum Transjuranæ Burgundiæ sibi vindicat. Postquam autem in eum suffragia convenere, Theodoricum cancellarium eligit. *Theodorici archiepiscopi et cancellarii* (1)
888 nomen reperitur, anno 888, ad calcem litterarum Radulfi regis abbatiam Romanensem Adelaidi, sorori suæ, concedentis. Superstes
895 erat Theodoricus anno 895. Eum S. Pauli canonicus ecclesiæ Bisuntinæ villas *Vieilley, Bonnay, Devecey*, tradidisse refert, necnon Graiacum et *Choys*, castella, cum agris adjacentibus, a Zuenteboldo rege restituta. Villam insuper Pauliacenam manuscriptus codex S. Stephani inter res a Zuenteboldo redditas recenset. Nec sane prætereundum, quod, vicinam sentiens mortem, Theodoricus omnia sua bona pauperibus erogavit.

XLII. Ayminus.

Ayminus, alias Hayminius, *invasor vocatus, pseudo-episcopus, non receptus*, nuncupatur in antiquiori Bisuntinorum archiepiscoporum indice. Qua sub id temporis ecclesia Bisuntina dissentione ferbuerit, et quibus insidiis Ayminus in cathedram ab alio occupatam vacuamve viam sibi fecerit, non plane compertum habemus. Certe tamen, anno circiter 914, Roma tunc temporis proficiscens, a Joanne X pallium accepit ad Agium, Narbonensem episcopum, defe-
915 rendum. Anno dein 915, synodo Cabilonensi interfuit Ayminus, Vesuntionensem episcopum semet ferens (2). Summus ergo Pontifex et ipsi Burgundiæ præsules Ayminum pro legitimo Vesuntionensis ecclesiæ pastore habuerunt.

(1) Theodoricum perperam D. Nat. *de Wailly* Radulfi II regis cancellarium fuisse opinatus est. Elem. Paleogr., t. II, p. 358.

(2) Apud Marten., Thes. Anecd., t. IV, p. 71, ubi, quadam librarii menda, scribitur *Fyminus*. De eo Fymino, Ayminove, dubitavit domnus *Rousseau*, Benedictinus sodalis, ad domnum Grappinum scribens, inter Benedictinorum Epistolas quas D. Alphonsus *Dantier* publici juris fecit. Aymini quidem nomen nonnulli Vesuntionensis historiæ scriptores prætermisere; quod sane domno *Rousseau* occasionem dubitandi præbuit: antiquior vero Bisuntinorum archiepiscoporum index rei nodum solvit.

XLIII. Guntherius.

De eo sic vetustior index: « *Guntherius vocatus episcopus.* » Votisne clericorum adlectus cathedram, quam Ayminus *invadit*, conscendere non potuit? Ea quidem est Dunodii sententia. Adde quod canonicus S. Pauli, prætermisso Aymino *invasore*, Guntherium archipræsulibus Bisuntinis annumerat, et, prolato Guntherii nomine, his utitur verbis: « De eo nihil invenitur. » Alii vero Guntherium, nomine, non re episcopum, eadem atque antecedentem Ayminum factione fultum opinati sunt, qui in Bisuntinam sedem occupandam totis viribus nisus est, operam vero perdidit. Desunt argumenta quibus posterior hæc conjectura confirmetur aut convellatur.

XLIV. Berengarius.

Theodorici nepos Berengarius, et e canonico cathedralis ecclesiæ archipræsul electus, memoratur. « Hic vir, » ait anonymus S. Pauli canonicus, « sacris ingeniosus negotiis « et scripturis, multas hæreticorum perpes« sus est insidias, ita quod, propter odium « hæreticum excæcatus, vicarium in officio « pontificali habuit Stephanum, Bellicensem « episcopum, et decimo tertio sui sacerdo« tii anno, post multos agones et multas pa« tientiæ suæ coronas, in pace quievit. » Locum hunc anonymi scriptoris contrahens J. Jac. Chiffletius, Berengarium Aymini antecedentis scelere obcæcatum asserit. Hanc ei fortasse conjecturam suasit recentior Bisuntinorum episcoporum index, ubi Berengarius *propter Haguinum hæreticum* oculis orbatus legitur. Librariorum unus, ut videtur, *odium*, alter *Haguinum* legit. Cui vero adhærere tutius? Ceterum inter *Haguinum* et *Ayminum* sufficiens discrimen exstat, ut hujus memoriam tanto crimine tam incertis ex indiciis onerare dubitemus, præsertim cum Dunodius nullo teste conjecerit Ayminum cum Berengario de pontificalium infularum possessione decertavisse. Certo
comperimus Berengarium anno 927 Vesun- 927
tionensem cathedram occupavisse; quod sub tempus Libonem, Lausannensem electum, approbavit, ut rei fidem facit insigne Lausannensis chartularii diploma; Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. VI, p. 57. Odonem, abbatem Cluniacensem, Miræus et Andreas Quercetanus a Bernoino supra memorato consecratum fuisse asseruerunt. Cum vero Odonis consecratio et Bernoini præsulatus in idem tempus minime convenirent, antecessores nostri pro Bernoino Berengarium subjecerunt. Odo sedenim anno 927 consecratus est. Ejusdem Berengarii meminit Hugonis I in gratiam S. Stephani diploma, tam a Chiffletio quam a Dunodio laudatum.

ANNI CHRISTI

XLV. Girfredus.

Girfredus, anno circiter 932, memoratur Beronem Lausannensem et Hieronymum Bellicensem episcopos consecrans. Anno dein
944 944, Conradi regis scilicet octavo, occurrit cum Willenco ejusque filio Guidone plura permutans. Idem, anno 945, 21 Maii, agros in Cabilonensi diœcesi sitos, in villa videlicet Bellenata, Trenorchiensi monasterio sub conditione census annui tradidit; ex Hist. Tren. abb., pr., p. 281. Trenorchienses sub id temporis monachi, quorum libertatem Gilbertus, Æduensis comes, contumeliose spreverat, in Arvernense monasterium, S. Porciano sacrum, exsules secessere. Concilium ea de re Trenorchiense statuit, anno cir-
949 citer 949, et intromissum a Gilberto abbatem deposuit. In eo Girfredus concilio sedens innotescit. Nec multo post, ut monachi Trenorchium remeaverunt, eis Girfredus, una cum Æduensi, Cabilonensi et Matisconensi episcopis obviam ivit. Girfredo sedente, anno 951, Lethaldus comes ecclesiæ S. Stephani duas ecclesias, unam in villa Gradiaco, nunc *Gray-la-Ville,* alteram in villa Pontiliaco, nunc *Pontaillier,* dedit. Occurrit quoque Hugonis III chartula, Avilam memorantis, potentem matronam, a Girfredo villam Frontinianam præstariæ titulo, anno tamen incerto, obtinuisse; *Droz,* t. V, p. 457. Anno circiter 954 Girfredus decessit. Maiolum enim ferunt, detrectata Vesuntionensis ecclesiæ præfectura, Cluniacensem abbatem fieri maluisse. Maiolus autem anno 955 Cluniacensis abbas consecratus videtur.

XLVI. Guido.

Guidonis nomen posteris indices veteres commendaverunt. Aliæ de eodem tabellæ silent.

XLVII. Guichardus.

Nudum Guichardi nomen tam diptycha quam annales a canonico S. Pauli digesti præbent. Eum ex abbate Vallis S. Georgii archipræsulem Bisuntinum ab Othone III imperatore, post annum 983, creatum fuisse J. Jac. Chiffletius asserit, teste Francisco Belleforestio. Sublestum sane Belleforestii testimonium. Attente igitur expendendum Berthæ reginæ diploma Paterniacense monasterium, anno 960, condentis, pro anima Radulfi II regis, mariti sui defuncti, et filiorum suorum Burchardi archiepiscopi, Conradi regis, et Radulfi ducis; apud Herrgottum, Geneal. Habsb., t. II. p. 79. Burchardum quidem *episcopum* legit Guicheno, Biblioth. Sebus., p. 1, et hunc Lausannensem cathedram tenuisse contendit: sed in- A consideratior, ut videtur, Guichenonis lectio, cum nullus sub id temporis Burchardus ecclesiæ Lausannensis gubernaculo assidens aliunde comprobetur. Hæc vero est Herrgotti conjectura, Burchardum scilicet archiepiscopum eumdem esse quem fasti Bisuntini Guichardum nuncupant. Ei tamen assentire in facili non est. Antecessores enim nostri, postquam diligentius præ memoratas Berthæ litteras investigaverant, de Burchardo jam defuncto in his agi comprobaverunt. Girfredo autem circa annum 954 mortuo, et Guidone ei postea subrogato, B non verisimile videtur Guichardum Burchardumve, Guidonis successorem, anno jam 960 terrenis curis solutum fuisse. Burchardus autem alius, de cujus ortu nihil certi reperitur, usque ad annum 956 Lugdunensis archipræsul occurrit. Cur non hic Berthæ filius? De ea re antecessores nostri dubitavere, ut tantam ei prosapiam tribuerent non sibi sumentes. Anno tamen 979 in Lugdunensi cathedra reperitur Burchardus II, Conradi Pacifici filius, illius Burchardi, quem Bertha filium suum appellat, certe nepos e fratre. Cum autem duos Bur- C chardos ecclesia Lugdunensis, interjecto paucorum annorum spatio, pastores habuerit, cumque notum plane sit nobis Burchardum Conradi fratrem, et Burchardum Conradi filium archiepiscopali dignitate ornatos fuisse, quidni eos vicissim in eadem sede collocaremus? Minus approbanda videtur conjectura Herrgotti Burchardum in Guichardum mutantis, Guichardumque ea mutatione jam mortuorum numero sub annum 960 adscribentis.

XLVIII. Leuthaldus.

D

Dudum archipræsul Bisuntinus memoratur Leuthaldus, anno 993, quo canoni- 993
cus S. Stephani Alcherius ecclesiam *Louvatange* S. Stephano contulit; e schedis *Droz,* t. V. Minime vero certum est, quamvis rem Biblioth. Clun. referat, eum, anno 994, S. Odilonem, abbatem Cluniacensem, consecravisse. Vide supra, t. IV, col. 1129.

XLIX. Hector.

E Ecclesiæ S. Stephani capellam S. Justini de Camborniaco pretio comparatam Hector dono dedit, ut rem e Leonis papæ IX bulla comperimus, data XVI cal. Decembris 1049. Emptionis autem annus non e prædictis litteris innotescit. Hectorem ferunt Fulberto et Berengario, colonis, iisdem et Besuensis monasterio clientibus, congregato concilio, patrocinatum esse, quos ad servitudinem detrudere quidam tentabant. Hoc antecessores nostri concilium sub annum circiter 1008

ANNI CHRISTI habitum fuisse contenderunt; supra t. IV, col. 551. Nec eorum conjecturæ adhærere displicet. Obiit Hector VI cal. Novembris; e necrologio S. Pauli.

L. Berthaldus.

Berthaldus *pseudo-episcopus*, *non receptus*, ab auctore antiquioris indicis appellatur. Indicem autem hunc Hugo archipræsul, Berthaldo, ut infra videbitur, infensissimus, condidit aut condi curavit. Berthaldus, Hectore mortuo, beneficio Radulfi, Burgundionum regis, in Bisuntinam cathedram evectus est, et a suffraganeis episcopis illico consecratus. Munus dein aggressus, nisi in urbe metropolitana, attamen intra diœcesis Bisuntinæ terminos, sacerdotes rite
1010 sacris initiavit, et, anno 1010, aut 1011, archipræsulem utique semet ferens, Radulfi regis litteras obsignavit pro Romano Monasterio. Receptus igitur aliquo modo Berthaldus comprobatur. Canonicorum autem Bisuntinorum plebisque vota Radulfus rex spreverat, et Berthaldum sibi famulantem proprio motu archiepiscopum instituerat. Quamobrem adeo non ei morem canonici gesserunt, ut contra, Guillelmi comitis auxilio fulti, qui Berthaldum, regis clientem, aversabatur, eum e metropolitana sede deturbaverint et Waltherium sequentem exsulanti suffecerint. In Germaniam tunc Berthaldus secessit, vindices appellans imperatorem summumque Pontificem. Ejus quidem vocem Romana sedes exaudivit, atque ad eum pallium misit, nec non susceptæ dignitatis confirmationem: amissam vero recuperare nunquam valuit. De eodem infra, sub annum 1049. Ch. IX, col. 10.

LI. Waltherius.

1016 Legitur Waltherius, anno 1016, in proœmio litterarum Benedicti papæ VIII ad episcopos Burgundiæ, de Cluniacensium bonorum invasoribus; Rer. Gallic. Script., t. X, p. 432. Idem, Radulfo III regnante, Cluniaco Villæ Portus decimas contulisse memoratur; Mabill., Ann. Bened., t. IV, p. 265. Ecclesiam S. Stephani Waltherium insuper ad exemplar S. Petri Romani reædificavisse referunt, at consummato nondum opere occubuisse, III, vel IV non. Octobris, anno incerto. De eodem vetus quoddam lectionarium, cujus Chiffletius testimonium adduxit, non paucis verbis disseruit, eum enarrans contumaci morbo ægrotantem, et a medicis jam desperatum, opportuno S. Agapiti auxilio curatum fuisse. Eo de miraculo J. Jac. Chiffletium consule, Ves., p. 188. Ejusdem, improbanda quidem, Chiffletii conjectura est Waltherium, quem perperam San-Julianus

A Albertum appellat, Ansano concilio, anno 1025, interfuisse. Tres tantum in Ansano concilio metropolitas Mabillonius, pro more cautissimus, recenset, Burchardum scilicet Lugdunensem, Burchardum Viennensem et Amironem Tarantasiensem; Annal. Ben., t. IV, p. 313. Certius est Burchardum Lugdunensem, paulo prius, Virduni supra Dubim, alii concilio, quod Robertus rex fieri jusserat, præsedisse, in quo cujuscumque belli feriæ conclamatæ sunt, præsente Waltherio, Bisuntino archiepiscopo. Anno dein 1026, Lugduni coactis, ex auctoritate Con- 1026
B radi Salici, generalibus comitiis, in eo conventu Waltherius memoratur; supra, t. VI, col. 618.

LII. Hugo I (1).

Hugonis, cognomento Salinarii, maxima fama, quem inter beatos sanctosque pia Bisuntini populi memoria quondam ordinavit. DE SALINS
Humberti II, Salinarii dynastæ, et Ermemburgæ filius, sacra baptismatis aqua a Waltherio respersus, canonicus primo fuit cantorque S. Stephani, et Radulfi regis, avunculi
C sui, capellanus. Quidam eumdem præterea S. Pauli abbatem exstitisse contenderunt; sed perperam. Albericum enim ultimum priscorum S. Pauli abbatum fuisse comperimus, e solemnibus ipsius Hugonis litteris de S. Pauli restauratione. Huic ansam errori præbuit Radulfus rex, hanc abbatiam, post Alberici mortem, Hugoni, capellano suo, condonans. Alter hujus domus fundator Hugo jure nuncupatur, in qua canonicos primus instituit; abbatiale tamen munus in ea nunquam implevit. Verum enim vero eumdem e canonico Vesuntionensi archiepiscopum evasisse
D ex alio Radulfi diplomate satis constat, in quo scilicet, sub annum 1029, Hugo Salinarius, tunc S. Stephani canonicus, ecclesiam S. Anatolii Salinariam ædificavisse, in eamque canonicos intromisisse refertur. Archiepiscopus electus est anno 1031, et, 7 Novembris 1031
ejusdem anni, a Brunone, Tullensi præsule, consecratus. Nec multo post, nempe 14 Novembris, ecclesiam metropolitanam solemniter ingressus est. Augustoduni dein reperitur anno 1033, in qua urbe degens Imberti, 1033
alias Heschelini, de Vergiaco, Parisiensis episcopi, litteris pro monasterio Vergiacensi
E subscribit; supra, t. IV, Instr., col. 78. Vesuntione tamen commorabatur 24 Junii, qua die prioratum *Vaux*, juxta Poliniacum, quem ecclesia Mediolanensi auxerat, Cluniacensi abbatiæ subjectum renuntiavit. Ecclesiæ S. Stephani reædificandæ Waltherius, ut diximus, curam impenderat. Inceptum opus Hugo prosecutus est. Quo consum-

(1) Hugonis Regesta compilavit doctissimus vir *Duvernoy*, cujus e libello, inter Commen. Acad. Vesuntion. edito, anno 1857, non pauca deprompsimus.

ANNI CHRISTI mato, anno, ut videtur, 1036, canonicorum A
eo cœtum numerosum accivit, eumque prædiis opulentis dotavit. Idem circa tempus, eidem S. Stephani capitulo librum Hugo dono contulit manu scriptum, Epistolas per totum annum legendas continentem. Quo etiam anno desinente, synodo cuidam interfuit, Monte Rotundo, juxta Lausannam, habitæ; e cartul. Lausann. Ad Hugonem Benedictus papa IX pallium misit, 15 Aprilis 1037 (1). De primis quidem ejus archiepiscopatum agentis annis documenta pauca supersunt; de ceteris vero multa et memoratu dignissima. Eo quem supra memoravi- B
1037 mus anno 1037, ecclesiam S. Anatolii Salinariam, aliudque in eadem urbe situm altare, B. Mariæ sacrum, monachis S. Benigni Divionensis Hugo dono dedit; e Chron. S. Benigni. Unde colligitur eo nuper adductos canonicos non diu conditori placuisse. Sa-
1038 loduri, anno 1038, percelebri conventui interfuit, in quo Conradus II Burgundiæ regnum in Henricum, filium suum, transtulit. Vesuntionem redux, et synodo diœcesanæ præsidens, cal. Novembris 1040, Elisabethæ,
Ch. VII, col. 7. Balmensi abbatissæ, plurium ecclesiarum oblationes concessit. In eadem synodo, 6 No- C
vembris 1041, litteras edidit de restauratione recenti, veterique libertate ecclesiæ S. Desiderio sacræ, ad monasterium Murbacense pertinentis; quas reperies litteras inter Monum. Basil. Episc., a D. *Trouillat*
1042 collecta, t. I, p. 172. Anno sequente, 24 Januarii, S. Antidii corpus e vico *Ruffey* in ecclesiam S. Pauli transfert, et hanc ecclesiam, cui reficiendæ magnam curam impenderat, B. Mariæ Virgini, necnon SS. Paulo et Anti-
1043 dio, consecratione nova dicat. Anno 1043, Henricus, Germanorum rex, Vesuntione junctus est Agneti, filiæ Guillelmi, Pictonum D
ducis. Hanc, ut ferunt, Hugo occasionem arripuit, ut ab eo civile Bisuntinæ civitatis dominium obtineret. Id autem minime comprobatum. Antiquissima sedenim archipræsulis Bisuntini tam in plebem quam in clerum auctoritas, sed, labentibus annis, imminuta. Quam Hugo, ut erat non tantum alienæ cujuslibet dominationis impatiens, sed etiam imperii sui terminos dilatandi studiosissimus, invito potius rege quam annuente recuperavit. Præcipuam tunc operam adhibuit primariis urbis metropolitanæ ecclesiis, tam augendis quam in meliorem statum constituendis. Perfectam memoravimus S. Stephani basilicam. Anno jam 1042, Hugo decretum ab Henrico rege obtinuerat, quo Ch. VIII, col. 9.
possessiones S. Joannis et S. Stephani utrique collegio confirmatæ. Anno rursus 1043, XVIII cal. Octobris, ab eodem rege dimissas impetravit consuetudines, quas regii fisci ministri in quibusdam villis ad S. Stephanum pertinentibus injuste sibi vindicaverant; *Droz*, t. V, p. 407. Anno sequente, SS. Paulo 1044
et Antidio sacram domum, quam antea monachi incoluerant, canonicis addicere voluit. Ei quidem, ut diximus, ibi summum jus. Eversam enim ædem, vacua propemodum claustra, controversiosas possessiones, imperiali gratia obtinuerat. Postquam monachis eam abripere et canonicis sæcularibus conferre statuerat, hoc consilium eo anno exsecutus est, 26 Martii, canonicis S. Pauli certam vivendi normam præscribens, in solemni diplomate quod decem septemque episcopi sigillis suis munivernnt. Sæcularium scilicet canonicorum ordinem, ut videtur, præ cæteris fovens, eis insuper, ecclesias S. Laurentii et S. Mariæ Magdalenæ dedit. Quibus annis id decreverit ignotum habemus. Res tamen nihil dubitationis habet, quam Petri Damiani litteræ comprobant, necnon Alexandri II et Guillelmi, Bisuntini archipræsulis, diplomata, a J. Jac. Chiffletio laudata, Vesunt., p. II, p. 213. Anno certe 1046, Hugo in civitate *Ebersheim* reperitur, ubi Halinardum, Lugdu- 1046
nensem archiepiscopum, ordinat; supra, t. IV, col. 85. Romam dein pergit, Henricum imperatorem sequens; e Chron. S. Benigni Divion. Maximæ tunc Romæ res agebantur. Gregorii VI depositioni et Clementis II promotioni Hugo interest. Dein in Galliam redux, Santonibus, anno 1047, in 1047
dedicandam basilicam S. Mariæ sacram mutuam operam confert; supra, t. II, Instr., col. 457. Verum Clemens papa II 9 Octobris moritur, eique suffectus Damasius eodem fato rapitur 8 Augusti 1048, electioni suæ vix superstes. Quamobrem adeunda iterum ac sæpissime suffragia. In tam negotiosa re consiliis egens Henricus rex Wormatiæ magnates imperii congregat, et Brunonem, Tullensem episcopum, ipse Romanorum Pontificem salutat. Is est quem ecclesia Romana Leonem IX nuncupat. Hugonem Wormatiensi conventui interfuisse omnes refe-

(1) Hic paucis disserendum super anni primo die, secundum consuetudinem Vesuntionensis ecclesiæ. Asseruit quidem doctissimus vir *Chevalier*, Hist. Poliniac., id apud Sequanos usitatum quondam fuisse ut anni principium a Natali Christi die ducerent. Auctores autem Singulas temporum Notas Dijudicandi, contrariæ sententiæ exempla adjungentes, eosdem Sequanos annum a Paschæ die non semel inchoavisse contenderunt. Inter Benedictinorum epistolas, quas D. Alphonsus *Dantier* nuper publici juris fecit, occurrit epistola domni Clementis domnum Berthodium, Bisuntinorum fastorum perquam sedulum investigatorem, ea de re consulentis: qui Berthodius summatim his verbis Clementi respondet: *Nous commencions l'année à Pâques, comme les autres peuples des Gaules. Philippe II, roi d'Espagne, par édit du dernier juillet* 1575, *ordonne que, dans la suite, les peuples du comté la commenceront au 1er janvier: le parlement avait déjà ordonné la même chose quelque temps auparavant; mais la loi n'en fut portée qu'à la date de cet édit.* Sequanicorum diplomatum rursus investigata farragine, Berthodii opinionem sequemur. Experimento quidem cognovimus permultas chartulas, a quovis librario olim aut recens, ut videtur, corruptas, ambiguam temporis notam præferre: nobis vero constat veteres Vesuntionensis ecclesiæ notarios a mobili Paschæ festo annum sæpissime, forsan semper, incœpisse. E

ANNI CHRISTI

runt. In urbem vero metropolitanam redux erat 18 Januarii 1049, qua die in ecclesia S. Stephano sacra S. Hugonem, Cluniacensem abbatem, consecravit. Eum jam comperimus Henrico imperatori fidissimum carissimumque fuisse. Tunc circiter aulica ei collata dignitas: qui scilicet ab eo tempore diversis in instrumentis Burgundionum archicancellarius legitur. Ideo quoque in aula frequentior. Sic, Vesuntione iterum relicta, Coloniæ aderat 5 Julii, qua die Henricus Murbacensis ecclesiæ possessiones confirmavit: dein Aquisgrani, 11 ejusdem mensis, ubi subscripsit Henrici diplomati restaurationem et possessiones S. Stephani Bisuntini confirmantis. Eo anno decurrente, Leo IX, Romæ Pontifex consecratus, in Galliam rediit. Cum eo, mense Septembri, Hugo monasteria Agaunense, supra, t. XII, Instr., col. 429, Romanumque invisit. Mox cum eodem Remos Hugo perrexit, et in ea urbe, calendis Octobris, eidem ministravit ecclesiam S. Remigii consecranti. Testis est Witbertus, archidiaconus, in Vita S. Leonis, id honoris Hugoni eo die collatum, ut, in tanto præsulum et cardinalium cœtu, ipse ob altare S. Crucis sacra faceret. Concilium 3 Octobris in eadem urbe celebratum. Cui non tantum Hugo interfuit, sed etiam plura proposuit a ceteris approbanda. Eo ecclesiæ Bisuntinæ causam orante, Geoffridum et Lethaldum, prædium qui *Maynal* invaserant, concilium summusque Pontifex excommunicaverunt. Narrationem satis amplam eorum quæ in hoc concilio gesta sunt antecessores nostri jam edidere, t. IX, col. 66: ubi reperies, inter alia, de quorumcumque præsentium præsulum electione publicam inquisitionem factam fuisse, Hugonemque nostrum palam professum se qualibet simonia, sacrarumve rerum nundinatione, eatenus insontem. Non vero omnium idem ad eamdem quæstionem responsum fuit. Virduni dein Hugo reperitur 9 Octobris; quo præsente ecclesiam B. Magdalenæ Leo IX consecravit; Monum. Germ., t. X, p. 493. Exinde, Metis, 11 ejusdem mensis, litteris papæ subscribit semet ecclesiam S. Arnulfi consecravisse testantis; supra, t. XIII, Instr., col. 396. Ambo postea, Leo scilicet papa et Vesuntionensis Hugo præclarus antistes, Moguntiam iter fecerunt, in quam civitatem Germaniæ præsules convenire jussi. Inter alios, inexpectatus quidem, adfuit Berthaldus supra memoratus, qui Hectori defuncto a Radulfo rege subrogatus fuerat, sicut diximus, et a clero Bisuntino repulsus. Repulsam hanc ægre ferens Berthaldus Moguntinum concilium contempti juris vindicem appellavit. (Ch. IX, col. 9.) Ut vero Bremensis episcopus Adalbertus, partes Hugonis tuens, in concione verba fecit, Leo papa, laudatis Hugonis meritis, scientia, virtute, consilio, cleri Bisuntini sententiam confirmavit. Soluto concilio, summus Pontifex et Bisuntinus archipræsul viam aliquantisper una fecere, nonnullas inter eundum abbatias visitantes. Vesuntione, 16 Novembris, reperiuntur: qua die Leo papa ecclesiam S. Anatolii Salinariam monachis Divionensibus abripuit, male domum ipsis nuper traditam administrantibus, et solemni diplomate singula S. Pauli privilegia confirmavit. (Ch. X, col. 12.) Ibidem, 19 ejusdem mensis, possessiones ecclesiæ Bisuntinæ et archiepiscopi jura scriptis ad Hugonem litteris recensuit. (Ch. XI, col. 13.) *Audivimus*, ait summus Pontifex, *Chrysopolitanam ecclesiam ante tuum adventum multis ac diversis calamitatibus oppressam, tum præteritorum pontificum incuriositate, tum diversarum potestatum avida manu prævalente, quarum rabies in sanctam ecclesiam adeo exarsit quod pene omne jus ab urbe sibi usurpavit.* Assiduis vero Hugonis curis et præpotenti auctoritate ecclesiæ Bisuntinæ facies jamjam in melius fuerat immutata. Quippe qui jura spreta sibi strenue vindicaverat, nec clericos tantum utriusque ordinis, sed etiam superbiores Bisuntini tractus dynastas, imperatorem et ipsum, eo adduxerat, ut metropolitanæ sedis utilitatibus commodisve parerent. Bisuntinis oppidanis valedicens Leo IX Alsatiam, Hugone comitante, peragravit. Ab eo tamen Hugo divertens Montem Romarici, 13 Decembris, devenit; qua in domo, absentis papæ personam implens, SS. Romarici, Amati et Adelphii reliquias rite transtulit; supra, t. XIII, col. 1409. Argentinæ quoque sub id temporis Leo Hugoque aliquantisper commorantur. Romæ, 2 Maii 1050, concilio quod Berengarii dogmata condemnavit Hugo interfuit. 1050 Anno eodem ad fidem vergente, V non. Octobris, Leo IX Vesuntionem rediit, et S. Stephani majus altare consecravit (1), adstantibus pluribus episcopis, inter quos Hugo noster primas facile tenuit. Nec multo post, III id. Januarii 1051, insigni diplomate Leo IX consecrationem hanc posterorum memoriæ tradidit, privilegia S. Stephani insuper confirmans (2). Anno etiam 1050, XIII cal. Novembris, Hugo, Leonis assiduus comes, cum eo translationi reliquiarum S. Gerardi episcopi, in urbe Tullo, intererat. Rei testem habemus Widricum, miracula S. Gerardi enarrantem, apud D. Pertzium, Monum.

(1) Consecrationem hanc antiqua tabula anno 1048 adscribit, apud J. Jac. Chiffletium, Ves., part. II, p. 205. Antecessores vero nostri, gesta Guidonis Cabilonensis episcopi enarrantes, et recentiores critici eam in anno 1050 collocant.

(2) Chronicas hujus diplomatis notas sic præbet Chiffletius, p. 209: III id. Jan., ind. IV, anno Leonis secundo. Quæ in annum 1051 conveniunt. Male Dunodius, Hist. Eccl. Bis., instr., p. 39, indictionis tertium annum, et Leonis secundum ponit, has notas inter se in annum 1049 concordare jubens. Adde quod ipse Dunodius easdem alibi litteras, Hist. Eccl. Bis., p. 95, sub annum 1051 datas refert.

ANNI Germ., t. IV, p. 509. Qui Widricus his ver-
CHRISTI bis de Hugone : « Accurrerat inibi domnus
« Hugo, Chrysopoleos urbis archiepiscopus,
« quem regalis nobilitas et jucunda facun-
« dia amabilem reddiderat omnibus. » Ve-
suntionem denique regressus Hugo compe-
1053 ritur 30 Maii 1053, qua die corpora SS. Fer-
reoli et Ferrucii in ædem metropolitanam
traduci curavit (1). Eo tamen anno, Worma-
Rer. Gall. tiæ memoratur in Henrici regis instrumento,
Script., donationes sancientis monasterio S. Benigni
t. XI,
p. 559. Divionensis ab ipso Hugone collatas. Quo
et anno, Hugone postulante, idem rex, ite-
ratis litteris, quædam vectigalia dimisit de
quibus inter fiscum regium et ecclesiam
Bisuntinam frequens lis erat; *Droz,* t. V,
p. 425. Eodem quoque anno, Ravennæ,
Hugo Leoni IX operam præbet Petrum, Ani-
ciensem episcopum, confirmanti; supra, t. II,
1055 col. 699. Mense Martio 1055, Hugo in Mo-
guntino conventu sedet, in quo, Leone IX
mortuo, Victor II suffragiis ecclesiæ Ro-
manæ commendatur. Ipse nec multo post
Henricus imperator vitæ metam attigit; cui
Spiræ sacra Victor fecit, Hugone præsente,
1056 28 Octobris 1056. Victori vero, interjecto
paucorum annorum spatio, Stephanus IX et
Nicolaus II successerunt. Cujus Nicolai le-
gatus, ex Hugonis Floriacensis Chronico,
Hugo noster Remos anno 1059 iit, ubi, x cal.
Ibid. p. 32. Junii, coronationi Philippi, Gallorum regis,
interfuit. Nomen ei magnum, vel in occi-
duis Galliæ partibus. Quod aperte demon-
1062 strat Andegavi, pridie non. Aprilis 1062,
monasterium in honorem S. Salvatoris ex-
Ibid. p. 30. structum, pluribus ei ministrantibus epi-
scopis, consecrans. E præcipuis quas ges-
sit rebus postrema nunc memorentur. Ad-
1066 fuit, anno 1066 incipiente, Besuensi concilio,
in quo Robertus, Burgundionum dux, Di-
vionensibus monachis diu infestus, eorum
jura recognovit; supra, t. IV, col. 561. Ve-
rum hoc anno Hugo obiit, vi cal. Augu-
sti. Obitus ejus a nonnullis anno 1070, vel
anno 1071 adscribitur, sed falsa temporum
computatione. Annum quidem 1066 præ-
ponendum asseverans Dunodius in senten-
tiæ suæ fulcimentum chartam Henrici IV
adducit cujus notæ chronicæ parum inter se
concordant. Aliis vero argumentis plane
comprobatum habemus Hugonem eo anno
1066 decessisse. Unus tantum, ceteris super-
vacaneis, hic testis prodeat, Bertholdus sci-
licet Constantiensis, rem sub hunc annum
enarrans in Chronico : « Hugo Bizantiensis
« archiepiscopus obiit, vir religiosus, fidelis
« et prudens Domini servus, gaudium Do-
« mini sui super multa constituendus felici-
« ter intravit. Cui successit a fratribus cano-
« nice electus ejusdem ecclesiæ canonicus ; »

(1) Translationem hanc J. Jac. Chiffletius sub annum 1063 refert ; Vesunt., part. II, p. 219.

A inter Monum. Germ. a D. Pertzio collecta, ANNI CHRISTI
t. V, p. 273. In necrologio S. Joannis,
27 Julii, legitur :

> Funus pastoris lux ista reponit Hugonis,
> Qui moriens patriæ mors fuit alta suæ.

Sepultus est, sicut vivens ordinaverat, in
ecclesia S. Pauli, cum hoc epitaphio :

> Lux clero, populo dux, pax miseris, via justo,
> Fulsit, disposuit, consuluit, patuit.
> Nonus trigenus (1) præsul Bisuntinus Hugo
> B Cum restent Julii quinque dies obiit.

Laudibus eum quam maximis cohone-
staverunt non tantum hesterni scriptores,
sed etiam coætanei reges, cardinales, Pon-
tifices, inter quos Petrus Damianus præci-
pue consulendus, apud J. Jac. Chiffletium,
Ves., part. II, p. 212, 215. Fusius de eodem
disseruerunt auctores Vitarum Sanct. Se-
quan., t. I, p. 322-360.

LIII. Hugo II.

C Hugoni Salinario sufficitur Hugo de Monte DE MONT-
Falconis, canonicus, ut ait Bertholdus Con- FAUCON
stantiensis, imo, ut Pontii, Bellijoci toparchæ,
refert diploma infra laudandum, notarius
Vesuntionensis ecclesiæ. Electus tantum le-
gitur anno 1067, in instrumento Henrici
imperatoris de privilegiis S. Pauli. Adver-
tendum tamen quod ceteræ præter ipsum
annum notæ, quas hæ litteræ præbent, pror-
sus corruptæ videantur. Ansano concilio
dein Hugo interfuit, anno 1070, supra, t. IV, 1070
col. 885, et, anno 1071, Æduensi, ibid.,
col. 1062. Sequente, litteris Alexandri papæ II 1072
D pro ecclesia Cabilonensi subscripsit; ibid.,
Instr., col. 230. Quo etiam anno Basileensis
ad eum ecclesia litteras scripsit de conse-
cratione Burchardi, Basileensis episcopi ; e
Chiffletio, Annot. Claudian., apud Bollan-
dum, 1 Junii. Dein occurrit, anno 1073, 1073
litteris Humberti Modullensis subscribens,
quibus S. Marcello Cabilonensi ecclesia
S. Laurentii de Ponte Dubii confertur;
Perreciot, Etat des Pers., t. III, p. 7. Acer-
rima inter eum et canonicos S. Pauli jur-
gia exstitere. Cum enim silvam Bisuntinæ
civitati contiguam canonici possiderent,
E eam vi facta servorum metropolitanorum
grex occupavit vastavitque, atque obniten-
tes S. Pauli colonos non modo flagellis, sed
etiam ferro immaniter lacessivit. Quare
Wichardus, S. Pauli decanus, papam ap-
pellavit, singulatim damna quæque refe-
rens ecclesiæ suæ illata. Audita igitur Wi-

(1) Lino scilicet prætermisso, necnon Chelmegiselo, Tetradio, Felice, ceterisque præsulibus quorum injustam ordinationem, aut mores, Bisuntinus clerus improbavit, Hugo undequadragesimus Vesuntionis archiepiscopus fuit.

ANNI CHRISTI chardi querela, Diensis Hugo præsul, nec A non sedis apostolicæ legatus, Bisuntinum archipræsulem munere interdictum, anno, ut videtur, 1077, denuntiavit. Deinde ta-
1078 men, 9 Martii 1078, Gregorius papa VII interdictionem hanc cassam fecit, ea sub conditione ut semet objecto crimine purgaret. Tunc Hugo ad Pictaviense concilium a Diensi præsule vocatur; hoc vero mandatum superbe despicit : unde iteratæ in eum, rebellionis veluti reum, legati litteræ. Finem hujus dissidii nulla ad nos delata chartula memorat. Hugo tamen, ulla sine intermissione, quælibet pastoralis dignitatis B officia usque ad extremos vitæ suæ dies exsecutus est. Universa discordiis æstuante Ecclesia, forsan prohibuerunt majora negotia ne diutius minorum cura esset. Ut ut ea se res habuit, Hugonem comperimus plus monachis quam canonicis consuluisse. Is est qui San-Vincentianæ abbatiæ fundamenta
1083 posuit. Anno 1083, hanc notam præbet diploma Pontii, Belli Joci toparchæ, pro S. Petro Besuensi : « *Hugone ex notario archiepiscopatum Bisuntinæ ecclesiæ gubernante;* »
1085 supra, t. IV, p. 566. Obiit 28 Septembris 1085. De eo sic necrologium S. Pauli: « IV *cal.* C *Octobris, obiit Hugo archiepiscopus et monachus.* Unde colligimus eum, qui condendæ abbatiæ S. Vincentii primus manum adhibuerat, in eam domum sub novissimam vitæ suæ horam translatum fuisse, et in extremis, sicut tunc temporis usitatum erat, monachum induisse. Revera quædam S. Magdalenæ chartula, quam D. *Castan* publici juris fecit, Orig. Comm. Bis., p. 143, ut Hugonem de Monte Falconis ab Hugone Salinario distinguat, posteriorem his designat verbis: « qui apud S. Vincentium jacet. »

LIV. Hugo III.

DE BOURGOGNE. Guillelmi Magni, Burgundionum comitis, filius, et Guidonis, Viennensis archiepiscopi, necnon Reginaldi, Raymundi, Stephanique, clarissimorum procerum, frater is fuit. Anno episcopatus sui secundo, VI cal. Januarii, Christi, ut videtur, 1086, Guichardum approbavit, S. Stephani canonicum, opulenta dona S. Stephano conferentem.
1090 Dein, anno circiter 1090, frater Hugonis Raymundus, in procinctu ad bellum Hispanicum, eo præsente, plura jura in posses- E sionem ecclesiæ Bisuntinæ transtulit; Spicil. Acher., t. IX, p. 131. Annum 1092, ind. XV,
Ch. XII, col. 14. præbet insigne Hugonis diploma de S. Vincentii fundatione. Quod Hugo II inchoaverat opus Hugo III consummavit, et eximiis privilegiis perfectam domum ornavit. Eodem quoque anno, in ecclesiam B. Mariæ Magdalenæ beneficus fuit, cui altaria *Boussières,* S. Germani *de Haens* et S. Martini *de Savens* dedit. Eodem denique, abbatiæ S. Benigni Divionensis ecclesiam *Augerans* ANNI CHRISTI dono contulit. Apud Urbanum acceptissimus Hugo fuisse videtur, atque etiam apud Clementem anti-papam. Udalricus enim, Bambergensis vates, Clementem memorat ab Urbano petivisse ut jam annosa de sedis apostolicæ possessione dissidia per arbitros solverentur, hisque verbis Hugonem a se delectum arbitrum proposuisse:

Clamo Bisuntinum, donum Danielis habentem;

Cui, eodem teste, Urbanus respondit:

Quos clamas clamo, quos eligis eligo tales.

Vatum vero suspecta fides. Ad authentica testimonia redeundum. Anno 1096, 7 Maii, 1096
concilio Nemausensi, Urbano præsidente, Hugo interfuit. Quo etiam anno, V cal. Julii, ad eum idem Urbanus scribens, Bisuntinæ ecclesiæ quæcumque jura confirmavit: alia, circa eumdem annum, epistola, Hugone annuente, Urbanus monasterium Altæ Petræ Cluniacensi abbatiæ adnexuit. Anno 1097, VII cal. Junii, litteris publicis Hugo nota facit quæ Raymunda *de Mooleyr,* matrona, S. Ste- Ch. XIII, col. 15.
phano nuper dederat. Sequente, in æde S. Vincentii, testis est Humberti Guidonisque, *Fonvans* toparcharum, erga Besuensem abbatiam beneficorum. Anno dein 1100, 1100
cum Stephano comite, fratre suo, Hierosolymitanum iter aggressus, patriis procul ab oris cecidit. Anonymus quidem S. Pauli canonicus et J. Jacobus Chiffletius hunc in repostis terris decessum Hugoni IV contigisse falso contendunt. Calixtus enim papa II, idem qui antea Guido, Viennensis archipræsul, fuerat, jura S. Stephani recensens, his,
D anno 1122, utitur verbis: « Consuetudines « omnes, quas ecclesia S. Stephani a tem- « pore Hugonis Salinensis usque ad tem- « pora *fratris nostri Hugonis, qui in Jeroso- « lymitana peregrinatione defunctus est....* « ecclesiæ vestræ persolvantur. » De eo sic necrologium S. Pauli: *Idibus Septembris obiit Hugo III, qui dedit nobis altare de Rosario.*

LV. Pontius.

Memoratur Pontius Guidonis, Matisconensis comitis, filius, et una cum patre, anno 1088, Cluniaci monachicam vestem induens. Anno vero 1101, III id. Januarii, 1101
ind. X, forsan 1102, Vesuntionensis jam tunc archiepiscopus capitulo B. Mariæ Magdalenæ bona ab antecessoribus suis jam data confirmavit; *Droz,* t. XV, p. 289. Eodem postulante, anno 1105, Fredericus, Montis Biligardi comes, Cluniacensi abbatiæ ecclesiam *Altkirch* dedit. Ipse, anno 1106, 1106
abbatiæ S. Eugendi Cusatensem abbatiam

ANNI CHRISTI

contulit. Quo etiam anno, ind. xiv, xi cal. Januarii, Pascalis papæ litteris ecclesiæ Bisuntinæ possessiones juraque confirmata impetravit; *Droz*, t. V, p. 459. Idem denique,
1107 anno 1107, Valclusensem ecclesiam, Mortuæ Aquæ prioratui alligatam, Cluniacensibus monachis concessit. Nec aliud de Pontio testimonium. Eo decedente, anno 1107, Guido, Viennensis archiepiscopus, ecclesiam Bisuntinam aliquantisper rexit (1).

His nimis confidens qui, ut dicemus, litteras Hugonis, Lugdunensis episcopi, ad Hugonem Vesuntionensem de B. Maria Salinaria scriptas, anno 1107 adscripserunt, Petrus Franciscus Chiffletius conjecit Hugonem IV et Pontium unum eumdemque archipræsulem fuisse, duobus et plane diversis nominibus nuncupatum. Quam scriptoris sæpius prudentissimi sententiam omnes dein amplexi sunt. Inusitata vero prorsus res est, undecimo sæculo, duorum nominum in eumdem virum collatio. Nec verisimilitudinis defectum explet quod idem Chiffletius addit, Pontium scilicet, Hugonis, Cluniacensis abbatis, olim alumnum, ejus nomen, cui gratum se præberet, deinde usurpavisse. Id enim præter cujusvis temporis morem. Postquam autem demonstrabimus Hugoni III de B. Maria Salinaria litteras missas fuisse, non jam hujusmodi conjecturis opus erit.

LVI. Hugo IV.

Hugonem IV antecessoribus suis annumerant Humbertus anno 1140, et, post Humbertum, Theodoricus, abbatiæ San-Vincentianæ possessiones et diversa jura iteratis litteris confirmantes. De Hugone IV magis dubiam fidem facit canonicus S. Pauli, eum in Hierosolymitanis agris decessisse referens, quod Hugoni III certissime contigit. Ejusdem vero Hugonis IV præterea meminisse videtur S. Joannis necrologium, xvi cal. Februarii. Ex his indiciis accipimus quatuor Hugones Bisontinam cathedram vicissim occupavisse. Una quoque charta reperitur hujusce Hugonis postremi nomen præbens. Landricus enim de Castro Jurensi, Romano Monasterio prædium Guarini de Caffeiaco restituens, hanc restitutio-
1108 nem peractam memorat anno 1108, xvii cal. Novembris, « tempore Hugonis IV, archi- « episcopi Bisuntini; » e chart. Rom. Monast. Non tamen ad eum scriptæ reputen-
A tur Hugonis, archiepiscopi Lugdunensis, litteræ, de ecclesia S. Mariæ Salinaria S. Benigni monachis restituenda; quas litteras, chronicis notis carentes, conjectura Mabillonius, Ann. Bened., tom. V, p. 675, anno 1107 circiter adscribit. Mabillonii sedenim conjectura falsa est. Ait scilicet Hugo, Lugdunensis archipræsul, Hugonis tunc temporis in cathedra Bisuntina antecessorem ad postremum Meldense concilium jam antea vocatum fuisse, ut Divionensis abbatis querelam exaudiret, et vadimonium tamen deseruisse. Concilium autem Meldense po-
B stremum anno 1082 habitum fuerat, et, eo anno, Hugo II Bisuntinæ ecclesiæ clavo præsidebat. Ad successorem igitur Hugonis II scriptas litteras Hugo III, sicut palam est, accepit, ante annum 1101. Nec alia super Hugone IV testimonia. Per paucos forsan menses cathedram Vesuntionensem occupavit.

LVII. Guillelmus I.

Guillelmum anonymus S. Pauli canoni- D'ARGUEL.
cus prætermisit. Eumdem J. Jac. Chiffletius
C Odonis de Turre filium contendit; sed perperam. Odonis scilicet filius Guillelmus II, qui, anno 1245, e Cabilonensi episcopo Bisuntinus archiepiscopus factus est. Potior sane Dunodii sententia, Guillelmum qui hunc primum e domo *d'Arguel* oriundum asserit. Is, anno episcopatus sui primo, xiii cal.
Martii 1109, vel, secundum recentem com- Ch. xv, col. 18.
putum, 1110, nonnullas ecclesiæ B. Mariæ Magdalenæ factas donationes ratas habuit. Eo episcopatum occupante, jam summopere fervida contentio de maternitatis privilegio inter S. Joannis et S. Stephani ecclesias.
D Quocirca, 14 Maii 1110, ad eum Pascalis Rer. Gall. Script., t. XV, p. 47.
papa II scripsit, jubens ut his dissidiis finem imponeret. Reperitur dein Guillelmus, anno
1111, ind. iv, jura B. Mariæ Magdalenæ pu- 1111
blicis litteris nota faciens: in quibus Hugonem I ecclesiam B. Mariæ Magdalenæ *ab imo erexisse* memorat; *Droz*, t. XV, p. 283. Eodem quoque anno erga Balmenses et San-Vincentianos monachos beneficus exstitit. Sub id temporis Jeselinus, monetalis præfectus, qui opificinam in propria domo instituerat, non unius fraudis reus conclamatur: ideo Guillelmus, anno episcopatus sui ter-
E tio, ædificia cudendæ monetæ publica assignat juxta parochialem ecclesiam S. Joannis-
Baptistæ. Anno dein 1114, 7 Augusti, ca- 1114
nonicos S. Joannis Bisuntinos et monachos S. Benigni Divionenses de pluribus altaribus transigere jubet, et, anno 1116, ecclesiam vici *Besain* sodalibus domum *Vaux* incolentibus donat. Incompertum habemus quam ob causam Guillelmus, anno circiter 1117,
munere semet abdicaverit, archidiaconus ex Ch. xvi, col. 18.
archiepiscopo facturos. Ecclesiæ S. Joan-

(1) Antecessores nostri, supra, t. IX, col. 353, de quodam Henrico, Suessionensi episcopo: « Factus est postea « prior Cluniacensis, tum Silviniacensis, abbas S. Joannis « Angeriacensis, archiepiscopus Bisuntinus, ubi per tres dies « moratus est, episcopus Santonensis, ubi per octo dies « mansit. » Henricus enim, quondam Suessionensis episcopus, ab anno 1103 monasterio Angeriacensi præfuit. Nullum tamen ei locum inter Santonenses episcopos antecessores nostri tribuerunt, nec e Bisuntinis tabellis comperitur eumdem vel per tres dies Bisuntinam metropolim occupavisse.

ANNI CHRISTI

nis, anno incerto, altare Vincellæ, pro anniversario suo tradiderat.

LVIII. Ansericus.

Ansericum ex Æduensi decanatu in Bisuntinam sedem translatum Sammarthani Dunodiusque asserunt. Id autem omni probatione caret. Ansericus enim ecclesiæ Bisuntinæ clavum post Junium mensem 1117, et ante Januarium mensem 1118, regere cœpit. Id aperte comprobant, ex una parte, ejus litteræ super Dolensis ecclesiæ patronatu, anno datæ 1120, ind. XIII, III id. Junii, pontificatus sui tertio, et, ex altera, Calixti papæ decretum de maternitate S. Joannis, in quo prædictus papa Ansericum memorat Pascali II superstite jam ecclesiæ Bisuntinæ præfuisse. Guillelmus autem annis 1114, 1122, Æduensis decani munus exsequens reperitur; supra, t. IV, col. 433. Nec certius est Ansericum, prout Dunodius conjecit, e Montis Regalis clara domo deductum esse. Quisquis autem antea fuerat, infulis nuper
1117 redimitus occurrit anno, ut videtur, 1117, quo ad Engolismensem episcopum de juribus inter Rotonenses et Kemperlegienses monachos controversis epistolam scripsit, a Mabillonio typis mandatam; Annal. Bened.,
1119 t. VI, p. 633. Anno dein 1119, S. Claudii monachis ecclesiam *Sarrogna* dedit: quo et anno concilio Remensi interfuit; ex ipsius Calixti papæ litteris, Prob. Hist. Brit., t. I, col. 541. Junio, ut diximus, mense 1120, contentionem inter canonicos B. Mariæ Ma-
Ch. XVIII, col. 20. gdalenæ et Balmenses ascetas de patronatu Dolensis ecclesiæ exortam sopivit. Idem, ut opinantur, sub tempus, agrum *Blandans* Narduino, Vallium priori, acceptis ab eo quadraginta marcis argenti, in vadimonium misit, et canonicis S. Stephani Divionensis plures ipsis jam collatos locos confirmavit; e Perardo, p. 94. Eo certius anno, cum Reginaldo, Burgundionum comite, de possessione Bergilliacenæ abbatiæ pactus est; *Droz*, t. V, p. 471. Ad eum postea missæ,
Ch. XIX, col. 21. 19 Martii 1122, præclaræ Calixti papæ II litteræ, de jurgiis quæ jam toties capitula S. Joannis et S. Stephani ad supremam sedem detulerant. Nec multo post, 22 Augusti, Petrum *de Montboissier,* Cluniacensem abbatem, cognomento Venerabilem, Ansericus benedixit; supra, t. IV, col. 1137. Jam magna ejus fama non tantum in Bisuntino tractu, sed etiam in Viennensi et Lugdunensi. Quare, mandato Guidonis, Viennensis archiepiscopi, necnon Romanæ sedis legati, contentionem, quæ inter Benignianos monachos et Humbertum, Gualcheri Salinarii filium, summopere fervebat, eo anno 1122 industria sua Vesuntione diremit. Ea de re plura supra legenda sunt, t. IV, col. 681. Romam deinde Ansericus se recepit, ut sub Martium mensem concilio Lateranensi interesset. Roma apostolicis rediit munitus litteris, quibus Bisuntinis oppidanis imperatum ut quælibet ad archiepiscopum pertinentia jura *recuperare* ipsum sinerent (1): unde conjicere licet inter populum clerumque metropolitanæ civitatis exortas jam tunc fuisse has inimicitias quæ deinde omnia miscuere. Id sub tempus, monachus quidam vagus, nomine Theodoricus, vallem *Migette* devenit, ibique capellam exstruxit: quem Ansericus humanissime exceptum baculo pastorali donare voluit, anno 1123: postulavit autem Theodoricus ut id honoris in Aimonem,
Balernæ abbatem, transferret. Anno 1124, 1124
Vesuntione, testis fuit Ansericus Guidonis *de Charencey* erga canonicos B. Mariæ Magdalenæ benefici: quo etiam anno, inter eosdem canonicos et nonnullos laicos, qui Ch. XXI, col. 25.
præbendam ab eis canonicalem pro jure, ut aiebant, suo deposcebant, pacem fecit. Argentinam dein accersitur, comitiis imperii interfuturus. Ibi, 28 Decembris, testis est Henrici imperatoris, notabile diploma pro monasterio Engelbergensi dictantis; *Herrgott,* Geneal. Habsb., t. II, p. 145. Ibidem,
7 Januarii 1125, ejusdem Henrici litteris pro 1125
Constantiensi ecclesia, et, 8 ejusdem mensis, pro monasterio Lucellensi, subscribit. Argentinensibus vero comitiis vix solutis, in episcopalem urbem rediit, et ibi, IV cal. Aprilis 1126, Harduino, priori Romani Monasterii, ecclesiam S. Andreæ, *Bannens* sitæ, dono dedit. Dein Cari Loci possessiones Ch. XXII, col. 25.
confirmans, Germanum hujus ecclesiæ priorem nuncupavit, anno 1127. Occurrit anno 1128, Manassis decani chartam sanciens de prædio *Champors* Bellævalli tradito. Eo etiam anno, V cal. Decembris, altare in honorem S. Joannis-Baptistæ recens ædificatum consecravit; quod scilicet, eremitis Constantino et Roberto collatum, Accincti, non incelebris monasterii, origo fuit. Basileam
Ansericus iit, anno 1129, iterum imperiali- 1129
bus comitiis interfuturus. In eadem urbe commorans, anno sequente, VIII id. Februarii, litteris Lotharii III imperatoris subscripsit pro præpositura S. Felicis et Regulæ Turicensi; apud Schoepflinum, Alsat. Dipl., t. I, p. 479. Ubi etiam, VI id. ejusdem mensis, Anserico adstante, Odalricus, episcopus Constantiensis, abbatiæ S. Blasii locum *Burgulun* confirmavit; *Herrgott,* Geneal. Habsb., t. II, p. 155. Eodem anno, 23 Septembris, fundos S. Eugendi Ansericus recenset: eodem S. Joannis et Balernæ rem auget, ac data Bellævalli a Richardo de Monte Fal-

(1) Litteras has pontificias edidit D. *Castan,* sub annum 1120; sed perperam. Datæ quidem sunt Laterani II non. Aprilis, anni mentione prætermissa: ait vero papa: « Venerabilis frater noster Ilan., vester archiepiscopus, ad nos « venit, atque inter alios fratres honeste concilio nostro in« terfuit; » ubi sane de concilio Lateranensi agitur, 25 Martii 1123 habito.

ANNI CHRISTI conis approbat. Eodem circiter, scriptis ad Pontium abbatem litteris, singulas Bellævallis possessiones recognoscit. In his, quas *Droz* ad nos detulit, litteris, t. IX, p. 253, Vesuntione præsentem adnota S. Bernardum, Claræ vallensem abbatem, cujus forsitan suasu Bellævallensis ecclesiæ jura Ansericus peculiari charta sub id tempus stabilivit. Solemnius etiam Anserici decretum
Ch. xxiii, col. 26. de canonicis regularibus in ecclesia S. Pauli constitutis. Cui tamen anno ea S. Pauli reformatio adscribenda sit dubium. Annum quidem 1131, IV non. Maii, charta præbet, sed in ea deprehenduntur corruptionis in-
1132 dicia. Anno certius 1132 (1), XV cal. Octobris, Faverniacensem abbatiam abbati Casæ Dei restaurandam commisit: eodem et anno
Ch. xxiv, col. 27. XII cal. Januarii, ecclesiam Pauliacenam canonicis S. Joannis dedit. Sequente, a canonicis Caritatem habitantibus dimissa bona in possessionem Cisterciensium monachorum transtulit, et surgenti Accincto concessa prædia pro suo jure sancivit. Quo et anno, testis fuit Gualcheri Salinarii data S. Paulo ab Humberto patre confirmantis, atque ipse surgentis Corneoli jam non adeo paucas
1134 possessiones recensuit. Anno tandem 1134, ut videtur, incipiente, solemni diplomate
Ch. xxv, col. 28. Corneolum sub Præmonstratensem S. Norberti disciplinam translatum Ansericus approbat. Eodem quoque tempore, ob anniversarium suum a canonicis S. Pauli ce-
Ch. xxvi, col. 29. lebrandum, reditus e quibusdam *mansis* percipiendos eis condonat, nova semper inter se jurgia moventes S. Joannis et S. Stephani canonicos ad pactionem accedere jubet, et capitulo S. Mariæ Magdalenæ ecclesias *Gonz* et *Pusuz,* alias *Gusuz,* confert, paulo post decessurus, XIII cal. Maii; e necrologio S. Pauli. Nec prætereundum quod, ut erat Cisterciensi congregationi devotissimus, Locum Crescentem Ansericus, sub ultimos vitæ suæ annos, erexit. Id aperte testatur Conradi regis pro Loco Crescente diploma, anno datum 1139. Cui suffragantur ipsi Loci Crescentis fasti, sed cum anni mendosa designatione; apud *Droz,* t. XIII, p. 215.

LIX. Humbertus.

Eligitur consecraturque Humbertus ante finem Octobris mensis 1134. Comperimus enim eum S. Vincentii possessiones confirmavisse atque auxisse VI cal. Novembris 1140, anno ab ejus ordinatione septimo; *Droz,* t. IV, p. 3. Sub ultimos Anserici episcopantis annos archidiaconus fuerat ecclesiæ Bisuntinæ, ut rem diversæ tam Anserici litteræ, anniversarium suum in ecclesia S. Pauli condentis, quam Pagani *de Belmont* erga Locum

A Crescentem benefici manifestant; ibidem, t. XIII, p. 222. Ipse quoque cathedralem S. Joannis ecclesiam prædiis et juribus locupletans, anno 1147, in ejus gremio semet Ch. xxxiv, col. 36.
enutritum fuisse profitetur, eique eo largiora impendere quo largiora ab eadem accepit. E qua vero gente originem duxerit disputatur. Nepotes Humbertus suos dicit Hugonem Othonemque de Rocha. *Nepos* quidem vocabulum duodecimo sæculo anceps. Minime tamen probanda videtur hodierni scriptoris conjectura, eum qui Humberti *de Cossonay* filium opinatur; Comm. et Docum. ad Hel-
B vet. Rom. spectantia, t. V, p. 17. Vesuntione archipræsulem agens, anno 1135, Roseria- 1135
rum possessiones recenset, *Droz,* t. X, p. 322, et canonicis B. Mariæ Magdalenæ ecclesias *Tromarey* nec non *Brussay* concedit; ibid., t. XV, p. 296. Sequente, prædia jam abbatiæ Lucellensi collata singulatim enumerat et pro jure suo confirmat. Plura dein Accincto data sancit anno 1137, ibid., t. XI, p. 26, ipse, anno 1138, S. Paulo ecclesiam 1138
Roches condonaturus, ibid. t. VII, p. 70, et priori *Vergiaci* monasterium *Laône* incolis vacuum; quo et anno, Caro Loco a Regi-
C naldo, Burgundionum comite, oblata bona recognoscit. Argentinæ congregati, V cal. Junii 1139, nonnulli e primoribus imperii Germanici magnatibus; inter quos sedens Humbertus litteris Conradi regis pro Lucellensi monasterio subscripsit. In Vincentianis, eodem anno, tabulis, et in Stephaniensibus occurrit. Anno 1140, cal. Aprilis, 1140
Ludovico, decano S. Joannis, plures ecclesias confirmat; *Droz,* t. V, p. 487. Quo etiam anno, frequens Vesuntione episcoporum conventus, qui, in claustro S. Joannis, Humberto præsidente, inter thesaurarium Bisun-
D tinum et canonicos B. Mariæ Magdalenæ jam diuturnum dissidium composuere; ibid., t. XV, p. 51. Dein Humbertus, anno 1141, ini- 1141
tum inter canonicos S. Joannis et monachos diœcesis Bisuntinæ Cistercienses, pactum approbat. Anno 1143, canonicis S. Stephani decimas juxta Villetam percipiendas tradit: cui circiter anno adscribendum solemnius diploma, in quo Bellævallensem ecclesiam, Cyriaco Ch. xxx, col. 32.
nuper auctam, semet consecravisse memorat. Eodem quoque anno, Bellævalli ab Humberto *Piper* data confirmat, et Roseriis ab uxore Bigaudi, militis, oblata recenset;
E ibid., t. X, p. 169, 333. Anno 1144, a Lucio 1144
papa II possessiones ecclesiæ suæ stabilitas obtinet; ibid., t. V, p. 491. Juncivillæ moram aliquam faciens, litteras edit, V cal. Maii 1145, quibus Camborniacenam ecclesiam Bellævalli adnectit (1): dein, V cal. Ch. xxxi, col. 14.
Januarii, permutationem quarumdam rerum inter monachos Bellævallis et S. Vincentii

(1) Quædam tamen hujus donationis exempla annum 1133 præbent. Præterea indictionis annus XIII, qui vel anno 1132, vel anno 1133 conjungitur, neutri convenit.

(1) Perperam D. Richardus, Hist. Diœc. Vesunt., t. I, p. 360, Camborniacenam ecclesiam his litteris basilicæ S. Joannis collatam asserit.

ANNI CHRISTI approbat, ipse, III cal. ejusdem mensis, a A
Frederico imperatore Bergilliacenam abba-
tiam inter metropolitanas possessiones con-
firmatam accepturus; ibid., t. V, p. 545.
Anno 1146, Corneoli fundos Humbertus
Ch. XXXIII, col. 35. recenset. Eum quidem otiosis episcopis mi-
nime annumerandum jam novimus. Per-
1147 multis quoque, anno 1147, negotiis curam
adhibuit. Occurrit enim, eo anno, nonis Ja-
nuarii, prioratus *Lanthenans* bona stabi-
liens, et mox, 11 Aprilis, ecclesiæ S. Joan-
nis, eum quæ adolescentem aluerat, agros
Ch. XXXIV, col. 36. dono dans, atque concedens ut in Bisun-
tinæ monetæ officina proprium canonici B
ministrum habeant. Insuper, v non. Maii,
Ch. XXXV, col. 36. recentem Gratiæ Dei fundationem approbat,
et primas surgentis abbatiæ possessiones
firmat, paucisque interjectis diebus, IV cal.
Junii, ingratissimam sane, ab Eugenio papa
Ch. XXXVI, col. 37. hanc provinciam accipit, ut scilicet Balmen-
sem abbatiam, e dignitate genuina dejectam
et in prioratum conversam, Cluniacensium
imperio obtemperare cogat. Quo etiam anno,
S. Eugendo a prædecessoribus suis data san-
cit. Quam maximas vero sub id temporis
ærumnas, suis licet rebus et nullo modo alie-
nis intentus, Humbertus passus est. Impe- C
rator enim Reginaldum, Burgundionum co-
mitem, sibimet infensum expertus, comiti
Zeringhen Sequaniæ principatum dono de-
derat, et Reginaldum, rebellionis reum, e
patria dignitate removendum esse decreve-
rat. Reginaldus autem, evaginato protinus
gladio, Guillelmum, Viennæ comitem, fra-
trem suum advocare, et adunatis duarum
provinciarum viribus, Cæsareos clientes
prius et festinanter aggredi. Imperatoris au-
tem partibus adhæserat Humbertus, prout
ab imperii principe tanti momenti res po-
stulabat: ei igitur Reginaldus Guillelmus- D
que comites bellum intulerunt; quibus in
angustiis tria millia solidorum aureorum a
S. Joannis canonicis mutuatus est. Reperi-
tur denique, eodem anno, iteratis litteris
quæ Bellævalli Hugo *Piper* dederat enun-
tians, ecclesiæ S. Joannis quamdam vineam
necnon domum Vesuntione sitam ipse tra-
dens, testansque Richardum de Monte Fal-
conis ecclesiæ S. Stephani optima dona fe-
1148 cisse (1). Anno 1148, Aprili mense, Sophiæ
Montibiligardensi, Richardi de Monte Fal-
conis uxori, in ecclesia S. Stephani sacra
fecit: nec multo post, Eugenium papam Ve- E
suntionis muros ingredientem excepit, eique,
III non. Maii, altare majus S. Joannis con-
secranti ministravit. Elapsis autem aliquot
diebus, Lausannam Eugenius semet recepit:
unde, 20 Maii, Humbertum curare jussit
ut Biliacenum altare, ecclesiæ Balmensi per
vim furtumque abreptum, Cluniacensibus,

(1) Apud *Droz*, t. V, p. 521. Annum quidem 1148 charta præbet, sed falso, ut videtur; nam ceteræ notæ, ind. 10, epact. 17, concurr. 2, in annum 1147 conveniunt.

in quorum jus Balma traducta fuerat, resti- ANNI CHRISTI
tueretur. Paulo post Humbertus, VIII id.
Julii, S. Gorgonium canonicis Montis Bene- Ch. XXXVII, col. 38.
dicti conferebat. Sequente anno, testis est
Gualcheri Salinarii erga Roserias benefici.
Eodem hortante, anno 1150, Odo, Guillelmi 1150
comitis e fratre nepos, ecclesiæ S. Joannis
quæ sibimet in villa *Quingey* vindicaverat
reddit; *Droz*, t. V, p. 523. Anno 1151, plura
Claro Fonti necnon Corneolo collata, et
agrum *Bruillout* Roseriis datum testimonio
suo sancit; ibid., t. X, p. 403. Quo etiam
anno, XVII cal. Augusti, abbati S. Eugendi
Jurensis ecclesias *Vernantois* et Landri-
ciæ, inter alias, iterum assignat. Sequente, 1152
v cal. Septembris, Bethaniæ a pluribus con-
donata sigillo etiam suo confirmat; ibid.,
t. XI, p. 145. Eo anno Fredericus I, quem
Ænobarbum nuncupant, Francofurti Ro-
manorum rex electus fuerat, 4 Martii. Ad
eum, ut officio suo perfungeretur, Humber-
tus mox tetendit. Anno 1153, postquam 1153
Colmariæ moram aliquam fecerat, Frederi-
cus Vesuntionem ingressus est: cujus litteris,
Vesuntione datis, pro monasterio Paternia-
censi, Humbertus subscripsit, 15 Februarii.
Frequentes tunc in Friderici comitatu epi-
scopi, inter quos, præter Humbertum, Ar-
noldus Coloniensis, Amedeus Lausannensis,
Ortliebus Basileensis et Hermannus Constan-
tiensis. Sub idem tempus et in eadem urbe,
præmemoratus imperator libertates immu-
nitatesque hominum bonorumque ad eccle-
siam Bisuntinam pertinentium recognovit;
ibid., t. V, p. 532. Quem circiter annum,
Bisuntini quidam clerici papam appellave-
runt, de Humberto querentes. Hujus dis-
sidii materia incognita : habemus vero Pe-
tri Venerabilis insignem ad Eugenium III
epistolam, in qua causam Humberti non se-
gniter defendit. Obiit Eugenius 8 Julii 1153.
Ei successit Anastasius, apud quem Hum-
bertus multum valuit. Unde colligimus ac-
cusationem in Humbertum latam irritam
evasisse. Magnum tunc inter Petrum Clu-
niaci et Eustorgium Miratorii abbates dissi-
dium: cui postquam Anastasius papa IV
finem imposuerat, lata in Miratorii abba-
tem excommunicationis sententia, Humberto
mandavit prædictus papa ut hanc senten-
tiam observandam curaret, 25 Aprilis 1154.
Eodem anno, cum episcopo Lausannensi Mon. Basil. Episc., t. I, p. 324.
super vicis Lustriaco et Cusliaco Humbertus
litigavit; quod jurgium, mandato sedis apo-
stolicæ, composuit Ortliebus, Basileensis
episcopus, 10 Julii. Deinde annum 1155 1155
præbent Humberti litteræ, de rebus quas
Stephanus *de Mornay* Roseriis et Guillel-
mus *de Cicons* Montis Benedicti canonicis
contulerant; *Droz*, t. X, p. 343, et t. XIII,
p. 390. Apud Fredericum Ænobarbum ac-
ceptissimus, ei quanquam Romana monita
ferociter aspernanti Humbertus adhæsisse

ANNI memoratur; eum certe, sicut animadvertit
CHRISTI Joan. Jac. Chiffletius, sæpe comitatus est diversos imperii tractus peragrantem. Sic una cum Frederico Herbipoli in Germania reperitur, anno 1156, ubi ejus testis est Bellævalli, Caritati et Gratiæ Dei data confirman-
Ch. xxxix, col. 39. tis: rursus ejusdem, anno sequente, diplomati subscribit in quo singulæ Bethaniæ possessiones summatim descriptæ. Eodem quoque anno, III id. Aprilis, ipse Cari Loci bona Humbertus recenset. Aliquam Vesuntione moram fecit Fredericus v cal. Decembris: qua in urbe, Humbertum Bisuntinensem, Heraclium Lugdunensem et Petrum Tarantasiensem archiepiscopos suis lateribus assidentes habens, in gratiam domus Majorævi Carthusiensis solemnes litteras edidit, typis a S. Perardo datas; Collect., p. 238. Nec multo post Humbertus, nempe XVIII cal. Decembris, in Barrense castrum, ejusdem Frederici comes, ivit, ubi ejus diplomati subscripsit pro Libaldo *de Baffrimont;* apud Schoepflinum, Als. Dipl., t. I, p. 243. In eo etiam die et in eodem loco, ejusdem Frederici diploma pro Luthrensi monasterio sigillo suo munivit. Arbosii dein una leguntur Fredericus Humbertusque, XIV cal. Decembris, Humbertique nomen præbet aurea hulla, quam Fredericus eo die Heraclio, Lugdunensi archiepiscopo, concessit; supra, t. IV, Instr., col. 18. Vesuntionem redux erat Fredericus IX cal. Decembris: tunc enim in ea urbe Geoffrido, Avenionensi episcopo, amplum, Humberto subscribente, privilegium concessit, quod supra antecessores nostri ediderunt, t. I, Instr., p. 142. Metropolitanam vero incolens civita-
1158 tem Humbertus, anno 1158, Claro Fonti a Philippo *d'Achey* et Gerardo de Valle Coloris collata confirmabat; *Droz,* t. XIII, p. 541: sub idem quoque tempus hospitium Bellævallense lustrabat, eoque præsente Otho, frater Eudonis de Rocha, erga Bellævallenses munificum semet præbebat. Adriano dein papa IV I Septembris 1159 mortuo, et cardinalium suffragiis in Alexandrum III et Octavianum Victorem distractis, procellosus animorum conflictus. Alexandro Ludovicus VII, Gallorum rex, adhæsit; Fredericus, Germanorum imperator, Victori. Humbertum Cæsaris fidissimum clientem jam diximus: cui nimium, ut videtur, obsequens, legatum ad Papiense concilium misit, anno 1160, in octava Epiphaniæ, congregatum, Victoremque summum Pontificem agnovit; e litteris Bambergensis episcopi ad Saltzburgensem, apud Rer. Gallic. Script., t. XVI, p. 689. Ideo vituperatur, ut qui schismatico Pontifici adhæserit. Eodem anno Humbertus, erga Carilocenses benevolentissimus, eis ecclesiam *Vilers* contulit; e Chartul. Cariloc. Eodem, Landricum e S. Joannis decano Lausannensem episcopum consecravit; qua die

A gravem inter thesaurarium Bisuntinum et canonicos B. Mariæ Magdalenæ controversiam insuper composuit; *Droz,* t. V, p. 539; nec multo post, ejusdem Landrici litteris subscripsit, S. Vincentio ecclesiam S. Stephani, Lausannæ sitam, condonantis. Anno tandem 1161, ind. IX, ecclesias *Guiseuil, Etalans, Fallerans, Chambornay,* ecclesiæ Bisuntinæ ipse Humbertus concedit, ibid., p. 541, et S. Paulo ecclesiam *Adelanges* rescripto confirmat; ibid., t. VII, p. 75. Nulla vero de eo archiepiscopalem clavum gubernante recentior in Bisuntinis tabulis mentio.
B Quo tamen decesserit anno dubium. Ejus quidem interitum necrologium cathedralis ecclesiæ calendis Octobris adscribit. Necrologium vero S. Pauli idem his verbis refert: *Cal. Octobris, obiit Humbertus archiepiscopus, canonicus noster, hic sepultus.* Unde conjecit Dunodius eum, dimisso munere, in ecclesiam S. Pauli secessisse, ibique anno incerto ad alteram vitam migravisse. Nec desunt etiam qui Humbertum usque ad annum 1165 supervixisse contendunt. Certe vacans erat sedes 3 Maii 1162, ut rem comperimus e litteris ad Montem Benedicti
C spectantibus, quas *Droz,* Comm. de Pont., p. 213, publici juris fecit.

LX. Gualterius II.

Gualterium post Humbertum omnes Bisuntinorum episcoporum indices collocant. DE BOURGOGNE.
Ejus vero tantum nomen posteris commendant, et anonymus S. Pauli canonicus non prolixioribus verbis ejusdem meminit, nudo nomini notulam hanc adjungens: « De eo « nihil invenitur: quod si postea aliquid in- « ventum fuerit, asseretur. » Rara quidem
D Gualterii vestigia: nulla tamen falso scriptor prælaudatus dixit. Electum scilicet Bisuntinum semet ipse nuncupat Gualterius Ch. XL, col. 39.
anno 1162, in charta qua Bellævallensibus a Barrado necnon ab Herenfrido data sancit. Idem insuper Laonæ reperitur, 8 Septembris ejusdem anni, ubi Frederici imperatoris litteris in gratiam Viennensis ecclesiæ subscribit: Visulii, VIII cal. Octobris, ubi ejusdem Frederici diploma obsignat de dissidiis quæ inter Palmensem abbatissam et Theodoricum *de Soys* exorta erant. Eo quoque præsente, Visuliensis comes Gisle-
E bertus Locum Crescentem quodam prædio auget; *Droz,* t. XIII, p. 276. Gualterium igitur Humberto subrogatum fuisse minime dubium est. Eumdem tam Sammarthani quam Dunodius e Vesuntionensi decano metropolitanam sedem conscendisse referunt; quod antecessoribus nostris antiquiorem testem desiderare visum est; supra, t. IV, col. 583. Rem igitur explorare operæ pretium est. Pluribus in chartulis, quarum infra mentio fiet, Gualterius S. Stephani de-

ANNI CHRISTI canus ab anno 1151 usque ad annum 1155 legitur. Expressis denique verbis Bovonis, clerici, schedula, Roseriis agrum *Bruillout* confirmantis, Gualterium decanum Hugonis, Burgundionum ducis, fratrem nuncupat. Unde jam palam est Gualterium, S. Stephani Vesuntionensis anno 1155 decanum, unum eumdemque Gualterium fuisse qui, sub annum 1163, e S. Benigni Chronico, Lingonensem ecclesiam regere cœpit. Conjectura alia est Sammarthanorum et Dunodii, eumdem scilicet anno 1162 Vesuntionensem archiepiscopum aliquantisper exstitisse. Nec ea minus veritati consentanea. Gualterius enim Lingonensis episcopus, interrogatus, anno 1178, de hæreditate bonorum quæ ad civem sine legitima prole morientem pertinuerant, sic responsionem suam inchoat : « In civitate Bisuntina diutius « conversati, primo habuimus decanitatem « S. Stephani, deinde in regimen Bisuntinæ « sedis fuimus electi. » Quod omne dubium solvit. Cur autem ex archiepiscopo Bisuntino in episcopum Lingonensem desiit? Anno 1162, soluto Laonæ conventu, inter Fredericum imperatorem, qui Victori Octaviano favebat, et Ludovicum regem, Alexandri partibus adhærentem, quam maxima fervent dissidia, et utrinque ad arma concurritur. Gualterii autem, Vesuntionensis archiepiscopi, nulla post hunc annum 1162 diplomata meminere. Unde verisimile videtur eum a Victore et Frederico ad Alexandrum et Ludovicum tunc defecisse. Gualterius enim, Hugonis ducis frater, Ludovico regi, ut Dunodius animadvertit, sanguine propinquus erat. Quis igitur eo promptior ad amplectendam Ludovici causam? Ad Ludovicum igitur secedens metropolim Bisuntinam reliquit, et vacanti apud Gallos ecclesiæ Lingonensi præfectus est.

LXI. Herbertus.

Ad Herbertum spectare videtur Cæsarii Heisterbachcensis locus, De Mirac., lib. V, cap. 18, qui Vesuntionensem quemdam archiepiscopum non multis ab annis defunctum in scenam inducens, eum *virum bonum et litteratum* et suum comprovincialem nuncupat. Herbertus enim patria Germanus putatur. Eum certe, sibi et Victori Octaviano addictissimum, Fredericus imperator Gualterio subrogandum curavit. Bisuntinus *electus* oc-
1163 currit anno 1163, quo tempore Burchardum, Bellæ Vallis abbatem, et Hugonem *de Merchal* fœdus inter se pepigisse testatur. Sæpe etiam *imperialis aulæ legatus* appellatur, ut legimus, anno 1164, in chartula de Stephano et Reginaldo erga eamdem Bellam Vallem beneficis, *Perreciot, Etat des Pers.*, t. III, p. 28, atque, eodem anno, in litteris quas ipse edidit, partitionem agrorum factam denuntians inter prædia Baheleriаs et *Noroy;* ibid., p. 26. Eodem quoque anno desinente, 30 Decembris, Fredericus I, Argentinæ tunc temporis commorans, non tantum Bergilliacenam abbatiam Herberto confirmavit, sed etiam, ejusdem precibus obsequens, prohibuit ne quis in civitate Bisuntina præter archipræsulem argentariam tabernam institueret; Orig. Comm. Bisunt., p. 154 (1). Hoc nos diploma docet archiepiscopi civiumque animos, privatorum commodorum studio, in dies incalescere. Anno 1165, Herbertus Hu- 1165
gonem, Hieronymi filium, decimam in vico *Champors* percipiendam Bellævalli restituisse testatur; *Perreciot*, p. 29. Mox Vesuntionem deserens, Fredericum stare loco nescientem per diversas imperii regiones secutus est. Sic, die Pentecostes, concilio interfuit Herbipoli habito, quod Pascalem III, Victori Octaviano subrogatum, summum Pontificem conclamavit. Wormatiæ dein, 19 Septembris, litteris subscripsit Frederici abbatiam Castri Caroli protegendam suscipientis; Hist. Dipl. Fred. II, t. IV, p. 370. Cum eodem Dolæ Sequanorum anno 1166 reperitur, quod sub tempus, Herberto præsente, Fredericus Odoni Campaniensi civitates *Quingey, Liesle* et *Lombard* gubernandas tradit. Eumdem, eodem anno, Vesuntionis muros subeuntem excipit, ejusque diploma pro Viennensi ecclesia, nec non, 17 Septembris, alias pro Tullensi episcopo de moneta cudenda litteras, Vesuntione pariter, obsignat. Deinde ejusdem Longobardos invisentis comes fuit, posteaque Vesuntionem rediit, ubi, anno 1169, inter abbatem Cor- 1169
neoli et *Vgit* colonos, de quorumdam agrorum limitibus litem exortam solvit. Ea de re datas ab Herberto litteras infra typis man- Ch. XLII, col. 40.
dabimus, e quibus eum non etiam tunc electum, sed Dei gratia Bisuntinum archiepiscopum comperi. Archiepiscopum quoque Bisuntinum se fert, eodem anno, in charta qua Monti Benedicti a Jurensibus dynastis data recenset; *Droz*, Comm. de Pont., p. 215. Illum forsan Paschalis III consecraverat: eumdem enim semper cleri pars Alexandro favens *apostatam, schismaticum, Chrysopolitanæ ecclesiæ incubatorem,* dixit: unde palam est consecrationem ejus inscio aut invito Alexandro peractam fuisse. Eodem quoque anno 1169, III id. Octobris, Herbertus archiepiscopum, ut supra, semet asserens, multa a multis Corneolo condonata sancivit. Postremum de eo S. Pauli tabulæ fidem faciunt
anno 1170. Caute legendus Geoffridus, ab- 1170
bas Altæ Cumbæ, prolixis, sed valde contumeliosis, verbis Herberti decessum enarrans; Vita S. Petri Tarant., apud Surium, 8 Maii. Eo sedenim teste, S. Petri Taranta-

(1) Annum charta præbet 1165, imperantis vero Frederici decimum. Unde satis patet imperatorium cancellarium annum 1165 a 25 Decembris duxisse.

ANNI CHRISTI siensis adhortationibus commota, Vesuntionensis plebs Deum exoravit, ut quam citius ipsi Deo infestus vir e medio tolleretur: qui scilicet, intra quatuor vel quinque dies, insaniens occubuit, applaudente populo et clamante: *Benedictus Dominus, qui tradidit impium*. Minime tamen dubium est Vesuntionensem clerum, ad Alexandri partes, Eberardi sequentis industria, denuo traductum, Herberti memoriam quibuslibet opprobriis impetivisse. Anno 1180, quas Bellæ Valli
Ch. L, col. 48. datas res, aut ab ejusdem domus incolis alio modo comparatas, Herbertus confirmaverat, iterum Rogerius, Lausannensis præsul et sedis apostolicæ legatus, confirmavit. Imo Cœlestinus III, 4 Junii 1194, expressis verbis cuncta quæ fecerat aut approbaverat Herbertus irrita cassaque denuntiavit. Anno tandem 1253, elapso videlicet unius fere
Ch. XCII, col. 85. sæculi spatio, Guillelmus, Bisuntinus archipræsul, Herbertum *apostatam* conviciis acerbissimis etiam tum prosequebatur. Obiit anno 1171 desinente, aut 1172 incipiente.

Herbertum *electum* Herbertumque *archiepiscopum* duos D. Augustus *Castan* ejusdem nominis viros fuisse conjecit, qui vicissim sedem Bisuntinam occupaverunt. Ea autem conjectura prorsus rejicienda. Herbertum sane una cleri Bisuntini pars semper detestata est: eidem vero morem altera constanter gessit, ut satis comprobant permulta diplomata, quibus, ea postulante, sigillum suum imposuit. Adde quod electio quidem, minime vero consecratio, penes clerum Bisuntinum erat.

LXII. EBERARDUS.

Eberardum a Chiffletio prætermissum jam animadvertit Dunodius, qui et causam hujus prætermissionis solerter detexit. Ecberchardus Eberardusve quidam, anno 1166, thesaurarius ecclesiæ Bisuntinæ nuncupatur, in Frederici imperatoris ad Viennensem ecclesiam spectante rescripto. Idemne e thesaurario archiepiscopus salutatus est? Mihi res dubia est. Nec minus incerta ejus prosapia, etsi Dunodius cum fidenter e domo S. Quintini oriundum contendat. Id autem certo
1172 comperi, Eberardum scilicet anno 1172, archipræsulem tunc temporis electum, nondum vero consecratum, litteras edidisse de composita quadam discordia inter Bellævallis monachos et Novæ Villæ fratres: quo et anno Bernardum, Bellævallensem abbatem, nonnullas res cum Nicolao *de Voray* permutavisse, archiepiscopum tunc semet ferens, testatus est; e schedis *Droz*, t. IX, p. 520, 455. Unde liquet eum anno 1172 decurrente consecratum fuisse. Anno dein
Ch. XLIV, col. 41. 1174, Eberardus non semel judicio solvit lites inter Bellævallenses monachos et S. Stephani canonicos, Bellamque Vallem semet

A recipiens Henricum *de Athezun* audit monachis quidquid *Argirey* possidebat condonantem. Quem sub annum, secundum hodiernam computationem, v id. Februarii, ecclesiam *Voujaucourt*, Bello Campo jam ab Herberto datam, iteratis litteris eidem domui adscripsit. Miranda sane Eberardi verba, qui de Herberto loquens, eum *archiepiscopum bonæ memoriæ* nominat; Comment. Hist. de Caro Loco, a D. *Besson* conscripta, p. 22. Jam vero supra notavimus Herberti memoriam ab his infamatam, ab illis laudatam fuisse. Idem, ut opinamur, sub tempus,
B Eberardus plura Bethaniæ a Walone, milite, data confirmat. Ejusdem, anno 1175, tam Bellævallis quam Accincti chartularia meminere: quo et anno, tribus post Exaltationem Crucis diebus, Petrum, Tarantasiensem archiepiscopum, in Bellævallensi claustro, dum per Burgundiam iter ageret, defunctum, amplissimo funere, sicut erga tantæ famæ virum justum erat, cohonestavit. Sequente, Bernardo, Bellævallis abbati, concedit ut domum in vico *Battant* ædificet. Quo etiam anno, coram ipso Bernardo et Maceriarum abbate Guillelmo, sententiam dicit
C adversus Margaritam de Navilliaco, pro Guillelmo, Firmitatis abbate; supra, t. IV, col. 1022. Anno 1177, 11 Aprilis, Eberardum Ferrariæ reperimus, quo devenerat imperatorii legati munere fungens, eoque nomine Alexandrum papam aditurus; ex anonymo Aragonii cardinali, apud Rer. Gall. Script., t. XV, p. 739. Anno dein 1178, pactionem de variis jurgiis inter monachos S. Vincentii et Bellævallis ratam habet; *Droz*, t. IX, p. 191: eodem, compositam a Lamberto, Maurianensi episcopo, litem, quæ inter Bellævallenses monachos et priorem *Chauz* fer-
D vebat, archiepiscopali sigillo sancit; ibid., p. 554: eodem quoque, Reginaldum consecrat, Bellicensem episcopum, et, 13 Septembris, Dolæ, testis est Frederici imperatoris Palmæ abbatissam Martellumque *de Mailly* litigantes ad ineundam pacem compellentis. Anno 1178 adscribuntur Gualterii, Lingonensis episcopi, et Landrici, Lausannensis, epistolæ, de hæreditate bonorum quæ ad civem Bisuntinum sine legitima prole decedentem pertinuerant. Arrepta scilicet quadam occasione, Eberardus ea sibi tradenda pro veteri consuetudine asseruerat.
E Unde contentio inter eum et cives exarsit, quæ multis visa est magnarum calamitatum prænuntia. Ea de re interrogati præmemorati antistites secundum archiepiscopum Bisuntinum decreverunt; Orig. Comm. Bis., p. 160. Minime tamen eorum sententia tanto dissidio finem imposuit. Occurrit dein Eberardus anno 1179, quo plura Bethaniæ data 1179
confirmat, Curti Fontis ecclesiam consecrat, et nonnullas Accincto collatas res approbat; e chart. Accincti. Eumdem quoque an-

(Right margin: ANNI CHRISTI; Ch. XLV, col. 43; Ch. XLVI, col. 44; 1177; 1178)

ANNI num præbet solemne Frederici imperatoris
CHRISTI diploma de Vesuntionensis archiepiscopi juribus in morientium civium bona. Vesuntionem nuper Fredericus venerat, Eberardumque necnon civitatis incolas exceperat ea de re jam diu litigantes. Suasit imperator Eberardo ut antiquata controversaque jura dimitteret, civesque jussit in dimissorum
Ch. XLVIII, col. 45. jurium compensationem archiepiscopo quinque et viginti libras annuatim persolvere. Datum Frederici decretum VII id. Maii
1180 1179 (1). Anno denique 1180, VII cal. Octobris, ad Eberardum mittuntur Alexandri III litteræ, quibus decernitur ne in ecclesia Bisuntina, sub tutela S. Petri nullo medio constituta, archiepiscopus Viennensis apostolici legati munus unquam impleat. Eberardi S. Joannis et S. Pauli necrologia II non. Octobris meminere. Falso, ut videtur, ejus interitus anno 1179 a quibusdam adscribitur; nec verius ab aliis anno 1181, ut Theodorici proxime sequentis quædam chartulæ rem demonstrabunt.

LXIII. Theodoricus II.

DE MONTFAUCON. Theodoricum ex Agnete de Monte Biligardi Richardus de Monte Falconis filium habuit. Is Theodoricus, qui nuper erat S. Stephani decanus, pluribus in chartulis archiepiscopum semet ferens ab anno 1180 occurrit. Eo enim anno, Roseriarum mona-
Ch. XLIX, col. 47. chos et Aimonem *de Valdré* litigantes audit, et controversam rem monachis assignat, idemque sub tempus iisdem a Roberto, clerico, confirmatas possessiones recenset; *Droz*, t. X, p. 387. Tunc quoque plura Caro Loco data sancit, ibid., t. XII, p. 333, eoque præsente S. Pauli prior cum Hugone, clerico, super ecclesia *Vilain* paciscitur; ibid., t. VII, p. 492. Eo denique tempore ejusdemque suasu, Hugo *de Cicons* S. Paulo decimas *Nancray* restituit; ibid., p. 591. Nec tantum, eo anno 1180, ecclesiæ suæ commodis consuluit, sed etiam exterarum ecclesiarum curam ipsi demandatam non neglexit. Sic, una cum Petro, Tullensi episcopo, sententiam tunc edidit in gratiam Stephani, Flabonis Montis abbatis; supra, t. XIII, col. 1134. Theodorici, annis 1181, 1182, Accincti, Bellævallis et Cari Loci tabellæ
1182 meminere. Quo etiam anno 1182, S. Mariæ Magdalenæ capitulum, Theodorico probante, hospitium S. Jacobi, ad peregrinos præsertim excipiendos, ædificavit. Anno 1183, Accincti monachi Guidoque de Pas-
Ch. LII, col. 51. mis coram Theodorico litigant: quo etiam anno, plura Corcellis data ipse confirmat,
Ch. LIII, col. 51. dissidium dirimit inter Bellævallis monachos et præpositum vici *Noroy* exortum, ecclesiamque Belli Campi consecrat. Occurrit deinde, anno 1184, S. Stephano res a Guillelmo, Viennensi comite, necnon Bellævalli ab Othone de Rocha, quem mortifer morbus urgebat, collatas approbans, mandatoque summi Pontificis inter monachos Accincti atque Raymundum *de Fraisans* litem componens. Eo etiam anno Moguntiæ reperitur, die Pentecostes, in percelebri imperialium magnatum conventu; e Chronico Gisleberti Montensis. Vesuntionem redux, anno 1185, peculiari decreto prohibuit ne plus- Ch. LIV, col. 52.
quam tredecim canonici in ecclesiam B. Mariæ Magdalenæ sacram intromitterentur, eisdemque B. Mariæ Magdalenæ canonicis ecclesiam Vesiliacenam confirmavit; *Droz*, t. XV, p. 304. Plura iterum tam Bellævalli quam Bethaniæ data recensuit anno 1187; *Droz*, t. IX, p. 190, et t. XI, p. 156. Anno
1188, S. Vincentio ecclesiam *Beaumotte* ite- 1188
rum concessit et Cari Loci monachis liberum per civitatem Bisuntinam transitum; e Chartul. Cari Loci. Eodem etiam anno ratas habet plures decimas S. Paulo ab Hugone *de Cicons* condonatas, ecclesias *Macenans* et *Blussans* ipse Loco Crescenti confert, et Corneoli possessiones confirmat; *Droz*, t. XIV, p. 447. Visulii quoque, eodem anno, testis est Ludovici, Salverniæ comitis, inter Bellævallenses monachos colonosque Quenoschianum agrum assiduo vomere sulcantes pacem facientis. Eodem quoque, Altæ Ripæ ab Hugone data sancit. Alia Theodoricus tam Caro Loco quam Corneolo assi-
gnat anno 1189, singulaque ad fratres Mon- 1189
tis Benedicti pertinentia prædia non tantum recenset, sed etiam confirmat. Sub id vero temporis cathedram suam deseruit, atque ad Fredericum Hagenoæ commorantem se recipiens, ejus testis fuit Villam Novam S. Stephano tradentis; inter Baluzii schedas, arm. 5, fasc. 3, num. 6. Magna consilia Fredericus in animo versabat, Hierosolymitanum iter aggressurus. Cui Bisuntinus archipræsul comitem semet addixit. In procinctum autem iturus, B. Mariæ Magdalenæ
Theodoricus ecclesiam B. Mariæ de Cham- Ch. LVII, col. 54.
paigneiaco, inter alia, et vineam quamdam dedit, Bellævalli mediam ecclesiam Quenoschianam, *Droz*, t. X, p. 73, anniversariumque suum in ecclesia S. Stephani instituit, « quæ me, inquit, a cunabulis usque ad nostri promotionem honoris veluti « pia mater enutrivit. » Deinde vicariatus generalis officio Olivario, Luxovii abbati, commisso, Theodoricus periculosam sui securus viam aggreditur. Eum Benedictus Petroburgensis inter Acrensis obsidionis participes memorat, Rer. Gall. Script., t. XVII, p. 497; nec otiosum pugnæ testem eum monachus Florentinus, in libro De Recuperata Ptolemaide, his verbis depingit:

(1) Male, ut videtur, quidam hoc diploma anno 1180 editum æstimavere.

ANNI CHRISTI

Quid de archipræsule dicam Bisuntino?
Vir est totus deditus operi divino.
Orat pro fidelibus corde columbino,
Pugnat cum perfidis astu serpentino.
Fecit hic arietem, quem de ferro texit,
Qui nostrorum animos plurimum erexit.

Eum expugnatæ Ptolemaidi superstitem fuisse quidam opinati sunt. Asserit autem Benedictus Petroburgensis eum urbe nondum capta, anno ipso 1190, interiisse; Rer. Gall. Script., t. XVII, p. 512. Cui Florentinus monachus suffragatur, Frederici defuncti laudes jam enarrata Theoderici morte canens: obiit autem Fredericus 18 Junii 1190. Necrologium quidem S. Joannis VIII cal. Decembris, et necrologium S. Pauli IX cal. ejusdem mensis Theodorici meminere: hi vero anniversarii dies cum funereo certe non quadrant. Theodorico canonicus anonymus S. Pauli *prosam* adscribit, die S. Vincentio sacra canendam, quam publici juris fecit D. Ed. Clericus, Prolus. in Hist. Sequaniæ, p. 377.

LXIV. Stephanus.

DE VIENNE. Stephanum Theodorico nullo intermedio successisse Albericus, Trium Fontium monachus, testatur; Rer. Gall. Script., t. XVIII, p. 759. Idem Albericus de sæpe controverso Stephani genere fidem facit his verbis: « Comes Gerardus (Viennensis videlicet comes) « duxit filiam Gualcheri de Salinis, de qua « genuit comitem Guillelmum Matisconen« sem, sive Viennensem, et Gualterum *de Sa« lins,* et quemdam Gerardum, et Stephanum « Bisuntinensem electum; » ibid., p. 751. Electus Vesuntionensis Stephanus nuncupatur, utpote qui nondum consecratus decessit, III vel IV id. Junii; e variis ecclesiæ Bisuntinæ necrologiis. Incertior annus, Alberico annum 1195 infeliciter proponente. Antea certe Stephanus decesserat, ut mox e gestis Amedei compertum habebis. Ejus vero nomen nulla Vesuntionensis ecclesiæ chartula præbet.

LXV. Amedeus.

DE DRAMELAY. Guidonis filius Amedeus, Stephano defuncto suffectus est; e sæpe laudato Alberici Chronico. Quamvis vero incertus sit annus a quo Bisuntinis ornatus infulis incedere cœpit, indubium tamen est eum, anno
1194 1194, Bellævalli alteram ecclesiæ Quenoschianæ partem, archiepiscopale munus tunc exsequentem, dedisse; *Droz,* t. X, p. 74. Cancellarius antea ecclesiæ Vesuntionensis exstiterat. Quod munus implens reperitur anno 1187, in tabulis Loci Crescentis, ibid., t. XIII, p. 290, et, anno 1189, in Theodorici charta infra typis mandata. Anno 1195, solemne inter Bellævallenses et Guidonem de Rocha pactum sancit. Henricus imperator Vesuntionem anno 1196 venit, ubi, VI id. Julii, S. Pauli possessiones recognovit. Ad calcem litterarum quibus ea res memoratur Amedei testis nomen occurrit. Quo et anno canonicis S. Pauli, moletrinæ cujusdam aggerem resarcientibus, per Amedeum licuit ut Bregilliano prato uterentur. Anno 1197, 1197
Henrico imperatore mortuo, suffragii ferendi causa magnates imperii conveniunt; quos inter Amedeus reperitur. Ut vero de tanto negotio mutuus est inter eos sermo, ominosa dissidia erumpunt, et in duas factiones conventus distrahitur. Adhæsit Amedeus Philippo, Suevorum duci. Philippus enim Othonis, Burgundionum comitis, frater germanus erat, et veluti rebellantis fuisset Othonis Brunswicensis causam amplecti. Postquam igitur Philippo adstantium major pars faverat, scripsit Amedeus inter alios ad summum Pontificem, suffragationis summam renuntians. Othonem vero, Saxonum ducis filium, Cœlestinus III præ ceteris competitoribus imperatorem exoptaverat, eumque Philippus adeo non sibi conciliare studuit, ut contra bellum adornans, dominum papam, componendorum dissidiorum suasorem, derisui palam habuerit. Unde major mox in Germania, Italiaque, dein in tota ferme Europa, non modo animorum, sed etiam manuum conflictus. Amedeus, sedis apostolicæ mandatis minime obsequens, Philippi fidus cliens permansit. Quamobrem a Richardo, Montis Biligardi comite, qui Othoni favebat, comprehensus est, et aliquantisper carceri mandatus. De ejus in castro Montis Biligardi inclusione fidem nobis facit instrumentum a Drozio transcriptum, t. VII, p. 210, in quo legimus Landricum, S. Joannis decanum, illius captivi vices implevisse. Non autem omnes Bisuntinæ ecclesiæ ministri ab Amedei partibus stetere. Cœlestino sedenim pontificalem cathedram etiam tunc occupante, plures S. Stephani canonici archidiaconique Vesuntionenses Amedei nomen ad papam de perjurio, simonia incestuque detulerunt. Nullus eo tempore in simultatibus exercendis modus, et nimium frequens asperrimorum verborum abusus. Quamvis igitur in accusandos Amedei mores clericorum Bisuntinorum multitudo convenerit, pessimaque objecta fuerint crimina, eum noli inimicorum fide sontem opinari : cognitione sedenim rei episcopo Cabilonensi et Firmitatis abbati ab Innocentio III pontificatum auspicante demandata, accusationem Amedeus propulsavit. Ea dum gerebantur, aliis quoque permultis etiamque minimi momenti rebus operam dabat Amedeus. Sic, anno 1197, inter alia, cum Bellævallensibus de mensuris quorumdam agrorum paciscebatur; anno 1198, Ca- 1198
ritati ecclesiam *Vannes* confirmabat, *Droz,*

Ch. LVII, col. 54. Ch. LVIII, col. 54.

ANNI CHRISTI t. XII, p. 266; et, anno 1199, Loco Crescenti ecclesias *Marvelise* et *Ornans* condonabat, ibid., t. XIII, p. 238. Congregatum,
1199 mense Decembri 1199, Divionense concilium, Petro Capuensi, sedis apostolicæ legato, præsidente, a quo sententia contra
Rer. Gall. Script. t. XVIII, p. 741. Philippum, regem Francorum, lata. Huic concilio Amedeus interfuit. Philippo, Francorum regi, Philippo alteri, Romanorum regem se ferenti, et Innocentio papæ, quos inter multa magnaque erant discordiarum irritamenta, simul obtemperare Amedeo plusquam difficillimum. Eum sane Philippus, Francorum rex, cujus mores Divione condemnaverat, aversatus est. Sub idem
1200 vero tempus, 9 Aprilis 1200, Philippum, Suevorum ducem, ex Alsatia in Burgundiam venientem, in ipsa ecclesia Bisuntina, cum pompa et magno apparatu, excepit. Unde magis magisque in eum commota mens Innocentii, obliviscendi nescia. Ut tamen Innocentius iram consilio temperare solitus erat, illatæ sibimet injuriæ vindictam distulit. Anno eodem 1200, Amedeus archipræsul, Cisterciensis congregationis institutionem in domo quam Montem S. Mariæ nuncupabant approbavit, *Droz,* t. XI, p. 461, plura confirmavit Caro Loco data, ibid., t. XII, p. 333, et litteras edidit de rebus Bellævalli oblatis tam a Reginaldo de Treva quam ab aliis vicini tractus proceribus, ibid., t. X, p. 93. Drozius quoque, Comm. de Pontarlo, p. 227, Amedeum eo anno possessiones Montis Benedicti recensuisse memorat. Philippus interea, singula dignitatis imperatoriæ munia in provincia
Ch. LXII, col. 58. Bisuntina exercens, Luxoviensium monachorum privilegia, nonis Decembris 1201, recognoscebat. Ejus ea de re litteris Amedeus Hagenoæ, in Alsatia, subscripsit. Quo sane venerat cum Philippo de maximis imperii negotiis collocuturus. Eo tamen anno, Vesuntione tunc temporis commorans, initam inter Cari Loci monachos prioremque Treviæ pacem denuntiabat; e Cariloc. chartular. Dein, nempe 3 Octobris 1202 (1), ad
1202 Hilduinum, Lingonensem episcopum, Innocentius scripsit, hanc ei provinciam committens ut rebellionis convictum Amedeum a pastorali munere aliquantisper intercluderet; Rer. Gall. Script., t. XIX, p. 417. Nec ea sane diu duravit interclusio, nam in chartulario Carilocensi memoratur Amedeus
1203 anno 1203, data recens bona sanciens: eo etiam anno, Accincti incremento consuluit, et litteras edidit de Reginaldo *de Gouhenans* cum Bellævallensibus paciscente; *Droz,* t. IX, p. 435. Anno deinde 1205, litteras Stephani *de Tervay,* erga Accinctum benefici, Amedeus sigillo suo firmavit; ibid., t. XI, p. 100. Id vero sub tempus, aliqua Amedeo tantarum curarum requies. Philippus enim, assumpto diademate, ad Innocentium III scripsit, morem ei gerens, pacemque efflagitans. Cujus legatos benigne summus Pontifex excepit, diuque exoptatum procellæ finem lætus renuntiavit. Nec multo post Amedeus ad imperatorem tetendit: nam, 6 Februarii 1207, Argentinæ, Philippi testis fuit hospitium Hagenoæ recens fundatum approbantis, et, 1 Junii, Basileæ, ejusdem litteris subscripsit Thomam de Sabaudia in legitimam castri Melduni possessionem inducentis; apud *Dumont,* Corp. Dipl., t. I, p. 138. Vesuntione quoque, eodem anno, Accincto data a Gerardo juniore Amedeus comprobat, et coram eo tam abbas Accincti quam S. Pauli prior de prioratu Bellifontis concordiam feriunt. Iisdem denique anno et loco Amedeus S. Paulo patronatum ecclesiæ *Noidans* concedit; *Droz,* t. VII, p. 499. 1207
Anno 1208, Caritatis possessiones idem confirmat, ibid., t. XII, p. 282, et litteras edit de Alardo milite, cum Bellævallensibus paciscente. Sub id quoque temporis, ad eum, sæpe Romanam sedem super canonum interpretatione interrogantem, notatu dignum decretum mittitur, nempe de clericis sufficientem hæreditariorum bonorum copiam habentibus, quos ad ordines promovere per summum Pontificem licet, etsi beneficio jam antea nullo præditos. Eodem etiam anno Amedeus ecclesiam S. Joannis Bisuntinam et capitulum S. Mauricii Salinarii mutuis jurgiis finem imposuisse testatur; ibid., t. V, p. 565. Plura tam Bellævalli quam Caritati data Amedeus anno 1210 sancit. Anno 1211, permultas Bethaniæ et Caro Loco collatas res eodem sigillo confirmat, litemque inter Stephanum, priorem Romani Monasterii et canonicos B. Mariæ Magdalenæ sedat. Quo etiam anno, Othonis, Meraniæ ducis, post Philippi necem, partibus addictus, Divionense fœdus, 18 Octobris, ferit. Nomen insuper ejus, annis 1212, 1213, sæpe S. Vincentii et Cari Loci tabularia memorant, quibus scilicet assiduus et maxime sedulus muneris ipsi demandati executor commendatur. Si vero singulas quas fecit, aut probavit, donationes hic recensere longum esset, continens series dissidiorum quæ cum capitulo suo habuit non adeo summatim describenda. Querentes enim de moribus archiepiscopi canonicos ipse archiepiscopus ad supremum judicem, conculcatæ disciplinæ reos, sub id tempus compulit. Papæ igitur mandato Bernardus, Genevensis episcopus, ad canonicos S. Joannis et S. Stephani accessit, mense Septembri 1212, eisque, quos revera ab officii religione declinavisse expertus erat, asperas leges imposuit; *Droz,* t. V, p. 579. Deinde, nempe 16 Novembris, Innocentius ad Genevensem episcopum et Abundantiæ abbatem scribit, 1208 1211 Ch. LXV, p. 60.

(1) Annum 1205, infeliciter, ut videtur, D. Richardus proposuit, Hist. Diœc. Vesunt., l. I, p. 435.

ANNI CHRISTI praecipiens ut iterata de moribus Amedei inquisitio fiat. Nec magis, ut videtur, testibus rursus auditis, canonicorum accusatio valuit. Stephanus interim comes Amedeum, Othonis, Meraniæ ducis, amicum, omnimodis contumeliis afficiebat. Eum excommunicatum Amedeus denuntiavit, Innocentius-
1213 que, litteris 21 Martii 1213 datis, excommunicationem hanc ratam habuit. Pacem tunc Stephanus cum Amedeo fecit, sed parum sinceram. Mox enim, canonicis Stephanoque, ut referunt, rem festinanter urgentibus, Innocentius papa tot clamoribus impetitum Amedeum ordines sacros confe-
1214 rendi jure privat, 29 Maii 1214, eumque jubet, intra spatium trium mensium, coram tribus episcopis tribusque abbatibus omni se crimine purgare; quod nisi fecerit, archiepiscopali munere prorsus destituetur, eique successor subrogabitur. Falsam de majoribus delictis criminationem, de minoribus tantum, quæ Amedeus ipse confessus est, veram, adlecti judices æstimavere. Eum ideo nequidem in aliquod tempus ab ecclesia sua removerunt, nam eo anno, mense Novembri, Amedeus, Basileæ in episcoporum cœtu sedens, litteris Frederici imperatoris de destructione castri *Lichtenberg*, et solemnioribus pro ecclesiis Viennensi, Diensi, Arelatensi, Tricastinensi decretis subscripsit; Diplom. Frederici II, t. I, p. 324, 327, 329, 330, 332, 337, 339. Romæ Amedeus
1215 anno 1215 reperitur, ubi Lateranensi concilio interest. De tam operosi archiepiscopatus exitu nunc paucis disserendum. Amedeum J. Jacob. Chiffletius anno 1218 Hierosolymitanis in oris obiisse conjicit. Ea autem Chiffletii conjectura quoad tempus et quoad
1217 locum æque falsa. Anno 1217, Amedeus, Vesuntionensi curiæ etiam tum præsidens, sententiam edit de Mortuæ Aquæ colonis, quibus opportunum affert præsidium, cum in eo essent ut, comite Montis Biligardi suis nominibus non respondente, ipsi pro pignore traderentur. Eodem quoque anno, mense Septembri, Guidonem de Riseis audit cum priore S. Marcelli de quibusdam juribus paciscentem; e Collect. Perardi, p. 320. Paulo post vero Hierosolymam petiit, et totius archiepiscopalis rei administrationem Henrico, camerario suo, commisit. Pluribus scilicet ad nos delatis instrumentis, annum 1219 præ se ferentibus, is Henricus, non tan-
Ch. LXVI, col. 62. tum de Amedei absentia, sed etiam de ipsi præscripta archiepiscopalis muneris exercendi potestate fidem facit. Eo tamen anno 1219 nondum elapso, Amedeus in Bisuntinam cathedram redux videtur, cum ejus meminerit eo anno chartula Goliæ fundatio-
1220 nem enarrans. Anno certius 1220, plura Caro Loco data confirmat, et coram eo stat Reginaldus, eques, Hugoni, monetario, quamdam vineam vendens; e schedis Drozianis, t. VII, p. 670. Hoc tamen anno 1220, gravidam sentiens senectutem, et adversæ valetudinis molestiis impeditus ne pastorale officium prout decebat impleret, eo semet Amedeus abdicavit. Quam Honorius papa III abdicationem, VIII cal. Junii, ratam habuit, jussitque ut, susceptis apostolicæ cameræ litteris, quam citissime præsul novus eligeretur. Obitum Amedei necrologium ecclesiæ Bisuntinæ XIV cal. Februarii refert; XV cal. ejusdem mensis, necrologium S. Pauli. Ch. LXVIII, col. 63.

Eberardum quemdam post Amedeum Joan. Jac. Chiffletius collocat, sed infelicissima conjectura. Eberardus enim is, cujus necrologia tam S. Pauli quam S. Joannis II non. Octobris memoriam posteris commendavere, Gualterio, ut supra diximus, minime Amedeo, successit.

LXVI. Gerardus I.

Amedeo munus dimittente, electorum cœtus a domino papa postulavit ut ecclesiæ Bisuntinæ Conradus cardinalis et episcopus Portuensis præficeretur. Sed Honorio consilium ut erat Conradum alio mitteret: Bisuntinorum igitur canonicorum postulationem irritam fecit, 22 Septembris 1220, utque suffragia rursus colligerentur præcepit. Tunc in Gerardum, Lausannensem electum, omnium vota convenere. Ideo præmemoratus papa, scriptis ad Trecensem et Lingonensem episcopos litteris, III cal. Februarii 1221, edixit ut, habita secundum consuetudinem inquisitione de Gerardi moribus et doctrina, Bisuntinam ei sedem adire liceret. Qui archipræsulem eum rite consecraverunt, 26 Martii, in ecclesia *La Ferté sur Gironne;* e Chart. Lausann. Omnia hæc ad veritatem Albericus, Trium Fontium monachus, enarravit. Anno tamen 1219 adscripsit quæ sub finem anni 1220 gesta fuere. Idem Albericus, de Gerardi prosapia disserens, eum Theobaldi filium nuncupat, Stephani comitis consobrinum, Humberti necnon alterius Theobaldi fratrem; Rer. Gall. Script., t. XVIII, p. 790. Nec prætereamus nostrum hunc Gerardum, antequam ad sacros ordines promoveretur, e justis injustisve nuptiis filium unum habuisse. Anno enim 1246, Simon, *filius domini Gerardi, bonæ memoriæ, quondam Bisuntini archiepiscopi,* genus suum palam declarans, in litteris infra legendis occurrit. Plures anno 1221 chartulas Gerardus edit. 1221
Memoretur saltem eo anno compositionem, inter thesaurarium Bisuntinum et canonicos B. Mariæ Magdalenæ jam diu factam, sanciens; *Droz,* t. XV, p. 51. Anno 1222, erga 1222
S. Vincentii abbatiam, quam carissimam in Christo filiam vocat, beneficum se præbet. Quo etiam anno, nonnulla Caro Loco data firmat, et ecclesiæ S. Stephani, in qua semet enutritum profitetur, plures ecclesias con- *Mon. Ep. Basil. t. I, p. 485.*

DE ROUGEMONT. Ch. LXIX, col. 64. Ch. XC, col. 83.

ANNI CHRISTI fert. Acerba sub id temporis inter eum Othonemque, Meraniæ ducem, exorta dissidia. Postquam enim Otho, in jugo quod Castellionem vocabant, castellum Bisuntinis suburbiis imminens exstruxerat, de juribus læsis Gerardus, Stephano comiti addictissimus, questus est; sed frustra: ecclesiasticas enim censuras Otho comes non adeo metuit, ut archipræsuli pareret eversionem castelli deposcenti. Ea res non ante annum 1224 composita est. Tunc quædam jura dux S. Joannis canonicis concessit, castellum vero integrum permansit; Comment. et Docum. ad
1223 Sequan. spect., t. III, p. 511. Anno 1223, Gerardo Richardus, Montis Biligardi comes, Mandeuræ situm prædium, quod vineam archiepiscopi vocabant, contulit. Quo etiam anno, in castro prædicti Richardi Gerardus aliquantisper commorans, ecclesiam *Dâlote* abbatiæ Lucellensi ab eo datam approbavit; Monum. Episc. Basil., t. I, p. 490. Eodem quoque, Corneolo medias ecclesias *Chantonnay* et *Venères* dedit. Bellamvallem Gerardus, anno sequente, pluribus beneficiis adornavit, non tantum huic domo ab antecessoribus data confirmans, apud *Droz,* t. IX, p. 448, sed etiam Gerardum de S. Hilario ad ineundam cum monachis pacem compellens, ibid., t. X, p. 176. Quo etiam anno, anniversarium in ecclesia S. Vincentii suum
1224 condidit. Anno dein 1224 incipiente, Fratrum Prædicatorum, Vesuntione nuper institutorum, cœmeterium consecravit; Comment. et Docum. ad Sequan. spect., t. III, p. 516. Eo quoque anno, 1 Martii, litteras ab
Ch. LXX, col. 64. Honorio papa III accepit de pauperibus clericis ad scholas S. Stephani convenientibus. Eodem etiam, Frederici imperatoris mandato obsequens, ad ecclesiam S. Stephani supra montem maternitatis privilegium pertinere decrevit; ibid., t. V, p. 599. Sub id vero tempus maximis ærumnis afflictus est. Quippe cives Bisuntini, capessendæ libertatis studio, archipræsulem irridere urbis custodiam sibi vindicantem, omne insuper jus tam in se quam in sua bona quibuslibet archipræsulis ministris denegare, ipsumque Gerardum multa minantem ex ipsa urbe depellere. Eo abeunte, civilium rerum administratio civium consilio demandata. Exsul Gerardus ad Henricum, Romanorum regem, Frederici filium, secessit. Quo cum Tulli reperitur, 17 Novembris 1224, testis ejus Gemblacensem abbatiam protegendam suscipientis; Hist. Dipl. Fred. II, t. II, p. 813. Congregato vero imperialium magnatum cœtu, in-
Ch. LXXI, col. 65. ter quos Coloniensis et Trevirensis archiepiscopi, Augustensis, Lausannensis et Basileensis episcopi memorantur, decretum est ut Vesuntionis claves Gerardo protinus restituerentur. Quam Henricus rex sententiam, 27 Novembris, confirmavit; ibid., p. 817. Postera quoque die, idem Henricus sole-
A mnioribus litteris Bisuntinum consilium abrogavit, et quæcumque libertatis instaurandæ causa oppidani Bisuntini statuerant; ibid., p. 818. Ipse ea die Gerardus, Henricum juxta regem Bernæ commorans, inter aulicos magnates post Coloniensem et Trevirensem archiepiscopos præcipuus, ejus litteris subscripsit de privilegiis Tullensis ecclesiæ, ibid., p. 490, et de Clementia, Zaringiæ ducissa, a captivitate liberanda, ibid., p. 819.
Sub idem tempus, 17 Januarii 1225, Hono- 1225
rius III pari studio, pariter vero sine effectu, pro Gerardi juribus, ad cives Bisunti-
B nos scribens, propugnavit. Exsul etiam tunc erat Gerardus VI id. Martii 1225, secundum hodiernum computum, quando Bellævallensibus medium *Noroy* molendinum concessit, *Droz,* t. X, p. 47, elapsisque paucis diebus exsul mortuus est. Decessum ejus idibus ejusdem mensis obituarium S. Joannis adscribit. Attamen post 16 Martii defunctus videtur; e D. Richardo, Hist. Diœc. Vesunt., t. I, p. 472. Sepultus est in ecclesia Bellævallis, ante majus altare.

Mortuo Gerardo, 5 Junii, Fredericus imperator aliis pro suo jure litteris Bisuntinos Ch. LXXI, col. 65.
C oppidanos condemnavit et quam inter se fecerant societatem rescidit. Nec protinus tamen Cæsaris mandato obtemperatum. Henricus enim rex, 23 Septembris, ad imperii magnates scribens, minacibus eos verbis deterrebat ne Bisuntinæ rebellioni aliquo modo auxiliarentur; Hist. Diplom. Fred. II, t. II, p. 856.

LXVII. JOANNES I.

Joannem, cognomento *Halgrin,* Abbatis HALGRIN.
Villa, eo jam tempore non prorsus ingloria
D Ambianensis diœcesis civitas, anno circiter 1180, nascentem excepit. Ejus quidem inclyta domus: e qua deductus videtur Joannes alter Allegrinus, qui, sub annum 1240, Ludovici IX regis cancellarius exstitit. Pueritiam egressus noster ille Joannes Parisios venit, ubi theologiam didicit docuitque. Eumdem referunt, Cluniacensium assumpta veste, prioratui S. Petri Abbavillæi gubernando postea præfectum. Minime vero recensetur inter S. Petri Abbavillæi priores, quorum seriem antecessores nostri jam edidere, t. X, col. 1314: adde quod Ambia-
E nensis decanus ab anno 1218 e canonico S. Wulfranni factus comprobatur. Plusquam sublestum igitur Ciaconii, Arnoldi *Wion,* et Chiffletii testimonium, qui Cluniacenses inter ascetas eum monachicæ vitæ tirocinia posuisse memorant. Remis Bisuntinus archiepiscopus consecratur die festum S. Lucæ sequente, 19 scilicet Octobris 1225, a Romano, cardinali S. Angeli, necnon sedis apostolicæ legato; ex Alberici Chronico. Deinde apud Fredericum imperatorem se

ANNI CHRISTI

recepit, ut cui metropolitanam urbem ingredi non licebat. Cremonæ sedenim reperitur mense Novembri, inter imperii magnates in quorum præsentia Guillelmus, abbas Montismajoris, monasterii sui causam adversus Forcalquerii comitem oravit (1). Nec multo post, ut videtur, Bisuntini cives, repulsam fere ab omnibus passi, Joannem revocarunt, qui veniam eis sub certis conditionibus obtulit. Has inter conditiones sequens ex ipsius Joannis epistola memoretur: « Ut, ob remissionem peccati vestri apud « Deum, veniatis usque ad centum de majo- « ribus vestris, nudis pedibus et tunicis, ad « ecclesiam S. Joannis, et ibi expoliati in « camisiis et ad pedes nostros inclinati, cum « virgis a nobis recipiatis disciplinam. » Expiatione rata consummataque, in metropolitanam urbem Joannes venit. Sæpius eum,
1226 anno 1226, Bisuntinæ chartulæ præbent. Mense enim Martio, jubet ut quatuor minimum inter canonicos B. Mariæ Magdalenæ presbyteri sint; *Droz*, t. XV, p. 58. Eodem anno, eisdem B. Mariæ canonicis potestatem dat furnum novum in via Arenis dicta ædificandi; ibid., p. 47. Eodem, Honorii papæ III litteras edit pro Bellavalle, sigilloque suo eisdem Bellævallensibus tam a Joanne de Sibilla quam ab Henrico de *Athoyson*, et ab ipso prædecessore suo collata sancit. Eodem, testatur Gualterum de Borbona, S. Stephani canonicum, quidquid juris sibimet antea in ecclesia *Juvegne* vindicaverat, Caro Loco, studiosiorem salutis quam terrenorum commodorum, condonavisse. Eodem, mense Septembri, notam omnibus facit pactionem de quibusdam decimis, inter capitulum S. Mariæ Magdalenæ et Reginaldum de S. Petro, militem, initam. Plures quoque Joannis epistolas Lausannense chartularium præbet, datas sub Julium mensem 1226, quibus ferventem inter capituli Lausannensis canonicos thesaurariumque acerbam litem solvit. Sub idem tempus et in eadem urbe, excommunicationis sententiam approbat ab episcopo Lausannensi latam contra eos qui Novi Castri monetam, ab ecclesia Lausannensi recens pretio comparatam, sibi asserere forsan auderent; Mon. Hist. Novi Castri, p. 72. Inter Bisuntinæ civitatis ecclesias paucissimæ tunc temporis erant quarum reditus immunes et liberi; hæreditatis enim lege ad nonnullos clericos laicosve pars eorum major pervenerat: unde ipsarum ecclesiarum

A propemodum gratuitam curam omnes detrectabant. Ea de re scripsit ad Joannem Honorius papa, XV cal. Januarii 1226, jubens ut ex ipsis derelictarum ecclesiarum reditibus congrua portio possessoribus quibuslibet adimeretur, rectoribus aut eorum vicariis assignanda. Ch. LXXII, col. 66. Postremum tandem Joannes in Bisuntinensi cathedra reperitur ineunte Januario mense 1227, secundum recentem calculum, quem sub mensem Cari Loci moram faciens, Guillelmum, Faverniacensem militem, audit cum priore S. Marcelli paciscentem; apud St. Perardum, Collect., 1227
B p. 407. Eo anno, Joanni patriarchatum Constantinopolitanum Honorius mox decessurus contulit. Cujus promotionis accepto nuntio, Joannes Romanum iter aggressus est. Antequam vero Vesuntionem relinqueret, mense Februario, Cisterciensium puellarum domum juxta Battentum condendam approbavit, hujusque domus peculiari decreto jura determinavit, ne quod ea fundatio ecclesiæ B. Mariæ Magdalenæ præjudicium afferret. Ch. LXXIII col. 66. Joannes deinde Romam se recepit. Obiit autem Honorius 18 Martii 1227, et Gregorius IX, ei successor datus, qui Joan-
C nem in scholis Parisiensibus condiscipulum habuerat, tantæ doctrinæ tantæque industriæ virum in Constantinopolitanas oras amandare non sustinuit; eum vero cardinalem et Sabinæ episcopum creavit, Septembri mense. Eo tempore Bisuntinas Joannes infulas deposuit, et, variis legationibus functus, Romæ obiit 23 Septembris 1237. Plura scripserat, e quibus ad nos pervenere Summa Sermonum, Sermones per annum, Commentarius in Psalmos, Expositio in Cantica Canticorum. Ultimum hoc opus typis excussum, curante Badio Ascensio: cetera manu
D scripti codices tantum exhibent. De quibus imprimis consule Histor. Franc. Litterar., t. XVIII, p. 162.

LXVIII. Nicolaus.

DE FLAVIGNY.

Joanne in Sabinensem cathedram, prout supra memoravimus, translato, quam multorum competitorum circa vacantem sedem ambitus fuit. Nec tot æmulorum nomina nobis ætas invidit: quos inter Henricum, cancellarium ecclesiæ Bisuntinæ, Durandum,
E Cabilonensem episcopum, et Petrum, S. Benigni Divionensis abbatem recensere operæ pretium est. In ea animorum dissensione, summus Pontifex, 27 Septembris 1227, canonicis Bisuntinis mandaverat, ut suasores ineundæ pacis S. Benigni necnon Morimundi abbates, prioremque Fratrum Prædicatorum Bisuntinorum, admitterent, atque ut intra dies quadraginta tota res electionis peragendæ perficeretur. Congregati sub diem præfixam canonici in contraria studia scin-

(1) Frederici imperatoris diploma de rebus ad Montismajoris abbatiam spectantibus edidit, post Polycarpum *de la Rivière*, *D. Huillard-Bréholles*, Hist. Diplom. Fred. II, t. II, p. 464, et anno 1224 adscripsit. Earumdem vero litterarum antecessores nostri meminerunt sub annum 1225, t. I, col. 816. Hæc temporis nota illi sane anteponenda. Nempe mense Novembri 1224 Joannes nondum archiepiscopus Vesuntionensis erat, et Joannis nomen in Frederici diplomate legitur. Adde quod Novembri mense 1224 Fredericus in Sicilia commorabatur, procul a Cremona.

ANNI CHRISTI

duntur. Sex tamen in concione tumultuanti selectos designant, quibus archipræsulis nuncupandi potestatem faciunt, ea vero sub lege ut, consummata cerea quadam candela, potestas ea finem sortiatur. Accensa candela, quatuor electorum suffragia in abbatem S. Benigni convenere; ceteri deliberationem, ut aiebant, habituri, exivere foras. Qui cum tardius redirent, in eoque jam esset candela paulatim senescens ut penitus occideret, pars quæ prædicto favebat abbati, non diutius exspectata nimiam moram faciente sententia, archipræsulem eum salutavit. Tunc alii redierunt, electionemque irridentes ipsis absentibus peractam, Cabilonensem episcopum eadem qua modo ceteri Divionensem abbatem dignitate cohonestaverunt. Unde nova dissidia. Quorum componendorum Gregorius papa IX, XII cal.
Ch. LXXV, col. 68. Aprilis 1228, archiepiscopo Viennensi et abbati Feritatis, Cabilonensis diœcesis, curam demandavit. Hi vero tot mutuis jurgiis fraudibusque conflatam discordiam sopire incassum adorti, domino papæ suaserunt ut electionem utramque cassam faceret. Quod is tamen facere diu distulit: tandem, X cal. Martii 1229, spe compositionis desperatissima, Gregorius Divionensem abbatem et
Ch. LXXVI, col. 69. Cabilonensem episcopum ab ea dignitate de qua certabant æque dejectos pronuntiavit, et Nicolaum, Lingonensem decanum, Bisuntinam cathedram conscendere jussit.

Electus tantum Bisuntinus nuncupatur
Ch. LXXVII, col. 71. Nicolaus, eo anno 1229, in chartula de sopita controversia inter Cari Loci monachos et Dagnetam matronam. Nec multo post consecrationem suam exoptavit. Lausannæ vero episcopus nuper mortuus erat, Basileensis et Bellicensis episcopi ægrotabant, magnumque Nicolao mœrorem faciebat Lugdunensis archiepiscopi, ipsi carissimi, calamitosissima fortuna, quem Campaniæ comes stricto carceri mandatum tenebat. Quare Nicolaus, 7 Maii, a canonicis S. Joannis poposcit ut, in publico luctu, quævis eum capella ullo sine apparatu consecrandum exciperet. Archiepiscopus tamen nuncupatur, Octobri mense, in litteris arbitrorum e quibus compertum habemus Hugonem de Bello Visu, qui Nicolai villas *Athalans* et *Falerans* deprædatus erat, ei satisfactionem debitam præbuisse; *Droz,* t. V, p. 605. Certe con-
Ch. LXXIX, col. 74. secratus erat 29 Novembris, qua die cum Henrico, archidiacono, de metropolitanis reditibus, ab eo, vacante sede, collectis, pa-
1230 ctum pepigit. Anno sequente, VI id. Februarii, colonum quemdam, in vico *Gy* degen-
Ch. LXXX, col. 75. tem, ab Hugone *Malechers* Nicolaus pretio numerato comparavit: quo etiam mense, Hugonem de Monte Justino, Hierosolymam pergentem, pascua *Borrey* Bellævallensibus monachis pignorasse testatus est; ibid., t. IX, p. 431. Regalia dein ei jura, 17 Mar-

A tii, Henricus rex concessit; Hist. Diplom. Fred. II, t. III, p. 407. Eodem anno, litteras ipse publicas edidit de rebus Bellævalli a Bartholomæo *de Cicons* confirmatis, *Droz,* t. X, p. 233, necnon de pluribus prædiis Bethaniæ collatis, ibid., t. XI, p. 185. Eodem quoque, sub Septembrem mensem, anniversarium suum in ecclesia S. Joannis instituit. Frequentius etiam in tabulis anni 1231 Nicolaus occurrit. Vesuntionenses op- 1231
pidanos memoravimus, ipsosque Bisuntini tractus proceres, archiepiscopali auctoritati minime obsequentes. Totis viribus in ea
B componenda dissidia Nicolaus incubuit. Qui jam Hugonis de Bello Visu contumaciam strenue fregerat, Gerardum etiam *de Dunes* compulit, 23 Aprilis 1231, ad quinque et quinquaginta libras Stephanienses ipsimet, in injuriarum illatarum compensationem, numerandas. Eo quoque anno, Bellævallense chartularium Nicolaum exhibet a Rainaldo de Monte Bosonis necnon a Geraldo *de Sorans* prædia data testantem, et multa rursus de lite composita inter ejusdem domus incolas et Petrum de Monte Martino referentem; apud *Droz,* t. X, p. 4, 11, 30.
C Notatu dignius infra typis mandabimus ejus Ch. LXXXI, col. 76.
diploma de quibusdam colonis a Richardo *de Fondremans* Bellævalli condonatis. Eodem anno plures Caro Loco factas donationes approbavit, ex hujus domus Chartul., et, cum fratribus militiæ Templi de quodam prato litigans, cum eis composuit; ibid., t. II, p. 529. Nec pauca de rebus ad ejus administrationem spectantibus docent O., Bellævallis, et A., Caritatis abbatum litteræ, in quibus, Octobri mense, Nicolaus Ch. LXXXII, col. 76.
reperitur enarrans quos in sumptus prædiorum suorum fructus usque ad id temporis
D impenderat. Ex his, inter alia, colligimus Nicolaum jam bis ad regem iter fecisse. Ad imperatoriam aulam quoque se postea contulit, de Bisuntinorum civium tumultuariis concionibus questurus. His vero tam Henricus rex quam Fredericus imperator, mense Decembri 1231, finem imposuere, a quibus Ch. LXXXIII, col. 77.
iterum abrogata societas, vinculo fidei arctius constricta, firmataque archipræsulis in Bisuntinos oppidanos, rebellionis reos, auctoritas. Ravennæ tunc Fredericus commorabatur: qua in urbe Nicolaus eo coram stetit. Vesuntionem redux, anno 1232, Ste- 1232
E phanum, presbyterum, Bellævalli servum unum tradidisse, et Stephanum *de Chambornay* singulos ab eo reditus in vico *Chambornay* percipiendos eidem abbatiæ pignoris nomine contulisse testatur; *Droz,* t. IX, p. 502, 503. Idem sub tempus litteris publicis nota facit quæ Theobaldus *de Ceys* iisdem Bellævallensibus dederat, ibid., t. X, p. 158, pacemque denuntiat inter eosdem initam et Richardum Petrumque *de Chevroz,* germanos fratres; ibid., t. X, p. 529. Ratam

ANNI CHRISTI

insimul habet donationem quam Hugo de Falcogneio Bethaniæ fecerat; ibid., t. XI, p. 189. Eodem anno, mense Octobri, Stephanum, Burgundiæ comitem, quidquid in villa *Plassay* possidebat ecclesiæ S. Pauli condonavisse proscribit. Nunc Nicolaum iterum disce strenuissimum cujuscumque sibi suisque illatæ injuriæ vindicem, et in quoslibet ecclesiasticæ rei deprædatores eadem constantia desævientem. Theobaldus siquidem de Rubeo Monte, Bisuntinus vicecomes, multa sibi jura in ipsa civitate exercenda tribuerat; quæ Nicolaus usurpata palam dixit, et vice-comitem ante forum suum citavit. Archipræsulem vero judicem eo detrectante, gravius in dies dissidium. Nicolaus denique, anno præfato, multa irritaque conantem Theobaldum fregit: a quo dimissa quæcumque sibi prius nimia vindicaverat superbia; ibid., t. I, p. 294. Insuper e Gre-
Ch. LXXXIV col. 78. gorii papæ IX litteris comperimus Nicolaum, anno 1233, Montis Biligardi comitem, Luthrensium possessionum invasorem, excommunicationis flagello percussisse. Eo quoque anno Nicolaus Lausannensem ecclesiam, metropolitanam exsecuturus visitationem, se recepit, comites secum ducens Stephanum, S. Stephani cantorem, magistrum Thierricum, Milonemque capellanum; quibus adstantibus, Bonifacium, Lausannensem episcopum, XVII cal. Junii, canonicum instituit. Ea scilicet dignitate carenti Lausannensem cathedram conscendere nemini licebat. Vesuntionem regressus, Octobri mense, condonata B. Mariæ Magdalenæ ab Odone *de Resye* Nicolaus sancivit; ibid., t. XV, p. 55.
1234 Anno dein 1234, ipse a Reginaldo *de Larriaus* servum quemdam emit; ibid., t. II, p. 431. Quo etiam anno diversa a diversis Bellæ Valli data prædia firmavit; ibid., t. IX, p. 188. Eidem, mense Februario, anno forsan 1235, Poncelinus miles, acceptis sex libris Stephaniensibus, quidquid *Gy* possidebat pignerat, ibid., t. II, p. 68, Petrusque, *Noroy* præpositus, mense Martio, simile quoddam pactum cum eodem pro decem libris ejusdem monetæ facit. Annum quidem 1234 præmemorata præbent instrumenta. Anno certius 1235 nonnulla cum Stephano, Burgundionum comite, permutat, et Bellæ Valli necnon Caro Loco collatas res renuntiat. Eodem quoque anno, mense Aprili, Petrum de *Ceys* erga Bullionem beneficum approbat; ibid., t. XIII, p. 420: dein, Augusto mense, Moguntiæ reperitur, ubi pluribus ab imperatore datis litteris sigillum suum adjungit, ut legere licet in tomo IV Hist. Dipl. Freder. II. Nec multo post vitæ metam attigit. Eum enim S. Pauli obituarium VII id. Septembris obiisse memorat: cui cathedralis ipsius ecclesiæ necrologium in eo suffragatur. Sepultus est in ecclesia Bellævallis, cum hoc epitaphio: *Hic Bisuntinus præsul Nicolaus, per cujus Dominus doctrinam glorificatur.*

LXIX. Geoffridus.

Bisuntinis infulis collecta suffragia Geoffridum donant, anno 1236. Eumdem archi- 1236
diaconum Parisiensem antea fuisse nonnulli asseruerunt. Sub annos revera 1204 et 1218 Geoffridum quemdam Parisiensibus archidiaconis prælo nuper datum hujus ecclesiæ Chartularium annumerat. *Electus* tantum nuncupatur II non. Aprilis 1236, in litteris Ch. LXXXVI col. 79.
Gregorii papæ IX, quibus Stephano comiti, qui semet cruce recens signaverat, opem ferre jubetur: tunc igitur nondum consecrationis munus acceperat. Eo anno decurrente, antequam luceret dies S. Laurentio sacer, *electus* pariter litteras edidit de rebus a Guillelmo *de Roullans* Bellævalli dimissis; *Droz*, t. X, p. 139. Anno tamen sequente archiepiscopum tunc se ferens, ut qui sacro nuper oleo respersus fuerat, ea quæ Joannes *de Mernay* Bellævalli dederat publice renuntiavit. Incertum quidem est an Geoffrido mitis nimium, aut nimium aspera mens fuerit; eum vero a pluribus insimul cleri Bisuntini proceribus lacessitum deprehendimus, molestiisque acerbissimis vexatum. Cum enim quædam ab eo jura S. Stephani cantor repeteret, cantoris frater, Theobaldus *de Cicons*, Geoffridum equitantem extra muros urbis aggressus est, et ex equo dejectum episcopalibus ornamentis vestibusque spoliavit. Nec multo post frater ipsius Stephaniensis decani, quocum de juribus aliis contendebat, archiepiscopalem villam *Noroy* oppugnavit, et, interfecto custode, cepit. Eidem denique Geoffrido eadem probra a Salinario archidiacono Stephano illata, qui scilicet ecclesiarum quarum peculiarem curam habebat aditum visitanti pontifici prohibuit. His de injuriis Geoffridus papam C. LXXXVII col. 80.
monuit, a quo Lingonensi antistiti ea provincia data est, VII id. Septembris 1237, ut tot et tanta dissidia componeret. Excommunicatus fuit, causa cognita, Theobaldus *de Cicons*. Irrogatam vero pœnam irrisit. Quapropter idem papa ad cancellarium Parisiensem mandabat, II id. Augusti 1238, ut 1238
ipsis Burgundiæ prætoribus eamdem excommunicationem minitaretur, nisi horum flagi- C. LXXXVIII col. 82.
tiorum auctores sociosve ad restituendas res quas diripuerant et damna compensanda quam citius compellerent. Eo anno Geoffridus aliquantisper Romæ commoratus est, ubi Gregorio IX ministravit altare majus S. Sabinæ in Aventino monte consecranti. Roma tamen redux erat die Jovis post *Bordas* 1239, qua die S. Stephani capitulum 1239
Stephanum ei archidiaconum præsentavit. Eodem quoque anno, mense Decembri, inter præpositum et villicum (gallice *bailli*)

ANNI CHRISTI Burgillarum, de jurisdictione litigantes, pacem fecit. Anno dein 1240, 10 Aprilis, in *Autrey* civitate, electioni Lausannensis episcopi præest, Joannemque *de Cossonay* electum consecrat. Cujus stragis ea electio causa fuerit narrabitur infra. Anno postea 1241, Stephanus, Burgundionum comes, exsequendum Geoffrido suum testamentum credit, et 16 Martii moritur. Ipse quoque Geoffridus
1241 acerbo funere anno 1241 sublatus est. Gregorius scilicet papa IX concilium indixerat eo anno Laterani celebrandum, et quam multos Italiæ Galliæque episcopos Romam acciverat, in tanta concione de Frederici II contumacia solemniter questurus. Fredericus interim eis viam intercludere terra marique statuerat, cum ad eum delatum est plerosque Romam pergentes episcopos, inter quos Geoffridum nostrum, Genuenses scaphas clam conscendisse, et jam carbasa ventis dedisse, mare Corsicum ingredi properantes. Classis protinus Pisana, eo jubente, Genuenses naviculas insecuta est, easque inter portum Pisanum et Corsicam insulam adorta, quasdam cepit, ceteras submersit. In eo naufragio Geoffridus periit, mense Maio 1241, sicut Chronicon S. Benigni Divionensis enarrat : « Fuerunt capti « duo legati et multi prælati, archiepiscopi, « episcopi et abbates; et archiepiscopus Bi« suntinus periit in mare. » Ejus VI non. Maii necrologia Bisuntina meminere, et revera navium Genuensium cladem V non. Maii accidisse Vignierus et Andreas Quercetanus memorant.

LXX. Joannes II.

Joannes, Bisuntinus *electus*, Corneolo data quædam ab Humberto de Bello Joco sancit, Octobri mense 1242; *Droz*, t. XIV, p. 708.
1243 Idem, anno 1243, in pluribus minimi momenti chartulis occurrit, et, etiam tum *electus*, Septembri mense 1244, pactum denuntiat initum inter Bellævallenses monachos et Odonem de Capella. Mox autem, nempe mense Martio 1245, secundum recentem calculum, A., scilicet Alexander, decanus Bisuntinus, *vacantem sedem regens*, litteras edit de rebus apud *Mernay* a canonicis B. Mariæ Magdalenæ comparatis. Quod circa tempus idem decanus, archiepiscopale pariter munus exsequens, Joannem, filium Reginaldi de S. Petro, testatur B. Mariæ Magdalenæ tres solidos annui reditus contulisse; ibid., t. XV, p. 325, 67. Unde conjecit Dunodius Joannem electum, Frederici II sequacem, canonicam confirmationem non obtinuisse, ideoque, desinente anno 1244, officio pastorali semet abdicavisse. Quod ipse Innocentius papa IV comprobare videtur, Guillelmum sequentem ecclesiæ præfi-
Ch. LXXXIX col. 82. ciens, *quæ diutius*, ut ait, *pastore vacaverat*.

A Diutius enim sedes minime vacua fuit; ab imperatoris igitur assecla, non a pontificio vicario occupata.

LXXI. Guillelmus II.

Ad summum Pontificem ecclesiæ Bisuntinæ provisione devoluta, Innocentius papa IV, DE LA TOUR.
Lugduni tunc temporis degens, in vacantem Ch. LXXXIX
sedem Guillelmum, antea Cabilonensem episcopum, accivit, XII cal. Aprilis 1245. Odonem Guillelmus patrem habebat, de quo Bisuntinæ ecclesiæ necrologia: *VII id. No-* col. 82.
B *vembris obiit Odo de Turre, miles, pater Willermi archiepiscopi Bisuntini*. Nec multo post a Conrado, Romanorum rege, Guillelmus civilem muneris traditionem poposcit. Unde conflata nova dissidia, Conrado scilicet auri marcam, imperatori pro more numerandam, requirente, et Guillelmo rem recusante. Hic tamen illi mox paruit, et postulatam traditionem 16 Maii obtinuit; *Droz*, t. II, p. 447. Octobri, die Veneris post festum S. Lucæ, cum prior S. Pauli prohiberet ne quis in ecclesiam *Lanthenans* ipso non consentiente canonicus intromitteretur,
C contentionem hanc Guillelmus judicio solvit; ibid., t. VII, p. 230. Novembri, inito fœdere cum Philippo de *Abbans*, ab eo traditum accepit quidquid prædictus miles in civitate Bisuntina possidebat: dein summum Pontificem Cluniacum secutus est, et, 30 ejusdem mensis, celeberrimi cœtus pars fuit, quo circumstante Innocentius IV in ecclesia Cluniacensi sacra celebravit. Februario
1246, Montis S. Mariæ monachis Guillelmus 1246
patronatum concessit ecclesiarum quas juxta monasterium suum ædificandas sibi proponebant: excepit, 10 Junii, Humbertum *de* Ch. XCI,
D *Cossonay* obsequium clientelare spondentem: litteras dein edidit, Julio mense, de col. 83.
censualibus viginti solidis a capitulo B. Mariæ Magdalenæ emptis : erga eumdem, Augusto mense, Agnes, Romarici Montis abbatissa, juramento semet obligavit : Septembri, cum Joanne, penes quem vici *Noroy* administratio, de quibusdam possessionibus transegit, et, Novembri, Caro Loco immunitates jam antea concessas confirmavit; ibid., t. XII, p. 336. Incipiente quadraginta
dierum jejunio 1246, vel 1247, secundum 1247
hodiernum computum, quædam inter eum-
E dem et S. Pauli capitulum contentio fuit. Archiepiscopales scilicet ministri oppidanum quemdam Bisuntinum, in ipsa S. Pauli nomine insignita via comprehensum, carceribus suis mandaverant: ut vero eum S. Pauli canonici, jurisdictioni suæ, metropolitanæ minime, obnoxium, sibi vindicaverunt, captivum Guillelmus restituit; ibid., t. VII, p. 232. Guillelmi non semel, anno 1247, San-Vincentianæ chartæ nomen sigillumque exhibent. Eo anno, ecclesiam *Guyans*

ANNI CHRISTI Monti Benedicti datam sancit; *Droz*, Comment. de Pont., p. 242. Fulco de Bello Joco ei se fidum semper fore spondet 24 Junii, et die post Bordas, Quadragesima videlicet incipiente 1248, vel 1249, in suo foro sedens testes Guillelmus audit de novissimis codicillis Stephani Columbi, in B. Mariam Magdalenam, ut aiebant, benefici, locuturos; *Droz*, t. XV, p. 106. Anno certe 1249, Martis die post Quasimodo, Monti S. Benedicti datas res a Gerardo, Cusanæ ecclesiæ rectore, approbat, ibid., t. XIII, p. 358, et ipse, sub Octobrem mensem, *Norvy* plura a Joanne *Malechers* pretio comparat, ibid., t. II, p. 559, S. Vincentio ecclesiam *Naon* Decembri mense collaturus. Reperitur dein,
1250 1 Aprilis 1250, ecclesiæ Bellævallis tributa quædam, ipsi a Guillelmo *de Larriaus* tradita, condonans, ibid., t. IX, p. 119, et, eodem mense, litteris publicis pactionem commendans inter canonicos B. Mariæ Magdalenæ atque Hugonem Clericum initam. Nec minimas tantum res assidue curans habeatur: majora sedenim tunc temporis aggressus est. Inter alia, prioratui S. Pauli in abbatiam convertendo incumbens, litteras apostolicas obtinuit, quibus tanti momenti rem peragere ei licuit. Nec multo post, 5 Septembris, episcoporum circumstante caterva, SS. Ferreoli et Ferrucii reliquias, sub altari B. Mariæ in ecclesia S. Joannis jacentes, eduxit et in capsas transtulit. Dein, IV id. Novembris, ut monachorum æque et canonicorum negotiis providebat, S. Vincentii possessiones juraque Guillelmus confirmavit. Eisdem quoque Vincentianis, eo anno, ecclesias *Raincour* et *Blondefontaine*, a Galieno, presbytero dimissas, contulit. Mense quoque
1251 Martio 1251, secundum hodiernum calculum, ut nimiis sumptibus exhaustæ S. Vincentii mensæ rursus succurreret, priores jussit diversas domos regentes in procreatricem domum reverti. Quin imo eidem monasterio, Aprili mense, ecclesiam *Ruffignecourt*, et, Decembri, ecclesiam *Ormoy*, condonavit.
1252 Mense Novembri 1252, anniversarium in ecclesia B. Mariæ Magdalenæ suum condidit, canonicis hujus ecclesiæ altaria *Sandans* et *Chaz* tradens; *Droz*, t. XV, p. 315. Quo etiam anno, litem inter Corneoli abbatem et ecclesiæ *Bucey* rectorem exortam judicio solvit. Mensem Januarium 1252, lege 1253, præbent ejusdem litteræ de Lamberto *de Tyse* erga Bellam Vallem benefico; ibid., t. X, p. 181. Novembri, peractam ab Hugone, S. Sabinæ cardinali, ecclesiarum S. Joanni et S. Stephano sacrarum unionem proprio sigillo sancivit. (Ch. XCIV, col. 86.) Eo quoque anno, archiepiscopale *Gy* castrum augere et validioribus propugnaculis munire studens, quosdam adjacentes agros primo comparavit, cetera post executurus. Occurrit, mense
1254 Junio 1254, notum omnibus faciens pactum

A quo Hugo *de Chatenay* decimas in vico *Adelange* percipiendas Aimoni, ecclesiæ *Rochefort* rectori, titulo pignoris obligat. Quo etiam anno, in Loci Crescentis monachos piam manum porrigens, peccatorum remissionem iis promittit qui prædictis monachis capellam in vico Sulza ædificantibus subsidium opportunum tulerint. (Mon. Epis. Bas., t. I, p. 616.) Die lunæ post sacrum S. Matthiæ diem 1255, secundum hodiernum calculum, emit Guillelmus quidquid Theobaldus de Rubeo Monte *Gy* possidebat; ibid., t. II, p. 573. Martio mense, Joannem de Rocha Bellævalli duo prædia B juxta Calidum Fontem vendidisse testatur, ibid., t. IX, p. 475, et litteras edit de Burgundionum comitis clientibus nonnullis, qui clientelaris officii professionem dissimulanter procrastinabant; ibid., t. XVI, p. 110. Septembri, pacem denuntiat initam inter eamdem abbatiam et Henricum de Grosso Bosco; ibid., p. 624. Ipse, Octobri, cum Othone, penes quem vici *Quenosche* administrandi cura, transigit. Novembris tandem die 7, ad eum Guillelmi regis missæ litteræ, quibus vetitum ne quis, vacante Bisuntina sede, in archiepiscopi defuncti bona manus C injiciat. Februario 1256, Guillelmus archipræsul permittit ut Theobaldus de Rubeo Monte ecclesiam *Mezières* S. Paulo tradat; ibid., t. VII, p. 91. Hic adnotandum quod, die 15 ejusdem mensis, indic. XIV, Guillelmus, Romanorum rex, oppidanis Bisuntinis prohibuit ne quodlibet in civitate castellum, invito archipræsule, extollerent: quæ prohibitio acerrimis inter archipræsulem et cives dissidiis occasionem præbuit. Mense dein Martio, nempe die Mercurii ante Ramos Palmarum, administrationis suæ per decem annos rationem Guillelmus reddit; D *Droz*, t. V, p. 641. Maio, S. Vincentio ecclesiam *Abuencourt*, sub certa ipsius anniversarii celebrandi conditione, confert. Junio, tabellis sigillum suum apponit quibus Joannes, Burgundionum comitis filius, et Isabella, Lotharingi ducis soror, matrimonii vinculo copulati: quo etiam mense, Guillelmum *de Roseys* cum Bellævallensibus pepigisse declarat; *Droz*, t. X, p. 121. Augusto, Claro Fonti ecclesiam *Polincourt* dat; ibid., t. XIII, p. 545. Octobri, dissidium de diversis reditibus inter abbatem Bellælagiæ quosdamque milites exortum componit. (Ibid., p. 642.) E Anno 1257, non parva inter Guillelmum et abbatem Casæ Dei controversia de juribus ad alterutrum in Faverniacensi abbatia pertinentibus: cujus, II id. Novembris, judex fuit Hugo, cardinalis titulo S. Sabinæ et sedis apostolicæ legatus. Hugonis scilicet sententia Faverniacensis abbatis confirmatio abbati Casæ Dei adscripta, sed archiepiscopo Vesuntionensi ejusdem consecratio. Plura quoque de Guillelmo in tabulis annorum 1257, 1258, memorantur, sed ut ea

ANNI CHRISTI singulatim referamus leviora. Non prætereamus tamen eum sub hos annos parum secure, tam Vesuntione quam in archiepiscopalibus prædiis, vixisse, dum plebs libertatis, proceres dominationis studio, archipræsulem, penes quem civilis simul et ecclesiastica administratio, nimia elatum potentia non modo conclamitarent, sed etiam conviciis palam impeterent pejora discrimina prænuntiantibus. His in angustiis Guillelmus,
1258 anno 1258, Vesuntionem interdicto supposuit. Animorum autem is erat æstus, ut nec archipræsulis, nec etiam summi Pontificis admonitionibus sedaretur. Anno scilicet 1259 B graviores aggressiones a quibusdam potentibus viris Guillelmus expertus est. Theobaldus enim de Rubeo Monte, vice-comes Bisuntinus, quorumdam militum usus consortio, in archiepiscopale castellum *Gy* vastatrices flammas intulerat: iidem insuper, aliive ecclesiæ Bisuntinæ infestissimi viri, quosdam clericos deprehendere et carceribus mandare non dubitaverant. Guillelmus ideo Theobaldum excommunicatum proscripserat, et ceteros qui violentas manus in clericos Bisuntinos intulerant, filiosque eorum usque ad quartum gradum ab omni C beneficio ecclesiastico arcendos decreverat. Ea nos docent duæ Alexandri IV epistolæ, quarum priorem, de facinoribus Theobaldo peculiariter objectis, ad episcopos Matisconensem et Cabilonensem II non. Februarii
Ch. XCV, col. 88. scripsit, *Droz*, t. II, p. 82; posteriorem vero, IV cal. Maii, ad ipsum Guillelmum, de Bisuntinorum clericorum occisoribus. Ex ipsis autem Guillelmi litteris comperimus eum cunctos fere toparchas Bisuntini tractus infensos habuisse. Tempori igitur servire, et multa de suo jure vel rebellantibus concedere ei necesse fuit. Hujus, ut aiunt, compo- D sitionis Ludovicus rex suasor exstitit. Anno saltem 1260 multo serenior cœli aspectus. Quo anno, in loco Villa Dei nuncupato, Guillelmus Agneti, Romarici Montis abbatissæ, quoddam *feudum* concessit. Ipsum deinde Theobaldum, vice-comitem, Octobri mense 1262, reperimus Guillelmo quoddam prædium castro *Gy* contiguum restituentem.
1263 Eo etiam anno, vel potius sequente, nempe mense Martio, Guillelmus editas a Stephano, Joannis comitis filio, litteras laudat; e Max. Gall. Arch., J, 193. Anno postea 1265, VI non. Julii, Theobaldi filia Elisabetha, eadem et E uxor Roberti de Treva, metuens ne patris sui anima, ob injurias ab eo ecclesiæ Bisuntinæ illatas, cruciatibus æternis vexaretur, diversa prædia, Giaci, Longævillæ et Buceii sita, Guillelmo condonavit. Ea beneficiorum serie quibuscumque simultatibus finis impositus. Interea Guillelmus, mense Martio 1261, secundum hodiernum calculum, nonnullas libertates, certis quidem limitibus descriptas, archiepiscopalibus colonis, villas *Foucherans*,

A *Athalans*, *Opans*, *Falerans*, Montem et Capellam habitantibus, concesserat; *Perreciot*, *Et. des Pers.*, t. III, p. 67. Ad eumdem missæ, XVII cal. Februarii 1264, Urbani IV litteræ, 1264
quibus ei, etiamsi dignitatum collatio in ecclesia Bisuntina ad decanum capitulumque pertineret, archidiaconatus libere conferendi potestas concessa; e sched. D. *La Porte du Theil*. Mense Decembri, plura Guillelmus ecclesiæ B. Mariæ Magdalenæ dedit; *Droz*, t. XV, p. 79. Nec de eo annorum 1265, 1266, 1267 tabulæ silent; sed sub id tempus alienas potius chartas firmavit quam proprias edidit; ipse tamen, die Mercurii ante Pentecosten 1266, B. Mariæ Magdalenæ rursus adscripsit ecclesiam *Desendans*; ibid., p. 327. Augusto denique mense 1268, Joanni, abbati S. Vincentii, hanc de- 1268
dit provinciam ut in ecclesia S. Stephani archiepiscopalis vicarii munus impleret, et paucos post dies, nempe 20 ejusdem mensis, occubuit. Ejus corpus S. Stephani ecclesia excepit, quod in capella S. Nicolai tumulatum est, cum hoc epitaphio :

Quondam præsedi Cabiloni Chrysopolique;
Nunc cinis hic, sedi jaceo subtractus utrique.
Chrysopolitanus pater hic jacet, æthere dignus,
Cujus larga manus, cor nobile, sermo benignus,
Evitans fastus, pius, orans, corpore castus,
Moribus ornatus. Regnet sine fine beatus!

Vita Guillelmi tota labori dedita. Nec alterius nomen frequentius in diversis Bisuntini cleri archivis reperitur. Præter ea quæ supra memoravimus archiepiscopale palatium reædificavit, cujus foribus statuam suam ipse, ut ait Dunodius, apposuit.

LXXII. Odo.

Guillelmo suffectus est Odo de Rubeo DE ROUGEMONT.
Monte, quem, apostolica sede post mortem Clementis IV vacante, cardinalium cœtus instituit, diplomate dato Viterbii V id. Februarii 1269. Hoc scilicet anno, XVI cal. Maii, in- 1269
notescit Odo Vesuntionensis ecclesiæ clavo præsidens; qua die Guillelmi antecedentis litteras laudat super ecclesia *Desendans* B. Mariæ Magdalenæ adscripta. Eodem quoque mense, schedulam edit de bonorum quadam partitione inter Philippum Viennensem ejusque fratrem Joannem; *Droz*, t. XVI, p. 284: dein, XVIII cal. Novembris, cum Yvone, Cluniacensium abbate, de subjectione S. Petri Balmensis paciscitur. Ea super Odonis in cathedram Vesuntionensem promotione. Novimus quoque unde Vesuntionenses canonici eum sibi præliciendum deduxerant. Gregorius enim X, Constantio cuidam scribens, III id. Julii 1272, præbendam ei concedit, quam Odo de Rubeo Monte, antequam Bisuntinus archiepiscopus esset, in ecclesia Lingonensi possederat; e Collect. D. *La*

ANNI CHRISTI *Porte du Theil.* His dictis, narrationem rerum quas, præsulatum auspicatus, Odo gessit, nunc prosequamur. Anno scilicet 1270, v id. Martii, Petrum de Monte Ferrando vicecomitatum Bisuntinum Hugoni de Monte Ferrando titulo pignoris contulisse testatur; *Droz,* t. I, p. 298. Aprili mense, ex ejus auctoritate B. Mariæ Magdalenæ canonicis qui-
Ch. cii, col. 92. buscumque præscribitur quot officiis per unius anni spatium interesse debeant. Ipse dein, 17 Junii, cum Bellævallensibus monachis de quorumdam agrorum limitibus transigit, ibid., t. IX, p. 393, eumdemque circa diem quæ Vincentianis antecessor Guillelmus dederat, ut scilicet anniversarium ejus diem celebrarent, pro suo jure confirmat.
1272 Eosdem Vincentianos agnoscit, anno 1272, ecclesiæ *Ormoy* legitimos patronos esse. Quo etiam anno, die Veneris post B. Lucæ sacram diem, ab eo Philippus, Sabaudiæ comes, qui Aliciam, Hugonis, Burgundionum comitis, viduam, uxorem duxerat, beneficiarium prædium *Nions,* in diœcesi Gebennensi, fiduciario jure accipit. Beneficus
1273 in Odonem fuit, mense Maio 1273, Theobaldus *de Levoncort,* ei qui partem vineæ cujusdam *Gy* sitæ tradidit; ibid., t. II, p. 90. Inter eum sub id temporis et Basileensem episcopum non parva causa dissidii, cum hic civem Bisuntinum, Amalricum nomine, carceri mandatum, contra fas, ut videtur, detineret: Amalrico tamen vinculis exempto, litteris Odo publicis testatus est, xvii cal. Octobris, illatæ memoriam injuriæ se jam amisisse; inter Monum. Basil. Episc. a D. J. *Trouillat* nuper edita, t. II, p. 241. Eo anno, Radulphus Habsburgensis imperator Aquis electus fuerat, 29 Septembris: qui,
Ch. cv, col. 96. v id. Februarii 1274, administrationem Odoni Bisuntinæ civitatis temporalem confert. Eo etiam anno, iv non. Martii, de vectigalibus Giaci percipiendis cum canonicis
1275 Corneoli Odo transigit. Anno 1275, Aprili mense, Giaci residens, litteras Hugonis de Bello Joco pro eodem Corneolensi conventu obsignat. Eo anno, Gregorius papa X, sub Octobrem mensem, Lausannam venit. Cui obviam fuit Radulphus rex, imperii magnatibus stipatus. Inter eos non ultimum sane locum Odo tenuit: quo scilicet præsente, xiii cal. Novembris, Radulphus summi Pontificis fidum semper clientem semet fore pro-
1276 fessus est. Anno 1276, die Jovis post S. Michaelem, sententiam Odo obtinuit adversus Stephanum *de Ceys,* archiepiscopalium castellorum deprædatorem; *Droz,* t. XVI, p. 362. Eodem quoque anno, mense Novembri, Richardus de Monte Biligardi, qui cum Stephano *de Ceys* excommunicato rem habuerat, ad fœdus accessit ipsi damnosum.
1278 Occurrit dein Odo, anno 1278, una cum Burgundionum duce, perampla civitati *Seurre,* a Philippo Viennensi concessa, jura sigillo

A suo confirmans. Alienata jam aliquot ab annis Vesuntionensis vice-comitatus jura, quæ Hugo *de Montferrand* Roberto *de Choiseul* acceptis nummis tradiderat. Ea vero, 16 Augusti, pretio millium et ducentarum Stephaniensium librarum, Odo recuperavit. Rebellantes eo anno Vesuntionenses cives expertus est, qui scilicet capituli claustra oppugnaverunt, ipsam Guillelmi *de Cicons,* canonici, domum et molendina *Tarraignon* exitialibus flammis tradiderunt. Quos, 28 Januarii 1279, Odo excommunicavit. Ea vero de seditione mox pactum est, et in compen- Ch. cvi, col. 96.
B sationem illati damni civitas archipræsuli trecentas libras Stephanienses promisit. Eodem anno, die Jovis ante festum B. Hilarii, Odo cum Philippo Viennensi pactum de moneta fecit. Exstant enim eo die datæ Philippi litteræ, quibus, avunculum suum Odonem nuncupans, nullos a se postea nummos in toto Bisuntinæ diœcesis tractu cudendos declarat; *Droz,* t. I, p. 221. Eo quoque anno, pridie S. Catharinæ, cum Othone, Burgundionum duce, mutuæ defensionis fœdus Odo pactus est. Suo metropolitæ Basileensis episcopus Henricus obe-
C dientiam promisit, in insula supra Dubim, prope Locum Crescentem, die Martis post octavam Pentecostes 1280. Reperitur Odo, 1280
anno 1281, 4 Maii, majus altare, necnon altare S. Michaelis, in ecclesia B. Mariæ Magdalenæ consecrans; deinde, xiii cal. Augusti, ecclesiam *Bouelans* Bonæ Valli, San-Vincentiano prioratui, uniens (1). Jura privilegiaque ecclesiæ Bisuntinæ Radulphus imperator Odoni confirmavit 26 Aprilis 1283. 1283
Germanus Odonis Theobaldus de Rubeo Monte: id comperimus e chartula qua, 25 Januarii 1284, vel 1285, Theobaldus ab Odone
D trecentas libras semet accepisse testatur; *Droz,* t. I, p. 2. Eodem quoque anno 1284, die Dominica ante Ascensionem, in compensationem damnorum Odoni illatorum, Joannes *de Vares,* toti Burgundionum comitis militiæ præpositus, archiepiscopale dominium prædiis pluribus auget. Anno 1288, 1288
viii id. Maii, Odo litem solvit inter Corneoli canonicos et fratres Minores Grayacum in- Ch. cix, col. 98.
colentes, de nummis e cœmeterii cujusdam instauratione colligendis. Eodem anno, Pontius de Giaco fidem Odoni jurat, ibid., t. III, p. 30, et erga eumdem simili sacramento se
E Margarita de Bellojoco obligat, die Sabbati post festum Purificationis 1289; ibid., p. 29. 1289
Sic quoque ab Odone, die Martis post S. Georgium, Amedeus, comes Sabaudiæ, feodum *Nions* supra memoratum se tenere profitetur; ibid., t. I, p. 465. Magnam sub id temporis ecclesia Bisuntina cladem passa est. Othoni

(1) Falso Leodiense Chronicon Burchardum, anno circiter 1282, in Vesuntionensem cathedram erectum contendit. Eo siquidem anno summus Pontifex huic Burchardo episcopatum Metensem assignavit.

ANNI CHRISTI

scilicet, comiti, bellum inferens, Radulphus rex Vesuntionem obsidione cinxerat: quam quidem expugnare non valuit, sed agros circumjacentes deprædatus est. Quare Cisterciensis abbas, 24 Maii 1290, ad summum Pontificem scripsit, poscens ut ecclesiæ Bisuntinæ, quam maximis damnis afflictæ, opem quamdam conferret. Legendus ea de re Dunodius, qui postulatos nummos a domino papa datos fuisse contendit. Interea, 25 Januarii 1290, Odoni fidem spondebat Felicia Laura, Romarici Montis abbatissa, et ipse, XIV id. Julii, S. Vincentii privilegia confirmabat. Crebra jam tunc et acerrima inter archiepiscopum civesque Bisuntinos dissidia. Civibus autem sub id tempus opem ministravit Joannes Cabilonensis, controversa eis jura confirmans, et novis eosdem augens. Minime igitur in civitate securus Odo, in summo Rosarum, vel, ut alii eumdem vocant, Roris monte, urbem qui proxime supereminet, castrum
1291 exstruxerat, quo, sub Julium mensem 1291, non parva stipatus clientela, secesserat. Verum audita re, Vesuntionenses oppidani, quos paulo ante ad arma capessenda promptos Radulphus ipse rex expertus erat, mœnibus suis egressi, archiepiscopale castrum 24 Julii oppugnant, et, intra paucos dies captum, funditus evertunt. Coacta synodo, queritur archipræsul, edictoque prohibet ne quis violentas manus in episcopales ædes protendat. Destructum tamen a civibus castrum rursus ædificare penes eum nunquam
1292 fuit. Imo, anno sequente, ab ipsis Battenti monialibus provocatus, ut qui damnum eis in diruti castri constructione fecerat, centum necnon sex et triginta libras Guillelmæ abbatissæ libens invitusve numeravit; *Droz*, t. I, p. 2. Tandem, die Mercurii post festum S. Georgii 1293, inter Odonem civesque fœdus intervenit, quo pactum est ut nihil ab eis ob castri destructionem Odoni persolveretur, et eodem anno, calendis scilicet Maii, Humbertus de Rubeo Monte, Odonis, patrui sui, personam implens, civibus promisit nullum amplius in Bisuntino territorio castrum a quolibet erigendum; apud Joann. Jac. Chiffletium, Ves., part. I, p. 236. Anno
1294 1294, Olivarii, Faverniacensis abbatis, Odo juramentum accepit. Mense Januario 1295, vel 1296, Burgillarum curioni, Stephano de Monte Avium, domum dictam Aulam Archiepiscopi dono dedit, quam, Burgillis si-
Ch. CXI, col. 100. tam, archiepiscopi Bisuntini præteritis temporibus sæpius habitaverant. Maio mense 1295, Joannes Cabilonensis Odonisque procuratores in camera apostolica reperiuntur, super Joanni tradenda civitatis Bisuntinæ præfectura transigentes. De qua re, 2 Maii,
Ch. CXII, col. 101. litteras proscripsit publicas Theodoricus, domini papæ camerarius, et mox, III scilicet non. Junii, Odo, Vesuntione, a procurato-

A ribus Joannis Cabilonensis delatam obsequii professionem accepit, eisque pro more mille libras Stephanienses numeravit; ibid., t. I, p. 312. Exinde Joannes Cabilonensis *major* Bisuntinus esse cœpit. Mox autem Bisuntinum vice-comitatum, qui penes archiepiscopum Bisuntinum erat ab anno, ut videtur, 1278, Otho Burgundiæ comes et Philippus, Francorum rex, sibi vindicavere. Imo, VIII id. Februarii 1296, Hugo de Burgundia, miles, civitatem ingressus, vice-comitatum Philippi regis nomine palam requisivit: officialis vero Bisuntinus, Odonis locum tenens,
B Hugoni prædicto viriliter obstitit, ut testatur notarii ejus intercessionem enarrantis instrumentum. Anno 1298, 1 Novembris, 1298
Odo Monti S. Mariæ datas decimas confirmat. Anno dein sequente, 22 Novembris, cum Joanne Cabilonensi de vice-comitatu Vesuntionensis civitatis pactionem facit. Mox, sub diem 5 ejusdem mensis, acerba exoritur inter Odonem archiepiscopum et Odonem de Savigneio discordia. Miles enim archiepiscopum adit, ab eoque, secundum Burgundiæ consuetudinem, villam, Rocham nuncupatam, deposcit, quam scilicet, anno
C nondum elapso, archiepiscopus a Margarita, Saviniacensis toparchæ sorore, emerat. Nummos quidem miles offert; nummos vero præsul recusat villamque tradere non vult. Quare pretium villæ miles, accitis testibus, in ærarium S. Pauli defert, novas adversus archiepiscopum lites moturus; ibid., t. VII, p. 277. Mox autem æternum Odo rebus terrenis vale dixit, qui 23 Junii 1301 1301
obiit, et in monasterio Bellæ Vallis, juxta prædecessores suos Gerardum et Nicolaum, sicut ipse jusserat, sepultus est. Postremum ejus testamentum 27 ejusdem mensis pro-
D scriptum est; ibid., t. X, p. 132. Adjutorem Odo, vel suffraganeum habuerat Theodoricum quemdam, Sudensem, in partibus infidelium, episcopum, ipse qui, teste Dunodio, anno 1312 decessit. Hujus Theodorici meminit juramentum Guillelmi, Vincentiani abbatis, infra typis tradendum.

LXXIII. Hugo V.

Vacans legitur sedes IX cal. Novembris DE CHALONS.
1301, in litteris officialis Bisuntini testantis Haymonem Bobeto prædium Burgillis situm
E vendidisse; *Droz*, t. II, p. 36. Eo quidem anno, 1 Augusti, canonici Bisuntini Petrum de Vergeio, ipsorum collegam, metropolitano pallio dignum, collectis suffragiis, renuntiaverant, ut e schedis Drozianis nobis æque res innotescit, t. VII, p. 99. Ea autem Petri adlectio nullum effectum habuit. Deinde, potius ex proprio motu summi Pontificis quam secundum canonicorum vota, Hugo in metropolitanam cathedram erigitur. Is, Joannis Cabilonensis filius, Leodien-

ANNI CHRISTI

sem episcopatum per aliquot annos tenuerat: sed coram summo Pontifice causam dicere jussus, cum ei nonnulla in episcopo quam maxime exprobranda objicerentur, in aliam sedem, nempe Bisuntinam, episcopatu Leodiensi dejectus, aut potius nulla interveniente depositione, translatus est; supra, t. III, col. 893. Occurrit archipræsulem agens
1302 mense Maio 1302, die scilicet Dominica ante Ascensionem Domini, qua die Petrus, vici Burgillarum administrationi civili præfectus, obsequium ei clientelare promisit; *Droz*, t. II, p. 37. Eo quoque anno, nonis Julii, Hugo quamdam partem molendinorum *Gy* sitorum emit; ibid., p. 104. Anniversarium deinde suum, anno 1303, assignatis reditibus, condidit. Salinis, Novembri mense
1304 1304, nuptiis interfuit Hugonis Cabilonensis Beatricem Viennensem uxorem ducentis. Dein, Romam proficiscens non parva a clero Bisuntino subsidia exegit, ut qui, curiam Romanam aditurus, nummos dissipare cogeretur. Eam vero exactionem ægre passi, ipsi archiepiscopo canonici cathedralis ecclesiæ diem dixerunt. Pisis Hugo reperitur
1305 17 Junii 1305, ubi notabili decreto, canonicorum Damparim incolentium votis annuens, concedit ut Benedictinam vestem assumant.
1306 Unde redux, XIV cal. Aprilis 1306, secundum recentem calculum, permittebat ut Simoneta, Henrici vidua, mediam cujusdam domus partem venderet; ibid., p. 52. Quo etiam anno, 9 Julii, litteras Hugonis de Burgundia cum canonicis S. Pauli paciscentis obsignat, et ecclesiam *Cirey* ecclesiæ Camborniacenæ juxta Bellam Vallem unit. Eodem quoque, capitulum Belli Prati instituit, idque nonnullis reditibus frui jubet, quos ab archiepiscopali mensa disjungit. Ecce autem data novis tumultibus occasio, quæ protinus tam ab oppidanis quam ab ipso archipræsule arrepta, non tantum civitatem, sed etiam vicinos agros detestandis cædibus implet. Civis quidam Bisuntinus, nomine Jacobus *Bonvalot*, necatus occubuerat. Hujus illico sceleris auctores vice-comes comprehendi jussit, condemnatorumque domos sibi et archiepiscopo tribuit. Cives autem, comperta re, ut quorum jura vice-comes perfregerat, arma capescere. Urbem Joannes Cabilonensis, vice-comes, obsidione cingit, et in castellum *Avannes* archiepiscopus confugit. Aperta pacis via, gladii aliquantisper in vaginas recunduntur, et de mutuis injuriis sermo fit. Reperiuntur Hugo Joannesque Cabilonensis, 11 Septembris 1306, de quorumdam domorum eversione, quæ ad Jacobi *Bonvalot* occisores pertinuerant, paciscentes; *Droz*, t. XXVI, p. 96. Interim vero, rex Romanorum Albertus civibus, Cabilonensem præsidatum ægre ferentibus, opportunum auxilium spondet, eosdemque, eo stimulo jam incitatos, ad extrema tentandum ipsa vice-comitis ferocitas impellit. Exauditur iterum æris campani sonitus, iterum arcta obsidione Cabilonensis urbi famem inferre aggreditur. Sperandumne aliquid de eruptione? Erumpunt quidem in hostem oppidani, et viriliter, prout rex Romanorum suaserat, manus conserunt. Expectatum vero auxilium non adest, et horrenda versorum ad mœnia strages fit. Tunc de conditionibus dedendæ urbis pactum, 29 Januarii 1307. In 1307
quam quidem episcopus sine mora regressus est, non vero tanquam pastor, sed tanquam victor, sexcentas libras Stephanienses, ratam pacis conditionem, deposcens. Eo anno 1307, nempe cal. Junii, beneficiarium prædium Nividunense Amedeo, comiti Sabaudiæ, Hugo per procuratores concedit. Dein, elapsis post festum Omnium Sanctorum aliquot diebus, Reginaldum, Damparis abbatem, jam tunc ex abbate spontanea abdicatione monachum, San-Vincentianis commendat a quibus sustentetur; nec multo post, die Sabbati ante festum S. Andreæ, Mandorræ aliquantisper degens, Joannis, Basileensis episcopi, juramentum accipit. Vetat, anno
1308, ne absentes S. Pauli canonici præsentibus assignatos reditus percipiant. Hunc 1308
etiam sub annum, XI cal. Februarii, ei fidum obsequium Thomas, Bellicensis episcopus, spondet: eodem coram eo fungitur officio, 10 Novembris 1309, Beraldus *de Merteul*, cui Joannis et Joannæ Cabilonensium tutela commissa; ex ind. chartar. Dolensium. Anno 1310, 24 Februarii, prioratum *Gigny* sub custodia fratris sui, Antissiodorensis comitis, esse profitetur; ibid.: dein, Junio mense, S. Vincentio patronatum ecclesiæ Pontis, juxta Rubeum Montem, confert. Ipsi, IV id. Octobris, Henricus rex regalia jura concedit. Per eum postea licuit, 6 Decembris, ut Ch. CXIII, col. 102.
Loci Crescentis abbas ecclesiam in vico *Senargens* ædificaret; ibid., t. XIII, p. 195. In Bisuntinis tabulis postremum Hugo reperitur VIII id. Maii 1311, qua die viginti juge- 1311
ribus constantem agrum a Joanneto et Vernerio, germanis, emit; *Droz*, t. II, p. 371. Anno sequente, Viennam postquam se receperat, in ea urbe, 19 Februarii, novissimum testamentum dictavit, et, paucis interjectis diebus, decessit.

LXXIV. VITALIS.

Vitalis, natione Vasco, Hugoni sufficitur; vir, ut aiunt, magnæ in rebus gerendis prudentiæ, sed litteris parum excultus. Bisuntinis in tabulis ab anno 1312 occurrit. Se- 1312
quente, 3 Augusti, ei ecclesiæ Bisuntinæ consuetudines, extraneo scilicet, ignoranti, cantoris et camerarii jura officiaque Henricus decanus nota facit: dein, 27 Octobris, cum canonicis S. Joannis de patronatu ecclesiæ S. Petro sacræ paciscitur, et, 6 No-

ANNI CHRISTI vembris, mensæ cathedralis capituli permultarum ecclesiarum, quas Dunodius et D. Richardus jam singulatim recensuere, reditus addicit. Quo et anno, die Sabbati post festum S. Vincentii, lege, secundum
1314 recentem calculum, mense Januario 1314, plurium rerum permutationem peragit cum hospitii S. Spiritus rectore. Mense Februa-
Ch. cxv, col. 104. rio, ad Joannem Cabilonensem scribit, ei potestatem faciens clericos turpiter, imo flagitiose viventes, in viis publicis, ubi scelera perpetrabant, comprehendendi et carceribus mancipandi. Eo quoque anno, inter alia, mense Junio desinente, certam villæ *Noroy* partem a Reginaldo emit. Nonnulla ecclesia S. Pauli damna passa erat, cujus permultas possessiones, minime consentientibus canonicis, non unus abbas abalienaverat: has
1315 autem abalienationes Vitalis, anno 1315, cassas pronuntiat. Eo quoque anno, 19 Novembris, in castro *Abbens*, rerum quas Joannes Cabilonensis hæredibus suis reliquerat partitionem inter Hugonem et Joannem, filios ejus, factam approbat. Decimas *Etray* colligendas ei dat Hugo *de Cicons* anno 1316.
1317 Anno 1317, 4 Julii, quibuslibet Bisuntinæ diœcesis beneficiis tributum per decem annos persolvendum, ecclesiisque S. Joannis et S. Stephani resarciendis assignandum imponit. Magnus in ecclesiam S. Joannis, 15 Septembris 1319, clericorum oppidanorumque concursus: Vitalis enim, ea die, e subterranea prædictæ ecclesiæ capella SS. Epiphanii et Isidori reliquias, in plombea capsa conditas, eduxit, quas, sub annum sequentem, in argenteam thecam, Joannæ, Francorum reginæ, donum, traduxit. Memoratur eadem Joanna, die Martis post festum S. Lucæ 1319, in castro Grayaceno, Vitali archipræsuli clientelaris obsequii officium præstans, horum causa fundorum ei quæ pater ejus Otho in Bisuntina diœcesi possidenda tra-
1321 diderat; *Droz*, t. I, p. 452. Anno 1321, in ecclesia B. Mariæ Magdalenæ instituuntur S. Nicolai sodales, quibus Vitalis vivendi normam præscribit. Quo etiam anno, 5 Novembris, translatam in Joannem, Rosarii priorem, S. Pauli administrationem approbat. Eo quoque annuente, tribus canonicis auctum tunc temporis B. Mariæ Magdalenæ capitulum. Dolæ reperitur Vitalis, anno
1323 1323, Isabellam de Francia delphinumque Viennensem Guigonem matrimonii vinculis uniens. Postea Luxovii, Junio mense 1326, laute a monachis exceptus. Deinde, 10 Augusti, Vesuntionem reduci Guillelmus, Faverniacensis abbas, obsequium fidemque spondet. Prioratus S. Augendi et Arbosii, anno 1328, Vitalis unit: Augusto mense 1329, altaria SS. Ferreoli et Ferrucii, nec non ecclesiam *Frasne*, possessionibus S. Vincentii adnectit; quo etiam anno, IX id. Novembris, monachis ejusdem abbatiæ jus

A confert in quibuscumque archiepiscopi silvis lignandi. Occurrit dein penultima die Martii 1333 rectorem ecclesiæ *Sornay* instituens; ibid., t. XIV, p. 655; denique VII cal. Maii, qua die ei per Joannem XXII licuit delectis viris visitandam diœcesim demandare; apud Suaresium. Eo decessit anno, VI cal. Septembris, in ecclesia Franciscanorum humandus, ante majus altare. ANNI CHRISTI

Adjutores vicariosve plures vicissim, Dunodio teste, Vitalis habuerat. Quos inter nobis innotescit Guido *de Gy*, episcopus S. Joannis Hierosolymitani, juramentum
B Godofredi, Brachiliensis episcopi, excipiens anno 1315; *Droz*, t. I, p. 58. Obiit hic Guido anno 1329.

LXXV. Hugo VI.

Philippi Viennensis et Joannæ Genevensis filius Hugo, e decano Vesuntionensis ecclesiæ archipræsulem agens occurrit pridie DE VIENNE.
Pentecostes 1334, quod sub tempus Damparim abbatis San-Vincentiani mensæ adjungit. Sub idem tempus, XV cal. Julii, eidem Joannes XXII *caritativum*, ut aiebant, 1334
C subsidium, ab ecclesiis Bisuntinis semel exigendum, concedit; e Suaresio. Urbem dein 15 Augusti solemniter ingreditur. Anno sequente, Joannem, Faverniacensem abbatem, juramento semet obligantem excipit, die Dominica ante festum B. Petri; et, VII id. Maii 1336, San-Vincentianis iterum in silvis archiepiscopalibus lignationem liberam concedit. Ea Hugonis prima, et parvi quidem momenti, quæ chartulæ Vesuntionenses nobis tradiderunt, gesta fuere. Mox autem majoribus negotiis operam dare coactus est. Tunc enim inter Odonem, Burgun- 1335
D diæ ducem, et principes Bisuntini tractus dynastas conflata bella, consertaque pugna, 17 Augusti 1336, sub ipsis Vesuntionis mœnibus. Postquam ex ea dux victor evaserat, timendum fuit ne civitas victricibus copiis præda traderetur: ad ejus vero castra Hugo tetendit, pontificalibus vestitus ornamentis, obtinuitque ut civitati parceretur. Ipsi dein grave cum eodem Odone dissidium. Odo scilicet Auxonæ monetam instituerat, nummorumque cudendorum jus, conculcato Bisuntini archipræsulis privilegio, sibi vindicaverat. De qua re mox Hugo questus est,
E et officialis Bisuntinus, die Veneris ante festum S. Bartholomæi 1337, secundum Joannem de *Saucealx*, Hugonis procuratorem, 1337
statuens, publicis litteris vetuit ne quis præter archiepiscopum in Bisuntina diœcesi cudendæ monetæ operam daret; *Droz*, t. I, p. 230. Prohibitionem vero hanc Odo comes despicit. Tunc eum archipræsul excommunicatum proscribit, et, animis in dies magis ac magis confervescentibus, utrinque ad arma civilia concurritur. Memorat ano-

ANNI CHRISTI

nymus S. Pauli canonicus Hugonem *Cha-
telbelin,* sacra Christo patienti die, expugna-
visse, sed ex eo castro postera die expulsum
fuisse. De hujus belli eventibus nihil aliud
traditur: pluribus autem ex instrumentis
compertum habemus summum Pontificem
Odoni non semel, annis 1343, 1344, 1346,
quin imo ipsi Odonis successori, usque
in annum 1351, dies ad abrogandam Au-
xonæ monetam prorogavisse. Inde quidem
satis apparet Romanam curiam in ea re Ve-
suntionensis archiepiscopi causam potiorem
habuisse, comitis vero artibus nummisve de-
lenitam adeo fuisse, ut ei nullam moram de-
negaret. Vesuntionenses quoque oppidanos
Odonis metus multa et acerbissima minan-
tis ab auxilio Hugoni ferendo continebat.
1345 Cum igitur, 1 Julii 1345, archiepiscopum
vehementius oppressum, modoque, ut fama
ferebat, aliquid comiti concessurum sup-
plici libello in insuperabilem constantiam
hortarentur, hic singula quæ jam passus
erat damna coram eorum oratoribus enar-
ravit, subjiciens culpam derelicti juris, si
quando a tuendo jure desisteret, in eos re-
jiciendam esse qui surdis auribus auxilium
poscentem exceperant. His desævientibus
procellis, quam maximis ipsa ecclesia Bi-
suntina cladibus afflicta est: quamobrem,
1 Aprilis 1347, Hugo metropolitano capi-
tulo in quinquennium concessit reditus in
quovis vacante beneficio per annum unum
percipiendos. Alia sub idem tempus stre-
nuum Hugonis animum, et vigilem ejus de
multis rebus curam commendant. Sic, anno
1343, inter Humbertum, Viennensem del-
phinum, et Philippum de Vienna ineundæ
pacis suasor exstitit. Occurrit dein, 31 Au-
gusti 1345, præfecturam vici *Noroy* pretio
comparans. Atrebatum postquam devenerat,
1346 anno 1346, ecclesiam S. Vincentii in subur-
bio sitam consecravit, et, difficiliorem ope-
ram aggressus, civitatis principes ducemque
Burgundiæ, quos inter magnæ contentiones,
conciliavit. Eumdem reperimus, 1 Aprilis
1347, vel potius 1348, castri *Gy* colonos li-
bertate donantem. Acerbum, anno 1348, in-
ter Henricum Montis Falconis toparcham et
Ludovicum de Castro Novo dissidium de ju-
ribus ad alterutrum in vicis *Royaumont, Val*
et *Morteau* pertinentibus: quos inter Hugo
metropolita pacem fecit, 5 Septembris; Mo-
num. Hist. Novi Castri, t. I, p. 614. Occurrit
1352 dein Hugo, anno 1352, mense Maio, cum
Abundantiæ archimandrita de confirmatione
Goliensis abbatis litigans. Eumdem postea
habemus, 30 Septembris 1354, duas ca-
pellas in ecclesiis S. Jacobo et B. Mariæ Ma-
gdalenæ sacris condentem; eo et anno, me-
tropolitanos canonicos subsidiis augentem.
Ex ejus epitaphio, quod J. Jac. Chiffletius
1355 edidit, novimus eum IV id. Maii 1355 deces-
sisse. Obitus tamen ejus IV cal. Junii me-

A moratur, tam in necrologiis ecclesiæ Bisun-
tinæ quam in anonymi canonici libello, et
II non. ejusdem mensis in obituario SS. An-
tonii et Eligii; e Drozianis schedis, t. III,
p. 535. Ejus sæpissime absentis vicarii gene-
rales reperiuntur annis 1343, 1346, Guillel-
mus *de Molays,* professor legum officialis-
que Bisuntinus, et Guillelmus, abbas S. Vin-
centii.

LXXVI. Joannes III.

DE VIENNE.

Mortuo Hugone, Innocentius papa VI va-
B cantem cathedram Joanni, thesaurario Bi-
suntino, confert, VI id. Junii 1355; e schedis
Suaresii. Filius erat is Joannes Gualterii
Viennensis, et Hugonis antecedentis e fratre
nepos. Ad eum non multo post scribit sum-
mus Pontifex, XII cal. Decembris, permit-
tens ut a quocumque antistite consecre-
tur. Eidem, IV cal. ejusdem mensis, Carolus
imperator immunitates ecclesiæ Bisuntinæ
confirmat. Archipræsulem agens Vesuntio-
nem Joannes solemniter ingreditur 20 Fe-
bruarii 1356, et mox, Lunæ die post Passio- 1356
nem, San-Vincentianis monachis potestatem
C rursus facit in archiepiscopalibus silvis li-
gnandi. Interea Joannes ad Carolum IV, re-
gem, Metas tunc temporis incolentem, An-
droinum de Rupe, Cluniacensem abbatem,
miserat, qui, ipsius absentis personam im-
plens, jurium regalium traditionem depo-
sceret. Postulatam rem concessit Carolus
18 Novembris. Amplioribus paulo post di-
plomatibus Carolus, nempe 26 et 28 Novem-
bris, necnon 29 Decembris, eidem Joannis
legato cetera archiepiscopatus Vesuntionen-
sis jura, Nicolao quondam ab Henrico rege
collata, confirmavit, et nova quædam ad-
D junxit. Joanni fidem promisit Eleonora *de
Châlons,* Romarici Montis abbatissa, Aprili
mense 1357, vel potius 1358. Eodem mense,
Claræ vallis incolis ipse permisit ut capellam
S. Andreæ sacram intra vici fines ædificarent.
Eo etiam anno 1357, Ascensionis die, in
æde Luxoviensi majorem missam canit, plu-
resque ibi acolythos sacris ordinibus initiat.
Salinis, paciscitur, 5 aut 10 Septembris, de
ecclesiæ S. Mauricio sacræ visitatione; *Droz,*
t. I, p. 78. Certe, 8 Septembris, in urbe *Vil-
laufans* judicationem edit arbitralem inter
Ludovicum de Novo Castro et Henricum
E de Monte Biligardi; Monum. Novi Castri,
p. 377. Eo denique anno, VI cal. Januarii,
a Carolo imperatore cudendorum nummo-
rum privilegium confirmatum obtinet; ibid.,
p. 264. Auxonæ tamen officina diutius ste-
tit. Fidem ei spondet Philippus *de Rouvres*
17 Maii 1358. Eo quoque anno, opulentum 1358
Altam Aurem prædium Joannes emit: quam
emptionem ratam habet Innocentius papa,
idibus Aprilis 1359; ibid., t. II, p. 195.
Idem archipræsul, 26 Januarii 1360, in ab-

ANNI CHRISTI batia S. Benigni, testis est Philippi *de Rouvres*
Divionensium oppidanorum jura confirman-
tis. Vesuntione dein, Sabbati die ante Nati-
vitatem S. Joannis-Baptistæ, colonos vici me-
tropolitani *Noroy* servitutis vinculo eximit,
et, XIV cal. Julii, S. Antidii corpus solemni-
1361 ter relevat. Sub annum 1361 S. Pauli canoni-
cus sequentia refert: « Die Martis ante fe-
« stum Pentecostes, ipse Joannes archiepi-
« scopus obtulit Deo et ipsi ecclesiæ, supra
« sanctum altare S. Joannis, unam imagi-
« nem argenteam deauratam, ponderis un-
« decim marcharum, duabus unciis minus,
« ad honorem ejusdem S. Joannis fabrica-
« tam, ipsi archiepiscopo ab habitantibus
« villæ de Arbosio oblatam, pro emenda
« excessus per eosdem perpetrati, eo quod
« domum cujusdam clerici conjugati illius
« loci funditus destruxerant. » Ab eodem
scriptore, necnon ab auctore Chronici Me-
tensis, laudatur Joannes ecclesiastici juris
constans assertor. Debitam hanc ei laudem
sane comprobat irrogata Arbosio pœna. Eo
anno, mense Septembri, e Vesuntionensi
sede ad Metensem traductus est; supra,
t. XIII, col. 774.

LXXVII. Ludovicus.

DE MONTFAUCON. Ludovicus, filius Henrici comitis, e de-
cano cathedralis ecclesiæ in metropolitanam
sedem provehitur ab Innocentio papa VI,
XV cal. Decembris 1361; e schedis Suaresii.
Sed paucos tantum per menses *præpulcher
juvenis, scientia et virtutibus fulgens,* ut ait
anonymus S. Pauli canonicus, ecclesiæ Bi-
suntinæ rebus præfuit; qui nempe decessit
1362 25 Julii 1362, et in ecclesia S. Stephani se-
pultus est.

LXXVIII. Aimo.

DE VILLERSEXEL. Aimo, quem perperam Dunodius Ame-
deum nuncupat, filius Joannis *de Faucogney*
et Matthææ de Monte Falconis, ex archidia-
cono Bisuntino archipræsul conclamatus est,
et ab Urbano V institutus anno 1362. Ur-
1363 bem ingressus, 25 Februarii 1363, in Tri-
stannum Cabilonensem, Rupisfortis domi-
num, non multo post excommunicationis
sententiam pronuntiavit, qui scilicet mone-
tariam officinam in vico *Orgelet* instituerat.
Quo etiam anno ecclesiam *Bouhelans* eccle-
siæ *Osse* univit, et, 7 Julii, peccatorum ve-
niam indulsit iis qui nummos ad ecclesiam
B. Mariæ Magdalenæ reædificandam suppe-
ditarent. Regalibus dein juribus, 8 Maii
1365 1365, Carolus, Romanorum rex, Aimonem
donavit. Hugone vero Cabilonensi eadem
sibi jura vindicante, eaque ad archiepisco-
pum minime pertinere contendente, Aimo
Cæsarem papamque ipsum appellavit, nec
controversam rem dimisit. Permultis tunc
A ager Bisuntinus discordiis fervebat: quare ANNI CHRISTI
multiplex archiepiscopo cura, crebraque ab
eo vibrata fulgura. Philippum quoque Vien-
nensem, sibi propriorum nummorum fabri-
cam vindicantem, Aimo excommunicavit.
Similem denique sententiam tulit, XVI cal.
Junii 1366, in Stephanum de Monte Avium
ceterosque Bisuntini tractus proceres, qui
Theobaldum, abbatem S. Pauli, captivum
tenebant; *Droz*, t. VII, p. 109. Anno post-
ea 1368, inter canonicos et Bisuntinam
plebem, ob violata fori civilis jura, confli-
ctus. Nec expugnato canonicorum claustro,
B vastatis eorum domibus, cæso etiam uno ex
ipsis, plebis indignatio sopita, priusquam,
2 Maii, adstante archiepiscopo, capituli pro-
curator requisitam ab oppidanis satisfa-
ctionem palam obtulerit. Obiit Aimo IV id.
Decembris 1370, et in ecclesia S. Stephani, 1370
cujus nuper combustæ restaurationi ope-
ram impenderat, sepultus est.

LXXIX. Guillelmus III.

Clarum Guillelmo genus, nec animus ge- DE VERGY.
nere humilior. Is, cleri votis adlectus, Bi-
C suntinam urbem ingressus est 13 Novem-
bris, protinusque canonicis S. Pauli pro
more, ab eis recipiendum canonicum, Ri-
chardum *de Montagney* præsentavit; quem, Ch. CXVII, col. 106.
17 Novembris 1371, hi recepere. Maximos,
Aimone præsidente, in agro Bisuntino tu-
multus exstitisse retulimus: nec sub Guil-
lelmo minores nunc memorandi. Is enim,
10 Januarii 1373, Vesuntionem urbem, ejus 1373
suburbia, ipsumque Burgillas viculum, in-
terdicto supponebat, ob necem Petri, S. Vin-
centii abbatis. Anno dein sequente, 2 Au-
gusti, in castro *Gray* reperitur, ubi Marga-
D rita, Burgundiæ comitissa, fidem ei jurat
ob beneficiaria prædia quæ ab eo accepta
refert. Postea, anno 1375, acerbioribus in
dies de monetæ cudendæ jure dissidiis, alio
interdicto ne in urbe Auxona sacra celebra-
rentur prohibuit. Eodem anno, 20 Maii,
cum canonicis S. Pauli de decimis pactus
est. Legitur dein, idibus Januarii 1378, in 1378
regalium jurium possessionem a Carolo rege
missus, et ipse, 2 Maii, S. Vincentio reditus
tradens quos a Philippo de Monte Justino
numeratis nummis comparaverat. Divionem
Guillelmus semet recepit anno 1381, qua in
E urbe degentem, 11 Maii, procurator Corneo-
lensis abbatis adiit, ejus jurisdictionem de-
trectans, et summum Pontificem appellans.
Gravis ea res sane Guillelmo, cujus animum
alia eademque valde difficilia negotia præ-
occupabant: Gyacum tamen redux, die Ve-
neris post *Quasimodo* 1382, Corneolensem
abbatem excepit, et cum eo pactionem fecit
qua liti finis impositus. Anno 1384, 23 No- 1384
vembris, Philippus, Burgundiæ dux et comes,
obsequium Guillelmo promisit. Verum in eo

ANNI CHRISTI

Philippus formulas tantummodo constitutas A
sequebatur; cujus mens ab obsequio procul
aberat. Mox enim Guillelmum monuit ut
sine mora decretum in urbem Auxonam la-
tum abrogaret, et huic mandato minime ob-
temperantem armis aggressus est. Confugit
Guillelmus Gyacum: Philippus autem Gya-
cum obsidione cinxit, aliaque metropoli-
tana castella *Noroy, Mandeure,* non tantum
deprædatus est, sed funditus evertit. Tunc
Guillelmus Avenionem se recepit, unde Phi-
lippum excommunicavit. Gallorum autem
rex Philippo patrocinatus est. Quare non
pauci Guillelmo suaserunt ut potius munere B
semet abdicaret, quam, regi obsequens, ec-
clesiæ suæ juribus tuendis ignominiosa ces-
sione deficeret. Dimissa igitur Vesuntio-
nensis ecclesiæ cura creatus est cardinalis,
1391 XVII cal. Maii 1391, a Clemente papa VII,
Vesuntione decessurus anno 1404, vel 1407.

LXXX. Gerardus II.

D'ATHIES. Ex illustri Atheiensium apud Picardos
castellanorum prosapia genitus, S. Eligii
Noviomensis abbas Gerardus primo fuerat.
1393 Ab anno 1391 Bisuntinæ ecclesiæ præfectus C
reperitur. Occurrit dein, 4 Martii 1393, se-
cundum hodiernam computationem, eccle-
siæ suæ reditus, temporalesve, ut aiebant,
fructus, a camerario Bisuntino deposcens:
hos autem, in quos Burgundionum dux an-
tea manus injecerat, prædictus camerarius
exhibere tunc non valuit. Sed cum, 16 No-
vembris ejusdem anni, metropolitanam ur-
bem solemniter ingressus est, incessit ad
Battenti portam Philippo duce ejus lateri
adhærente. Concordes igitur ambo pacem
afferebant, multis quidem gratissimam, pau-
cioribus vero, iisdem et sapientioribus, omi- D
nosam. Parisiis Gerardus reperitur, 2 Fe-
bruarii 1395, in concilio sedens ubi multus
de schismate sermo (1). Redux erat Vesun-
tionem anno 1397, quod sub tempus Geof-
fridus de Rubeo Monte et Guillelmus de
Grandi Monte clientelaris obsequii profes-
sionem coram eo fecere. Non tantum Phi-
lippo duci, sed etiam Gallorum regi, amicus
erat Gerardus. Wenceslaum vero impera-
torem primo sibi minus faventem habuit.
1398 Hic enim, 3 Maii 1398, litteras edidit quibus
ablatum archipræsuli supremum in Bisun-
tina civitate imperium, et ad imperatorem E
translatum. Iisdem quoque litteris, ut im-
Ch. CXVIII, col. 107. peratoria sedes procul erat, ipsis civibus ur-
bis administrationem commisit, quibus ec-
clesiasticam jurisdictionem detrectare, muris
turribusque munitissimis se suaque cingere,
et vectigalia non tantum a laicis, verum etiam
a clericis exigere licitum. Decrevit insuper
Wenceslaus, ut, totius civilis rei procura-
tione ad ipsos cives pertinente, ipsi carce-
res proprios haberent, quibus quemlibet
eorum jussa contemnentem mandarent, ut-
que populum ipsum, ad libertatem exer-
cendam tuendamve, quoties eis opportunum
videretur, convocarent. Tandem, ne singula
referamus, statuit ut *homines* ipsi *manus*
mortuæ, qui, invito eorum patrono, vel ne-
scio, Vesuntione per annum unum unum-
que diem commorati essent, jure civitatis
integro fruerentur. Industria vero sua Ge-
rardus Cæsaris animum sibi mox conciliavit,
et, sententia prorsus mutata, Wenceslaus, Ch. CXVIII, col. 107.
10 Junii 1398, Gerardo postulante, tot tan-
taque privilegia cassa fecit. Supervacaneum
esset dicere quanto libertates amissas desi-
derio Bisuntini cives prosecuti sint. Occurrit
deinde Gerardus 21 Junii, a Wenceslao in
jurium regalium possessionem missus. Pari-
sios dein se recepit; qua in urbe dum com-
morabatur, Gerardum adiit Ezelinus comes,
a Wenceslao rege missus, qui debitam Ro-
manorum regi fidelis obsequii professionem
ab eo poposcit. Juramentum fecit Gerardus,
manu pectori affixa, 16 Aprilis 1399. Eo- 1399
dem anno, Vesuntionem redux, sodalitatem
S. Sacramenti in ecclesia S. Petri instituit.
Infrequens est Gerardi nomen in Bisun-
tinis tabulis: ut enim eo rex Francorum
consiliario utebatur, Parisios sæpius quam
Vesuntionem incoluit; metropoli tamen suæ
etiam e longinquo providens, archiepiscopale
palatium, quod ruinam minabatur, rursus
ædificare curavit, ecclesias S. Joannis et
S. Stephani reditibus annnis dotavit, et ce-
teras diœcesis suæ collegiatas basilicas ve-
stibus sacerdotalibus, libris, variaque su-
pellectili ornavit. Obiit Parisiis 22 Novem-
bris 1404. Corpus ejus in ecclesia S. Eligii 1404
Noviomensis, sicut disposuerat, sepultum
est, cor autem Vesuntionem delatum, et in
choro S. Stephani conditum.

LXXXI. Theobaldus.

Matisconensis, non vero, ut ait Dunodius, DE ROUGEMONT.
Cabilonensis, primum episcopus, Viennen-
sem metropolim deinde Theobaldus admi-
nistraverat; unde in Vesuntionensem, Ge-
rardo mortuo, translatus est, metropolita-
nam urbem 5 Maii 1405 ingressurus; *Droz,* 1405
t. XXV, p. 450. Acceptissimus erat Theo-
baldus apud Robertum, regem Romanorum,
21 Augusti 1400 electum: Vesuntionis au-
tem cives Wenceslao nuper deposito firmi-
ter adhærebant. Unde magna dissidia. Cum
igitur Theobaldus Wenceslao morem gerere
differret, Bisuntini cives, conjuratione facta,
jurisdictione metropolitana semet absolutos
conclamitare, et, veluti in rebellem rebelles,
quotidianis conviciis archiepiscopi ministros
impetere. Theobaldus ideo in Gyacenum

(1) E Chronico Monachi San-Dionys. Adverte vero quod Bisuntinum tunc temporis archiepiscopum falso Theobaldum nuncupat recentior index præmemorati Chronici.

ANNI CHRISTI

castrum secessit, et Vesuntionem interdicto
supposuit, 6 Augusti 1406. De Roberto æque
et de Wenceslao hæ Theobaldi litteræ si-
lent : at cives Bisuntinos acerbe vituperant,
ob mutatos dies locosque publicarum nun-
dinarum, exstructos carceres, jurisdictionem
archiepiscopalis fori restrictam, et vectigalia
ecclesiasticis viris imposita. Rursus, 19 ejus-
dem mensis, singulis sacerdotibus mandat
ut prædictum interdictum quam strictius
observent. Rectores vero civitatis, adeo non
pontificis decreto ad rei gestæ pœnitentiam
adducuntur, ut contra ab ipso Theobaldo,
23 Septembris, superbe deposcant an Wen-
ceslao debitum præstiterit juramentum,
eumque admoneant se in metropolitanas
possessiones manus injecturos, nisi intra sex
dies dati acceptique juramenti fidem faciat.
Tunc ad Wenceslaum Theobaldus se con-
vertit, et, quadam inter eos rata pace, archi-
1407 episcopum rex, 16 Octobris 1407, in jurium
regalium possessionem mittit. Tunc vero
urbani rectores ad Joannem, Burgundiæ
ducem, se convertere, eique supremam ci-
vilium rerum administrationem, dominium-
ve, ut aiebant, civitatis temporale, archi-
episcopo prorsus ablatum, demandare. Sali-
nis interea commorans Theobaldus, 13 Martii
1408 1408, novam interdicti sententiam in Vesun-
tionenses oppidanos latam proscribit. Joan-
nes vero, Burgundionum dux, Theobaldo,
12 Aprilis, scribit ut eam abroget. Insimul
ab oppidanis Vesuntionensibus ad Wences-
laum legati mittuntur; qui scilicet, rerum
componendarum studio, initum cum Joanne
pactum probat, ea sub conditione ut hic im-
peratoriæ majestatis clientem semet profi-
teatur. Quod ut ratum est, in Theobaldum
ipse Wenceslaus imperator iterum invehi-
tur, eumque ferocem publicæ pacis inimi-
cum appellat. Joannes interim, Gandavi
commorans, ex ea urbe, 19 Julii 1408, litte-
ras ad senatores Burgundos dirigit, jubens
ut Bisuntinis oppidanis patrocinentur et ar-
chiepiscopum, pecuniæ extortæ reum, quam
citissime ad restitutionem compellant, nec
aures præbeant non legitima jura sibimet
vindicanti. Ab eo tempore præcipuæ inter
ducem et archiepiscopum inimicitiæ, altero
alterum productæ dissensionis auctorem
clamitante. Anno tandem 1412, archiepi-
scopo dux utilia *regaliæ* jura, reditus scili-
cet, restituit, Theobaldusque, aliquantisper
cunctatus, afflictæ civitati, 15 Aprilis, sub
conditione 1800 florenorum ipsi numeran-
dorum, veniam dedit et plura jura tamdiu
controversa dimisit. Mense dein Maio soluta
excommunicationis vincula. Sex igitur cir-
citer annos hoc duraverat interdictum. Per
idem temporis S. Joannis et S. Stephani ca-
nonici in urbem *Quingey* abierant. Præpo-
tens vero urbanorum fascium auctoritas pro-
hibuerat ne ceteri Vesuntionis sacerdotes

A archiepiscopali mandato parerent, et in urbe
interdicta cultus divinus quotidie, janius
templorum apertis et pulsatis tintinnabulis,
celebratus fuerat. Adde quod non ipsi clero
Bisuntino una mens. Sæculares quidem ar-
chipræsulis causam erant amplexi, et quan-
tum in eis fuerat iteratis ejus admonitioni-
bus obtemperaverant: Fratres vero Prædi-
catores, Franciscani, Carmelitæ (in omni
sedenim hominum societate, semper quæ-
dam pars est consequendæ quietis magis
quam exsequendi officii studiosa) archiepi-
scopi exsulis decretum spreverant, nec ab
B agenda publice re divina destiterant. Qua de
inobedientia Theobaldus questus erat, et
hujus querelæ materiam summus Pontifex
delectis cognitoribus investigandam deman-
daverat; qui scilicet, 2 Martii 1408, senten-
tiam in monachos a metropolitano defectos
tulerant. Proclamata, ut diximus, pace, mo-
ram aliquam Vesuntione Theobaldus fecit.
Mox vero in Gyacenum castellum secessit,
ubi, 24 Januarii 1411, capituli metropoli- 1411
tani privilegia confirmavit. Ibidem rursus
reperitur 28 Junii 1412, a Nicolao *de Cenans*
fidei professionem accipiens. Deinde castel-
C lum *Etalans* se recepit, ubi, 19 Februarii
1413, Odo *de Rigney* simili modo morem
ei gessit. Concilio Constantiensi anno 1415
interfuit, a quo Joanni XXII procurator da-
tus est, electusque nationis Gallicanæ lega-
tus; e Monacho San-Dionys. Ad eum deinde
scribens, 13 Februarii 1415, ecclesiæ Bi-
suntinæ jura amplissimo diplomate Sigis-
mundus imperator recensuit. Primum Theo-
baldus, anno 1417, lapidem Franciscani 1417
conventus in vico *Chariey* posuit, et Isa-
bellam, anno 1419, Romarici Montis abba-
tissam, excepit juramentum pro more præ-
D stituram. Ad eum deinde missæ summi Pon-
tificis litteræ, 12 Octobris 1421, quibus,
Philippo duce rei auctore, schola Dolen-
sis condita. Idem erga eumdem Philippus,
21 Martii 1421, vel 1422, sacramento semet 1422
obligavit: qua etiam die Theobaldus, diu
sibi ab imperatoribus denegatam Vesuntio-
nensem *regaliam*, ecclesiæ suæ tandem re-
stitutam renuntiavit. Philippum, inito pacto,
dimittentem jus ab imperatoribus ipsi colla-
tum, et quod Burgundiæ comites per sex-
decim annos exercuerant, Vesuntione tunc
audiverunt Joannes de *Nant*, Viennensis
E archiepiscopus, Joannes *de Toisey*, Torna-
censis episcopus, Carolus *de Poitiers*, Lingo-
nensis, multique consilio et auctoritate con-
spicui viri. In Italiam Theobaldus anno se-
quente viam fecit, et Ticinensi concilio, postea
Senensi, interfuit: eo etiam anno, 9 Octo-
bris, Sigismundo imperatore litteris donatus
est, quibus cassæ effectæ sunt mulctæ a Lu-
dovico Cabilonensi Theobaldo olim irro-
gatæ; eodem quoque Sigismundus cuden-
dæ monetæ privilegium eidem confirmavit;

ANNI CHRISTI

Droz, t. XXV, p. 611. Quamvis autem ei, prout videtur, imperator bene facere studeret, Vesuntionenses tamen oppidani juribus quæ, numerato pretio, post tanta dissidia retinuerant, pervicacius adhærere, et archipræsulis in re qualibet agendi rationem attentius expendere. Novis contentionibus occasione data, Theobaldus illico cum præto-
1425 ribus urbanis composuit 22 Februarii 1425; ibid., p. 612. In civitate metropolitana commorabatur Theobaldus 25 Octobris ejusdem anni, qua die Hugonem *Geloux* ecclesiæ S. Donati præfecit: paulo post vero rursus Romam iit, et Joannem Garnerium, canonicum, vicarium generalem constituit. Eo scilicet munere fungens prædictus Garnerius ecclesiam S. Donati Guidoni, cantori S. Pauli, conferebat, 10 Julii 1427. Ejusdem similiter absentis vicarius occurrit Leo, decanus,
1428 9 Aprilis 1428, qua die, solemniter congregatis in æde S. Joanni sacra multis clericis laicisque, sermo fuit inter adstantes de novissimis dissidiis inter archipræsulem civesque exortis. Romæ Theobaldus ab aliquot annis commorabatur, summum Pontificem imprimis exorans uti clerum Bisuntinum omni tributo imperatori persolvendo liberum efficeret. Qua in urbe, « a quodam ex « suis familiaribus male potionatus, » ut ait anonymus S. Pauli canonicus, 16 Septem-
1429 bris 1429 obiit, et sepultus est in basilica S. Petri, juxta capellam S. Thomæ sacram. Ex ejus ultimo testamento, quod 14 Septem-
Ch. cxix, col. 109. bris dictavit, satis superque apparet eum erga Bisuntinos cives constantem et obfirmatam animo inimicitiam retinuisse. Hæredem enim suum Philippum ducem instituit, qui scilicet pecuniam, a civibus Bisuntinis ipsi numerandam, exigere ad unum assem valeret.

LXXXII. Joannes IV.

Natus in vico *la Roche-Taillée*, qui intra Lugdunensis diœcesis fines situs est, parentes habuit Joannes humiles, fortunæque suæ faber fuit: ex imo scilicet gradu ad supremas ecclesiæ Gallicanæ dignitates, doctrina necnon industria, meritis una et officiis, paulatim extollendus. Episcopus S. Papuli, Gebennensis episcopatus perpetuus administrator, Rotomagensis dein fuerat archipræsul, et cardinalis presbyter titulo S. Laurentii in Lucina, cum eum Bisuntini canonici Theobaldo Romæ defuncto subrogandum exoptaverunt. Urbani quidem rectores alium quemdam postulaverant: eorum vero vota Martinus V rata non habuit, Joannemque
Ch. cxx, col. 110. ecclesiæ Bisuntinæ præfecit 11 id. Octobris 1429. Ex aliis ejusdem Martini V litteris, datis xiv cal. Martii 1429, novimus Burgundiæ ducem Joannis adlectionem minime probavisse. Eum tamen Sigismundus rex, 3 Ju-

A lii 1430, in regalium jurium possessionem misit, eique, 4 ejusdem mensis, indulsit, ut diversas adversus cives Bisuntinos de juribus ecclesiæ suæ lites coram Romanis judicibus legitime prosequi posset; *Droz*, t. XXV, p. 629. Procuratorem his de rebus ad regem Joannes Conradum, Metensem episcopum, deputaverat. Sperabant quidem canonici Vesuntionenses summusque Pontifex tantæ famæ virum non modo strenue, sed etiam feliciter, pro veteribus ecclesiæ privilegiis pugnaturum, ab eoque Bisuntinæ civitatis contumaciam facile compescendam. Hanc vero spem
B eventus fefellit. Joanni sedenim, non secus ac Theobaldo nuper defuncto, nonnulla pro- tinus ad civilem administrationem spectantia jura urbani rectores negant. Audita re, Eugenius papa IV, xiv cal. Novembris 1431, ad 1431
eos scribit, quos rebelles appellat, et de alio transferenda metropolitana sede semet cogitavisse palam renuntiat. Interea Joannes in Italia commorabatur, horum dissidiorum finem exspectans, summumque Pontificem exorans ne rem languescere sineret. Eugenius igitur ad Vesuntionenses rectores iterum iterumque scribens, eisdem, v cal. Junii 1432,
C mandat ut quam citissime cum Rotomagensi cardinali componant. Animi tandem mitescunt, et prævio Assumptionis die, rectores urbis cardinalisque absentis vicarii generales de pace collocuturi conveniunt: bellis vero et ipsa pestilentia Longobardiam insimul depopulantibus, mittendos ad cardinalem legatos aliquantisper detinent. Senæ Juliæ reperitur Joannes 4 Decembris, qua die Placentiæ et S. Angeli cardinales procuratores suos in Basiliensi concilio instituit, eisque præcipit ut hujus concilii decreta suo nomine rata habeant. Tunc Sigismundus rex,
D 19 Decembris 1432, Sabaudiæ duci, Burgundionum comiti, necnon advocato Bernensi, mandat ut civium rebellioni nil cunctantes finem imponant; *Droz*, t. I, p. 436. Post aliquod igitur tempus, 8 Aprilis 1433, animis 1433
civium non prorsus quidem compositis, sed, ut videbatur, mitigatis, Joannes Vesuntionem solemniter ingreditur. Deinde, 31 Maii, Basileæ simul Joannes et rectorum legati præsentes comperiuntur, qui solvenda dissidia delectorum virorum arbitrio committunt. Vesuntionem redux est Joannes Ch. cxxi, col. 112.
8 Junii, qua die ab eo canonici postulant
E ut cantoris et camerarii denuo recognita jura confirmet. Mox autem aliquod vectigal prætores a clericis Bisuntinis requirunt, et ecce novus exoritur animorum conflictus. Basileense concilium archiepiscopus appellat, imperatorem prætor. Ipse etiam Joannes Vesuntionem deserit, et Basileam se recipit, rebellionis reos cives proscribens, ob id unum quod nummos a clero poposcerant, congregatosque patres exorans ut edicto synodali ecclesiam omni

ANNI CHRISTI tributo civili civibus pensitando immunem renuntient. Querelam ejus concilium exaudit, civesque suum jus firmiter, nequaquam vero contumeliose, tuentes, amicis litteris hortatur, nonis Decembris, ut legatos Basileam mittant, ineundæ pacis summam potestatem habentes. Nec multo post, 2 Maii 1434, Sigismundus imperator acerbe Joannem increpat, ut qui rem non legitimo judici investigandam demandaverat; *Droz*, t. I, p. 441. Quid enim agitur? Materia litis est vectigal; ad civile, id est imperatorium forum, minime ad ecclesiasticum deferenda. Interea rei cognitores concilium eligit, Placentinum inter alios cardinalem. Sigismundus vero, 12 Junii, prohibet ne quis suo nomine coram Placentino cardinali Joanni adsistat; ibid., t. XXV, p. 362. Majus igitur in dies dissidium, major mutuæ iracundiæ fervor. Tunc Joannes, in media Basilea, circumstante populi concione, e pegmate quod ante præcipuam urbis ecclesiam ad hoc exstrui jusserat, in Vesuntionensis urbis incolas excommunicationis fulgur intorquet, et, 17 Septembris, officiali mandat ut ab eo rem discant notarii ac tabelliones qui rebellibus ea tenus operam ministraverant suam; ibid., t. I, p. 442. Jam vero cives, nempe 27 Augusti, eum ad superiorem judicem provocaverant, et Basileense concilium, 3 Septembris, provocationem hanc inanem esse decreverat. Deinde autem utraque pars de controversis juribus aliquid dimisit, et jam plusquam inclinatis ad pacem ineundam animis, Joannes excommunicationis sententiam in Bisuntinam civitatem, ut diximus, latam, 24 Martii 1435 abrogavit. Dein, 10 Junii 1435, non tantum de immunitatibus cleri Bisuntini, verum etiam de singulis jurgiis quæ jam antea cives et archiepiscopum in mutuas offensiones egerant, solemniter, permultorum arbitrorum ex auctoritate, tandem pactum est; apud Dunod., Hist. Eccl. Bis., t. I, instr., p. 64. Fœdus hoc *Rotomagense* dictum est, quod cum Joanne, cardinali Rotomagensi, cives pepigerunt. Eo quidem confirmata nonnulla cleri Bisuntini privilegia: cives vero eodem sibi gratulati sunt, ex quo civilium administratorum denuo recognitam confirmatamque jurisdictionem habuere, et certa lege sancitum ærarii municipalis incrementum. Concilium Basileense supra memoratum fœdus VIII id. Julii approbavit. His compositis, Joannes archiepiscopale munus exsequens reperitur 18 Julii; qua die Isabella Romarici Montis abbatissa, et 6 Octobris, Vesuntionensis buticularius obsequium ei spondent. Dein Boloniam iter facit, domini papæ legatus. Florentiæ degens 16 Februarii 1436, ind. XIV, unienda proscribit S. Spiritus et S. Jacobi Bisuntina hospitia. Obiit vero, prædicta legatione fungens, 24 Martii 1437 (1), ejusque reliquiæ Lugdunum, sicut præceperat, delatæ, in ecclesiæ cathedralis choro sepultæ sunt.

(Marginalia: Ch. CXXII, col. 114. — 1434 — Ch. CXXIII, col. 115.)

LXXXIII. Franciscus I.

CONDOLMERE. Audita Joannis morte, canonici Bisuntini conveniunt, Joannemque *de Fruyn*, decanum, archiepiscopum eligunt, 24 Aprilis. Eugenius vero papa IV, quia Joannes in Romano territorio decesserat, electionis legitime peragendæ rem pro more sibi vindicans, Franciscum *Condelmere*, e fratre nepotem, jam cardinalem titulo S. Clementis, patriarcham Constantinopolitanum, camerarium et vice-cancellarium ecclesiæ Romanæ, necnon Ambianensem episcopum, archiepiscopatu Bisuntino præterea Boloniæ donaverat, VI cal. Aprilis; supra, t. X, col. 1200. Unde non parva dissidia. Franciscus enim munere potiturus Vesuntionem se recipit. Joannes vero metropolitanam ecclesiam jam occupat, et, Basileense concilium contentionis judicem appellans, Francisci minas irridet. Semper autem infenso cathedralis ecclesiæ canonicis civium animo, hi Francisco patrocinantur, Joannique morem detrectant. Ipsi quoque B. Mariæ Magdalenæ canonici Franciscum excipiunt, qui in eorum ecclesia pastorale munus implet. Oppositi ergo stant duo archiepiscopi, quorum alter ab altero decreta cassa facit, et tota civitas in duas partes scinditur. Interea Eugenius papa quoscumque Joanni faventes excommunicat, dum concilium, ex altera parte, Basileense Joannem legitimum ecclesiæ Bisuntinæ pastorem pronuntiat, tam nonis Septembris, quam XVI cal. Novembris; *Droz*, t. XXV, p. 647. Intercedente tandem Philippo duce, Franciscum Eugenius amovet Veronensi cathedra donandum, et ipse Joannes *de Fruyn*, accepta pensione, in gratiam Joannis *de Norry* adeo controversam dignitatem dimittit.

LXXXIV. Joannes V.

DE NORRY. Viennensis archiepiscopus Joannes in Bisuntinam sedem bullis apostolicis translatus est; qui per procuratores munus adiit
1438 17 Aprilis 1438. Ipse mox infulis potiturus in Vesuntionensem tractum venit, et Gyaci primo moram fecit, dum ejus in urbem receptio appararetur. Ut autem jam erat senex, contracto morbo, ante finem hujus anni, ut ferunt, decessit, et in ecclesia Gyacena, ante S. Symphoriani altare sepultus est.

LXXXV. Quintinus.

MÉNART. Flavignei, in Ædnensi diœcesi, natus Quintinus, canonicus et thesaurarius S. Ca-

(1) Nonnulli eum referunt 23 Aprilis decessisse. Ea vero temporis nota falsa comperitur ex his quæ ad electionem sequentis spectant.

ANNI CHRISTI

pellæ Divionensis erat, præpositus S. Audo-
mari, et Philippo duci a secretis, qui fidis-
simum peritissimumque oratorem sæpe tam
ad summum Pontificem quam ad reges Gal-
lorum et Anglorum, aut Germanorum impe-
ratorem miserat, cum eum Eugenii papæ IV
litteræ, Florentiæ datæ, XIV cal. Octobris
1439 1439, in Bisuntinam cathedram extulerunt;
Droz, t. I, p. 14. In his quoque Eugenii lit-
teris memoratur Quintinus Atrebatensis ele-
ctus: unde J. Jac. Chiffletius aliique eum
Atrebatensem episcopatum dimisisse con-
tenderunt, ut Bisuntinæ provinciæ regimen
adoriretur. Episcopatu quidem Atrebatensi
apostolicis bullis provisus fuerat, sub men-
sem Martium 1438; reclamante vero Phi-
lippo duce, collatum munus nunquam adie-
rat, ut supra dictum est, t. III, col. 243. Ut
ut ea se res habuit, Bisuntinam civitatem
1440 Quintinus 1 Augusti 1440 ingressus est, qua
die Tractatum Rotomagensem semet sincere
exsecuturum promisit; *Droz*, t. XXV, p. 655.
Dein, VIII id. Martii 1441, litteras ab Euge-
nio papa accepit, per quas ei licuit quatuor
clericis visitandam diœcesim demandare.
Non quidem ea Quintino mens, ut, his per
diœcesanas ecclesias missis clericis, otio in-
dulgeret; ibid., p. 80. Operosior vero in
dies centralis administrationis cura. Plura
ceterum erant in Vesuntionensi civitate mo-
nasteria, in quæ non semel, visitationis of-
ficio fungens, Quintinus se contulit. Sic,
19 Augusti, intra S. Pauli claustra reperi-
tur, edictum conscribens tam de resarcien-
dis ædificiis, quam de regularibus officiis
rite peragendis. Adde quod vixdum in me-
tropolitana cathedra constitutus, cum ci-
vitatis rectoribus in contentionem venit.
Guido scilicet *Lovaton*, ejus procurator,
quemdam civem, hæreseos, ut aiebat, reum,
comprehendi jusserat, eique mulctam eccle-
siasticus judex irrogaverat. Unde civilis ju-
dicis, Tractatum Rotomagensem adducentis,
acerba querela. Explorata tandem re, cassam
fori sui sententiam Quintinus fecit, 25 Au-
1442 gusti; *Droz*, t. XXV, p. 658. Anno 1442,
3 Novembris, Vesuntione Fredericus adest
imperator, et Quintinum, præstito juramen-
to, in regalium jurium possessionem mittit.
Idem in eadem urbe moram faciens, 7 ejus-
dem mensis, fœdus inter oppidanos et ar-
chipræsulem initum sancit; ibid., t. XXV,
p. 645. Mox alia cum civibus dissidia. Ur-
bem jam circumeuntibus turmis omni lege
solutis, quæ duce Ludovico, Viennensi del-
phino, stipendia merebantur, cives, obsi-
dionis proximæ metu, imminens urbi ca-
strum *Bregille* sacellumque adjacens, necnon
plures domos tam lapideas quam ligneas,
1445 funditus evertunt, 3 Junii 1445. Prædicti
autem castri dominium archiepiscopus Bi-
suntinus, ut jam sæpe dictum est, habebat:
qui, vehementer eo super excidio questus,

A ut jacentes parietinæ suscitarentur, omnia-
que in antiquum statum quam citissime re-
stituerentur poposcit. Creber inter eum et
urbis rectores ea de re sermo. His vero po-
stulatam restitutionem procrastinantibus,
Quintinus in castrum Gyacum secedit, omnes
archiepiscopalis aulæ ministros secum du-
cens, urbemque interdicto supponit, 7 Ja-
nuarii 1447. Ipse deinde Romam petit, con- 1447
tentionisque arbitrum summum Pontificem
eligit. Investigandam rem papa cardinali
S. Crucis demandat, qui civibus indictam
pœnam auget. Tunc appellationem cives in-
B terponunt, simulque ad Fredericum IV ora-
tores mittunt, a quibus Bisuntinus pontifex
imperatoriæ majestatis contemptor denun-
cietur. His auditis, ad Quintinum Fredericus
scribit, et *feodalis* causæ ad Romanam cu-
riam delatorem acerbis verbis increpat, ju- Ch. CXXIV, col. 116.
bens præterea ut coram ipso imperatore
intra nonaginta dies sistat. Hæ datæ sunt
litteræ 23 Junii 1448. Præstituto tempore
jam elapso, et eadem lite etiam tunc pen-
dente, Fredericus, 7 Novembris, Desiderio
de Monstreal, consiliario suo, hanc provin-
ciam dat ut de Quintini gestis inquirat, qui,
C non exspectata legitimi judicis sententia,
Bisuntinos cives omnimodo vexare non du-
bitat; *Droz*, t. XXV, p. 703. Nec multo
post, nempe 12 Novembris, Hartungus *de
Cappel*, ejusdem imperatoris et ipse consi-
liarius, Quintinum rebellionis convictum re-
nuntiat; ibid., p. 663. Ad imperatorem tunc
Quintinus pergit, et, sermone facto, senten-
tiam obtinet. Dilatum diutius de Bisuntino-
rum rectorum appellationibus Romanæ se-
dis judicium: illud tandem idibus Aprilis
1450 proscriptum est, civibus valde calamito-
sum, quibus ædificia quælibet eversa reficere,
D et archiepiscopum in omnibus indemnem
præstare jussit; ibid., p. 706. Philippus
dein, Burgundionum dux, eosdem monuit
ut huic sententiæ sine mora obtemperarent;
ibid., p. 714. Tunc in ipsos urbis rectores
conversus civium furor, novaque exorta
discordia, quam enarrare non nostra res est.
Anno 1450, in castro S. Ferreoli, Joannes, 1450
Cabilonensis episcopus, capellam S. Mariæ
de Pietate in ecclesia Vincentiana, præsente
Quintino, fundat. Ad Quintinum deinde
scribens Nicolaus V, XVII cal. Octobris 1451, Ch. CXXV, col. 117.
vetat ne quidam sæculares, post obitum ar-
E chiepiscopi Bisuntini, in ejus mobilia bona
manus injiciant. Non prorsus tamen, anno
1453, deleta quæcumque præteritorum dis- 1453
sidiorum vestigia. Imperator enim archi-
episcopo regalia jura minime restituerat,
eaque archiepiscopus in Philippum, Bur-
gundiæ ducem, transtulerat, in compensa-
tionem accepto castri *Quingey* dominio. De
cujus permutationis opportunitate Cabilo-
nensis episcopus, anno præmemorato, do-
mini papæ jussu, inquisitionem fecit. Me-

ANNI CHRISTI

moratur dein Quintinus, 15 Septembris
1454, de eo vectigalium genere quæ *tallias*
vocabant paciscens; *Droz*, t. II, p. 135.
1455 Mense tandem Maio 1455, ab imperatore,
qui scilicet pactum cum Philippo duce factum improbaverat, regalia jura obtinuit. Transegit dein, 2 Octobris 1456, de Monte Falconis, cum Guillelmo Cabilonensi, Tornodori comite; ibid., t. III, p. 39. Vituperandus prorsus hic mos in ecclesia Bisuntina invaluerat, ut, vacante beneficio, id sibi quilibet vindicantes ambitam rem, ecclesiam capellamve, occuparent, et per quadraginta dies quemcumque ab aditu loci prohiberent : ideo per idem temporis aqua lustrali spargendi infantes sponsique justis conjungendi nuptiis in alias ecclesias, non sine magnis incommodis, ducebantur. Scripsit ad Quintinum Pius II, 13 Januarii 1460, ut isti consuetudini emendandæ curam adhiberet.
1461 Anno demum 1461 Quintinus reperitur,
8 Julii, juramentum Aliciæ, Romarici Montis abbatissæ, excipiens; anno sequente, 18 Decembris, Giaci decessurus. Enarrata Quintini vita, addit anonymus S. Pauli canonicus : « Hic decoravit ambas ecclesias « SS. Joannis et Stephani pretiosis et exquisitis ornamentis rubeis, albis, deauratis et « nigris, cum una cappa nigra deaurata multum pretiosa, et aliis albis vestimentis non « deauratis, æstimationis mille librarum et « amplius. Fecit etiam fieri in dictis ambabus ecclesiis organa multum pretiosa et « sumptuosa, et alia multa, cum fundatione « suorum anniversariorum. Ipse etiam funditus ædificavit castrum de Madoria, quod « antea per dominum Theobaldum de Novo « Castro, dominum de Castro supra Mosellam, tunc marescallum Burgundiæ, fuerat omnino combustum : domum archiepiscopalem de Noreto, quæ quasi inhabitabilis erat, optime reparari et ædificari « fecit; et non minus laboravit in reparatione castri de Gyaco, in quo multa ædificia et cisternam aquæ fieri fecit: deinde « ædificavit non modico opere palatium Bisuntinum, in illa parte scilicet quæ respicit ad civitatem, et quæ protenditur usque ad capellam; ante cujus operis consummationem ipse idem reverendissimus « pater obiit, et sic quod disposuerat perficere suo tempore non potuit; quod tamen « postmodum patratum fuit, ex denariis « successionis suæ duo millia francorum. » Sepultus est in choro S. Stephani, cum hoc epitaphio :

Nunc opus est, cives, contundere pectora palmis,
Estque nefas lacrymis abstinuisse genas.
Urbis et ecclesiæ jacet hoc sub marmore tutor,
Quintinus præsul, qui pater urbis erat.
Justitiæ princeps, prudens quoque, gratus amicus
Hic fuit, ac miseris omnibus ipse pius;
Virtutis speculum, patriæ decus, atque virorum
Splendor erat fulgens, ut gravitate Cato.
Qui sanctus qua laude fuit tollendus ad astra
Si numerem, tumulus non satis unus erit.
Creditus est toto divus, dum vixit, in orbe;
Sidera nunc meritis possidet ipse suis.

LXXXVI. Carolus I.

DE NEUFCHATEL.

Persolutis Quintino justis, canonici statim conveniunt ut novum archiepiscopum eligant. Adsunt vacuam sedem sibi pari studio vindicantes Joannes *Jouffroy*, Atrebatensis cardinalis, Antonius Cabilonensis, Joannes *Vincent*, canonicus Bisuntinus, et Carolus *de Neufchatel*, S. Joannis præcentor, qui canonicam ætatem nondum attigerat. Is tamen pluribus suffragiis postulatus est, vel
31 Decembris 1462, vel, ut aliis placet, 4 Ja- 1463
nuarii 1463. Filius erat Joannis de Novo Castro, Burgundiæ gubernandæ præfecti. Hunc parentela conspicuum canonici postulaverant, ut scilicet in eo libertatum suarum potentem patronum haberent. Nec eventus eorum spem fefellit : mox enim Atrebatensis cardinalis Romam se contulit, poscens ut summus Pontifex cassam Caroli postulationem faceret, ipsumque Bisuntinæ metropoli præficeret; sed operam perdidit. Vesuntionem Carolus ingressus est 10 Julii; *Droz*, t. XXV, p. 672. Muneris tamen aditum
distulit usque ad 23 Maii 1464. Nondum 1464
fidei juramentum summo Pontifici fecerat, necdum confirmatus erat, XV cal. Aprilis 1466, qua die, præter archiepiscopalem dignitatem, abbatia S. Pauli donatus est. Confirmatus vero comperitur ante 11 Januarii
1468, lege 1469, e litteris quibus Joanni de 1469
Turre S. Quintini jura nonnulla in fluvio Dubi concessit; ibid., t. II, p. 19. Felicibus igitur auspiciis Carolus ecclesiæ Bisuntinæ regimen aggressus est. Quis autem ea tempestate præsul curis vacuus? Giacenum scilicet castrum Carolus incolebat 18 Octobris 1468, cum ad eum accessit Antonius de Novo Castro, ejus patruelis, qui, a canonicis Tullensibus ex episcopali cathedra depulsus, suppliciter petebat ut ipsi liceret in Luxoviensem abbatiam, cujus commendatarius abbas erat, secedere, eoqueepiscopalem aulam transferre. Carolum sane domestica movit calamitas: verumtamen adeo optatum asylum Antonio aperire non ausus est, antequam Burgundionum dux id semet approbare testaretur. Reædificatum castrum *Bregilles* urbi semper imminebat. Quare, anno
1471, Gallorum rege Burgundionumque 1471
duce bellantibus, timuerunt Bisuntini cives ne turma quædam hostilis, expugnato castro, exinde in urbem lethifera tela detorqueret, atque ab ipso Carolo poposcerunt ut per eum id evertere liceret. Huic petitioni Carolus assensum suum præbuit, ea tamen sub conditione ut ei cives sexcentos auri florenos

ANNI CHRISTI

numerarent; ac protinus castri mœnia, nun-
quam reponenda, cecidere. Is igitur erat Caro-
lus qui propria jura rei publicæ pro tem-
pore condonaret : non semel tamen cum
civitatis rectoribus de controversis privile-
giis certavit. Asserebant, inter alia, præ-
dicti rectores clericos nocturni delicti reos
ad civile forum pertinere. Obstitit vero Ca-
rolus ne suum jus in eo minueretur, Paulus-
1474 que papa, explorata re, nonis Maii 1474, Bi-
suntinos rectores non legitimam sibi ju-
risdictionem vindicavisse scripsit; *Droz*,
t. XXV, p. 680. Eodem anno, Carolus,
Burgundionum dux, Vesuntionem venit,
quem archipræsul laute excepit. Obiit Lu-
dovicus Cabilonensis, Vesuntionensis vice-
comes, anno 1476 incipiente : Gyaci tunc
degens Carolus vice-comitatum Hugoni Ca-
bilonensi, 28 Martii, tradidit. Anno 1477,
23 Februarii, Dolæ moram aliquam faciens,
ejusdem Hugonis juramentum excepit; ibid.,
t. I, p. 326. Nanceii nuper Carolus dux oc-
cubuerat. Burgundionibus luctuosus tanti
ducis interitus : nam Franci, Lotharingis
conjuncti, in agros Sequanorum irruere, et
obvia quæcumque deprædari. Unde quam
maxima archiepiscopali ærario allata damna.
1478 Ideo, v id. Januarii 1478, Sixtus papa sta-
tuit, ut, quamdiu Carolus dictæ ecclesiæ præ-
esset, ad sublevandam ejus inopiam Mona-
steriensis in Bressia prioratus archiepisco-
pali mensæ uniretur; ibid., 29. Quo etiam
anno, VII id. Maii, Sixtus idem papa qui-
busdam clericis hanc provinciam dedit, ut
assignatos Carolo reditus adversus nonnul-
lorum insidias tuerentur; ibid., p. 35. Eo-
dem quoque anno, imminentibus iterum
Gallorum copiis, Carolus ad partes Ludo-
vici regis transiit. Ideo a Burgundionum
duce munere privatus, episcopale palatium,
ipsamque urbem deserere coactus est, ut
rem testatur Caroli exsulis et vicum *Chatel-
neuf de Vuillafans* incolentis ad Albertum
de Bunstetten epistola, desinente anno 1478
scripta, quam nuper D. Richardus publici
juris fecit; Hist. Vesunt. Diœc., t. II, p. 166.
« *Res nostræ*, ait, *ita se habent, ut nullo
fungar munere jam publico, sed privata dun-
taxat negotia tractem, dempto pastorali of-
ficio.* » Nec multo post ad Ludovicum regem
1479 secessit, eum qui, 14 Octobris 1479, in con-
silia sua advocavit, et pensionem ei quatuor
millium librarum assignavit(1). Procul igitur
ab ecclesia sua civilibus rebus, ecclesiasticis
minime, tunc Carolus operam dabat, cum,
sub Januarium mensem 1480, Baiocenses
eum canonici, Ludovico episcopo mortuo,
sibi præficiendum exoptavere : quorum votis
annuens summus Pontifex, Carolum Baio-
censis ecclesiæ administratorem pridie non.

(1) Exstant in schedis *De Gaignières*, num. 136, apochæ, quibus annis 1480, 1481, hanc nummorum copiam Carolus semel accepisse profitetur.

ANNI CHRISTI

A Martii instituit. Ab eo tempore suffraganeis
episcopis Bisuntinæ ecclesiæ præcipua ad-
ministratio demandata. Quorum primus fuit
Philibertus *Vuillot*, professione Dominica-
nus, Poliniaci prior, idem quoque Salonæ
episcopus. Mortuo vero Philiberto successit
Henricus *Potin*, Carmelitanus monachus,
Philadelphiæ episcopus : Henrico Odetus
Tronchet, Franciscanus, Tiberiados nuncu-
patus antistes. Absens Carolus archiepiscopa-
tus reditus percipiebat. Id autem Frederico
imperatori minime placuit, qui, 30 Augusti
1485, scripsit se non diutius passurum ar- 1485
B chiepiscopum exsulem, imo pervicacem Cæ-
sareæ potestatis inimicum, muneris stipendia,
dimisso quanquam munere, retinere; ib., t. I,
p. 202. Verumtamen Carolo Vesuntionenses
canonici aperte favebant, nec ipse Carolus
derelictæ ecclesiæ omnem curam rejecerat :
quippe, eo anno 1485, Visulii Missale Bisun-
tinum prælo vulgari jussit, quo non antiquior
liber in tota Sequania ex officina typogra-
phica prodiit. Sub hunc tamen annum im-
peratoris in gratiam redire Carolus exopta-
vit : quare, 10 Novembris, Joannem de Novo
Castro, patrem suum, et Philippum fratrem
C ad imperatorem delegavit, cum præscripta
potestate Cæsaris in nomen jurandi et rega-
lium jurium traditionem postulandi. Quam
Fredericus postulationem diu surdis auribus
excepit. Tandem, ultima die Januarii 1489, 1489
ea regalia Carolo jura restituit. Frederico
postea mortuo, Ferdinandus de Novo Castro,
Montaigu necnon *Marnay* toparcha, ad
Maximilianum, Frederici filium, procurato-
rio nomine, 1 Februarii 1495, ab eodem Ca-
rolo missus est, qui recenti fidem imperatori
promitteret. Aliud sane Maximiliano consi-
lium quam exsulem metropolitam appro-
D bare : scriptis tamen 14 Julii litteris, singula
Carolo Vesuntionensis ecclesiæ privilegia
confirmavit. Reperitur deinde Carolus anno
1498, 22 Maii, cum canonicis S. Mauricii 1498
Salinarii de ipsi debita ab illis obedientia
paciscens. Tunc vero Maximilianus impera-
tor, 25 scilicet Junii, archiepiscopum ab-
sentem vituperans, quam multis discordiis
ferventem diœcesim, castra ad ruinam ver-
gentia, nummosque in agro Bisuntino col-
lectos in extraneam gentem traductos, tem-
poralibus ecclesiæ Bisuntinæ reditibus poti-
tus est; *Droz*, t. XXV, p. 684. Quod idem
E imperator iteratis litteris, 30 Julii, Vesun-
tionensi populo mandavit. Nec multo post
Carolus, apud Pontem Audomari morbo
correptus, cum, inauguratione Ludovici XII
peracta, in Baiocensem urbem rediret,
XIII cal. Augusti obiit. Corpus ejus Baiocos
translatum est, cor Vesuntionem. De eodem
plura inter Baiocenses episcopos, t. XI,
col. 382.

ANNI CHRISTI

LXXXVII. Franciscus II.

DE BUSLEIDEN. Patria Lusciliburgensis, Martisvillæ e clara gente natus, Franciscus Ægidium patrem habuerat, equitem auratum, Philippi, Burgundiæ ducis, scriniis præfectum. Agrippinæ Coloniæ, Dolæ, Perusiæ, Lutetiæ, necnon Lugduni, Franciscus liberalis cujuslibet disciplinæ tirocinia vicissim posuerat : unde in aulam vocatus opulentis beneficiis ornatus fuerat. Præpositum S. Donatiani Brugensis eum anno 1490, et Antuerpiensem decanum anno 1498 reperimus. Audita vero Caroli morte, Maximilianus eum imperator Bisuntinis canonicis commendat, a quibus archiepiscopus eligitur 12 Octobris 1498 (1).
1499 Dein anno 1499 confirmatus, muneris possessionem per procuratorem adiit 19 Maii, atque 21 Novembris urbem solemniter ingressus est. Sub id temporis exortam sedat contentionem inter ecclesiæ Bisuntinæ et ecclesiæ Salinariæ canonicos, Salinarios Bisuntinis morem gerere jubens. Nec multo post, nempe 27 Junii 1501, Philippus eum, Austriæ archidux, ad Ludovicum XII, Gallorum regem, ire jussit, ut ab eo Claudiam deposceret Carolo Lusciliburgensi matrimonio conjungendam. Exstant ea de legatione Philippi litteræ, curis D. *Leglay* publici juris factæ; *Négociat. entre la France et l'Autr.*, t. I, p. 29. Tunc ad Maximilianum imperatorem Joannem *de Courteville* misit Franciscus, qui, præstito juramento, regalia jura impetraret : quæ concessit Maximilianus 9 Septembris. Vesuntione dein Franciscus, sub mensem Decembrem, de cudenda moneta cum Burgundionum comite transegit, privilegio, quod tot dissidiorum origo fuerat, renuntians. Bruxellas postmodum accitus est : verum ne absens quidem ecclesiæ suæ curam omnino neglexit, namque arcem Gyacenam, temporibus belli Gallici destructam, a fundamentis reædificare cœpit, huic aliisque hujusmodi operibus supra decem et quatuor millia librarum impendens. Philippum postea Hispaniæ principatui initiandum trans Pyrenæos montes secutus est. Tunc cardinalem eum Alexander papa nominavit, eique Cameracensem ecclesiam ea tempestate vacantem commendavit. Elapsis vero paucis diebus, Toleti, febre correptus, occu-
1502 buit, x cal. Septembris 1502. Ante profectionem suam Joanni *Favel*, Dominicano, et Nazareno episcopo, præcipua muneris archiepiscopalis officia ipse demandaverat.

LXXXVIII. Antonius I.

DE VERGY. Francisco mortuo, nonnulli inter canonicos Joannem *de la Palud*, Luxovii abbatem, ei subrogandum exoptabant. Francorum au-

(1) Minime anno 1496, ut supra legitur, t. III, col. 992.

A tem rex, dux Sabaudiæ, legatus apostolicus, et, præ aliis, Philippus Hispanorum rex Burgundionumque comes, Antonium, protonotarium apostolicum, Guillelmi *de Vergy* et Annæ *de Rochechouart* filium, commendavere. Deferendorum quidem suffragiorum jus Bisuntini canonici usque ad id tempus retinuerant : crescente vero in dies civilis potestatis auctoritate, hoc tantum ecclesiasticæ libertatis supererat formulas constitutas sequi. Antonius igitur, cui tanti favebant patroni, quatuordecim annos natus, archiepiscopus a canonicis postulatus est
B 10 Octobris 1502, et, pridie nonas Novembris, apostolicis litteris donatus. Possidendam, ut aiunt, cathedram adiit 25 Augusti 1503 : Dolæ tamen commoratus est, ubi discendis litteris operam dedit, decano Bisuntino diœcesis administrandæ curam habente. Antonius Dolæ reperitur 8 Februarii 1508, qua die Dolensis ecclesiæ collegiatæ primum lapidem posuit. Anno tandem 1513, 27 Augusti, ut annum ætatis vigesimum quintum attigerat, civitatem Bisuntinam ingressus est, et ipse archiepiscopale munus inchoavit. Nec multo post Carolo regi tam 1513
C studendi quam vivendi præceptor datus est. Antonio tamen non propositum erat semper in aula residere, præsertim cum Vesuntionenses oppidani, jurisdictionis, imo cujuslibet ecclesiasticæ immunitatis palam contemptores, ea tenus inauditis capitulares canonicos jurgiis impeterent. Scripsit summus Pontifex Vesuntionensis urbis rectoribus, 17 Maii 1519, eos jubens ab incœptis desistere. Ipse Antonius Giaci reperitur anno 1520, synodo diœcesanæ præsidens, et Joannem *d'Emskerke*, Salonicensem dictum episcopum, suffraganeum suum instituens.
D Imperatorem sub idem temporis litteris obsecrat, uti quam citius archiepiscopo Bisuntino opem ferat. Ejus vero privilegia stabiliens imperator, eumdem, 6 Novembris, nonnulla inique fecisse proscribit. Inter alia jubet eum intra octo dies archiepiscopalem aulam Giaco Vesuntionem transferre, et latas contra cives sententias protinus abrogare. Anno 1523, mortuo Joanne præmemorato, Petrus *Bassand*, alias *Tassard*, professione Dominicanus, suffraganeus archiepiscopi Bisuntini 11 Januarii instituitur. 1523
Frequentes interea, breviores autem, cives
E et archipræsul inducias feriunt. Nec prorsus tamen a levibus præliis cessatur. Quare sæpius civitas interdicto supposita. Senatus ipse Dolensis Antonium non semel culpavit, officialis scilicet Bisuntini jurisdictionem longius dilatantem. Unde dissidiis intricata dissidia, quibus Carolus imperator, cum motos ultra modum animos componere studeret, exspectatum finem non dedit. Nam ipse Carolus Antonio parum favens, quem non sibi prorsus obsequentem expertus erat.

ANNI CHRISTI

Postquam enim Ratisponensia, anno 1522, comitia decreverant ut quælibet imperialis civitas nummos imperatori daret, pecuniam a se petitam mittere Franciscus distulerat; quamobrem imperialibus prædiis
1526 privatus exstitit usque ad 29 Maii 1526. Tunc quoque Calvinianæ hæreseos sequaces, per diœcesim Bisuntinam clam aut palam quotidianum iter agentes, ecclesiasticam auctoritatem contemnere populos, populi principes, ipsosque sacerdotes docebant. Ea igitur tempestate difficilis admodum ecclesiæ Vesuntionensis administratio. Minime quidem otiosus erat Antonius; nec ejus suffraganeis episcopis quietem consectari licitum: adeo tamen turbatæ res, ut Clemens papa VII Antonio adjutorem dederit Petrum *de la Baume*, Gebennensem nuper episcopum, quem Ludovicus *de Rye*, abbas Albæ Ripæ, capitulo Bisuntino 17 Decembris 1532 præsentavit. Suffraganeus denique alius occurrit archiepiscopi Vesuntionensis episcopus, Franciscus scilicet *Symard*, bene loquendi peritissimus, episcopus dictus Nicopolitanus, qui, eo nomine, die Lunæ post festum Resurrectionis 1538, vel, ut J. Jacobo Chiffletio placet, 1539, SS. Ferreoli et Ferrucii reliquias de vetere in novam capsam transtulit, Antonio præcentoris sedem in choro S. Joannis occupante. Obiit Antonius 25, aut 29 De-
1541 cembris 1541, et in ecclesia S. Stephani sepultus est. Laudatur vigil egenorum patronus, et ægrotantium assiduus visitator, quorum ad ministeria ipse semet accommodabat: unde *pater pauperum*, et *bonus archiepiscopus* vocatus est.

LXXXIX. Petrus.

DE LA BAUME.

Petrum, filium Guidonis et Joannæ *de Longwy*, jam antecedentis adjutorem, Paulus III, in compensationem Gebennensis episcopatus amissi, cardinalem effecerat 1 Januarii 1539. Statim ut Antonio parentatum est, Franciscus *Bonvalot*, abbas S. Vincenti, Petri procuratorem semet ferens, eo nomine Bisuntinæ cathedræ possessionem
1542 adiit, 2 Januarii 1542. Dein, 29 Decembris, Thomam *Bardoz*, Montis Biligardi decanum, Petrus ad imperatorem misit, qui jura regalia posceret et ecclesiæ Bisuntinæ privilegia confirmanda exhiberet. Munus tamen ipsum exercere Petro, cujus vires senectus fregerat, non licuit. Obiit Arbosii 4 Maii 1544, et sepultus est in ecclesia S. Justo sacra, prope Claudium, germanum, Burgundiæ marescallum. Idem abbas Reomai et S. Claudii Jurensis fuerat.

XC. Claudius III.

DE LA BAUME.

Claudius, filius Claudii, Burgundiæ gubernandæ præfecti et Guillelmæ *d'Igny*, antecedentis igitur e fratre nepos, pontificias, 25 Junii 1543, litteras obtinuerat, quibus non tantum adjutor Petri nominatus fuerat, sed archiepiscopalis dignitatis hæres, idque summi Pontificis decretum ipse imperator, Augusto sequente, ratum habuerat. Res autem occulta permanserat, aut potius eam sibi incognitam simulaverunt canonici: nam in difficillimis temporibus consilio manuque strenuum archiepiscopum exoptabant, et, mortuo Petro, Claudius vix quartum decimum ætatis annum attigerat. Pro more igitur 16 mensis Maii convenerunt, et Franciscum *Bonvalot*, S. Vincentii, necnon Luxovii abbatem, tunc Spiræ apud imperatorem commorantem, aditis suffragiis, archipræsulem salutaverunt. Cui electioni cives magno applausu assensere. Mox autem ad Petrum et ad Cæsarem utrinque provocatum, et, pendente lite, Jacobus *Du Rez*, decanus S. Petri Insulani, Vesuntionensis archiepiscopatus administrator a Carolo V nuper designatus, a capitulo admissus est
24 Septembris 1544. Oratores utriusque 1544
partis Cæsar primus audivit, et, 5 Januarii 1545, statuit ut Claudius archiepiscopalem dignitatem retineret, Francisco vero archiepiscopatus administratio, cum tertia redituum parte, tribueretur, usque eo donec Claudius vigesimum quintum ætatis annum complevisset. Hæc imperatoris sententia, a summo Pontifice sub mensem Julium comprobata, publice Vesuntione proscripta est 8 Septembris. Claudius Dolam se recepit, ubi Antonium Lullum, e Baleari Majore oriundum, et Gilbertum *Cousin* præceptores habuit. Franciscus jam 20 Augusti munus aggressus erat. Huic vero totam operam impendere non potuit: anno nempe 1546, in Lotharingiam iter agebat imperatorius legatus, qui castrum *Stenay* Cæsari tradendum deposceret; anno dein 1550, ab ecclesiasticis rebus iterum removebatur, ut, imperatoris mandato, certis Burgundiam terminis Lotharingiamque circumscriberet. An-
no tandem 1556, 3 Aprilis in capitulum Bi- 1556
suntinum convenerunt Franciscus *de la Baume*, comes *de Montrevel*, frater Claudii, Girardus *de Rye*, eques, abbasque Roseriarum, Claudii procuratores, eum qui ad præscriptam ætatem jam provectum esse, administrationemque Francisco commissam cessavisse renuntiaverunt. Obiit Franciscus xv cal. Januarii 1560; ex ejus epitaphio, apud J. Jac. Chiffletium. Claudio quidem aliena mens ab ecclesiasticis rebus. Arbosii tamen reperitur 15 Februarii 1557, solemne fœdus cum ecclesiæ suæ canonicis pangens, de juribus quæ concilii Tridentini decretis Ch. cxxvi, col. 118.
abrogata nonnulli censebant: eadem quæ summatim Claudius recenset atque agnoscit. Dein vero, Antonium Lullum postquam vicarium generalem instituerat, in

ANNI CHRISTI

Italiam iter fecit. Ideo sequentibus annis A modo Patavii, modo aliis in urbibus conversatus est, de quibuscumque rebus cogitans potius quam de suscipienda ecclesiæ suæ administratione. Vesuntionem redux anno 1561, cum clero nondum aggregatus esset, archiepiscopalis officii curam in suffraganeos episcopos decanumque Bisuntinum totam transtulit. Anno tandem 1566, cardinali *de Granvelle* et Philippo rege eum adeundi muneris nimis negligentem culpantibus, sacra suscepit Augusto mense, et Ro-
1567 mam, desinente Februario 1567, consecrandus tetendit. Ejus quidem fidem nonnulli B ambiguam, aut parum sinceram habuere: de moribus hoc dicere satis est, eum scilicet Nicolaam de *Savigny*, sacris jam initiatam, clandestinis nuptiis sibi copulavisse, quas summus Pontifex cassas fecit 20 Decembris 1565; et eumdem, anno 1567, coram judicibus a domino papa delegatis infandi homicidii reum constitisse; Comment. et Docum. ad Sequan. spect., t. II, p. 57. Romam reliquit Claudius, Vesuntionem, ut aiebat, rediturus, mense Januario 1571: die enim 17 hujus mensis, ad canonicos Bisuntinos Pius V scripsit, eum curiæ Romanæ va- C ledicentem illis commendans; *Droz*, t. XXV, p. 579. Vesuntionem reperitur solemniter ingrediens 21 Octobris 1571; et, 24 ejusdem mensis, provinciali synodo in ea civitate præsidens, concilii Tridentini decreta publica fecit, atque per totam provinciam ob-
1574 servari jussit. Anno dein 1574, diœcesanorum statutorum farraginem edidit, quæ, ut aiunt, Antonius Lullus collegerat et notis illustraverat. Jam nonnulli Calvini asseclæ in urbe metropolitana deprehensi, quos capite judex mulctaverat: plures autem, ut eo se supplicio subducerent, alio discesserant. D Hi scilicet, quibus permulti ejusdem hæreseos consortes e vicinis urbibus opem laturi devenerant, Vesuntionem, 21 Junii 1575, irruunt, et interdum occupant. Mox vero eorum magna strages. Postea venit in urbem, 4 Februarii 1576, sedis apostolicæ legatus, Bisuntinum clerum, jussu summi Pontificis, admonens ut ipse ad hæresim propulsandam adjumento esset, eoque consilio pristinæ disciplinæ naufragia recolligeret, et morum corruptelæ mederetur. Verba legati Claudius approbavit. Quare eum summus Pontifex cardinalem presbyterum, titulo E S. Pudentianæ, IX cal. Martii 1578, instituit. Obiit Claudius Arbosii 14, aut 22 Junii
1584 1584, eo tempore quo Neapolim se conferebat, Siculorum prorex ab Hispanorum rege nominatus. Sepultus est in ecclesia S. Justi, cujus prior erat. Abbas quoque S. Claudii, Cari Loci et Nantuaci. Attamen profusis adeo sumptibus vixerat, ut moriens plusquam centum millia librarum deberet.

XCI. Antonius II.

ANNI CHRISTI

PERRENOT.

Enarrata jam Antonii, cardinalis Granvillani, initia, supra, t. III, col. 348, et t. V, col. 6. Tantæ famæ virum Claudio defuncto Vesuntionenses canonici, 25 Junii 1584, subrogandum postulaverunt. Hanc autem postulationem summus Pontifex ratam non habuit, quem penes erat episcopales sedes cardinalium morte vacantes implere. Ipse vero eumdem Antonium, qui Mechliniensi archiepiscopatu nuper semet abdicaverat, archiepiscopum Vesuntionensem instituit XVIII cal. Decembris. Eisdem eidem litteris permulta alia beneficia, inter quæ Luxovium, S. Vincentium, Montemque Benedicti, Bisuntinas abbatias, retinere permissum. Capitulum igitur Bisuntinum Jacobus *de S. Mauris*, major archidiaconus ecclesiæ Bisuntinæ, prior Belli Fontis, idem et Antonii absentis procurator, 22 Februarii 1585 adiit, poposcitque ut muneris pos- 1585 sessionem cardinali Granvillano adire liceret. Quæ potestas ei data est, canonicis tamen eumdem exorantibus uti summum Pontificem ad dimittendum quod sibi vindicaverat jus hortaretur. Scriptis ad Antonium litteris Radulphus II, imperator, singula ecclesiæ Bisuntina jura recognovit, 26 Februarii 1586. Hoc erat, ut aiunt, Antonio consilium ut ecclesiam saltem inviseret, eum quæ tanti se facere renuntiaverat. Eum vero, quem præ ceteris procurandæ reipublicæ administris fidum carumque habebat, Philippus rex dimittere noluit. Obiit Madriti, in Hispania, 21 Septembris. Operosam Antonii vitam satis commendant litterarum publicarum quas scripsit accepitve ingens farrago, Vesuntione asservata. Harum litterarum, D. Car. *Weiss* curis, novem jam volumina prodiere.

XCII. Ferdinandus.

DE RYE.

Postridie quam vita recessit Antonius, Philippus II capitulo Bisuntino Joachimum *de Rye*, episcopum Lausannensem, et Franciscum *de Grammont*, decanum Bisuntinum, quorum alterutrum archiepiscopum eligeret, regiis litteris commendavit. Unde compertum habes jus episcopos eligendi defunctis cardinalibus successuros ad Romanum Pontificem, secundum Hispanorum regem, minime spectavisse. Convenerunt igitur canonici, et, 11 Decembris, Franciscum archiepiscopali munere donaverunt. Sed adfuit paulo post missus a Ferdinando *de Rye*, priore Gigniaci et S. Marcelli, procurator, eum qui renuntiavit auctoritate Sixti V archiepiscopum Bisuntinum creatum fuisse. Audita re Philippus capituli controversa jura tueri voluit, et Ferdinandum ab accipiendis officii reditibus prohi-

ANNI CHRISTI

buit. Excusatorias vero papa scripsit litteras, quibus regem admonuit se Ferdinandum elegisse ante quam canonicorum vota in Franciscum convenirent. Tunc ab omni contentione cessatum est. Vesuntionem Fer-
1587 dinandus ingressus est 13 Novembris 1587, eique, 25 ejusdem mensis, regalia jura Philippus restituit. Filius erat Gerardi, *de Balençon* toparchæ, et Ludovicæ de *Longwy*, qui primo militiæ nomen dederat, dein, depositis armis, ecclesiasticam vitam amplexus erat. Ei Bisuntinæ ecclesiæ privilegia Radulfus imperator 24 Septembris 1588 confirmavit. Eodem et anno, 22 Decembris, Hispanorum rex eumdem S. Claudii abbatem nominavit: quam Clemens VIII nominationem 10 Julii 1592 ratam habuit. Aliis quoque litteris, 8 Decembris, eodem anno, Clemens papa Ferdinando prioratum S. Justi, Arbosii situm, concessit. Quin imo Cari Loci abbas factus est 24 Septembris 1599.
1610 Joannem *de Watteville*, 18 Aprilis 1610, Lausannensem episcopum Arbosii consecravit. Dolæ deinde reperitur anno 1614, 16 Maii, solemnem urbis visitationem peragens. Anno 1621, 10 Novembris, cognitis San-Vincentianorum monachorum in abbatem seditionibus, officiali Bisuntino Ferdinandus mandat ut eos ante suum forum compellat. Anno 1630, ut erat animo strenuus et rei militaris sciens, gubernandæ civili provinciæ ab ipso rege præficitur. Sequaniæ mox a Gallorum copiis, anno scili-
1636 cet 1636, bellum magnum impendere. Dolam Ferdinandus secessit, quam præsidio munivit. Oppugnavit urbem Condæus princeps. Obsidionem vero Ferdinandus per octoginta dies sustinuit. Tanti vero labores senem fregere, cumque, viribus exhaustis, in castellum *Vuillafans* moribundus traduceretur, inter eundum obiit in viculo *Fraisans* 20 Augusti, ætatis anno 80. Suffraganeos episcopos habuerat Joannem *Doroz*, Nicopolitanum episcopum, Guillelmum *Simonin*, Corinthinum episcopum, Claudium *de La Barre*, Andrevillensem episcopum, et Philippum *Patornay*, Andrevillensem quoque episcopum, Claudio mortuo.

XCIII. Franciscus III.

DE RYE. Avunculo suo Franciscus successit, filius Philiberti, Varasci comitis, et Claudiæ de Turnonio. Ejusdem ab anno 1618 adjutor, et Cæsareanus anno 1626 episcopus consecratus fuerat. Annos autem 70 natus erat cum in Bisuntinam sedem evectus est, et
1637 Bruxellis obiit 17 Aprilis 1637, cum in eo esset ut Vesuntionem iter faceret.

XCIV. Claudius IV.

D'ACHEY. E Bisuntino decano Claudius a canonicis archipræsul eligitur 17 aut 23 Maii 1637, ab archiduci cardinali litteris donatur 10 Julii, et apostolicis bullis instituitur 18 ejusdem mensis 1638. Muneris dein possessionem adire per senatum Dolensem ei licet 11 Januarii 1639. Graii natus, patrem habuerat Hieronymum *d'Achey*, matrem Rosam *de Beauffremont*. Abbas idem Balmæ et Montis Benedicti. Anno 1643, decretum edidit de festis diebus in Bisuntina diœcesi celebrandis. Anno postea 1652, prohibitus ne comitiis imperii interesset, procuratores eo misit: diœcesanas 1652
ecclesias tunc temporis invisebat, et neglecta veteris disciplinæ statuta rursus observari curabat. Decessit 17 Octobris 1654, egregii pastoris laudem meritus.

XCV. Carolus II Emmanuel.

DE GORREVOD. Decanum Bisuntinum Carolum Emmanuelem Francisco canonici 29 Octobris subrogaverunt. Qui Caroli Emmanuelis, ducis *de Pont-de-Vaux*, et Isabellæ Burgundæ filius, clarus erat atavis, et ob animi constantiam magnæ apud Cæsarem æstimationis. Bullas postulanti minime curia Romana negavit; eas vero reservatis, ut aiebant, mensibus obtulit. Cui conditioni Carolus Emmanuel, utpote Bisuntinæ sedis rei damnosæ, non adhæsit; necdum igitur consecrationem adeptus Madriti decessit, 20 Julii 1659. 1659

XCVI. Joannes VI Jacobus.

FAUCHE DE DOMPREL. Stephani *Fauche de Domprel* et Margaritæ *Richardot* filius, ex adjutore Lausannensis ecclesiæ et summo Bisuntinæ ecclesiæ decano archipræsul Joannes Jacobus a concanonicis exoptatur 3 Septembris, apud Alexandrum *Bruant*, vel, ut Dunodio placet, 7 ejusdem mensis 1659. Protinus autem is conditionibus, quas Carolus Emmanuel repudiaverat, assensus est. Quare major canonicorum pars ab eo discessit, et tam ad imperatorem quam ad Hispaniæ regem litteras misit, eum Romanæ curiæ nimis obsequentem acerbe vituperans. Consecratus quidem fuit 1 Maii 1661 ab Andrevillæ episcopo, S. Vincentii abbate; prohibuit vero Cæsar ne prædiis imperii beneficiariis frueretur, civitatisque rectores omnem ei jurisdictionem abstulere. Hæc dum gerebantur, obiit Joannes Jacobus, 11 Martii 1662. 1662

XCVII. Antonius III Petrus.

DE GRAMMONT. Natus anno 1615, ex Antidio *de Grammont* et Regina *Felletet*, Antonius Petrus primis ab annis Luxovii monachum induerat. Dein aulicorum catervæ nomen dederat et in capella Burgundorum comitum, Bruxellis, presbyterale munus impleverat. Postea *Champlitte* prior, abbas Bethaniæ, adjutorque Luxoviensis abbatis oc-

ANNI CHRISTI

currit. Dunodii pro fide, archiepiscopus A electus est 28 Martii. Hanc quidem electionem *Bruant* in 28 Maii differt: sed perperam, ut videtur; nam ei jam electo administranda vacantis cathedræ bona capitulum Bisuntinum 2 Maii commisit. Pontificiæ ad Antonium Petrum bullæ, reservatis, ut aiunt, mensibus, XVIII cal. Februarii 1663 missæ: quas vero quædam pars capituli approbavit, cetera privilegiis ecclesiæ Bisuntinæ noxias clamitavit. Interea Joannes Stephanus *Saulnier,* episcopus Andrævillæ, Antonium Petrum clam in subterranea S. Vincentii capella consecravit. Protinus autem exortæ B lites. Die scilicet 2 Februarii, Franciscus *Moréal,* fisci patronus, et Stephanus *Dagay,* regiarum causarum procurator, regis mandato, bullas pontificias irritas renuntiant. Regiis quoque actoribus nonnulli canonici adhærent, et archipræsuli consecrato morem gerere recusant: quos Antonius Petrus excommunicatos proscribit. Nihil enim, ea dum fervebant, distulerat quin munus exsequeretur. Sic, 15 Augusti, reperitur publicis litteris Franciscanos sodales in vico *Giromany* instituens. Dein vero removetur
1664 omne litigium, anno 1664, procul jam au- C dito imminentium bellorum strepitu. Galli scilicet anno 1668, Vesuntionem, obsidione facta, ceperunt, quam dein urbem Hispanorum regi restituerunt. Ademptam Joanni Jacobo *Fauche* regalium jurium possessionem ab aliquo jam tempore Antonius Petrus deposcebat, et iteratis litteris, tam Hispanorum regem, quam imperatorem, de restituenda re urgebat. Ei quidem, 2 Martii 1669, Leopoldus imperator indulsit, ut per unum annum, perinde ac si confirmatus fuisset (confirmationem igitur ejus imperator non legitimam habebat), omnibus archi- D episcopi Bisuntini juribus frueretur: eamdem vero facultatem ab Hispanorum rege Antonius Petrus etiam tum impetraturus
1674 erat, cum, anno 1674, Ludovicus Galliæ rex Vesuntionensem agrum Gallorum regno in perpetuum adjunxit. Ab eo tempore mutatus ecclesiæ Bisuntinæ status. Nec ultra de regalibus archiepiscopi juribus decertatum, quæ Ludovicus rex, baillivum regium Vesuntione instituens, prorsus abrogavit. Plura quoque alia jura incassum Antonius Petrus sibi vindicavit. Secundum morem apud Gallos usitatum, regi addictum est quidquid E ad temporale dominium in Bisuntina civitate spectabat. Magnam vero idem archipræsul exercendæ spirituali jurisdictioni operam adhibuit. Anno quippe 1675 canonicis S. Pauli statuta dedit, quæ, ab Alexandro *Bruant* transcripta, servavimus. Seminarium quoque ædificari curavit, cujus primum lapidem 25 Julii 1670 posuerat. Hospitium etiam Bisuntinum inchoavit, quod anno 1707 consummatum est. Laudatur cultus modestia, imo asperitate morum conspicuus, disciplinæ diligentissimus stabiliendæ, in presbyteros tamen minimæ culpæ reos benignus, imo vigil ipsius plebis pastor. Eo regente, rariora inter clericos de controversis privilegiis dissidia, majus vero litterarum ediscendarum studium. Obiit 28 Maii
1698, ætatis anno 83. Nec multo post con- 1698
gregatum capitulum statuit ut, vacante sede, penes regem esset archiepiscopum Vesuntionensem eligere. Ipsi traditum jus rex semet gratum habere professus est, et ea de re pactum cum canonicis fecit 29 Junii.

XCVIII. Franciscus IV Josephus.

Antecedentis e fratre nepos, Laurentii DE GRAMMONT. Theoduli scilicet filius et Joannæ Franciscæ Pictaviensis, Franciscus Josephus archidiaconus Luxoviensis anno 1668 creatus fuerat, dein Bethaniæ Montisque Benedicti abbas, necnon Mortuæ Aquæ prior a rege dictus, summus postea ecclesiæ Bisuntinæ archidiaconus, et inde summus decanus. Denique, anno 1686, Philadelphiæ episcopus nominatus fuerat, Vesuntionensis archiepiscopi suffraganeus. Archiepiscopalis igitur solii imos gradus jam conscenderat, cum eum Antonio Petro rex, 17 Augusti 1698, in metropolitana cathedra subrogavit. Missæ ad eumdem pontificiæ litteræ VII idus Septembris; *Droz,* t. XXV, p. 587. Nec multo post Marliaci, juxta Versalias, regi se fidum fore juravit. Patronum apud regem Franciscus Josephus R. P. *de La Chaise* habuerat, cui plura spoponderat non facile præstanda. Ut metropolitanam urbem ingressus est, Jansenii sequacibus semet infensissimum exhibuit et PP. Societatis Jesu amicissimum. Eum vero Vesuntionensis senatus, de iisdem ecclesiæ dissidiis aliter sentiens, multis ærumnis afflixit. Nec ipsum sibi in omnibus obsequentem clerum expertus est. Cum
enim, anno 1700, Dolum visitaret, ecclesiæ 1700
collegiatæ ædificia lustrare voluit: hujus autem ecclesiæ decanus, jurisdictionem episcopalem detrectans, ei domus aditum præclusit. Unde diuturnæ litis origo. In castro *Vielley* obiit Franciscus Josephus, 20 Augusti 1717.

XCIX. Renatus.

Henrici *de Mornay* filius, Renatus Cellensem abbatiam in diœcesi Trecensi primo DE MORNAY-MONTCHEVREUIL. possederat, dein Ursi Campum in Noviomensi. Anno 1717, archiepiscopus Bisuntinus a rege designatur. Ejus vero institutionem summus Pontifex distulit, archipræsulis electionem ad capitulum Bisuntinum, minime ad regem pertinere asserens. Dum ea de re rex papaque decertabant, Renatus, nondum consecratus, necdum metropolitanam urbem ingressus, obiit 17 Maii 1721.

ANNI CHRISTI Gaspardus *de Grammont,* Arethusæ episcopus, præcipuam, Renato absente, diœcesis curam habuit.

C. Honoratus Franciscus.

DE GRIMALDI. Anno tandem 1722, Innocentius XIII Gallorum regi indulsit ut beneficia in Burgundiæ comitatu vacantia conferret. Ideo rex,
1724 anno 1724, Honorato Francisco Bisuntinum archiepiscopatum tradidit, eumdemque summus Pontifex mense Decembri instituit. Anno vero 1731 munere semet abdicavit.

CI. Antonius IV Franciscus.

DE BLITTERSWYCH DE MONCLEY. Gaspardi, baronis *de Moncley,* et Margarita *de Mantoche* filius, abbas jam Cari Loci, e summo ecclesiæ Bisuntinæ cantore Augustodunensis episcopus Antonius Franciscus creatus fuerat, dein Vesuntionensis decanus; quem rex, anno 1732, in Bisuntinam sedem transtulit. Ideo regi semet fidum fore juravit 20 Aprilis. Brevis autem ejus præsi-
1734 datus : obiit enim 12 Novembris 1734.

CII. Antonius V Petrus.

DE GRAMMONT. Ferdinandum comitem Antonius Petrus patrem habuerat, matrem Susannam Bellaiam; qui primo militiæ nomen dederat et A equitum turmæ præfuerat. Dein, projectis armis, decanus reperitur Bisuntinus, archipræsul nominandus 30 Januarii 1735. Suffraganeum habuit Petrum Franciscum *Hugon,* Philadelphiæ episcopum. Nec diu sedem Antonius Petrus occupavit, nam anno 1754 decessit. 1754

CIII. Antonius VI Cleriadus.

Mimatensis antea summus archidiaconus, Polonorumque regi ab eleemosynis, necnon Lotharingiæ primas, archiepiscopus Bisun- DE CHOISEUL-BEAUPRÉ.
B tinus Antonius Cleriadus anno 1754 creatur, 25 Maii 1755 consecratur, et cardinalis anno 1761 efficitur. Anno 1769 eum Romæ 1769
reperies in cardinalium cœtu a quo Clemens XIV electus. Gyaci vero decessit 7 Januarii 1774, ære alieno oppressus, qui profusis nimium sumptibus vixerat. Eum insuper inter abbates S. Bertini et primates Nanceienses supra antecessores nostri recensuerunt.

CIV. Raymundus.

C E Montepessulano episcopo Raymundus Vesuntionensis archipræsul fit 15 Januarii DE DURFORT-LEOBARD.
1774. Pauca de eo enarrantur. Anno tamen 1786, 17 Maii, festorum dierum numerum contraxit. Superstes erat anno 1790.

DECANI VESUNTIONENSES.

Duæ olim, ut diximus, in civitate Vesuntionensi ecclesiæ præcipuæ, una S. Joanni, altera S. Stephano sacra, quas inter diuturnum fuit de maternitatis, ut aiebant, privilegio dissidium, et, audita sæpius causa, papæ diversi diversa super eadem re decreverunt. Illi tamen boni consilii viris, quibus materiam hujus controversiæ investigandam commiserant, mandatum hoc unum dederant, ut observatum a majoribus morem detegerent, eamque matrem ecclesiam denuo nuncuparent, quam primi Bisuntinæ sedis antistites in hunc dignitatis gradum olim extulerant. Rei vero adeo spissas annorum series tenebras offuderat, ut verum discernere, utraque parte contraria, ut videtur, documenta exhibente, difficillimum. Qua igitur arte hanc hodie tantamque difficultatem solveremus?

Antiquior quidem ædes quæ S. Stephanum olim patronum habuerat. Ea scilicet ab exordio ecclesiæ Bisuntinæ in clivo Cœlii montis exstructa. Eadem vero, labentibus annis, S. Joannis quoque nomine cohonestata est, posteaque, in summo supradicti mon- D tis cacumine, altera exsurgere visa est basilica, S. Stephano, cui S. Joannes veluti priorem ademerat, pariter nuncupata. Non jam in causam ingressus sum. Ex hoc tamen jam nosti partes, jam litis originem prospicis.

Nunc aliquid interponendum. Quæstio enim est investigatione peculiari dignissima, an quæ antiquius fuerat in honorem S. Stephani ædificata ecclesia canonicos sæculares primum regularesve, aut etiam monachos exceperit. Veteribus in chartulis, inter quas memorandum Conradi regis diploma, anno
E 957 editum, occurrunt Albericus, Stephanus et Ermenfredus, *abbates* dicti S. Ste- Ch. iv, col. 5.
phani : unde plures conjecere eam tunc domum vel a canonicis regularibus, vel a monachis habitatam. Quarto certe sæculo desinente, ut in Vita S. Fronimii memoratur, *fideles viri sub regulari tramite* viventes S. Stephani claustra colebant. Quos monachos fuisse Donati temporibus compertum habemus : eos quippe hospitesque S. Pauli eisdem institutis, e regulis S. Benedicti et S. Columbani concinnatis, præmemoratus præsul obtemperare jussit, ut rem nos

A ejus Commonitorium expressis verbis docet, nulloque argumento demonstrabitur eos canonicos fuisse qui S. Benedicti vel S. Columbani constitutiones observabant. Temporibus vero Conradi regis minime monachi, certe canonici eadem tecta habitabant. Peractæ mutationis fidem facit ipsius regis diploma, in quo scilicet canonici expressis verbis appellantur. (Ch. IV, col. 5.) Canonici tamen regulares, utpote qui sub abbatis regimine positi. Falso igitur a quibusdam scriptum est, canonicos monachosve ecclesiæ Bisuntinæ capitulares a regulari vita Bernoini temporibus defecisse. Id quidem contigit, sed elapso B post Bernoinum non parvo annorum spatio.

His vero dictis, ad propositam imprimis rem, dissidia scilicet duarum ecclesiarum de primatu, redeundum. Sunt qui S. Stephanum veterem, vel S. Joannem, in clivo Cœlii montis et S. Stephanum recentiorem, in ejusdem montis summo, parem dignitatem habuisse per multos annos contendunt: ecclesias sedenim matres una fuisse, vicissimque, necnon pari jure, S. Joannis et S. Stephani rectores primam post archipræsulem sedem in diœcesana synodo obtinuisse. Alia vero est opinio Joan. Jac. Chiffletii, qui C scilicet honoratiorem semper locum in publicis cæremoniis S. Joannis clero, Stephaniensibus incassum obsistentibus, assignatum fuisse asserit. De ipso igitur facto prorsus incerta fides. Quamobrem tam crebris disputationibus magis ac magis intricata quæstio juris, et dissimili prorsus ratione, non quidem pro ipsa re, sed pro tempore varioque judicum affectu, toties expedita.

In eo quod ad propiorem ideoque magis notam ætatem spectat, hic erat, anno 1042, rerum status. Ecclesiam S. Joannis æque et ecclesiam S. Stephani canonici incolebant, D ut rem plane compertam habemus tam ex (Ch. VIII, col. 9.) Henrici regis decreto possessiones utriusque confirmantis, quam ex ejusdem litteris quibus S. Stephano collata sunt vectigalia a regiis ministris inique postulata. Tunc vero Hugo archiepiscopus utriusque insimul collegii reformationem aggressus est, et, reædificata S. Stephano novissime dicata basilica, occasionem inde sumpsit quinquaginta canonicos in reparatas ædes intromittendi, eisdemque amplissimas possessiones addicendi. Sub id temporis, in utraque con- E gregatione eædem leges reperiuntur, quarum observandarum cura penes duos decanos, dignitate, ut videtur, coæquatos, unum S. Stephano, alterum S. Joanni præfectum. Omnia igitur huic et illi ecclesiæ paria. Haud multo post vero canonici S. Stephani superiorem gradum affectare, asserentes S. Joannis canonicos eo nuper dignitatis elatos esse, cum, solo tenus æquata S. Stephani domo, archiepiscopi Vesuntionenses ad altare S. Joannis solemnibus festis accedere cogerentur. Nec S. Joannis canonici his auditis obmutuerunt: at contra, Stephaniensium arrogantiam irridentes, usitatum morem pro lege mansurum, ac insolentibus querelis minime perfringendum, clamitaverunt. Re vero ad Paschalem papam II delata, is statuit ut maternitatis privilegium S. Stephani canonicis adjudicaretur, si forte sufficienti testimonio se comprobarent, (Ch. XVII, col. 19.) nondum elapsis post Stephaniensis ecclesiæ restaurationem annis triginta, adeo controversum privilegium sibi vindicavisse. Causæ cognitionem Paschalis Guidoni, archiepiscopo Viennensi, demandavit 22 Aprilis 1115, isque, eodem anno, Trenorchii episcoporum non incelebrem cœtum congregavit, a quibus diversa æmularum ecclesiarum argumenta momentis æque suis ponderarentur. Ipse Guido compendiosam concilii Trenorchiensis historiam ad nos detulit, sic de canonicis S. Stephani disserens: « Qui vix tandem « testes aliquot, non tamen idoneos, produ- « xerunt. Alius enim pro commisso perju- « rio, sive turpi nativitate, alius pro sa- « crilegio, alius pro pretii conductione, « alius pro excommunicatione qua diu al- « ligatus fuerat, reprobatus est. Sic præ- « fati S. Stephani canonici, jam suæ partis « causam defendere non valentes, appro- (Ch. XIX, col. 21.) « batione proposita in conspectu omnium « defecerunt. » Litem igitur in eo concilio S. Stephani canonici perdiderunt. At eis, inter alios, Henricus imperator aperte faverat: qui, cognito Trenorchiensis conventus decreto, tantam iram concepit, ut ad Geroldum, Lausannensem episcopum, scribens, 27 Augusti, Guidonem inimicum pacis, apostolicæ dignitatis etiamque imperatoriæ contemptorem appellaverit, et, sine ullis verborum ambagibus, fidelibus suis, Bisuntini scilicet quibuscumque tractus incolis, acerbe, minis adhibitis, prohibuerit ne (*Rer. Gall. Script. t. XV, p. 58.*) ratam quæ erga Stephanienses lata fuerat sententiam haberent. Quin imo, Paschalis papa totam rem ipse cognoscere voluit, et mox, nempe IX cal. Aprilis, litteris Laterani datis, S. Stephani basilicam primam reveraque episcopalem in ecclesia Bisuntina sedem (Ch. XVII, col. 19.) nuncupavit (1). Verum postquam Paschali

(1) Attente legenda verba testium quos Paschalis semet audivisse profitetur. Hæc enim sunt: « Vidi et audivi quod « Hugo, decanus S. Stephani et Hugo de Palma, etc., etc., « adversus canonicos S. Joannis, etc., etc., quæstionem fe- « cerunt de sede episcopali ante Hugonem III, Bisuntinum « archiepiscopum, fratrem Guidonis, Viennensis archiepi- « scopi, in claustro S. Joannis, infra triginta annos post red- « integrationem ecclesiæ S. Stephani. » Hugo III sedere cœpit anno 1085 desinente. Plusquam igitur anni triginta præterierant inter annum 1050, in quo restauratum S. Stephani altare Leo papa IX consecravisse memoratur, et annum 1085, in quo Bisuntinæ cathedræ gubernaculo Hugo III sedere cœpit. Illos siquidem testes falsos dolososque Calixtus papa II postea vocavit. Dolus forsan eorum fuit in eo quod S. Stephani restaurationi non ab ipsa Leonis consecratione, sed a posteriori quodam ejusdem ecclesiæ complemento, diem apposuerant.

Gelasius Gelasioque Calixtus II successerunt, A prorsus aliud fuit super eadem re sedis apostolicæ consilium. Calixtus enim papa II is antea fuerat Guido, Viennensis archipræsul, quo præside Trenorchiensis conventus Stephaniensium ambitus improbaverat. Papam igitur rursus S. Joannis canonicis appellantibus, nihil Calixtus distulit quin Paschalem mendaciis fraudibusque delusum fuisse renuntiaret, et maternitatis privilegium S. Joanni demum adscriberet. Id memorant Calixti litteræ, datæ 10 Novembris 1121; apud Rer. Gall. Script., t. XV, p. 241. Qui etiam aliis atque amplioribus ad Ansericum B Ch. xix, col. 21. archiepiscopum litteris, eamdem sententiam, nec contumeliosis erga Stephanienses probris abstinens, significavit. Calixti decretum Eugenius III, Adrianus IV, Honorius III aliique innovarunt. Denique anno 1254, Innocentius papa IV, Hugone, S. Sabinæ cardinali, suadente, æmularum tamdiu ecclesiarum canonicos in unum collegium, sub ejusdem Ch. xciv, col. 86. decani regimine, coadunavit. Ab eo tempore unus non modo decanus, sed unus quoque major archidiaconus, unus cantor, unus thesaurarius, unum capitulum in ecclesia Bisuntina, et tam annosis dissidiis tandem C finis impositus.

Quæcumque ad historiam hujus controversiæ spectant amplioribus verbis referre operæ pretium non esset. De scholaribus tamen S. Joannis et S. Stephani quædam subjungere nemini forsan supervacaneum videbitur. Scholæ S. Joannis et S. Stephani jam sub undecimum sæculum claræ, in quas clerici pauperculi conveniebant, victum ostiatim rogantes. Ipsis vero æmularum scholarum magistris apertas colentibus inimicitias, discipuli quoque non semel manus conseruerunt. Eo etiam ventum est, ut pu- D blicos eorum conflictus compescere non ipse Vesuntionensis episcopus aliquando value- Ch. lxx, col. 64. rit. His de rixis lege Honorii III litteras quas infra typis mandabimus.

Singulos qui nobis innotuere tam S. Joannis quam S. Stephani decanos usque ad præmemoratum annum 1254 separatim recensebimus. Ab eo autem anno una describetur, sicut una fuit, majorum decanorum series. Decanum penes Bisuntinum, unione peracta, maxima jura : pontificatu scilicet vacante, ecclesiæ suprema cura; in conciliis provincialibus, ad sinistram archiepiscopi E conspicua sedes, et, in ipsis Burgundiæ comitiis, archiepiscopo absente, præsidis munus. Ab eodem quoque tempore, tres et quadraginta in metropolitano capitulo canonici exstiterunt; quos Carolus V, Hispanorum rex, mense Maio 1543, e nobili prosapia deductos esse jussit, hoc tamen excepto quod ignobiles quidam clerici ad eadem munera idonei reputarentur, dummodo theologiæ doctores essent. Præmemoratum Caroli V statutum Ludovicus XIV, Gallorum rex, mense Decembri 1684 confirmavit. Capitulum Bisuntinum archiepiscopali jurisdictioni minime obnoxium erat. Hoc jam duobus capitulis anno 1191 concessum. Anno 1236, quemdam S. Stephani canonicum archipræsul ante suum forum vocat: is vero vadimonium deserit, papamque judicem appellat; comperimus autem papam in ea re secundum S. Stephani canonicum statuisse. Ideo capitulum Bisuntinum, summo Pontifici nullo medio subjectum, visitatorem nunquam ullum, nisi sedis apostolicæ legatum, excepit.

Decani S. Joannis.

I. Theodoricus (1) reperitur, anno 1040, testis rerum Palmensi parthenoni ab Hugone I collatarum. Idem, 6 Novembris 1041, Ch. vii, col. 8. ejusdem Hugonis litteris subscribit de juribus ad ecclesiam S. Desiderio sacram pertinentibus; Monum. Basil. Episc., t. I, p. 172. Anno denique 1049 ad eum missæ Leonis IX litteræ, quibus possessiones ecclesiæ Bisuntinæ confirmatæ; *Droz*, t. V, p. 416.

II. Maynerius e permultis instrumentis innotescit. Anno circiter 1090, litteris subscribit Raymundi, Burgundionum comitis, qui, in procinctu ad Hispanicum bellum, omnes quas in ecclesia Vesuntionensi possidebat consuetudines dimittit. Testis est, v cal. Novembris 1092, Hugonis III monasterium Ch. xii, col. 14. S. Vincentii condentis. Idem circa tempus, eodem Hugone S. Stephano mediam partem decimarum Viletæ percipiendarum restituente, hanc restitutionem Maynerius obsignat. In eodem instrumento reperitur Bernardus, S. Joannis scholarum magister; *Droz,* t. V, p. 448. Maynerius postea, vii cal. Junii 1097, subscripsit litteris Hugonis ar- Ch. xiii, col. 17. chiepiscopi de prædiis ecclesiæ S. Stephani a Raymunda, nobili matrona, collatis. Ante eumdem Hugonem Maynerio diem dixit Ch. xvii, col. 19. Hugo, S. Stephani decanus, privilegium maternitatis ecclesiæ suæ restituendum esse clamitans. Lugdunensi concilio interfuit Mayne- Ch. xiv, col. 18. rius, pridie cal. Aprilis 1106, qua die sopita lis inter monachos Divionenses et canonicos Bisuntinos, de B. Maria Salinaria litigantes. Certo Maynerius usque ad annum 1110 su- Ch. xvi, col. 19. pervixit, qui Guillelmi archipræsulis litteris subscripsit de altari Vincellæ S. Joanni tradito, eumdemque approbavit plures ecclesias S. Benigno Divionensi confirmantem; inter Perardi Collect., p. 208.

III. Manasses inter decanos S. Stephani perperam a quibusdam recensetur: S. Joanni

(1) Stephanus quidem occurrit decanus S. Joannis anno circiter 620, cujus petitioni obsequens S. Prothadius libellum suum ritualem composuisse memoratur. Monachus vero aut canonicus regularis Stephanus hic fuit, et, cui præerant abbates, secundarius gregis forsan rector fuit.

sedenim præerat; qui postea, abdicato munere, apud canonicos S. Pauli secessit, ut rem nos his verbis S. Joannis necrologium docet: *X cal. Martii, obiit Manasses, ecclesiæ S. Joannis decanus, noster redditus, et hic regulariter sepultus.* Ante susceptum decanatum Manasses archidiaconi munus in ecclesia S. Joannis impleverat. Id comperimus e litteris Guillelmi archipræsulis altare Vincellæ S. Joanni adscribentis. (Ch. XVI, col. 18.) Deinde in eadem domo decanus erat 19 Martii 1122; e litteris Calixti II, quibus Paschalis decretum de privilegiis S. Stephani rescinditur. Occurrit dein anno 1124, in charta Anserici B archipræsulis, litem solventis inter quosdam laicos et canonicos B. Mariæ Magdalenæ; (Ch. XXI, col. 25.) anno 1126, in ejusdem diplomate de ecclesia S. Andreæ sacra, in vico *Bannens*, Romano Monasterio collata; e chart. Rom. Monast. Ipse dein, anno 1128, Pontio, Bellævallis abbati, prædium *Champors* confirmat. Manasse etiam præsente, 23 Septembris 1129, Ansericus possessiones S. Eugendi stabilivit. Idem denique, anno circiter 1130, litteris ejusdem Anserici de Bellævallensium rerum confirmatione subscripsit.

IV. Radulfus innotescit, anno 1131, ex C archipræsulis Anserici diplomate in ecclesiam S. Pauli regulares canonicos instituentis. (Ch. XXIII, col. 27.) Eidem idem Ansericus, anno dubio, discordantes scilicet notas charta præbente, reditus quosdam adscribit; *Droz*, t. V, p. 481. Reperitur quoque XII cal. Januarii 1132, in ejusdem Anserici litteris, S. Joanni Pauliacenam ecclesiam conferentis.

V. Ludovicus, anno 1140, ab Humberto archipræsule plures ecclesias confirmatas obtinet; *Droz*, t. V, p. 487. Idem, anno 1141, præsens memoratur in capitulo S. Joannis, ubi fœdus inter canonicos hujus ecclesiæ D Cisterciensesque Bisuntinæ diœcesis monachos initum approbat. (Ch. XXIX, col. 32.) Ex hujus fœderis summa permiserunt canonici ut quoslibet sibimet infensos monachi singulis dominicis diebus excommunicatos denuntiarent, et cujuscumque canonici decedentis anniversarium diem monachi Cistercienses se celebraturos spopondere.

VI. Stephanus I anno 1141 a Sammarthanis recensetur. Falsa videtur ea sub hunc annum Stephani mentio. Quidam revera Stephanus, S. Joannis dictus decanus, anno 1153, ad calcem litterarum Humberti ar- E chiepiscopi pro Corneolo reperitur; *Droz*, t. XIV, p. 431. Neque tamen is Stephanus S. Joannis decanatum tunc temporis occupabat. Supra memoratam igitur Humberti chartam anno 1143 adscribere per nos licebit, et ea saltem emendatione Sammarthanorum series confirmabitur.

VII. Landricus I *de Durnac* testis fuit, anno 1147, Humberti archipræsulis privilegium hoc S. Joannis capitulo concedentis, A ut proprium in Bisuntina moneta ministrum haberet. (Ch. XXXIV, col. 36.) Eidem Landrico, XII cal. Junii 1148, Eugenius papa III possessiones S. Joannis confirmavit; *Droz*, t. V, p. 512. Landricus Lausannensis episcopus consecratus est anno 1160.

Gualterius, cujus Sammarthani sub annum 1152 meminerunt, decanus erat S. Stephani.

VIII. Stephanus II, anno 1167, testis est Reginaldi de Treva cum Bellævallensibus monachis paciscentis: anno dein 1168, Herberti archipræsulis litteras obsignat pro B Monte Benedicti. Idem, anno 1174, sententiam contra Theodoricum, S. Stephani decanum, latam laudat, (Ch. XLIV, col. 43.) et eo circiter anno Eberardi archipræsulis pro Bethania litteris subscribit. (Ch. XLV, col. 43.) Bellævallensi conventui, anno 1177, medium condonat censum quem S. Joanni *Champors* coloni persolvere solebant. Legitur etiam, annó 1178, prædium Fontanellas suum ecclesiæ S. Joannis contulisse, (Ch. XLVII, col. 44.) quod Guigoni de S. Michaele, Hierosolymitanorum fratrum magistro, canonicorum cœtus, sub annui reditus conditione, tradidit. Unius tantum Stephani, S. Joannis C decani, meminit necrologium ecclesiæ Bisuntinæ, IV cal. Julii.

IX. Landricus II reperitur, anno 1183, testis Theodorici archipræsulis nonnulla Corcellis data confirmantis, (Ch. LII, col. 51.) litemque dirimentis inter Bellævallenses monachos et præpositum vici *Noroy;* (Ch. LIII, col. 52.) ejusdem etiam, anno 1186, collata Bethaniæ plura approbantis; *Droz*, t. XI, p. 156. Landricus dein, anno 1188, litteris Theodorici pro Alta Ripa, et, anno 1194, Amedei pro Bellavalle subscribit; ibid., t. X, p. 74. Capto Amedeo et carceri mandato, ejus vices Landricus im- D plevit: quo nomine, Fredericum, militem, cum canonicis S. Pauli fœdus fecisse testatus est; ibid., t. VII, p. 210. Ea vero charta notis chronicis caret.

X. Guillelmus *de Canisio*, alias *de Chay*, anno 1200, Guidonis *de Vuillafans* litteras obsignat S. Vincentio plura condonantis. Anno dein 1201, subscribit instrumento Stephani, Burgundionum comitis, erga Luxovienses benefici; Comm. et Docum. ad Sequan. spect., t. III, p. 488. Eumdem reperies, anno 1204, in schedula qua Guillelmus comes quædam ab ipso ecclesiæ S. Stephani E collata permutavit. Testatur dein, anno 1209, S. Joannis capitulum ecclesiam *Cume* abbati Goliæ tradidisse; *Droz*, t. V, p. 570. Accincto quoque, anno 1210, confert quidquid juris habebat in *terra S. Stephani*, apud *Ogney;* e chart. Accincti, ch. 48. Anno denique 1220, cum fratribus Hierosolymitanis villam Syliniacenam incolentibus de jurisdictione in ea villa exercenda pactus est. (Ch. LXVII, col. 62.) Obiit III non. Novembris; e necrologio ecclesiæ Bisuntinæ.

Nullus igitur superest locus cuidam Stephano, quem Sammarthani sub annum 1219 posuere.

XI. Alexander *de Montaigu*, Alexandri Burgundionis et Beatricis Cabilonensis filius, occurrit IX cal. Octobris 1229, jura describens a capitulo S. Joannis decano collata, quæ vacante metropolitana sede exercebat, et, anno 1243, monachis Cisterciensibus Montem S. Mariæ incolentibus permultas decimas ipse, consentiente capitulo, condonans; *Droz*, Comm. de Pont., p. 238. Anno 1245, mense Maio, Cabilonensis præsul Alexander designatur in Lugdunensi concilio. De eo plura, t. IV, col. 904.

Nullus post eum S. Joannis decanus reperitur.

DECANI S. STEPHANI.

I. Lambertus (1) innotescit, anno 1040, ex Hugonis I charta de rebus Palmensi parthenoni collatis. Idem, 6 Novembris 1041, in diœcesana synodo, litteris ejusdem Hugonis subscribit de juribus ad ecclesiam S. Desiderio sacram pertinentibus; Monum. Basil. Episc., t. I, p. 172. Anno tandem 1049, ad eum scribens Leo papa IX, S. Stephano confirmat ab Hugone archipræsule data; *Droz*, t. V, p. 414. (Ch. VII, col. 8.)

II. Godofridus, anno 1066; e Sammarthanis.

III. Manegaudus subscripsit, sine designatione sedis decanus, anno circiter 1086, litteris Guichardi S. Stephano hæreditaria prædia condonautis; ibid., t. V, p. 443. Unde Sammarthani eum S. Stephani, eumdemque Dunodius S. Joannis decanis annumeravere. Utraque forsan æque improbanda conjectura. Certe Manegaudus, idem aut alter, sub idem tempus B. Mariæ Magdalenæ decanus in diversis chartulis nuncupatur. Inter alias infra vide chartam de fundatione S. Vincentii. (Ch. XII, col. 15.)

IV. Hugo de Valle Traversa, sicut eum quidam nuncupant, circa annum 1090, Raymundi, Burgundionum comitis, testis est quascumque possidebat in ecclesia Bisuntina consuetudines dimittentis. Deinde subscripsit, V cal. Novembris 1092, Hugonis archiepiscopi litteris de fundatione S. Vincentii. (Ibid.) Eum quoque Paschalis papæ II litteræ memorant, una cum Hugone de Palma et Eberardo, S. Stephani canonicis, coram Hugone III privilegium maternitatis ecclesiæ S. Stephani tribuendum sub id circiter temporis asseruisse. (Ch. XVII, col. 19.) Anno dein 1106 Lugduni reperitur, qua in urbe, pridie cal. Aprilis, episcoporum cœtui interfuit, qui canonicos Bisuntinos monachosque Divionenses de B. Maria Salinaria litigantes ad ineundam pacem compulerunt. (Ch. XIV, col. 18.)

(1) Uti Stephanus S. Joannis, sic S. Stephani decanus Ayminus erat anno 620.

A V. Guido I, anno 1110; e Sammarthanis. Hic autem, cujus nomen nulla ad nos delata chartula suppeditat, non alius forsan a Guidone, de quo infra, ab anno 1183 usque ad annum circiter 1212.

VI. Petrus *de Traves* decanus S. Stephani et simul archidiaconus nuncupatur. E clara stirpe deductus, Reginaldum, comitem stabuli, fratrem habebat. Subscribit Petrus, anno 1120, litteris quibus Ansericus archipræsul inter Balmenses monachos et canonicos B. Mariæ Magdalenæ de patronatu Dolensis ecclesiæ pacem facit. (Ch. XVIII, col. 21.) Idem, anno B 1129, reperitur in ejusdem Anserici diplomate de possessionibus Jurensis monasterii confirmatis. Qui etiam, 17 Septembris 1132, ejusdem chartam, qua abbatiæ Casæ Dei Faverniacensis abbatia submittitur obsignat. Eo quoque præsente, anno 1133, Gualcherus, Humberti Salinarii filius, S. Paulo confirmat ab avis data, et, anno 1134, Ansericus archipræsul B. Mariæ Magdalenæ ecclesias *Gouz* et *Pusuz* confert; *Droz*, t. XV, p. 320. Hoc etiam anno incipiente, sigillo suo testis communivit solemne instrumentum, quo Corneolensis prioratus abbatia fieri (Ch. XXV, col. 29.) C cœpit Præmonstratensium institutis subjecta. Ipse chartam edidit, anno 1136, de concesso Bellævallensibus prædio quod *terram S. Stephani* nuncupabant; ibid., t. IX, p. 251. Anno 1139, ei plures ecclesiæ ab Humberto archiepiscopo confirmatæ; ibid., t. V, p. 485. Obsignavit, sub annum 1140, litteras ejusdem Humberti archipræsulis jura bonaque San-Vincentianæ abbatiæ stabilientis. Quo et anno, monachis Speciosæ Vallis ipse concessit ut aggerem molendini, *Chambornay* siti, opere novo firmarent; (Ch. XXX, col. 32.) idemque circa tempus testis fuit Richardi D de Monte Falconis, Cyriacum eidem abbatiæ condonantis. Eidem quoque tempori, ut videtur, adscribenda, aspera quidem ad Petrum Bernardi, Claraevallensis abbatis, epistola. Monachos scilicet Cari Loci Cistercienses quam plurimis Petrus molestiis afflixerat, hique papam rei judicem appellaverant : ideo Bernardus Petrum monet ut quam citissime cum Carilocensibus transigat, et summi Pontificis judicium sic anteveniat. Ad eumdem scribens, anno, ut videtur, 1146 (1), Eugenius papa III singula S. Stephani bona protegenda suscepit. Iteratis ad E eumdem missis litteris, idem papa earumdem possessionum tutelam ad se spectare recognovit, XIII cal. Januarii 1148; *Droz*, t. V, p. 505. Eo etiam anno, ei, quem sibi *valde dilectum* appellat, Reginaldus, Burgundionum comes, ab avis S. Stephano data confirmat. Eo denique anno, 20 Maii, Petrus

(1) Apud *Droz*, t. V, p. 495, cum his discordantibus notis : anno 1143, pontificatus Eugenii III anno primo, IV cal. Martii, ind. VIII. Annus Eugenii primus incipit 4 Martii 1145.

reperitur in epistola Eugenii papæ III, de restituenda Cluniacensibus Biliacena ecclesia. Humberti archipræsulis Petrus cancellarius fuerat, ut legitur in charta de Cyriaco prælaudata.

Radulfus de Acella decanus S. Stephani in necrologio Bisuntinæ ecclesiæ memoratur, IV id. Julii, anno prætermisso. Hujus autem obitum Drozianæ schedæ, conjectura, vel prava lectione, anno 1140 adscripserunt, t. V, p. 488. Dunodius quoque Radulfum de Acella, sub annum 1138, S. Stephani decanis annumeravit. Ex eo quod de Petro supra memoravimus jam satis apparet hunc Radulfum annis 1138 et 1140 S. Stephani decanatum minime tenuisse. Adverte vero quod Dunodio ignotus pertransiit Radulfus, S. Stephani sine dubio decanus anno 1238. Emendato igitur anno Radulfi decanatum occupantis centesimo, Dunodii series tot mendis scatens in eo saltem recta fiet.

VII. Gualterius, Hugonis, Burgundiæ ducis, frater, anno 1151, Roseriis agrum *Bruillout* concedit; ut e chartulario Roseriensi comperimus, inter schedas *Droz*, t. X, p. 402. Anno dein 1152, Belli Fontis
C. XXXVIII, col. 38. priori ecclesiam *Pins*, sub conditione census annui confert, et anno 1155 memoratur in charta Bovonis, clerici, prædictum *Bruillout* agrum Roseriis confirmantis. Anno quoque incerto, testimonio suo firmat datum aliud Humberto, Roseriarum abbati, a canonicis S. Stephani prædium. Idem, anno 1162, Vesuntionensis archiepiscopus exstitit, et anno 1163 Lingonensis ecclesiæ gubernaculo præfectus est.

VIII. Theodericus *de Montfaucon* Gualterio successisse videtur. Acerba inter Theodericum monachosque Bellævallenses dissidia super decimis variisque prædiis. Quamobrem, anno 1174, non semel utraque pars
Ch. XLII, col. 41. coram Eberardo archipræsule stetit. Omni vero causa Theodericus, multa postquam incassum moverat, cecidit. Eodem quoque anno, Eberardi litteris subscripsit, quibus Bello Campo ecclesia *Voujancourt* confirmata, eumdemque audivit Bethaniæ jura recognoscentem. Anno 1180, Bisuntinus archipræsul Theodoricus conclamatus est.

Ch. LII, col. 51. IX. Guido II testis est, anno 1183, Theoderici archipræsulis nonnulla Corcellis data confirmantis, et ejusdem, anno 1185, certum præscribentis numerum canonicorum in ec-
Ch. LV, col. 52. clesiam S. Mariæ Magdalenæ sacram intromittendorum. Quo etiam anno, ab Urbano V litteras accepit, S. Stephanum protegendum excipiente. Occurrit dein anno 1189, a Frederico imperatore prædium dictum Villam Novam impetrans. Magna inter eum et Amedeum archipræsulem dissidia, cujus nomen de perjurio, simonia, incestuque ad papam detulit. In ea vero causa Guido cecidit. Idem, anno 1200, testis est S. Vincentio da-
A torum a Guidone *de Vuillafans*. Ejus necrologium S. Joannis meminit, IV id. Julii.

X. Guillelmus I ab anno saltem 1213, quo, coram Amedeo archipræsule, de variis juribus cum abbate S. Vincentii pactus est. Anno dein 1216, litteras edidit de Humberto *d'Argençai* cum S. Vincentio quædam permutante.

XI. Gerardus de Rubeo Monte, filius Theobaldi comitis, inter decanos S. Joannis a quibusdam recensetur. S. Stephano vero præfuit, ut satis constat ex ejus litteris, in gratiam hujus capituli datis anno 1224; quæ
B scilicet sequentia præbent : « Præterea cum « in præfata ecclesia S. Stephani ab infantia nostra conversati fuerimus, et educati, « et *in decanum* etiam ejusdem ecclesiæ « processu temporis promoti; » *Droz*, t. V, p. 599. Anno 1220, IX cal. Augusti, Lausannensis ecclesiæ præsul salutatus est, nec multo post in metropolitanam cathedram translatus.

XII. Guillelmus II postea occurrit, quem Guillelmum de Turre tam Sammarthani quam Dunodius nuncupant, factumque postea referunt Cabilonensem episcopum. Id
C autem nec verum est, nec videtur simile vero. Guillelmus enim de Turre anno 1231 incipiente Cabilonensis antistes renuntiatus est. Decanus autem Vesuntionensis Guillelmus S. Stephano post annum 1232 præfuit. Adde quod is sub hoc tempus e societate fidelium apostolica sententia segregatus fuit : quod ad Guillelmum de Turre, Cabilonensis tunc ecclesiæ clavo secure assidentem minime spectare potest. Rectius nostrum hunc S. Stephani decanum vetus ecclesiæ Matisconensis calendarium Guillelmum de Vienna appellat, eumque post-
D ea, deposita scilicet canonicorum veste, Viennensem comitem exstitisse contendit. Idem insuper vocatur *nobilis vir Guillelmus Viennensis, decanus S. Stephani Bisuntini*, anno 1233, vel 1235, in litteris Nicolai archipræsulis, donum ab eo S. Stephano factum sancientis. Adverte quod ipse Dunodius, Hist. Ves. Eccles., t. I, p. 199, has Nicolai litteras contraxerit, et Guillelmi Viennensis eo loco nomen exscripserit, cujus, seriem decanorum S. Stephani condens, oblitus est. Filius erat Guillelmi II Viennensis comitis et Scholasticæ Campaniensis. Nunc
E enarrandum quam ob causam munere suo privatus, imo excommunicatus Guillelmus fuerit. Haimonem, Matisconensem episcopum, Joannes, comes Matisconensis, sibimet infensum expertus erat. Amicissimus, ut videtur, Joanni comiti Guillelmus Viennensis, idem qui una Matisconensis canonicus et Vesuntionensis decanus erat. Ambo igitur Haimonem e media ecclesia sustulerunt et in carcerem detruserunt. Gregorius autem IX, audita re, ad abbatem Maceria-

rum scripsit, 22 Martii 1233, ut in Guillelmum, beneficiis omnibus destitutum, excommunicationis fulgura detorqueret. Prædictas Gregorii litteras habemus inter apographa quæ Roma detulit D. *La Porte du Theil*. Eo vero anno 1233, Henricus, Guillelmi II comitis filius natu major, Genevæ decessit. Tunc ergo Guillelmo decano licuit ut Viennensem comitatum sibi vindicaret. Quod fecit, et ecclesiasticis dignitatibus æternum vale dicens, Isabellam, alias Elisabetham, Lotharingam uxorem duxit, anno 1255 decessurus.

XIII. Radulfus de Accla unus fuit, anno 1237, e Geoffridi archipræsulis insectatoribus. Quippe cum eo de nonnullis juribus in archidiaconatu *Amoys* exercendis acerrime litigans, ipsum a visitandis ecclesiis, quarum peculiaris administratio penes decanum Stephaniensem erat, prohibuit, et imo pejora minatus est : quapropter fraternis
C. LXXXVII, col. 81. inimicitiis inserviens, Ric., Radulfi germanus, villam archiepiscopalem *Noroy* non multo post oppugnavit, captamque deprædatus est. Horum autem dissidiorum, quorum investigationem Lingonensi episcopo summus Pontifex demandavit, exitus ignoratur.

XIV. Stephanus *de Montbéliard,* Richardi comitis et Agnetis de Burgundia filius, occurrit, Septembri mense 1244, sigillo suo firmans pactum inter Richardum *de Dampierre* et monachos S. Vincentii.

XV. Pontius *de Cicons,* litteras edit anno 1248, quibus palam facit Bartholomæum *de Ceys,* ad Hierosolymitanas oras migrantem, mediam quamdam domum Bellævalli dedisse. Idem, anno 1253, pactionem inter archiepiscopum Bisuntinum et civilem vici *Noroy* præfectum initam litteris publicis commendat. Obiit XVI cal. Novembris; e necrologio ecclesiæ Bisuntinæ.

Decani Vesuntionenses,

Unitis S. Joannis et S. Stephani ecclesiis.

I. Joannes I occurrit, mense Maio 1257, una cum Guillelmo, archiepiscopo, quæ tam canonicorum Bisuntinorum occisoribus, quam ædium villarumque archiepiscopalium deprædatoribus, pœnæ irrogandæ sint, solemni decreto Bisuntinæ provinciæ proceres populumque docens. Hoc sancivit decretum Alexander papa IV, IV cal. Maii 1258.

II. Guillelmus I *de Joinville*, idem quoque Salinarius archidiaconus, Joannis, celeberrimi scriptoris, germanus erat. De eo fidem facit his verbis ecclesiæ Bisuntinæ necrologium : « III cal. Novembris, obiit Willermus de Joinvilla, decanus Bisuntinus, « presbyter cardinalis, qui construxit capellam S. Jacobi, et instituit ibidem quamdam « capellaniam, cui dedit furnum de *Suz*

A « *Bonnal* et vineam quam plantavit apud « *Veilley;* pro quibus capellanus dictæ capellaniæ debet 20 sol. Item dedit S. Stephano capellam suam integram et multa « alia pretiosa ornamenta, et 40 sol. assignatos super domum refectorii nostri, pro 40 « libris quas capitulum recepit ab ipso decano, et qui tenebit dictam domum tenetur solvere prædictos 40 solidos. » De Guillelmi tamen cardinalatu dubitare per nos licebit.

III. Bernardus de Vallegranosa sub annum 1266 a Sammarthanis recensetur. Si
B forte Bernardi nomen ibi jure positum, ante annum 1266 munere cesserat, ut Odonis sequentis nemini suspecta chartula rem testatur.

IV. Odo, frater Eberardi de Novo Castro, recens electum semet profitetur anno 1265, die qua *Reminiscere* cantatur, in litteris quibus agnoscit B. Mariæ Magdalenæ canonicos electionibus archiepiscoporum Bisuntinorum semper interfuisse. Testis est, 10 Junii 1268, Hugonis, San-Vincentiani abbatis, Albericum servum manumittentis. Nec multo post, Hugone prælaudato mor-
C tuo, Joannem, S. Vincentii abbatem, inter Bisuntinos canonicos admittit, Augusto mense ejusdem anni. Eodem quoque anno, litteras Henrici *de Jou,* consobrini sui, obsignat, quibus is beneficiarium prædium *Ouens* rursus a se receptum profitetur; *Droz,* t. XVI, p. 278. Ipse, 2 Novembris 1271, statutum edit, quo jubetur ut plures capituli Bisuntini præbendæ pastorale ministerium adnexum habeant. Quo et anno plura S. Joanni confert, ut scilicet hujus ecclesiæ canonici, non modo suum, sed etiam Eberardi, fratris sui nuper defuncti, anni-
D versarium celebrent. Anno 1272 incipiente, sub Januarium mensem, Odo reperitur cum Alicia, Burgundiæ comitissa, de prædio *Veilley* paciscens; ibid., t. XVI, p. 319. Eo etiam anno, cal. Octobris, ejusdem meminit chartula pactum referens inter Caritatis et S. Vincentii monachos initum. Ipse quoque, calend. Septembris 1273, cum monachis S. Vincentii transigit, et, II non. Novembris 1275, archiepiscopi Bisuntini partes implens, ecclesiæ Dolensis rectorem instituit. Prætereunda quidem multa, brevitatis consectatione, quibus, auctoritate
E magna valens, Odo suam operam contulit. Memoremus tamen eum Joannem de Vergiaco, Burgundiæ senescallum, ob vim prædio cuidam suo illatam excommunicavisse, et cum eo Septembri mense 1280 composuisse; ibid., t. XVI, p. 403. Quo etiam anno, mense Decembri, Theobaldi de Novo Castro, quem e fratre nepotem appellat, litteras obsignat, Montis Biligardi beneficiarium prædium rursus ab Othone comite suscipientis; ibid., p. 417. Perperam igitur

D. Richardus eum Decembri mense 1272 decessisse memorat; Hist. Diœc. Vesunt., t. I, p. 537. Ejus XVIII cal. Januarii martyrologium ecclesiæ Bisuntinæ meminit.

V. Theobaldus *de Faucogney* e thesaurario decanus occurrit, III non. Julii 1295, testis Joannis de Castellione sacramento semet erga Bisuntinum archiepiscopum obligantis. Obiit 24 Februarii; e necrologio S. Pauli : non tamen anno, ut Sammarthanis placuit, 1300; eo enim anno, die Lunæ post octavam B. Joannis, in capitulo sedit, qua die statutum edidit de prioris *Chatenoy* incarceratione; *Droz,* t. VII, p. 96.

VI. Hugo memoratur anno 1302, die Jovis post festum S. Joannis, sede vacante, in litteris Roberti, S. Vincentio decem solidos quotannis persolvendos condonantis; ind. Vincent. chart., n. 359. Eum tamen non alium ac Henricum sequentem fuisse conjicimus. Iterum enim in Vincentianarum chartarum indice, sub annum 1312, Henricus *de Faucogney* Hugo de *Faucogney* nuncupatur.

VII. Henricus I *de Faucogney,* thesaurarius antea Graiensis, Faverniacensis, Salinarius et Luxoviensis, decani munere fungebatur anno 1304, quo canonicos S. Mauricii Salinarii visitatione immunes renuntiavit; apud D. Richardum, Hist. Diœc. Vesunt., t. II, p. 14. Idem, 3 Martii 1309, semet quindecim salis sarcinas, singulis annis, dum viveret, colligendas, a Stephano, Luxoviensi abbate, pretio comparavisse testatur. Aliquot interjectis annis, die Lunæ post Inventionem B. Stephani 1313, Vitali recens electo munia juraque camerarii et cantoris Bisuntinorum nota facit. De eodem mentio reperitur anno 1325, in regestis officialis Bisuntini. Obiit Henricus de Falcogneio XII cal. Martii 1327, qui plura ecclesiæ Bisuntinæ dona contulerat, ut in ejusdem ecclesiæ necrologio memoratur.

VIII. Hugo II *de Vienne,* ab anno, ut videtur, 1327. Bisuntinus archipræsul exoptatur anno 1334.

IX. Joannes II de Calviniaco postea memoratur, qui munere, ut ferunt, semet abdicavit. Quodcumque tamen super Joanne de Calviniaco a Sammarthanis traditur multum dubitationis habet. Si quæ fides enim Drozianis schedis, Joannes *de Corcondray* jam Vesuntionensis decanus erat 2 Martii 1335, secundum hodiernum calculum, qua die de prædio *Vielley* cum Hugone archiepiscopo pactus est; *Droz,* t. I, p. 562. Quin imo, Mercurii die ante S. Andreæ sacrum diem, anno 1334, Joannes idem *de Corcondray* Joannæ *de Cresancey* testis legitur quoddam pratum S. Vincentio vendentis; ex ind. Vincent. chart., num. 1283.

X. Joannes III *de Corcondray* e scholastico Bisuntino decanus electus est. De eo, sub annum 1321, Joannes Jac. Chiffletius rursus memorandam rem enarrat. Eo tempore jam scholasticus Avenionem semet receperat : qua in urbe a duobus Græcorum episcopis poposcit interpretationem quorumdam Græcorum vocabulorum, circa thecam S. Joannis Calibitæ, in ecclesia S. Stephani Bisuntini servatam, inscriptorum. Unde comperitur valde pusilla tunc in Bisuntino clero linguæ græcæ scientia. Joannem hunc Sammarthani referunt anno 1341 electum fuisse. Id autem, sicut diximus, minime comprobatur. Eo præsidente, 17 Maii 1342, canonici Bisuntini statutum edunt de præbendis quæ, uti presbyterales, officium presbyterale conjunctum habebant. Idem, 14 Septembris 1348, patrimonium Henrici *Chuchard,* monachi, quem perpetuus carcer exceperat, sibi vindicans, in causa cadit. Parva autem ei inde molestia : multo major ex his quæ nunc enarranda sunt. Othoni, Burgundiæ duci, in quem tota nuper agri Vesuntionensis nobilitas conjurata, Joannes adhæserat. Ob id ei Theobaldus de Novo Castro infensissimus. Arrepta igitur occasione, Theobaldus pluresque ejusdem partis milites Joannem mucronibus evaginatis aggrediuntur, vulnerant, captivum in carcerem detrudunt, et ejus collo ferream armillam viginti librarum pondus habentem apponunt. Audax quidem facinus media in urbe patratum. Sed ea tempestate quis in exercendis inimicitiis modus? Appellat Joannes papam tantæ injuriæ vindicem. Mox, papæ mandato, Nicolaus, Riperiæ archidiaconus, in ecclesia Æduensi, Theobaldum de Novo Castro, ejusdemque sceleris socios, Guillelmum scilicet *Le Vaillon de Sanceis,* Joannem et Henricum, ejus filios, Richardum *de Ceys* et nonnullos alios excommunicatos denuntiat, 15 Junii 1350. Fregit Theobaldi contumaciam apostolicum fulgur : qui, postquam Joannem liberum dimiserat, in capitulum Bisuntinum venit sub Augustum mensem, et ab ipso Joanne rei oblivionem supplex poposcit. Anno dein 1354, 1 Decembris, manumissioni Guillelmi et filiorum ejus Joannes assentit, posteaque, anno scilicet 1358, 17 Maii, in capitulo sedens reperitur, qua die pristinum de beneficiis conferendis statutum confirmatum est. Obiit XII cal. Martii 1360; e necrologio ecclesiæ Bisuntinæ : eodem anno, sed 22 Octobris, tam apud J. Jac. Chiffletium quam apud Sammarthanos.

XI. Ludovicus *de Montfaucon* decanatum post Joannis mortem consecutus est, et aliquantisper rexit. Anno vero 1361, XV cal. Decembris, in metropolitanam sedem evectus est.

Ei Dunodius Amatum, Amedeum, Aimonemve *de Villersexel,* dein archiepiscopum Bisuntinum, successisse refert. Dunodium autem in eo refellunt J. Jac. Chiffletius, ano-

nymus S. Pauli canonicus et ipse Urbanus papa V, Aymonem qui ex archidiacono Bisuntino factum archipræsulem concorditer memorant.

XII. Richardus *Picque*, quem alii, improbanda, ut videtur, conjectura, *La Pie*, vel *L'Agace*, nuncupant, reperitur anno 1363 in regestis officialis Bisuntini. Idem, die Sabbati ante festum B. Catharinæ 1370, testis est Aymonis archiepiscopi anniversarium suum in ecclesia Bisuntina condentis. Agnoscit, 3 Maii 1372, castrum dictum *Vielley* in dominio Bisuntini archipræsulis positum esse. Comitiis dein anni 1374 generalibus Richardus interfuit, ibique summam laudem adeptus, in Remensem cathedram ante finem hujus anni regis favore translatus est. Vide supra, t. IX, col. 130.

XIII. Guillelmus II de Porta ob Villeyum, archiepiscopale castrum, obsequium Guillelmo archipræsuli promittit, 3 Octobris 1376. Anno 1404, anniversario S. Desiderati in ecclesia S. Pauli celebrato, cum Guillelmus ad mensam conventualem accederet prandiumque canonicis Bisuntinis de more offerendum deposceret, acerbam ab Henrico abbate repulsam passus est: qui scilicet canonicos mensæ jam accumbentes his, ut aiunt, verbis, furenti similis, allocutus est: *Sus, sus, de par le diable!* eosque foras non sine verberibus ejecit. Quam ob rem prædictus Henricus sententia Bisuntini archiepiscopi excommunicatus est. Memoratur deinde Guillelmus annis 1410, 1414, in regestis officialis Bisuntini. Obiit, e Sammarthanis, 6 Junii 1415.

XIV. Leo *Maccenet*, e vico *Noseroy* oriundus, vulgo dictus *Lyon de Noseroy*, decanatum anno 1415, secundum Sammarthanos, obtinuit. Occurrit, 21 Martii 1422, testis juramenti archiepiscopo Bisuntino a Philippo duce præstiti. Idem, 9 Aprilis 1428, in ecclesia S. Joannis, clericorum laicorumque conventui præest, inter quos de discriminibus ecclesiæ Bisuntinæ multus sermo. Eo quoque præsente, 13 Aprilis 1433, Stephanus *de Chaffois* semet archiepiscopi Bisuntini fidum clientem profitetur: quo etiam Ch. cxxi, col. 112. anno, 8 Junii, quæ sint camerarii, quæ cantoris Bisuntinorum munera juraque, coram Joanne archiepiscopo memorat. Obiit Leo 10 Decembris 1434, et in atrio majori ecclesiæ S. Stephani sepultus est.

XV. Joannes IV *de Fruyn*, patria Poliniacenus, canonicus S. Capellæ Divionensis, decanus Bisuntinus legitur, 24 Martii 1436, in litteris Joannis archiepiscopi sen- Ch. cxxiii, col. 115. tentiam excommunicationis in cives Bisuntinos latam abrogantis. Ipse mox Joannes *de Fruyn* archiepiscopus Bisuntinus a canonicis electus est 24 Aprilis 1437, et a Basileensi concilio utique confirmatus XVI cal. Novembris. Integrum autem munus, Eugenio IV obstante, assequi non valuit, et vanum, anno 1438 incipiente, titulum, retenta pensione, dimisit. Iterum ab eo tempore decanus reperitur: quo nomine, 25 Augusti 1441, cœtui interest qui sententiam adversus civem quemdam Bisuntinum ab ecclesiasticis judicibus latam cassam fecit. Coram eodem, 20 Martii 1488, in castro *Vielley*, cives Bisuntini de Quintino archiepiscopo, eos qui excommunicationis vinculo innodaverat, acerbe queruntur; *Droz*, t. XXV, p. 687. Dein, 5 Novembris 1457, testis occurrit Henrici *de Rye* obsequium Quintino archiepiscopo promittentis. Obiit anno sequente, atque in ecclesia S. Stephani sepultus est, cum hoc epitaphio: *Hic jacet venerandus pater et dominus magister Joannes de Fruyno, de Poligniaco, in legibus licentiatus, decanus et canonicus, electusque concorditer ecclesiæ Bisuntinæ, ac ecclesiarum Tornacensis, capellæ ducis Burgundiæ de Divione, S. Anatolii et S. Michaelis de Salinis canonicus, ipsius domini ducis consiliarius. Obiit anno* 1458, 14 *Septembris*.

Inter Vesuntionenses decanos nonnulli Jacobum quemdam *Mouchet* recensent, eumdemque Philippi ducis in Basileensi concilio vices implevisse asserunt. E supra dictis satis apparet Jacobum hunc *Mouchet* Vesuntionem decanum mimine fuisse.

XVI. Joannes *de Poupet* decanatum regendum suscipit anno 1450. Anno dein 1460 in regestis officialis Bisuntini reperitur. Idem præpositus erat S. Anatolii Salinarii. Electus est episcopus Cabilonensis 19 Februarii 1461.

XVII. Hugolinus *Folain* Joanni successit ex archidiacono majore. Castelli idem prior commendatarius. Occurrit anno 1476 in regestis officialis Bisuntini. Quo anno Romæ decessit.

XVIII. Henricus II *de Bergue*, 1476. Is munere semet abdicavit.

XIX. Claudius I *Carondelet* Henrico abdicanti successit 20 Januarii 1478, decessurus Mechliniæ 10 Januarii 1486.

Inter Claudium Joannemque *Carondelet* D. Richardus, Hist. Diœc. Ves., t. II, p. 191, quemdam Joannem *de Liévans* recenset. De eo tamen nihil certi comperimus.

XX. Joannes VI *Carondelet*, utriusque juris doctor, archiepiscopus Panormitanus, primas Siciliæ, præpositus S. Donatiani Brugensis et S. Walpulgæ Furnensis, abbas Montis Benedicti, etc., etc., decanus instituitur anno 1486. Non parva inter eum et Henricum de Novo Castro, archiepiscopalem camerarium, contentio exarsit, asserente Joanne non tantum spiritualem diœcesis administrationem, verum etiam ecclesiasticorum prædiorum curam custodiamque ad decanum, cum sedes metropolitana vacaret, pertinere. Qui tandem, 17 Septem-

bris 1498, his de dissidiis pactum fecerunt. Hoc inter eos pacto statutum est, ut decanus vectigalia quædam tam Vesuntione quam Gyaci perciperet, Burgillarumque ecclesiam et capellam S. Laurentii procuraret, ceterarum archiepiscopalium possessionum administratione camerario reservata. Mox Joannes Bruxellas accitus, ut coram Francisco archipræsule de reditibus ab ipso vacante sede collectis rationem exhiberet, Francisci mandato 26 Octobris 1499 paruit. Obiit Mechliniæ 7 Februarii 1543, ætatis anno 75. Epitaphium ejus vide supra, t. V, col. 247.

XXI. Claudius II *Carondelet*, antecedentis e fratre nepos, ejusque ab anno 1531 adjutor, decanus reperitur ab anno 1543, Brugis obiturus anno 1564.

XXII. Franciscus I *de Grammont de Vezet* de possessione decanatus diu litigavit cum Francisco *de Poitiers*, a summo Pontifice instituto, cumque Mercurino *de Jaillon*, in quem Franciscus *de Poitiers* suum jus transtulerat. Utrumque tamen vicit, Mercurino viam officiali Bisuntino constanter prohibente. Occurrit Franciscus, annis 1568, 1574, 1579, in Burgundiæ comitiis. Anno 1580, abbas Faverniaci renuntiatur; anno 1587, Montis Benedicti. Hic ad cardinalem Granvillanum scribens, 20 Augusti 1585, de rectoribus urbis querebatur, eos referens cuilibet ecclesiasticæ potestati adeo infensos esse, ut canonici securam vitam agere non possent, nisi nimium in præsidarios milites alendos sumptum facerent. Franciscum archiepiscopum Bisuntinum Vesuntionenses canonici 11 Decembris 1586 elegere: hanc autem electionem summus Pontifex cassam fecit. Dimisso decanatu, obiit Franciscus anno 1595.

XXIII. Prosperus *de la Baume-Montrevel* dimissum a Francisco munus anno 1591 adipiscitur. Burgundiæ comitiis postquam interfuerat 2 Martii 1598, obiit 7 Junii 1599. Idem abbas S. Pauli, Cari Loci et Miratorii.

XXIV. Franciscus II *de Rye*, Ferdinandi archipræsulis e fratre nepos, Bisuntinus decanus fit anno 1599; qui etiam abbas Perseniæ apud Cenomanos anno 1603 reperitur. Idem ex episcopo Cæsariensi, archiepiscopi Bisuntini suffraganeo, archiepiscopus ipse instituitur anno 1636.

XXV. Claudius III *d'Achey* ex archidiacono majore suffragiis canonicorum decanus creatur 3 Septembris 1636; anno dein 1638, archiepiscopus Bisuntinus.

XXVI. Claudius IV Christophorus *de Vienne de Beauffremont*, marchio *de Listenois*, eligitur 19 Augusti 1638, moriturus 15 Martii 1639.

XXVII. Carolus Emmanuel *de Gorrevod*, marchio *de Marnay*, Leopoldi archiducis cortinæ præfectus, Caroli Emmanuelis, ducis *de Pont de Vaux*, filius, eligitur decanus 29 Martii 1639. Idem 25 Octobris 1653, prior S. Justi, in urbe Arbosio, creatus. Burgundiæ comitiis, 23 Aprilis 1654, interfuit, et anno sequente archiepiscopus electus evasit.

XXVIII. Joannes VII Jacobus *Fauche de Domprel*, antecedente abdicante, eligitur 2 Julii 1655. Qui, anno 1657, in Burgundiæ comitiis reperitur. Ipse quoque, anno 1659, archiepiscopatum adeptus est.

XXIX. Humbertus Guillelmus de Præcipiano, Vesuntione ortus, archidiaconus major Bisuntinus et abbas Bellævallis, in vacantem decani sedem canonicorum suffragiis evehitur 31 Augusti 1661. Alexander vero papa, Joannem Jacobum infulis archiepiscopalibus donans, ut decanatum retineret, datis 26 Februarii litteris, permiserat. Unde lites. Ab ecclesia quidem et capitulo Humbertus Guillelmus abstinuit; jus tamen suum nullo modo dimisit. Joanne Jacobo dein mortuo, et Antonio Petro *de Grammont* archiepiscopo jam a suprema sede confirmato, eidem Antonio Petro summus Pontifex decanatum, archiepiscopali cathedræ unitum, contulit. Hujus adnexionis beneficio Antonius Petrus frui noluit; Humbertum vero Guillelmum excommunicavit, qui archiepiscopo reservatis mensibus confirmato morem gerere recusaverat. Decanatum igitur Antonio Petro detrectante, summus Pontifex Joannem *de Watteville*, Balmæ abbatem, eo munere donavit. Quod novis litibus occasionem præbuit. Tunc vero gubernandæ provinciæ præfectus marchio *de Castel-Rodrigo* animos componere studuit, et eo consilio, electo decano muneris fructus assignavit, ea conditione ut officio abstineret. Joannes mox *de Watteville*, qui Gallorum partibus adhæserat, sub annum 1669 Parisios secessit. Anno vero 1674, Sequania in Gallorum possessionem iterum traducta, Humbertus Guillelmus in Hispaniam abit, et Joannes redit, decani munus, æmulo abeunte, suscepturus. Abbas quoque Bellævallis Humbertus Guillelmus fuerat. Mechliniensis postea archiepiscopus decessit. De eo plura inter Mechlinienses episcopos, supra, t. V, col. 21.

XXX. Joannes VIII *de Watteville* possessionem muneris anno 1674 adipiscitur. De eo multa eatenus inaudita narrantur. Ætate florens militiæ nomen dederat: interfecto vero in certamine singulari Hispano quodam juvene, arma deposuerat, et Franciscanam vestem induerat, dein, asperioris vitæ consecratione, Carthusianam. Belli Loci monachum Carthusianum agens, die quadam inde fugit, occiso domus priore, monialem quamdam inter eundum abducit, et cum ea apud Turcas secedit. Ibi, ejurata Christi fide, copiis quibusdam præficitur Austriæ terminos depopulantibus. Eum interea tot

scelerum pœnituit. Romam igitur petens, veniam a summo Pontifice obtinuit et Balmensem a Philippo rege abbatiam. Anno deinde 1680 decanatum dimisit et in abbatia sua extremos vitæ dies transegit; e D. Richardo, Hist. Ves. Diœc., t. II, p. 399. Alii autem scriptores eumdem referunt in pœnitentia minime stetisse, sed contra turpissimis voluptatibus usque ad ultimam senectutem, ullo sine monachicæ vestis respectu, indulsisse.

XXXI. Franciscus III Josephus *de Grammont* anno 1680 eligitur. Archiepiscopus Vesuntionensis postquam electus, decanatum tamen retinuit, statuente papa ut hæc duo munera ab eodem exercerentur. Obiit Augusto mense 1717.

XXXII. Antonius I Franciscus Gaspardus *de Grammont,* abbas S. Vincentii, Arcthusæ episcopus et archiepiscopi Bisuntini suffraganeus, decanus creatur 23 Augusti 1717. Obiit 17 Novembris 1727.

XXXIII. Antonius II Franciscus *de Blitterswich de Moncley,* designatus anno 1721 Augustodunensis episcopus, Vesuntionensis tunc cantor erat. Cantoris vero munus, licet episcopatum assecutus, retinuit. Idem, Antonio Francisco Gaspardo decedente, Vesuntionensis decanus creatus est, eique data facultas decanatum et episcopatum Augustodunensem, postea quoque archiepiscopatum Vesuntionensem insimul possidendi.

XXXIV. Antonius III Petrus *de Grammont* eligitur 12 Novembris 1734. Archiepiscopatum assecutus sub annum sequentem, decanatum tamen, ut antecedentes, retinuit.

XXXV. Joannes-Baptista *de Moinier de Noironte.*

XXXVI. Antidius Josephus *de Jouffroy d'Uzelles,* e præcentore summus decanus, abbas idem S. Vincentii et diœcesis vicarius generalis. Obiit Augusto mense 1768.

XXXVII. Antonius IV Cleriadus *de Choiseul-Beaupré,* cardinalis et archiepiscopus Vesuntionensis, obiit 7 Januarii 1774.

XXXVIII. Claudius Franciscus Ignatius *de Franchet de Rans,* episcopus *Rhosy* et abbas Balernæ, decanatum tenebat anno 1790.

VETERA VESUNTIONENSIS ECCLESIÆ MONASTERIA.

I. S. Petrus Vesuntionensis. Ecclesia S. Petri Vesuntionensis *monasterium* ab anonymo S. Pauli canonico appellatur; Buher. cod., p. 26. Eamdem Leo IX, anno 1049, ecclesiæ Vesuntionensis possessiones recensens, *abbatiam* vocat. (Ch. XI, col. 13.) Fama est abbatiam S. Petro sacram a S. Eusebio conditam fuisse, posteaque a S. Nicetio reædificatam. An monachos canonicosve antiquitus exceperit prorsus incompertum est. Eam vero sub undecimum sæculum canonici incolebant.

II. S. Mauricius Vesuntionensis. S. Silvester I hanc domum exstruxit, quam Leo IX, anno 1049, abbatiam quoque appellat. (Ibid.) Parochialis dein ecclesia fuit, metropolitani capituli possessionibus adscripta. Anno denique 1644, Oratorianis patribus collata est.

III. Collis Dianæ. Montem *Chaudanne,* Vesuntioni contiguum, J. Jacob. Chiffletius, quorumdam e sententia, primus latine Collem Dianæ appellavit; Comm. et Doc. ad Sequan. spect., t. I, p. 91. Censor autem Chiffletii censura dignus. Quippe in perveteri Stephaniensis basilicæ præconio, inter schedas Drozianas, t. V, Leontius episcopus *in Monte Diana* parthenonem constituisse memoratur, qui certe non alius ac conventus puellarum *Chaudanne* incolentium fuit. Harum præterea puellarum meminit Ritualis S. Prothadii liber. Undecimo vero sæculo, vacuus monialibus locus ab Hugone I capitulo B. Mariæ Magdalenæ condonatus est.

IV. Silezia. Vicum Sieziam, Sileziam, vel de Salicis, antiquitus nuncupatum, hodie S. Lauthenum appellant, juxta Poliniacum. Ibi vetus abbatia, quam in honorem S. Martini S. Lauthenum, in Æduensi pago genitum, condidisse ferunt. Hic, transactis Augustoduni juventutis annis, eremiticæ vitæ studio in saltum Jurensem secessit, cellulamque suam in colle Silezia posuit, non procul a via romana quæ Vesuntioni Lugdunum jungebat. Mox vero multis eumdem eremum consectantibus, abbatia, operis duce et auspice Lautheno, exstructa est. Lauthenum abbatem vetus auctor ejus vitæ a *S. Amantio antistite* ordinibus sacris initiatum fuisse tradit: quare S. Amantium Vesuntionensis tractus tunc episcopum fuisse, et Nividuni, Vesuntione eversa, sedem habuisse quidam opinati sunt. Plura de S. Lautheno præbent Vitæ SS. Sequanicorum, t. III, p. 421. Ne singula referamus, de temporibus nascentis morientisque Lautheni diversas diversorum auctorum sententias hic transcribere operæ tamen pretium est. Quidam enim cum anno 477 natum, anno 547 mortuum asserunt: alii vero natalem ejus diem anno 448, feralem anno 518 adscribunt.

Quis post S. Lauthenum Sileziæ præfuerit abbas ignotum habemus. Desinente tamen sexto sæculo, occurrit Carantocus, quem Jonas, in Vita S. Columbani, abbatem scilicet *de Salicis*, ad Columbanum socios-

que ejus inedia pressos cibos misisse refert, Salicasque nonnulli Sileziam interpretantur. Silezianam, ut videtur, abbatiam Sarraceni postea diruerunt; cujus parietinas Berno, Balmensis abbas, dein suscitavit. Ab eo tamen tempore minor abbate locus, prioratus fuit monachis Balmensibus subjectus, ut e litteris Radulfi I regis et Formosi papæ comperitur. Sileziam Radulfus rex, 10 Decembris 904, *cellam quampiam* vocat, *in qua S. Lauthenus confessor pretiosus requiescit;* eaque inter Balmensis abbatiæ possessiones sæpissime confirmata est, a Gregorio scilicet papa VII anno 1078, ab Urbano II anno 1089, a Paschali II anno 1107, necnon a Vesuntionibus archiepiscopis et Romanorum regibus. Innotescunt veteres quidam S. Lautheni priores: Gerardus annis 1280, 1286; Hugo, 1340; Joannes *de Myon,* 1358; Claudius *Clement,* 1410. Olim ibi duo monachi, præter priorem: postea vero solus prior S. Lautheno nuncupatam domum incoluit. Quæ denique ut commendatariis prioribus submissa fuit, prorsus vacua remansit. Inter priores S. Lautheni commendatarios recensendi Stephanus *Chassault,* abbas Balmensis, anno 1462; Joannes *Bruet,* canonicus Vesuntionensis, 1504; Bernardus *Choux,* canonicus Poliniacensis, 1524; Petrus *Grappe,* 1552; Joannes *d'Authon,* 1558; Philippus *Guyenard,* 1580; Lucas *Jeannet,* 1586; Claudius Henricus *Chaillet,* 1615; Claudius *de Lyon,* 1620; Guillelmus *Thouveret,* 1628; Claudius *Franchet,* 1664; Petrus *Amorald de Montrichard,* 1714; Parisius Joannes *Fau de Raze,* priorum ultimus. Suppressus est S. Lautheno sacer prioratus 8 Maii 1770, ejusque possessiones dominio capituli Balmensis adnexæ fuerunt. Alia quædam de ejus prioratus fortuna præbet Dict. Geograph. D. A. *Rousset,* t. IV, p. 1.

V. MAXIMIACUM. Maximiacenum monasterium S. Lauthenus, non procul a colle *Sileze,* ædificavit, et in eo quadraginta monachos instituit. Id ab auctore Vitæ S. Lautheni traditum. Incertum autem est quod nomen locus ille Maximiacum ab ætate recentiori acceperit. Quidam *Arbois,* alii *Moisnay, Mantry,* ipsamve Balmensem, quæ usque ad hesternos dies florens stetit, abbatiam proposuere. Hæ vero conjecturæ æque rejiciendæ videntur. Nec potior forsan *Chevalier* sententia, qui aliis argumentis Maximiacum hodie *Buvilly* nuncupatum contendit; Hist. Polin., t. II, p. 216. Maximiacum vero, ubivis Bisuntini tractus situm, abbates proprios nunquam habuisse, nec Silezianæ abbatiæ supervixisse opinamur. Consule Vitas SS. Sequanic., t. III, p. 599.

VI. CALOMONASTERIUM. Calomonasterium, vulgo *Calmoutiers,* in decanatu Luxoviensi, abbatialem domum appellat Leo IX anno 1049. De ea vero abbatia nulla jam amplius mentio A reperitur, anno 1096, in litteris Urbani papæ. Nec eorum opinionem improbamus qui Calomonasterium prioratum potius quam abbatiam semper fuisse æstimavere.

VII. GRANDIS VALLIS. In saltu Jurensi, inter abiegnas silvas asperasque colles, Benedictina Grandis Vallis abbatia S. Antidiolium, S. Eugendi Jurensis præclarum archimandritam, fundatorem habuit. Is, anno circiter 523, Albertum monachum cum viginti sociis eo misit, qui, in medio Grandis Vallis lacu, parvam insulam elegerunt futuram coloniæ monachicæ sedem. Quod per temB poris intervallum floruerit ea domus incompertum majores nostri nobis reliquere. Sed, duodecimo decurrente sæculo, Grandivallensis ager in possessionem Gerardi I, Viennensis comitis, devenit, eum qui cœnobitis restituere studens, Petro, Abundantiæ abbati, antiqui monasterii restaurationem demandavit. Posterior domus in aquilonari lacus ora exstructa est, et latis fossis validisque murorum propugnaculis circumsepta. Eam vero minime Benedictini monachi, sed canonici regulares, incoluerunt. Abundantia enim, Grandis Vallis altera, ut dicebant, C mater, Augustinianam vivendi normam observabat. Restaurandæ Grandis Vallis opus in cal. Martii 1172 consummatum est. Nec multo post hujus domus canonici proprium abbatem, ab ipsis eligendum, postulaverunt. Votis quidem eorum Abundantiæ præpositus abbas annuit, ea tamen sub conditione ut filia matri debitum obsequium præbere nunquam desineret.

Petrus, Grandis Vallis abbas, anno 1185, cum monachis S. Eugendi paciscitur, qui scilicet, pristinæ fundationis memores, locum in quo nova exstructa nuper fuerat abD batia sibi vindicaverant.

Guillelmus anno 1224 memoratur.

Albinus, anno 1229, cum Humberto *de Montmoret,* milite, de jurisdictione in agri Grandivallensis colonos exercenda composuit.

Hæc autem abbatia non diu stetit. Humbertus enim, abbas S. Eugendi, Joannem, Abundantiæ abbatem, anno 1244, eo adduxit, ut Grandem Vallem, ære alieno oppressam, et jam incolis propemodum vacuam, S. Eugendo traderet, duosque prioratus, Divonnam scilicet et Auriniam, in compenE sationem abalienatæ Grandis Vallis acciperet. Commutationem hanc primo Vesuntionensis archiepiscopus et Guillelmus, Viennensis comes, probaverunt: eamdem, inquisitione facta, Innocentius IV se ratam habere renuntiavit, Sabbati die post Pentecostem 1250. Ab illo tempore prioratus Benedictinus Grandis Vallis usque ad annum 1789 fuit. Consule Dict. Sequaniæ Geogr., a D. *Rousset,* t. III, p. 268.

VIII. JUSSANUM MONASTERIUM. Waldeleno, Trans-

jurani saltus duce, mortuo, ejus uxor Flavia puellare monasterium in urbe Bisuntina exstruendum cogitavit. Nec segnem opus hoc adorienti Donatus præsul, Flaviæ filius, operam præstitit. Quorum sumptibus, ad imum montis qui civitatem supereminet, surgere mox visa sunt S. Mariæ nuncupata claustra, quæ ab ipso situ Jussanum, vel Jussanense, monasterium plebs appellare consuevit. Ea de fundatione consulendus Jonas, Vita S. Columbani, apud Rer. Gallic. Script., t. II, p. 478. Prima Gauthsradia Jussani monasterii abbatissa fuit; cui Donatus constitutiones dedit e SS. Cæsarii, Benedicti et Columbani regulis eximie concinnatas. Sub idem tempus Flavia et ejus filia Sirudis, æternum terrenis curis vale dicentes, eo secessere, Sirudisque, Gauthsradia, ut videtur, mortua, abbatissæ munus sibi vindicavit. Magna quondam Flaviæ nec non Sirudis fama, quas sanctis feminis popularis pietas annumeravit. Nos tamen fugit nomen virginum quæ post Sirudem Jussano Monasterio præfuere. Elapso circiter uno sæculo, grave damnum domus passa est: memoratur enim tunc temporis Tetradius præsul Jussani monasterii et quarumdam aliarum ecclesiarum totam rem exhauriri sinens jubensve; « quæ, » ut ait anonymus S. Pauli canonicus, « ad tantam « devenerant inopiam, quod quælibet ipsa« rum vix posset unum sacerdotem susten« tare. » Anno tamen 870, facta inter Carolum Calvum et Ludovicum imperatorem partitione regni, Carolus S. Mariam Vesuntionensem in jus Gallorum regis traductam accepit. Unde compertum habemus hanc abbatiam aliquid pristinæ famæ ad id tempus retinuisse. Deinde, circa mediam undecimi sæculi partem, Bernardus, abbas Balmensis, Jussanum monasterium a Guillelmo comite, cujus in possessionem devenerat, pretio comparavit, ibique postea floruit prioratus virorum Benedictinus, Balmensibus subjectus, cujus annis 1089, 1107, 1153 et 1155, Urbani II, Paschalis II, Frederici imperatoris, necnon Adriani papæ IV diplomata meminere. Anno tandem 1607, Minimis patribus ea domus collata est, quam usque ad exitum postremi sæculi occupavere.

IX. S. VINCENTIUS ARSLATENSIS. Waldelenum patricium ferunt, anno circiter 600, urbem Arslatum, Allatumve, vulgo *Arlay,* quæ ad ejus dominium spectabat, sæpius incoluisse, Donatumque postea, Waldeleni, ut dictum est, filium, in paterno castello abbatiam S. Vincentio nuncupatam instituisse, quam monachi nigri incoluerunt. Id autem ex ambiguis testimoniis traditur. Nec certius est abbatiam præmemoratam a Normannis sub decimum sæculum eversam fuisse.

X. DORNATIACUM MONASTERIUM, alias S. MAR- A TINUS DE VIRSILIIS, aut DE BURGILLIS. De hujus monasterii fundatione pauca, sed decretoria, refert Chronicon Besuense, in Acherii Spicilegio : Amalgarium scilicet ducem, Waldeleni ducis fratrem, filium e patrui nomine Waldelenum dictum, Adalsindamque filiam habuisse, et filio Besuense monasterium, a se nuper in agro Divionensi conditum, abbatiali baculo regendum contulisse, filiam vero, quæ monachicam vivendi normam pariter erat amplexa, puellari abbatiæ præfecisse, quam in loco Dornatiaco, aut Virziliis, nuncupato, juxta B Dubim, nec adeo procul Vesuntione, suis quoque sumptibus excitari curaverat. Eorumdem annalium scriptor addit Dornatiacum viculum, sub ipsis Vandalorum montis radicibus situm, jam antea ecclesiam S. Martino sacram habuisse. Non diu vero Adalsindæ ibi consistere licuit. Quæ cum *malorum hominum injuriis et variis adversitatibus,* ut ait ipsa, vexaretur, ad fratrem Waldelenum secessit, et Besuensi monasterio singulas monasterii Dornatiaci possessiones, anno 657, contulit. (Ch. II, col. 3.) Sententia est J. Jac. Chiffletii in eodem postea loco puelC lare Battenti cœnobium ædificatum fuisse. Ei vero Dunodius non assentit; viris autem addictam abbatiam ibidem exstitisse contendit, quam, incolis, ut videtur, vacuam, Carolus Calvus Arduico episcopo possidendam transtulit; Hist. Eccl. Bisunt., t. I, p. 80. Frequens sane Burgilliacenæ abbatiæ mentio in archiepiscopalium possessionum recensionibus. Ne singula quæ rei fidem faciunt diplomata exhibeamus, Anserici tamen et Reginaldi comitis pactum memoremus super abbatia prædicta, anno 1120 initum : in testimonium insuper adducantur D Leonis papæ IX litteræ anno 1049 editæ, (Ch. XI, col. 13.) Lucii II anno 1144, et Frederici imperatoris anno 1165, quibus eadem Burgilliacena abbatia archipræsuli Bisuntino confirmata. Conspicua sunt ea Leonis papæ verba *abbatiam S. Martini de Berzeliis* alio nomine *Dorcatonge* nuncupatam referentis. *Dorcatonge* rusticum est nomen quod manifeste Dornatiacum exprimit. Unde satis superque apparet Battentum a Dornatiaco vel Burgilliaceno monasterio prorsus distinguendum esse.

XI. OFFONIS VILLA. Vetus abbatia in diœcesi E Tullensi fuit, Offonis Villa dicta, gallice *Odonville-sur-la-Plaine,* vel *Fonviller.* Tullensi vero cognominis, ut ferunt, Bisuntina quædam olim abbatia, in vico postea *Anfonvelle,* vel *Amfronvelle,* nuncupato. Benedictinum quidem prioratum abbatiæ S. Benigni Divionensis subjectum, usque ad finem postremi sæculi *Anfonvelle* habuit : sed non æque certum est in eodem loco abbatialem olim domum exstitisse. Alii Bisuntinam Offonis Villam gallice *Wuillafans* interpretan-

tur. Ea autem interpretatio magis dubia. Nonnulli denique aliam Offonis Villam, cellamve, in Argentoratensi diœcesi sitam, memorant, quam recentior ætas Schutteram appellavit. Habes igitur tres Offonis Villas a diversis scriptoribus recensitas. Unius vero meminerunt, anno 870, Carolus Calvus Ludovicusque imperator, inter se regnum partientes. Quæ an Tullensis, Argentoratensis Vesuntionensisve fuerit nobis pariter incertum.

XII. Poliniacum. Ea partitione regni, anno 870, inter Carolum Calvum et Ludovicum Germaniæ imperatorem facta, *Polemniacum*, abbatialem tunc temporis domum, Ludovicus accepit, comprobatumque videtur Polemniacum vetus nomen fuisse civitatis inclytæ *Poligni*, cui recentior ætas tot alia nomina addixit. Nihil autem certi de Poliniacena abbatia, præter hanc mentionem, a juratissimis quidem testibus traditam. Conjicere fas est hujus fortunam non diu stetisse.

XIII. S. Vitus. E veteribus ecclesiæ Bisuntinæ fastis Chiffletius Bernoinum archipræsulem comperiit in abbatia S. Viti, sexto circiter ab urbe metropolitana millario sita, sepultum fuisse. Quis priscis temporibus fuerit hujus domus status, cujus ordinis monachos exceperit, et quo fortunæ casu hominumve consilio dignitatis imminutionem postea experta sit, prorsus incompertum habemus. Anno 1097, Hugo III litteras de rebus S. Stephano et S. Joanni a Raymunda
Ch. XIII, col. 17. condonatis in ædibus S. Vito sacris edebat. Sub ultimi sæculi finem superstes recensetur ecclesia S. Viti parochialis, in decanatu Sextæ, cujus patronatus metropolitanum capitulum penes erat; apud Dunod., Histor. Eccl. Bis., t. I, p. 77.

XIV. Monasterium S. Petri de Alta Petra, vulgo *Mouthier Haute-Pierre*, inclyta domus olim fuit, a monachis, ut videtur, habitata. Recensetur anno 870 inter abbatias quas, partitione regni facta, Ludovicus accepit. Mabillonius quidem hanc Altæ Petræ mentionem ad humiliorem cellam, juxta Medianum Monasterium sitam, spectare contendit. Ejus vero conjecturam, aptissimis argumentis usus, Dunodius redarguit; Hist. Eccl. Bis., t. II, p. 149. Anno deinde 1096, in litteris Urbani II de possessionibus ecclesiæ Bisuntinæ, eamdem habes abbatiam honorifico loco positam. Tunc vero a canonicis regularibus colebatur, quos, non multo post, Cluniacenses monachi, ex archipræsulis Vesuntionensis auctoritate, exceperunt. Ab illo tempore octo monachi, priori obsequentes, has ædes habitavere, inter abrupta saxa, fissilis lapidis latomias, quorum radices torrens *la Loue* pellucida frigidaque unda abluit. In numero Cluniacensium prioratuum Alta Petra memoratur annis 1125, 1204,

A 1272, 1278. Quorumdam Altæ Petræ priorum commendatariorum nomina collegit et ordinatim digessit Dunodius, Hist. Eccl. Vesunt., t. II, p. 152. Quos inter percelebris cardinalis *de Granvelle* ædificia fatiscentia reparavit et ecclesiam ornavit. Eo intromissa S. Vitoni reformatio anno 1650. Postea vero eumdem prioratum possedit collegium theologiæ professorum, Vesuntione consistentium. Consule D. Richardum, Hist. Diœc. Ves., t. I, p. 287.

Cusatense Monasterium. Eustasium tradunt, Luxoviensium abbatem, Iserii, Stad- XV.
B wangorum principis, mores acerbe vituperavisse, qui scilicet Randonnæ, fratris sui uxori, illicito vinculo conjunctus, turpem incestus vitam agebat, Randonnamque, pii viri objurgationibus commotam, in Cusatensem agrum secessisse, ubi puellare monasterium condidit, a Julia, filia sua, gubernandum. Mox autem eo adducta virginum congregatio dissipata est. Tunc Ermenfredus, Ermenrici dynastæ filius, apud Clotarium II aulicæ vitæ tirocinia ponebat. Qui, anno circiter 625, aulæ vale dixit, et Luxovium, monachicæ vitæ studio, ingressus est; po-
C steaque Cusatiam deveniens, derelictam domum refecit, et monachis addixit. Cusatensis monasterii primus abbas Ermenfredus memoratur, qui decessit II cal. Octobris, anno, ut opinantur, 670. Post eum eidem loco præfuere Ravenbodus, Adbertus, Athael. Prorsus tamen incompertum habemus quæ fuerit hujus fortuna domus, usque ad finem undecimi sæculi; quod sub tempus, anno videlicet 1096, in litteris Urbani II legitur imperio Vesuntionensis archiepiscopi subjecta. Sane vero pauci tunc eam hospites incolebant, nec opum dives erat, nam Pon-
D tius, anno 1106, eam abbatiæ S. Eugendi reformandam annexuit. Ab illo tempore in prioratum desinit, Nascenti B. Mariæ Virgini sacrum. Decurrente septimo decimo sæculo nullus ibi monachus. Ecclesia tandem parochialis Cusantia erat, S. Leodegario nuncupata. Consule D. Richardum, Hist. diœc. Vesunt., t. I, p. 116, et Vitas SS. Sequanic., t. II, p. 380.

Vallis Clusa. Valclusensis abbatia re- XVI.
censetur, anno 870, inter Ludovici regis possessiones, et, anno 1096, inter abbatias archiepiscopo Bisuntino subjectas, in litteris
E Urbani II. Ejus initia parum nota sunt. Anno 1107, a canonicis, vel regularibus, vel sæcularibus, tunc habitata, dono datur prioratui Mortuæ Aquæ, et congregationi Cluniacensi adscribitur. Illo tempore sex monachos excepit; D. Richard., Hist. Diœc. Ves., t. I, p. 297. Inter priores occurrunt Guido *d'Usie*, anno 1417; Edmundus *Bonvalet*, anno 1459; Gerinus *Martin*, 1487; Petrus *de Montfort*, idem et abbas S. Vincentii, 1489; Nicolaus *de Diespach*, anno 1549 mor-

tuus; Gabriel *de Diespach*, 1549-1584 (1); Mauricius *de Diespach*, 1584-1595; Claudius *de Beauffremont*, idem abbas Balernæ, 1595-1635; Claudius Franciscus *de Beauffremont*, qui obiit anno 1637; Antonius Franciscus *de Battefort*, 1637-1644; Marinus *Boivin*, 1644-1670. Duo tantum tunc temporis in ædibus monachi. Hi vero, Marino mortuo, reformationem S. Vitoni exoptavere. Peracta reformatio quam postulaverant 30 Decembris 1670. Prioratus igitur Valclusensis status ab eo tempore adeo melior factus est, ut postea decem duodecimve monachi ibidem commanentes memorentur. Plura de eo refert Dunodius, Hist. Eccl. Bis., t. II, p. 154.

XVII. B. Maria de Vallibus. Poliniacum juxta sita erat hæc abbatia, quæ non incelebrem originem sibi vindicat. Adalberto scilicet, Berengarii, Italorum regis, filio, in Græciam exsulante, Adalberti natum Otho Magnus in monasterio Fructuariensi captivum tenebat. Quem Warnerus monachus eo carcere clam mancipavit et in Burgundiam deduxit. Hujus autem beneficii memor Burgundiæ comes Otho Guillelmus, Warnero B. Mariam de Vallibus, jam cujusdam nominis ecclesiam, primum dono dedit, dein in eodem loco abbatiam exstruxit Benedictinam, ab ipso Warnero regendam. Non parva recens domus intra paucos annos incrementa suscepit. Warnero vero mortuo, non alterum habuit abbatem. Cluniacensis enim præclarus archimandrita S. Hugo a Gregorio papa VII, anno circiter 1076, litteras obtinuit, quibus B. Maria de Vallibus in prioratum conversa. Non tamen ab illo tempore rei domesticæ amplificatio subsidere; contra vero tam Vesuntionenses archiepiscopi quam Burgundi tractus dynastæ iisdem prioratum quam antea abbatiam beneficiis augere. Decretum est, anno 1322, ut opulenta Vallium tecta sexdecim monachi incolerent, priori subjecti, cujus electio penes Cluniacensem abbatem. Dein redactus est ad decem, anno 1619, præbendarum numerus. Magnam, anno 1638, ea domus cladem passa est, quam armatæ catervæ prorsus vastaverunt. Ejus vero restitutionem suscepit et ad prosperum exitum perduxit, ab anno 1647 usque ad annum 1688, Joannes Ignatius *de Froissard*, abbas Cari Loci, commendatariusque Vallium prior. Eidem operi postea manum adhibuit Joannes Ignatius Bonaventura *de Froissard de Broissia*, commendatarius quoque prior, necnon ecclesiæ metropolitanæ præcentor. Reformatio S. Vitoni anno 1631 eo intromissa fuerat, sed ab anno 1739 Cluniacensi abbati summum imperium in Vallium monachos collatum est. Ea de veteri abbatia plura quære apud D. *Rousset*, Dict. Geogr., t. VI, p. 145.

XVIII. Corcellæ. Parthenonem Corcellas appellatum condidit, anno 1179, Gerardus *d'Estrabonne* et monialibus Cisterciensibus addixit. Humilis semper ea domus fuit, nec multa abbatissarum quas sibi puellæ præfecerunt nomina nobis innotuere. Occurrunt tamen, anno 1336, Petrina *de Vere;* anno 1324, Guillelma *de S. Paul;* anno 1520, Anna *Petit*, et, anno 1589, Hugona de *Cinquient*, cui Philippus rex Carolam *de Ronchaux* adjutricem tunc concessit. Anno vero 1608 quam pessimum Corcellis, cum multorum offensione, nequitiæ exemplum. Dolensis illico senatus jussu, carceri mandantur quicumque domum hanc mali nominis frequentabant, manusque civilis in monialium mobilia bona protenditur. Ipse Cisterciensis abbas de rebus ad se delatis inquisitionem facit, requiritque ut abbatissa, ejusque soror, homicidii reæ, rerum capitalium prætori tradantur. Nec multo post abbatiæ fores clauduntur, novitiisque puellis ad parentes missis, duæ superstites moniales in abbatiam *Ounans* transferuntur.

XIX. Collongæ. Collongas ante annum 1195 fundaverunt *Vergy* toparchæ, quam domum Cistercienses moniales habitarent. Occurrit, mense Septembri 1217, B., Collongarum abbatissa, subscribens litteris Amedei de sopita contentione inter Guidonem de Riseis et priorem S. Marcelli; apud S. Perardum, p. 321. Anna *de Mandre*, decimo septimo ineunte sæculo, Collongis præerat: qua munus dimittente, neptim ejus, Hugonam *de Montarby*, Belli Montis monialem, ei archiduces suffecerunt, 3 Maii 1611. Parva semper domus ea exstitit, quæ etiam, anno 1622, *Ounans* parthenoni unita est.

XX. Damparis. Non adeo vetus ea abbatia, quæ juxta Dolum, anno, ut videtur, 1150, instituta est, et canonicis regulam S. Augustini observantibus tunc temporis addicta. *Domnus Paris*, qui instrumento fundationem Belli Fontis enarranti subscripsit, Damparis conditor fuit: quocirca nomen ejus ipsi abbatiæ popularis pietas dedit.

Floruit per multos annos ea domus. Ineunte vero decimo quarto sæculo, postquam bellorum procellis vastata fuerat, Guillelmum, S. Vincentii abbatem, Reginaldus *de Cart*, Damparis abbas, adiit, ejusque tutelarem patronatum semet exoptare professus est. Cujus votis postquam Guillelmus annuerat, his inter se conditionibus

(1) Gabrielis Diespachii amicus fuit Janus Jacobus Boissardus, vates Bisuntinus, qui ejus laudes epitaphio sequenti celebravit :

Hæc sunt Diespachii sita ossa, cujus
Morte mœsta Vesuntio gemiscit.
Non illo melior, pientiorve,
Non prudentior, eruditiorve
Quisquam ad flumina Sequanæ Dubisve
Est visus, vel amantior suorum,
Qui postquam bene de suis merendo
Amplis functus honoribus, secundo
Esset tramite vitam adeptus, unus
Mors gravem abstulit, intulitque cœlo...

pepigere, uti scilicet S. Vincentii archimandrita suis sumptibus jacentis Damparis parietinas erigeret, canonicorumque mensam ære quovis alieno eximeret; ipsi, ex altera parte, canonici cucullum Benedictinum induerent, et in Vincentianorum jus et imperium transirent, uni tamen Reginaldo, quamdiu viveret, abbatis nomine atque munere fruendi facultate reservata. Hoc pactum III id. Aprilis 1309, secundum recentem calculum, factum est. Deinde, mense Maio, Reginaldus ab Hugone archipræsule poposcit ut id ratum esset; qui, 17 Junii, quascumque supra memoravimus conditiones approbavit. Sic igitur, dignitatis imminutione spontanea, Damparis in prioratum Vincentianum desinit. Elapsis vero aliquot annis, Veneris die ante festum Omnium Sanctorum 1307, postquam Reginaldus abbatem deposuerat ut Benedictinus ipse monachus fieret, Vincentianis ab Hugone imperatum ut priorem quemdam Damparim deputarent, penes quem ultimo integra domus administratio esset. Parvus quidem etiam tunc monachorum restaurata Damparis claustra habitantium numerus; qui quatuor circiter recensentur. Anno deinde 1335, unus ex eis tantum superstes erat. Hugo scilicet *de Palise,* qui per novem annos loci prior exstiterat, tantam æris alieni copiam contraxerat, ut secundus ab eo domus administrator, de emendo jam nihil curans, cum debitione dissipatorum nummorum ultra modum torqueretur, ipsa monachorum prædia, villasque creditoribus dimisisset. Quamobrem id sub tempus ab archipræsule Bisuntino Vincentiani quæsiverunt ut is prioratus, ut erat bonis exhaustus et propemodum incolis vacuus, ipsorum abbatis mensæ, vel dominio, prorsus adjungeretur. Quam igitur unionem Hugo sancivit archipræsul, Sabbati die ante Pentecosten 1335, eamdemque, XII cal. Decembris, Matthæus *de Longwy,* loci custos, pro jure suo ratam denuntiavit.

Quidam e Damparis abbatibus nobis innotuere. Hi sunt:

Bartholomæus, anno 1230.

Humbertus, anno 1232.

Joannes, Junio mense 1245, litteras obsignat Reginaldi *de Cicons* obsequium clientelare Burgundionum comiti promittentis. Idem, anno 1251, sigillo suo munit litteras Petri *de Foucherans,* clientem se profitentis Hugonis, Burgundionum comitis, *Droz,* t. XVI, p. 96, et, Aprili mense 1255, alias Hugonis *de Parrecey* litteras eidem comiti obsequium promittentis; ibid., p. 126.

Odo, Julio mense 1258, domum Divione sitam Adelinæ, Jacobi uxori, jam locitatam confirmat; ibid., t. VI, p. 301.

Aymo, anno 1265, testis est Feliciæ, matronæ, quidquid juris habebat in molendino Dolæ sito Aliciæ, Burgundiæ comitissæ, vendentis; ibid., t. XVI, p. 239. Ab eadem Alicia acquisitas diversas res eodem sigillo confirmat, annis 1266, 1272, 1274, 1275, 1276; ibid., passim.

Stephanus sub hunc annum 1276 a quibusdam recensetur.

Girardus, Februario mense 1278, secundum recentem calculum, Aliciæ jussu sigillum suum apponit instrumento de venditis vinis; ibid., t. XVI, p. 383. Dolæ, Mercurii die ante Nativitatem S. Joannis-Baptistæ 1280, et Lunæ die post sacrum S. Bartholomæo diem, diversas diversorum procerum litteras, Othonis ducis se clientes profitentium, eodem sigillo munit; ibid., p. 404, 417.

Balduinus, anno 1284, 4 Augusti, litteras obsignat Guidonæ, Girardi uxoris; ibid., p. 452.

Reginaldus *de Cart,* anno 1305, ultimus abbatum fuit.

XXI. Bellus Campus. Ea in comitatu Montis Biligardi abbatia, Corneoli filia, Præmonstratensis igitur, sub annum circiter 1144 exordium habuit, Theodorico II, comite, fundatore. Parva semper ejus fama. Cum ferveret bellum, anno 1525, armatique rustici cuncta diriperent, occupata est 1 Aprilis et vastata. Postea, prævalentibus in comitatu Montis Biligardi Reformatricis sectæ consiliis, suppressa fuit. Legimus Montis Biligardi comitem, anno 1631, ad Bellum Campum antea pertinentes fundos vendidisse: quam venditionem Corneolensis abbas coram senatu Dolensi impugnavit.

Ex abbatibus Belli Campi quosdam novimus, quorum nomina subjungenda:

Firminus reperitur, anno circiter 1147, in charta de fundatione Gratiæ Dei. (Ch. xxxv, col. 36.)

H. subscribit, anno 1174, sententiæ contra canonicos S. Stephani latæ. (Ch. xliv, col. 41.)

Warnerus, 3 Novembris 1255, Byelli testis est rerum Bellelagiæ collatarum ab Alberto de *Lamboems;* Monum. Basil. Episc., t. I, p. 632.

Joannes, mense Martio 1285, secundum recentem calculum, testis est Humberti de Longa Villa Theobaldo de Novo Castro fidem iterum promittentis; *Droz,* t. XXXVII, p. 414. Idem reperitur anno 1306; ibid., p. 170.

Reginaldus, anno 1335; e regestis officialis Bisuntini.

Petrus *Vouvron de Mandeure,* anno 1546, ab ipso Wirtembergensi duce nominatur abbas.

Reginaldus obiisse videtur anno 1555.

Hugo namque *Maudiney,* Corneoli canonicus, Belli Campi abbas instituitur a Sixto papa V, 1 Maii 1585, et in pontificiis litteris legitur ab annis triginta, post Reginaldi mortem, nemini abbatiæ vacuæ regimen traditum fuisse.

XXII. MONTARLOT. Sub finem postremi sæculi *Montarlot* Cisterciensis prioratus erat, quem puellæ incolebant, sub Bellævallensis abbatis tutela; apud Dunod., Hist. Eccl. Vesunt., t. I, p. 151. Eadem vero antea domus abbatissas habuerat: Beatrix enim, anno 1347, *Montarlot* abbatissa legitur in regestis officialis Bisuntini.

Exstat instrumentum de Cisterciensibus puellarum abbatiis quas Burgundionum comes sub sua custodia positas agnoscit, in eoque instrumento recensentur Battentum, *Ounans,* Corcellæ et *Mostellat,* ulla nec Collongiarum, nec *Montarlot* habita ratione.

A Eademne *Mostellat* domus ac *Montarlot?* Dubiam nobis rem esse profitemur, quibus difficultatem hanc expedire non licuit. Aliis tamen in schedulis occurrunt: anno 1267, Agnes, abbatissa *Mostellat,* litteras edens de Damœta moniali erga B. Mariam Magdalenam benefica; inter schedas Drozianas, t. XV, p. 218: dein, 6 Aprilis 1296, Elisabetha, abbatissa pariter *Mostellat,* « Cisterciensis « ordinis, Bisuntinæ diœcesis, » abbati Bellævallensi, cum abbatia sua nimis ære alieno esset oppressa, prædium Reginaldi *de Momes* vendens; ibid., t. X, p. 34.

ABBATIÆ SUPERSTITES [1].

Sunt illæ numero octo et viginti.

ORDINIS S. BENEDICTI.

Virorum.

Luxovium, *Luxeuil.*
Luthra, *Lure.*
Balma, *Baume-les-Messieurs.*
S. Vincentius, *S.-Vincent.*
Faverniacum, *Faverney.*

Feminarum.

Palma, *Baume-les-Dames.*
Carnonis Castrum, *Château-Châlon.*

ORDINIS S. AUGUSTINI.

Virorum.

S. Paulus, *St.-Paul.*
Mons Benedicti, *Mont-Benoit.*
Golia, *Goaille.*

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Virorum.

Bella Vallis, *Bellevaux.*
Balerna, *Balerne.*
Carus Locus, *Cherlieu.*
Locus Crescens, *Lieu-Croissant.*
Caritas, *La Charité.*
Accinctus, *Acey.*
Roseriæ, *Rosières.*
Bethania, *Bitaine.*
Clarus Fons, *Claire-Fontaine.*
Gratia Dei, *La Grâce-Dieu.*
Bulio, *Billon.*
Mons S. Mariæ, *Mont-Ste-Marie.*

Feminarum.

Ounans, *Ounans.*
Battentum, *Battant.*

(1) Usque ad exitum circiter postremi sæculi.

B ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

Virorum.

Corneolus, *Corneux.*

ORDINIS S. CLARÆ.

Feminarum.

Ledo Salinarius, *Lons-le-Saunier.*
Montiniacum, *Montigny.*
Migetta, *Migette.*

C

LUXOVIUM.

Luxovium urbs antiqua fuit, quam ob aquas frigidas calidasve, necnon sulphure medicatas, Romani frequentes incoluere; quare nobis arridet eorum conjectura, qui verbum hoc Luxovium, alias Lixovium, a *lixivia* deductum opinantur (1). Deinde Galliæ fines deveniens Attila, Vesuntionem cepit, et Luxovium, ut fertur, feris commilitonibus vastandum tradidit. Ab illo tempore ingentes eversorum ædificiorum parietinæ, vasa rubigine exesa, truncatæque gentilium Deorum imagines, per D Luxovienses saltus humi jacuerunt, veteris decoris monumenta. Per quas iter agens S. Columbanus, ut profanas litteras apprime noverat et Romanæ rei quascumque reliquias peculiari cultu prosequebatur, eam incolis jamdudum vacuam elegit sedem ubi monasterium construeret. Hæc refert Jonas, de firmissimo quondam castro, quod *Luxovium prisca tempora* appellaverant, disserens. Denique ejusdem castri Vitæ S. Agili

(1) Alia quidem est, sed parum fide digna, sententia anonymi qui vitam S. Agili scripsit: « Castrum intra vasta E « eremi septa fuerat fanaticorum cultui olim dedicatum, « sed tunc (*adveniente scilicet Columbano*) ad solum usque « dirutum, quod hujus saltus incolæ, quanquam ignoto præ- « sagio, Luxovium (*Lux Ovium*) nominavere. » Rer. Gallic. Script., t. III, p. 511.

et S. Galli meminere. Abbatiæ igitur Luxoviensis conditor Columbanus. Is patria Scotus Erigena in Galliam transmigraverat; non tamen, ut veterum Scotorum mos erat, discendi causa : Barbarorum enim furor quælibet apud Gallos olim inclyta litterarum tabernacula pessum dederat, dum, ab orbe Romano duorum marium intervallo divisa, tot corruentium urbium fragorem Hibernia vix senserat. Ideo magnus ad Columbanum obliteratas artes scientiasve edocentem Gallorum et Italorum concursus. Qui ut in Bisuntino tractu constitit, Anagrates primo incoluit, nunc viculum parochiæ *Faucogney* adjacentem; dein Luxovium, postremo Fontanas monachicas colonias misit. Memoratur Columbanus trium horum cœnobiorum insimul rector abbasve. Deinde vero unum Luxovium abbates habet; Anagrates enim Fontanæque cellæ fiunt, Luxovio subjectæ. Fontanas jam temporibus Columbani rexerunt præpositi, quos ipse, teste Jona, instituit : nec adeo tamen exigua domus; in eam enim veniens Columbanus, eodem teste, fratres sexaginta ibi reperit sarculo terram excolentes.

Sociis suis quamdam vivendi normam S. Columbanus imposuit, a S. Benedicti præceptis non parum dissonam. Benedictus siquidem pias exercitationes, Columbanus vero morum asperitatem imprimis commendavit. Quare discipulis suis quam maxima cautela præcepit ut vulgus e septis suis arcerent, et segregem, quam meditatio requirit, arctius quam ceteri hujus ætatis monachi vitam agerent. Id ipse Clotarius rex testatur, secretiores Luxovii latebras asperrimis verbis, ut Jonas refert, increpans. Ideo viguisse memorantur apud Luxovienses, postquam alibi collapsa fuere, præclara S. Columbani instituta. Teste *Besançenot,* monacho, antiquissimum est, e Luxoviensibus instrumentis quæ de Benedictina regula fidem faciunt, Innocentii papæ II diploma, anno datum 1136. Id autem non argumento sit ab illo tantum tempore Benedictinum cucullum Luxovienses induisse. Quod circa tempus id contigerit incertum est.

Expulso dein e Burgundia, jussu Theoderici regis, Columbano, ut rem prolixe Jonas et Fredegarius enarrant, Eustasius, ejus discipulus, Luxovio præfuit; quo regente sexcenti, ut aiunt, monachi tuguriola non jam olim ad imum Vogesi montis exstructa incoluere. *Pater* quidem *sexcentorum monachorum* Eustasius nuncupatur, tam ab auctore martyrologii quod Bedæ tribuere solent, quam ab Adsone vitam S. Waldeberti conscribente : ea autem verba intelligimus de monachis eadem instituta per totam Burgundiam sectantibus, quorum Eustasius, ut qui Columbani exsulis personam implebat, rector, pater patronusve ab ipso

A Columbano designatus fuerat. Verum est tamen Luxovium summopere tunc temporis floruisse; unde non tantum suis ex abbatibus plerosque Burgundia, verum et plures episcopos eduxit. Recensentur præterea multi tam doctrina quam moribus inclyti viri, quos antiqua Luxoviensium claustra hospites excepere, quosque postea pia populi recordatio sanctis intercessoribus annumeravit. Ibi siquidem monasticæ disciplinæ schola in tota Gallia percelebris. Quare S. Eligius, Solemniacensem, anno 631, abbatiam sub regula S. Columbani instituens, inter ce-
B tera præcipit ut negligentem muneris Solemniacensem abbatem Luxoviensis abbas corrigat; Dipl., Chart., t. II, p. 12. Nec tantum in ecclesiasticis sed etiam in civilibus fastis ingens Luxovii nomen. Ne cetera memoremus, anno 662 Balthildis regina tantæ famæ cœnobium prædiis magnaque argenti copia ditavisse memoratur; e vita S. Balthildis, inter Rer. Gall. Script., t. III, p. 593. Anno dein 670, in Vogesanum monasterium conversi Gallorum omnium et Francorum oculi; eo sed enim Childericus II Ebroinum, palatii nuper majorem, exsulem traduci jus-
C serat, nec multo post, anno scilicet 673, e Chronico Sigeberti, S. Leodegarium, Augustodunensem episcopum, idem eidem carceri mandavit.

Frequens apud veteres de Luxoviensium privilegiis sermo. Præcipuum eis privilegium, ab archiepiscopi Bisuntini tutela libertas integra, sicut, inter alios, refert Ch. i, col. 1. Berthefredus, Ambianensis episcopus, anno 662, in Corbeiensi diplomate : « Agaunensium et Lirinensium, vel basilica domni Marcelli imoque et monasterium Luxoviense hoc videntur habere concessum
D « et ita a succedentibus custoditur, ut quidquid ibidem offertur ipsi abbates vel monachi ibidem deservientes absque contrarietate vel repetitione episcoporum libere, « cum Dei adjutorio, hoc possideant. » Permultæ eamdem libertatem Luxoviensibus ascetis paparum bullæ per sequentia sæcula confirmaverunt. Benedicti VIII litteras, anno 1018 datas, hic memorare satis est. Juribus aliis eosdem imperatores regesque exornaverunt : Pippinus scilicet, Carolus Magnus, Ludovicus Pius Lothariusque, ut rem comprobat, anno 1123, Henricus V, antecesso- Ch. xx, col. 24.
E rum suorum diplomata, ipsius oculis subjecta, laudans.

Diversis de cladibus, quas ævo decurrente ea domus passa est, paucis quoque disserere operæ pretium est. Anno scilicet 731, Wandali, quos Mabillonius Sarracenos nuncupat, jam vastatis quam plurimis orientalis Galliæ monasteriis, intra Luxoviense truces armis irruperunt, et quoscumque evaginatis gladiis obvios monachos trucidaverunt. Consule Inv. Sarr. a doctissimo viro

Reinaud enarratas, p. 31. Ut vero recesserunt, superstites e tam horrenda strage monachi restaurandis ædificiis manus confestim admovere, et inceptum opus ad feliciorem
Ch. LXII, col. 58. exitum cito perduxere. Temporibus dein Ludovici Pii exusta abbatia, sicut e litteris Philippi imperatoris comperimus. Quot annos post iteratum hoc excidium domus parietinæ jacuerint non traditur. Anno vero 891 occurrit Arnulfus rex monasterium S. Salvatoris Metense Deotmaro, Juvariensi episcopo, condonans, et ecclesiæ Metensi, in compensationem, Luxovium; apud *Calmet,* Hist. Loth., t. II, prob., p. 156. Corruptumne Arnulfi diploma quod Calmetius exhibet? Nulla tamen inter Metenses abbatias consonum Luxovio nomen habet. Quare antecessores nostri, t. XIII, col. 721, hic agi de Luxovio nostro minime dubitavisse videntur. Opinandum igitur superest Luxoviensem abbatiam, resarciendis damnis instantem, diœcesi Metensi aliquantisper addictam fuisse. Rursus, anno circiter 1201, tædæ eo illatæ, quæ non modo tecta, sed etiam pergamenam monachorum supellectilem exhauserunt : cujus vastationes duos
Ch. LXI, col. 57. testes habemus, Reynerium scilicet de Acrimonte, sceleris participem, et Philippum
Ch. LXII, col. 58. Cæsarem, ejusdem sceleris vestigia delere studentem.

Decedente Philippo *de la Baume,* 22 Februarii 1631, archiducibus placuit ut Luxoviensis abbatia ad normam S. Vitoni componeretur. Tunc, operis duce Hieronymo *Cocquelin,* novemdecim monachi, asperioris vitæ genus edocti, in abbatiam reformandam intromissi sunt, et, 19 Februarii 1636, redituum domesticorum inter fratres abbatemque partitio facta est. Ea peracta reformatione, monachorum numerus Luxovii crevit.

Multas ad Luxoviense monasterium spectantes chartas præbet Drozianarum schedarum tomus VIII. Abbatum quoque veterem seriem, præter domni *Besançenot* notas, aliaque suppeditat Monasticon Benedictinum, inter Residuos S. Germani Pratensis codices.

Series Abbatum.

I S. Columbanus, in Hibernia, ut diximus, natus, et liberalibus quibuscumque disciplinis apprime excultus, in Galliam venit cum annum ætatis vicesimum ageret. Quod quidem pro certo tenendum est : verumtamen incertus admodum est annus a Christo nato desumendus, quo decurrente Columbanus transmarinum iter, Hiberniæ littora relinquens, aggressus est. Aimoino confidere non tutum, qui scilicet, anno Theodeberti II quarto decimo, Christi 609, S. Columbani in Galliam adventum adscribit;

A Rerum Gallic. Script., t. III, p. 113. Longe enim aliud Jonæ testimonium, cui Walafridus Strabo, vitam S. Galli conscribens, adhæret. Hi enim S. Columbanum Sigeberto rege in Galliam transfretavisse memorant; ibid., p. 474, 476. Obiit autem Sigibertus anno 575. Alii etiam, inter quos anonymus qui S. Salabergæ gesta enarravit, ibid., p. 605, idem Childeberto, Sigeberti filio, regnante, sub annum circiter 585, accidisse memorant, atque ea est recentiorum, Mabillonii scilicet necnon Buquetii, sententia. Quæ potior videtur. Ut vero se res habuit, Colum-
B bano in Galliam appellenti duodecim erant socii, quibuscum peragratis quam plurimis urbibus, in Vosegum montem semet sanctus vir recepit, ibique primum Anagrates, dein Luxovium, Fontanasque, a monachis habitanda tuguria, constituit. Ut autem piæ peregrinationis dux fuerat, sic etiam ascetis ab ipso in certa sede collocatis præfuisse comprobatur, donec Theodoricus rex, cujus mores palam culpaverat, eum extra regni sui fines ejecit. Quod revera anno Theodorici decimo quarto contigisse videtur. Anno quidem 610, Columbani subscribentis
C nomen exhibet Faronis, Meldensis episcopi, chartula pro Eboriacensi monasterio : hoc autem diploma a falsario confictum esse comprobatur; Dipl. Chart., t. II, p. 193. Quadriennio post ægre dimissum Luxoviensis cœtus regimen, Bobiense monasterium apud Longobardos S. Columbanus exstruxit. Eum obiisse ferunt sub annum 615. De eo plura, Vit. Sanct. Sequan., t. II, p. 1.

II. S. Eustasius, alias Austasius, patria, ut aiunt, Lingonensis, Mietium, Lingonensis civitatis episcopum, avunculum habuit. Nullus inter S. Columbani discipulos tanto
D magistro propius adhæserat. Eum ideo, Columbano depulso, sibi Luxovienses monachi præfecerunt. Occurrit primum, anno 613, Leudemundum, Sedunensem præsulem, excipiens, qui cum Bertetrudis reginæ minas pertimesceret, in Vogesianum monasterium confugerat. Leudemundi vero causam oravit Eustasius, utque erat apud Clotarium regem potens, exsulantem episcopum is revocavit ecclesiæque Sedunensi restituit; e Fredegarii Chronico, apud Rer. Gallic. Script., t. II, p. 431. Eamdem rem memorat Ebroinus;
E ibid., t. III, p. 120, 121. Warascos dein, utramque Dubis ripam incolentes, Boiosque christianam legem edocuit: anno 615, si Mabillonio fides; si potior Cointio, anno 617. Dein Luxovium Eustasius reversus, maximas passus est ærumnas a quodam Agrestino, qui, Theodorici regis quondam notarius, Luxovium, aulæ pertæsus, secesserat. Hunc S. Columbani instituta pervertere agressum Eustasius in Matisconensi concilio, anno, ut videtur, 622, acerrimis objurgationibus impetivit, et adversus eum sententiam obti-

nuit. Quæ et alia fusius enarrat Jonas, Bobiensis monachus, Vita S. Eustasii, in Bollandianis collectaneis, 29 Martii. Consulendæ quoque de Eustasio Vita S. Agili, Resbacensis monachi, ab anonymo conscripta, inter Acta SS. Ord. S. Bened. sæc. 2, p. 316, Vita S. Salabergæ, abbatissæ Laudunensis, ibid., p. 423, et Vita S. Galli, inter Mon. Germ. a D. Pertzio collecta, t. II, p. 15. Eustasium D. Pertzius Luxovio decessisse anno 625 conjecit.

III. S. Waldebertus, genere Sicamber, tertius abbas Luxovii nuncupatur, cujus facta posteris Adso monachus mandavit. De eodem quoque non pauca reperies in Vita S. Germani a Boboleno, monacho, conscripta. Auctorem eum Bobolenus refert monasterii Grandis Vallis, in Basileensi diœcesi. Interfuit, anno 625, concilio Remensi. Anno dein circiter 641 reperitur in epistola Joannis IV, quam, licet imperfectam et nonnullis vitiis laborantem, post Mabillonium (Ch. 1, col. 1.) edidimus. Longam sortitus vitam Waldebertus, 6 Maii 665 obiisse refertur. Ea quidem temporis nota nonnihil dubitationis habet. Compertum tamen habemus eum post annum 657 vixisse, quem, ad fidem Adsonis, S. Migetius sepultura donavit.

Eumdem Sammarthani Meldensem episcopum fuisse conjecere. Sed perperam : ejus enim ex actis, ea prout Adso descripsit, cucullatus etiam tunc vitæ metam attigit, nec Meldenses infulas unquam adeptus. Erravisse tamen æque videntur Mabillonius et antecessores nostri, supra, t. VIII, col. 1599, qui Waldeberto, Luxoviensium abbate, e Meldensium episcoporum serie, sicut decebat, amoto, Waldebertum alium, Luxovii sub idem temporis monachum, prorsus ignoravere. Hic est enim cujus Meldensis ecclesiæ veteres fasti meminere. Non obscura siquidem de eo fama. Præter album Meldense, idem testatur pristinus auctor qui vitam S. Agilonis enarravit, duos referens Agnerici proconsulis filios, Agnoaldum scilicet et Waldebertum, sub Eustasio abbate Luxovii monachicæ vitæ tirocinia posuisse, eosdemque postea episcopos evasisse, Agnoaldum Lugduni Clavati, alias Lauduni, Waldebertum vero Meldorum. Hic autem Waldebertus monachus, Agnerici filius, SS. Agnoaldi Faronisque ideo germanus, e clara Burgundionum prosapia deductus apparet, aliusque prorsus exinde comprobatur ab illo Waldeberto Sicambro, qui, post aliquod temporis intervallum, Eustasio scilicet mortuo, Luxoviensis monasterii præfecturam assecutus est. Quod si res tanti momenti plus quam unum testem requirat, prodeat locus ex antiquis Luxovii Consuetudinibus excerptus, titulo de Collationibus, qui talis est : « Ad « collationem legitur dialogus et vita sancto- « rum Patrum, et præcipue vita S. Colum-

A « bani ab., S. Eustasii ab., *S. Walberti ab.*, « et aliorum sanctorum monachorum Luxo- « viensium, videlicet Attalæ ab., Galli ab., « Deicoli ab., Columbini mon., Calnoaldi ep., « Donati arch., Andomari ep., Eucharii ep., « *Waldeberti ep.*, Leodegarii ep., Mummoli « ep., etc., etc. » Iterum Waldeberti duo distinguntur, Walbertus, aut Waldebertus abbas, et Waldebertus episcopus, Luxovienses ambo, quorum Vitas diversas Luxovienses monachi *ad collationem*, scilicet, ut notavit Cangius, post cœnam, legere solebant. Denique plura de ambobus Waldebertis desideranti quædam alia suppeditat B Eustasii *Besançenot* ad Mabillonium epistola, quam servat Monastici Benedictini tomus XXI.

Galbertus idem appellatur ab anonymo qui S. Balthildis vitam scripsit; Rer. Gallic. Script., t. III, p. 573.

IV. Vindologus; e veteri catologo, quem Sammarthanis P. Franciscus Chiffetius notum fecit.

V. Bertoaldus; ex eodem.

VI. S. Ingofredus Waldeberto subrogatus ab Adsone dicitur. Vindologum igitur et C Bertoaldum, ipsi prorsus incompertos, Adso prætermisit. Ingofredi idem meminit, in Vita S. Adelphii. Obiit autem Ingofredus 9 Aprilis, a nonnullis sanctorum intercessorum albo inscribendus. Hunc quidam reputant sanctitate pollentem virum, quem Ingefridum Nigefridumve Bobolenus monachus appellat in proœmio Vitæ S. Germani. Bobolenus autem ipse anno 690 circiter vixit.

VII. Cunctanus, alias Cunctonus, Cunctatus, Lunetus; e domesticis indicibus.

VIII. Rusticus; ex eisdem.

IX. Sayfrocius, alias Sayfarius; ex eis- D dem.

X. Adonus ex abbatiæ priore post Sayfrocium abbas electus est. Is est qui, cum prioris munus impleret, Abboni archipræsuli, canonicorum Bisuntinorum mores emendare studenti, adjutor fuit.

XI. Arulphus posteris ab auctoribus domesticarum tabularum commendatur.

XII. Rendinus, alias Lendinus; ex eorumdem testimonio.

XIII. Regnebertus; ex eisdem.

XIV. Gerardus I; ex eisdem.

XV. Ratto; ex eisdem.

E XVI. Vinlincrannus, alias Vuikeranus, decessit 11 Aprilis.

XVII. Mellinus. De eo sic domesticus abbatum catalogus : « Tempore istius venerunt « Wandali, id est Comani et Hungari, et « interfecerunt tres conventus et abbatem; « nec abbas fuit intus per quindecim an- « nos. »

XVIII. Frunoaldus, vel Trudoaldus, alias etiam Wandoaldus, Luxovii ruinas supplevisse memoratur. Eo quoque regente, Be-

suæ monachi, propriis e sedibus, Pippini Brevis jussu, expulsi, Luxovium secesserunt.

XIX. Gaylembus post Frunoaldum recensetur.

XX. Ayribrandus, seu Adebrandus, Gaylembo successit; e veterum indicibus.

XXI. Boso; ex eisdem.

XXII. Grismoaldus post Bosonem; ex eisdem.

XXIII. Andreas I, anno 785, ut Mabillonio placet, eum qui sub id tempus a Carolo Magno Romam missum reputat, de Saxonibus ad fidem christianam conversis regias litteras laturum.

XXIV. Docto Andreæ successit, conjiciente Mabillonio; siquidem ejus est epistola, inter Bonifacianas octogesima quarta, ad Lullum, episcopum Moguntinum. Consule Annales, t. II, p. 295. Idem, ut videtur, una cum Aldeardo comite, Caroli Magni mandato, litigantes de cella Lauconensi Gedeonem archiepiscopum et Richertum, Condatescensem abbatem, audivit.

XXV. Siliernus, alias Sickelmus, cujus nomen tantum superest.

XXVI. Dademus, alias Dadinus, temporibus Ludovici Pii regnum auspicantis.

XXVII. S. Ansegisus, jam abbas Flaviacensis, dein Fontanellensis, Luxovium beneficii jure a Ludovico rege gubernandum accepit, anno 817; e Chron. Fontan. Eo scilicet tempore, antiquum Luxoviensis domus profligatum decus, fratribus ab aspero regulæ tramite magis ac magis declinantibus. Laudatur vero Ansegisus collapsæ rei restaurator. Qua laude sane dignum se præbuit sanctus ille vir, qui liberales disciplinas, imo et administrandorum ædificiorum artem, in aula Caroli Magni, Eginhardo docente, didicerat. Ejus vitam auctor anonymus scripsit, apud Bollandum, 22 Julii. Morbo laborans, anno 831, Luxovio libras decem, Fontanis unam libram dimidiamque, Cusantiæ simile donum, Anagratibus duas libras assignaverat; Mabill. Annal., t. II, p. 542. Obiit anno 833, vel 835.

XXVIII. Leotricus Ansegiso forsan successit. Ejus meminit Angelomus, Luxoviensis monachus, cui commentarium suum in Genesim nuncupavit.

XXIX. Drogo, Ludovici Pii frater, Metensis episcopus abbasque Luxoviensis simul fuit. Eo rogante, Angelomus suas Animadversiones in libros Regum ad finem perduxit. Frequentior Aquis Metisve Drogo quam Luxovii. Ibi tamen aliquantisper commorabatur, agrestium oblectamentorum studio, ibique decessit anno 853, vel 855, in Lignonis aquas lapsus, dum piscem immanem piscando insequeretur. De eo fusius supra, t. XIII, col. 711.

XXX. Fulbertus post Drogonem secundum Eustasium *Besançenot;* ante eumdem, secundum Sammarthanos.

XXXI. Gibartus, Normannis in Luxoviense monasterium irruentibus, fugam arripit. Ab his vero, in vico quem Martini villam Adso nuncupat, forsan *Martinvelle* in Vosago, sagittis confossus interiit, anno circiter 888. De eodem quædam alia, Vit. Sanct. Sequan., t. II, p. 463.

XXXII. Odo I, elapsis quinque et triginta annis post Gibarti cædem, abbas eligitur.

XXXIII. Guido I reperitur agrum quemdam commutans cum Aymardo, Cluniacensium abbate. Quam commutationem refert diploma notis chronicis carens. Id quidem *Dunod de Charnage* anno 972, confidentius quam decet, adscribit : obstat vero Aymardi nomen, qui nec ante 940, nec post 964, Cluniaco præfuisse videtur. Annum ideo 950 *Droz* rectius, ut videtur, proponit, t. VIII, p. 326. His verbis præmemorata chartula desinit : « Data, XIV cal. Februarii, regnante Conrado rege. » Burgundionum rex Conradus avitum solium anno 937 conscendit; e quo mors eum anno 993 dejecit. Ex ea igitur notula nihil certi depromere fas est.

XXXIV. Aalongus quasdam res permutat in villis Matisconensis agri Salustriaco et Danaico, cum Maiolo, Cluniacensium abbate, Octobri mense 983. Mortuus est pridie nonas Decembris. Ch. V, col. 5.

Aalongo quidam succedere jubent Adsonem, optimæ famæ scriptorem, qui Vitam S. Wandalberti, inter alia, digessit. Adso quidem apud Luxovienses sacras profanasque litteras didicerat : minime vero Luxoviensis, sed Dervensis abbas fuit. De eo supra fusius, t. IX, col. 913.

XXXV. Milo, anno 1018, ind. 1, litteras a Benedicto papa VIII obtinuit, quibus confirmata quæcumque monasterii privilegia. Obiit Milo idibus Julii; e veteri necrologio.

Milone gubernaculum regente, obiit doctissimus Luxovii scholasticus Constantius, de cujus obitu planctum rhythmicum Gudinus quidam condidit, a Mabillonio, tomo III Analectorum, editum.

XXXVI. Guillelmus I, anno prorsus incerto, a Benedicto, ut videtur, IX, litteras obtinuit quibus ei licitum capellam B. Mariæ in ecclesia Luxoviensi recens nuncupatam consecrare. De eo vero domesticus catalogus silet.

XXXVII. Gerardus II reperitur anno 1040, in litteris Hugonis archipræsulis pro Palmensi parthenone. Idem privilegiorum antea monasterio concessorum confirmationem a Leone papa IX obtinuit, 18 Novembris 1049. Ea quidem confirmatio ad H. abbatem missa legitur in apographo quod Ch. VII, col. 8.

præbet Monasticum Benedictinum. Verum H. abbatis nomen in veterum indicibus deest, atque Mabillonius, Annal., t. IV, p. 256, Leonis papæ litteras, H. æque prætermisso, ad Gerardum directas referat. Litterarum G. et H., quales eas veterum exemplaria exhibent, distinctio sæpe difficilis. Gerardus denique memoratur Romarici Montem deveniens anno 1051, ubi quarumdam reliquiarum translationi interfuit.

XXXVIII. Rogerius; e Sammarthanis.

XXXIX. Robertus; ex eisdem.

XL. Guido II ex eorumdem serie desumitur. Robertum quidem Guidonemque Eustasius *Besançenot* et *Dunod de Charnage* inter Jocerannum et Stephanum infra recensendos collocant. Ea quidem conjectura difficile tuenda. Alia vero de Guidone dubitandi causa. Namque anno circiter 1090, Gausmarus, prior S. Petri, in ecclesia Matisconensi, quasdam res cum Gisleberto, abbate Luxoviensi, permutavisse supra memoratur, t. IV, col. 115. Sed Guido forsan et Gislebertus idem sunt.

XLI. Theobaldus I, secundum *Dunod de Charnage*.

XLII. Hugo I, Henrici V imperatoris con-
(Ch. xx, col. 24.) sanguineus, ab eo litteras obtinet, v cal. Julii 1123, quibus abbatiæ privilegia iterum sancita. Anno 1128, chartulæ Manassis decani subscribit, Bellævalli *Champors* confirmantis. Idem, anno 1129, de cellarum Clari Montis et Vangionis Rivi possessione cum abbate S. Benigni Divionensis transegit; Collect. Steph. Perardi, p. 224. Anno denique 1132, Hugo testimonio suo communivit Anserici litteras, quibus Faverniacensis abbatia Casæ Dei submissa.

XLIII. Jocerannus Hugoni mortuo a monachis subrogatur. Quorum, ut videtur, mores ad S. Benedicti regulam non omnino compositi. Ideo Petro Venerabili, Cluniaci abbati, Innocentius II provinciam hanc dedit, ut antiquatam Luxovii disciplinam restitueret. Plures igitur eo Petrus monachos Cluniacenses misit, quorum testium pro fide Innocentio scripsit desperatam rem esse, nec jam quid melius de abbate insano, Joceranno scilicet, atque de fratribus dissolutis exspectandum. Innocentius vero non prorsus Petro confidit ea quæ a legatis suis acceperat enarranti. Scriptis enim ad Joce-
(Ch. xxvii, col. 30.) rannum litteris, xi cal. Decembris 1136, ei singula monasterii Luxoviensis jura confirmavit.

XLIV. Stephanus I ecclesiæ Cariloci quidquid Jussiaci possidebat confert, anno 1139; e chartulario Carilocensi. Ad eumdem apostolicæ missæ sunt litteræ, 3 Martii 1144, a Cœlestino papa II, et, 18 ejusdem mensis, eodem anno, a Lucio II pontificatum auspi-
(Ch. xxxv, col. 37.) cante. Denique anno, ut opinamur, 1147, fundationi Gratiæ Dei interfuit.

A XLV. Gerardus III, occurrit, v cal. Octobris 1147, ab Eugenio papa III litteras, in quibus rerum domesticarum confirmatio memoratur, obtinens. Nec multo post summus idem Pontifex Vesuntionem transiens, in eaque nobilissima civitate aliquantisper commorans, Gerardum audivit et Fontanenses monachos de mutuis juribus litigantes. Fatebantur quidem Fontanenses semet abbati Luxoviensi obedientiam debere, proprium vero priorem eligendi facultatem sibi vindicabant. Quod Eugenius jurgium compescuit, Fontanensium arrogantiam castigans,
B xv cal. Junii, anno prætermisso. Cum vero Lausannæ datæ fuerint Eugenii litteræ, ad annum 1148 indubie referantur; ex ea enim urbe idem papa, xiii cal. Junii 1148, Humbertum, Bisuntinum archiepiscopum, admonuit ut Biliacenam ecclesiam ecclesiæ Balmensi restitueret. Idem Gerardus, anno 1150, Carilocensi monasterio res quas in vicis *Giricort* et *Bugescort* habebat sub annui census conditione tradit; e chartul. Cariloci. Qui etiam, inter annos 1147 et 1160, præsentibus scilicet Humberto archipræsule atque Landrico decano, cum Lethardo *de*
C *Durne* composuit; *Droz*, t. VIII, p. 563. Guillebertum eumdem Sammarthani nuncupavisse videntur.

XLVI. Petrus, hactenus ignotus, ante Sayfridum Luxovii clavo præfuit, ut memorat chartula Bethaniensis infra laudanda.

XLVII. Sayfridus a Dunodio tunc memoratur. Sub idem tempus Hugonem Sammarthani collocant. De Hugone ad nos delatæ chartulæ silent. Sayfridus autem, alias Iphridus, subscripsit, 19 Septembris 1165, litteris Frederici I pro Castro Caroli. Idem in Bethaniensibus tabulis nuncupatur Bo-
D chardi antecessor; qui scilicet olim Bethaniæ quosdam reditus tradiderat, de quibus, anno 1179, Bochardus pepigit. De Sayfrido, vel Suffrido, alia in chartulario Loci Crescentis mentio; qui Narduino, Loci Crescentis abbati, jura in vico *Senargens* exercenda sub certis conditionibus contulit; *Droz*, t. XIII, p. 268.

XLVIII. Bochardus, viii id. Februarii 1178, ab Alexandro papa III litteras accepit quibus antecedentium paparum bullæ stabilitæ. Anno dein 1179, frequens Luxovii abbatum conventus, quorum in præsentia
E Bochardus de reditibus a Petro Sayfridoque Bethaniæ collatis cum Bethaniensibus monachis transegit. In ecclesia B. Mariæ sepultus est, et ex ejus epitaphio sequentes versus, ceteris temporis dente exesis, Eustasius *Besançenot* collegit :

Idus migravit Jani Borcardus ab imis,
Ad jubar æthereum Luxoviense jubar.
Cum patris officio, matris pietate refulgens,
Auxit præbendam, tecta caduca novans.

XLIX. Gerardus IV, quem plures prætermisere, Urbani papæ III diplomate sancita quælibet monasterii sui jura impetravit, IV id. Aprilis 1186. Is Juncivillanum prioratum a Gualterio, Lingonensi episcopo, accepisse memoratur.

L. Olivarius Humbertum *de Abbans* fratrem suum ipse declarat, in litteris quas de Bellævalli collatis a Ludovico, Humberti filio, sicut infra legitur, edidit. Subscripsit, anno 1189, litteris Theodorici archipræsulis pro S. Vincentio; ex indice Vincent. chartarum. Eodem anno, prædicti Theodorici ad transmarinos tractus iter agentis vicarius, inter Bellævallenses monachos et Humbertum de Rubeo Monte pacem fecit. Quo etiam munere fungens, anno 1190, a Ludovico, Humberti *de Abbans* filio, Bellævalli data sancivit. Anno 1194, mandato Cœlestini papæ III, exortum inter Basileensem episcopum Murbacensemque abbatem dissidium, de quarumdam ecclesiarum deci-
Ch. LVIII, col. 55. mis, judicio notabili solvit. Idem, anno 1195, testis fuit Bellævallensium et Widonis de Rocha pacem ferientium, et, anno 1199, a Bethaniæ monachis duodecim nummos Stephanienses mutuos accepit.

Ch. LXII, col. 58. LI. Fredericus a Philippo imperatore, nonis Decembris 1201, litteras impetravit, quibus jura bonaque Luxoviensium confirmata.
Ch. LXI, col. 57. Eodem anno, Raynerius, Acrimontis dominus, ut tædarum ab ipso Luxoviensibus tectis illatarum memoriam debito piaculo lueret, Frederico quoddam donum fecit. Eodem denique anno quamdam transactionem Fredericus cum monialibus Clari Marisci pepigit; supra, t. X, col. 1338.

LII. Hervæus, anno 1204, de nonnullis rebus cum Gualtero, abbate Flabonis Montis, transegit. Eidem, anno 1205, Raynardus Falcoini necnon Causeoli dominus, jura plura contulit; e schedis *Droz*, t. VIII, p. 664.

LIII. Hugo II innotescit, anno 1209, e perampla Aymonis de Falcogneio, Hierosolymitanum iter aggredientis, donatione; ibid., t. VIII, p. 665. Eidem, sub annum 1211, A. *de Darney*, ob illata monachis damna, reditus annuos assignavit. Quo etiam anno Raynardus præmemoratus, Causeoli toparcha, Raveni Fontis ecclesiam eidem restituit. Ea restituens Raynardus Hugonem consanguineum suum dicit; e Monastico Benedictino. Anno dein 1215, capellam S. Urbano sacram, in viculo *Saulx*, Hugo obtinuit, ea conditione ut ibi monachorum cœtum quemdam institueret.

LIV. Simon, recens electus, a Frederico rege regalibus donatur mense Februario 1219; ex Hist. Dipl. Frederici II, t. I, p. 536. Eidem, XI cal. Martii 1222, Honorius III domesticas possessiones confirmavit. Eidem postea per Henricum regem licuit, IV cal.
A Januarii 1228, ut Luxovium urbem fossis murisque cingeret; Hist. Dipl. Fred. II, t. III, p. 329. Anno denique 1229, Simon abbas fit Besuæ, in ecclesia Lingonensi.

LV. Theobaldus II fraternæ societatis fœdus pangit, mense Maio 1234, cum H., Morbacensium abbate; e D. L. *Besson*, Comment. de Luthr. abb., p. 201 (1). Subscribit, anno 1237, Bertholdi de Monte Bosonis litteris, quibus S. Vincentio media pars molendini cujusdam adscripta. Testis postea occurrit, mense Julio 1240, Theobaldi de Novo Castello, testantis Odonem, Meraniæ ducem,
B cum Castellionense castrum ædificaret, nihil Vincentianis colonis damnosum susrepisse; ex ind. Vincent. chartularii. Anno dein 1254, de variis prædiis cum abbate Bethaniæ paciscitur; anno 1255, servum quemdam ab Andrea Richardoque, Osellæ toparchis, obtinet. Denique reperitur, anno 1264, Guillelmo Capellæ montem *Chauviron* sub censu tradens.

Abbatiæ custodiam Theobaldus Theobaldo, Campaniæ comiti, crediderat. Unde crebræ monasterio clades allatæ, cum Burgundiæ comites illo pacto contumeliam sibi
C impositam fuisse assererent, monasteriique possessiones, quas extraneus princeps non tam bene protegere valebat, sæpius violarent. Ipso vivente Theobaldo, Burgundiæ comitissa monachorum rem iteratis deprædationibus afflixit, adeo ut, ea jubente, præpositus Luxoviensis in quoscumque abbatiæ reditus manum injecerit, sibique, conculcato Theobaldi jure, abbatiale munus vindicaverit. Quare, anno 1266, postquam Theobaldus naturæ debitum persolverat, ad Campaniæ comitem monachi supplices querelas tulerunt, ut inermi gregi succurreret
D postulantes; rogabant insuper ut ab ipsis electus abbas, aliusve quisquam ab ignoti nominis cardinali, quo præsente Theobaldus munere cesserat, eligendus, securam abbatialis præfecturæ possessionem haberet.

LVI. Raynerius, Aliciæ, Burgundionum comitissæ, sanguine propinquus, disciplinæ incuriosus exstitit. Eo regente, nec, ut videtur, obstante, quædam abbatiæ prædia Aliciæ præmemoratæ milites occupavere. Senectute, ut videtur, aut saltem adversa corporis valetudine impeditus ne munus abbatiale prout decebat exsequeretur, eo sese
E Raynerius addicavit, ejusque abdicationem summus Pontifex II id. Martii 1267 admisit.

LVII. Hugo III tam apud Dunodium quam apud Sammarthanos. Ejus tamen nulla ad nos delata charta meminit.

LVIII. Carolus I, gallice *Kaule*, vel *Kale*,

(1) Nomen T. abbatis in ea charta plures se vidisse testantur : sed D. L. Besson pro littera T. litteram S. legit. Hæc si lectio admitteretur, retroducenda esset chartula usque ad Simonis præsidatum.

quem Guillelmum Kalonem Sammarthani nuncupant, antecessores nostri Catonem, t. IV, col. 841, ex abbate Faverniaci Luxoviensem præfecturam assequitur anno 1271; quo decurrente, Mercurii die post Assumptionem, legitur quædam permutans cum Joanne *de Choiseul*. Anno dein 1274, cum Richardo, Passaventi domino, paciscitur. Inter eumdem et Theobaldum, Barri comitem, initum fœdus, Sabbati die ante festum S. Martini hiemalis 1275; cujus fœderis exemplar originale servat Max. Paris. Biblioth., chart. capsa 1798. Anno dein 1276 cum abbate Vallis Dulcis Auberto componit. Carolus tandem reperitur, Augusto mense 1287, cum Othone, Burgundionum comite, vicos *Amblans, Bouhans* et *Velotte* in æquas partes dividens; *Perreciot, Et. des Pers.*, t. III, p. 130. Hæc autem referens charta notas temporis falsas præbere videtur.

LIX. Theobaldus enim III *de Faucogney* legitur fœdera pangens, mense Februario 1287, secundum recentem calculum, cum Richardo, Osellæ toparcha, et, eodem anno, cum Dominico, Morimundi abbate. Theobaldum hunc Otho, Burgundiæ comes, consobrinum suum dicit, anno 1289, cum referens Bellam Vallem semet recepisse, peditesque necnon equites quoscumque Luxoviensis agri, qui ipsi Othoni servirent, sponte quidem et nullo eum cogente clientelaris obsequii pacto, secum adduxisse. Anno 1291, pridie S. Nicolai hiberni, Luxoviensis urbis cives Theobaldus sub certis conditionibus manumisit. Mense Augusto 1292, fidei professionem a Joanne Clerico accepit. Idem, anno 1293, cum pluribus Bisuntini tractus proceribus societatem fecit, ut scilicet ipsis hostilia minantes eo mutuæ defensionis fœdere propellerent. Occurrit etiam, eodem anno, quidquid *Vauconcourt* possidebat Vincentianis vendens. Anno denique 1303 cum Hugone, Burgundionum comite, de variis dissidiis paciscitur. Obiisse fertur Theobaldus die Resurrectionis Dominicæ 1308. Molestias plures a pluribus passus erat, a Joanne etiam *de Faucogney*, germano suo.

LX. Stephanus II *de Luxeuil* a Clemente papa V confirmatur XIV cal. Septembris 1308; apud Sammarthanos. Decano Bisuntino Stephanus quindecim salis sarcinas vendit 3 Martii 1309. Idem, anno 1310, ratum habet pactum inter Anselmum *de Gondoncourt* et Albericum, S. Antonii priorem. Genevæ obiit 1 Augusti 1314.

Eo mortuo, monachi Joannem, S. Benigni Divionensis monachum et Sarcophagorum priorem, sibi præfecerunt; postmodum vero eumdem, nondum, ut videtur, consecratum, iidem amoverunt. Unde lis orta est; qua pendente, Joannes administrationem abbatiæ temere suscepit: ob id præsertim jure cecidit, et, discordibus animis, novum summus Pontifex abbatem instituit.

LXI. Odo II *de Charenton*, Vezeliacensis monachus, in Æduensi diœcesi, postquam per quinque circiter annos sedes vacua permanserat, Stephano sufficitur a Joanne papa XXII, II cal. Martii 1319; apud Suaresium. Quo anno, pridie S. Magdalenæ, Guillelmo, Humberti majoris filio, reditus contulit quos in vico *S. Bresson* Luxoviensis abbas percipere solebat, ea sub conditione ut abbatialem is mensam nummis ab antecedente Stephano debitis sublevaret. Idem Vitalem archiepiscopum, quinta decima post Pentecosten die 1326, excipit et lauta cœna donat. Anno deinde 1338, cum monachis Athanacensibus, in Lugdunensi diœcesi, faternæ societatis fœdus init. Laudatur Odo Luxoviensis ecclesiæ, quæ ad nostra tempora stetit, inchoator.

LXII. Fromundus *de Corcondray* Joannem de S. Lupo obsequium promittentem excipit, Mercurii die ante Nativitatem B. Mariæ 1346. Obiit VI cal. Aprilis 1351; apud Sammarthanos.

LXIII. Guillelmus II *de S. Germain*, patria Arvernus, deinde reperitur. Eo præsidente, festo die Ascensionis Dominicæ 1357, Joannes de Vienna, archipræsul, in conventuali basilica sacra fecit, pluresque acolytos ordinibus initiavit. Obiit die 24 Aprilis 1363.

LXIV. Aimo *de Bourbonne*, quem *de Molain* Sammarthani nuncupant, e Luxoviensis monasterii præposito abbas efficitur litteris Urbani papæ V, IV cal. Junii 1364; apud Suaresium. Idem, anno sequente, hanc Stephanæ *Bisegeon* veniam concedit ut bona sua *Villers* sita vendat. Idem, 2 Septembris 1374, de diversis reditibus cum Margarita, Burgundiæ comitissa, transigit. Obiit 20, aut 22 Aprilis 1382.

LXV. Guillelmus III *de Bussul* occurrit anno 1394, cui Guarinus *Champion* sub id tempus obsequium promittit. Idem Theobaldum archipræsulem excepit, qui, die Paschæ 1408, rem divinam in æde Luxoviensi fecit. Laudatur præterea Guillelmus tam xenodochii Luxoviensis, quam ecclesiæ juxta monasterium B. Mariæ sacræ, conditor. Decessit VII id. Augusti 1416.

Mortuo Guillelmo, monachi Petrum *de Lugney*, domesticum priorem, abbatiali munere concorditer exornaverunt. Id vero munus una sibi vindicavit Stephanus *Pierrecy*, Faverniacensis abbas. Inter duos igitur æmulos coram Constantiensi concilio decertatum est. Postquam igitur Constantiense concilium sopiendam hanc litem ad futurum papam rejecerat, Martinus V, anno 1418, Stephani causam se potiorem habere professus est.

LXVI. Stephanus III *Pierrecy de l'Isle*

ab anno 1480. Ei, vi cal. Decembris 1422, idem Martinus papa hospitium Luxoviense administrandum commisit. Obiit, optimi abbatis laudem meritus, 3 Augusti 1424.

LXVII. Guido III *Pierrecy de l'Isle* Luxoviensis monasterii administrator legitur Januario mense 1427. Guidonem vero Martinus papa, veluti simoniæ reum, aversatus, eum jam munere privaverat, quod Joanni sequenti commiserat.

LXVIII. Joannes I de Ungellis, a Martino papa nominatus, abbatialem sedem aggredi conatur. Eum autem Guido comprehendi jubet et in sævum carcerem detrudi. Excommunicatus postea Guido, qui, deposita monachorum veste, vagus et egens omni re miserabilem vitam duxit. Decessit Joannes anno 1431.

LXIX. Guido IV *Briffaut* in vico Faverniaco natus, Faverniaci dein monachus, postea, anno 1417, prior domus *Relanges*, Luxoviensis abbas effectus est anno 1431. Is, 11 Martii 1435, Philippum, Burgundionum ducem, excipit Luxoviensis monasterii custodia, quam in eum Carolus VII transtulerat, potientem. Idem reperitur in diversis, sed parvi momenti, chartulis, annis 1445, 1448. Obiit 20 Februarii 1449.

LXX. Joannes II *Jouffroy*, alias *Geoffroy*, vel *Geoffredy*, idem qui postea Atrebatensis episcopus Albiensisque archiepiscopus, et plurium abbas locorum exstitit, Luxovii natus, Dolæ litteras didicerat, posteaque, tam Coloniæ Agrippinæ quam Papiæ vicissim commoratus, his in urbibus operam juri civili dederat; quibus excultus studiis monachicam vestem exoptavit. Cluniacensibus eum monachis auctor Bibliothecæ Cluniacensis annumerat. Ex ipsius vero Joannis, quod Eustasius *Besançenot* exhibet, testimonio palam est eum Luxovii monachum induisse. Recens abbas siquidem erat cum ei Philippus, Burgundionum dux, ut Luxoviensis monasterii custos, fidem promisit, 20 Junii 1451. Obiit 24 Novembris 1473.

LXXI. Antonius I *de Neufchatel*, episcopus et comes Tullensis, commendatarius quoque Luxovii abbas occurrit annis 1468, 1480, 1485. Anno 1468, e Tullensi cathedra depulsus, in Gyacenum castrum venit, et a Carolo archipræsule poposcit ut ipsi liceret episcopalem aulam in Luxoviense monasterium transferre. Habitus Luxovii tunc temporis percelebris conventus, in quo, adstante Burgundionum duce, statutum est ut totis viribus Antonius in episcopatum Tullensem recuperandum eniteretur. Obiit iii cal. Martii 1495.

LXXII. Joannes III *de la Palud de Varambon*, protonotarius apostolicus, Antonio novissimo morbo laborante, monachis Luxovii a Maximiliano imperatore commendatur, 4 Martii 1494. Ut vero mortuus est Antonius, summus Pontifex abbatiam Joanni *de Villiers*, cardinali San-Dionysiano in Francia nuncupato, proprio motu commisit. Unde acerbus in papam Maximiliani animus; unde palam vetitum, 3 Octobris 1495, imperatoris decreto, ne Joannes prædictus *de Villiers* ipsi traditam a curia Romana domum ingrederetur. His deinde compositis rebus, Joannes *de la Palud* munus aggreditur ipso papa annuente. Archiepiscopus idem Bisuntinus a quibusdam canonicis exoptatur, anno 1502, post obitum Francisci: prævaluit vero Antonius, cui potentiores patroni palam suffragabantur. Anno dein 1504 abbas S. Pauli factus est, et duas abbatias, necnon Marnesiam, prioratum, insimul rexit. Anno 1520, ædificiis abbatiæ ruinam minantibus, omnes ipsi subjectos priores Joannes in capitulum generale convenire jussit, ea de re consilium habituros.

LXXIII. Franciscus I *de la Palud* Joanni, avunculo suo, cujus adjutor fuerat, successit, anno, ut videtur, 1533. Inter antecedentem Joannem et Carolum imperatorem lis fuerat de temporalibus abbatiæ juribus; cui finem fecit fœdus, initum 29 Octobris 1534. Ab eo tempore Luxoviense territorium, in eo quod ad jurisdictionem spectat, Luxovii quidem abbati obnoxium permansit, ejusdemque abbatis reditus incrementa susceperunt: suprema vero in eo territorio potestas Cæsari adscripta est. Obiit Franciscus anno 1541.

LXXIV. Franciscus II *Bonvalot*, S. Vincentii jam abbas, a monachis Luxoviensibus excipitur anno 1542. Is, 13 Aprilis 1547, cum Luxovii oppidanis fœdus de mutuis juribus pepigit, obiturus anno 1560 ineunte.

LXXV. Antonius II *Perrenot de Granvelle*, antecedentis e sorore nepos, archiepiscopus Mechliniensis et Bisuntinus, cardinalis, obiit xi cal. Octobris 1586. Idem et abbas S. Vincentii.

LXXVI. Ludovicus *de Madrucio*, cardinalis, Tridentinus archiepiscopus, abbas Luxovii nominatus a rege 13 Novembris 1586, litteras pontificias accepit 29 Januarii 1587. Possessionem vero adipiscendam distulit usque ad 7 Aprilis 1588. S. Vincentio quoque præfuit. Decessit Romæ, 2 Aprilis 1600.

LXXVII. Andreas II, Austriacus cardinalis, episcopus Constantiensis, nominatur 20 Maii, decessurus Romæ eodem anno, 12 Novembris. Archiducum Alberti et Isabellæ litteras ea sub conditione obtinuerat, ut mille libras annuatim Jesuitarum Bisuntinorum collegio numeraret.

Andrea mortuo, Luxovienses monachi, pro antiquo more, Leopoldum Austriacum collectis suffragiis elegerunt. Sperabant enim neminem fore qui tam potentis domus abbati

semet adversarium intenderet. Quod tamen egerant Dolensis senatus cassum fecit, 19 Februarii 1601. Quippe gratia pontificia penes archiduces abbatis Andream excepturi delectus erat.

LXXVIII. Antonius III *de la Baume S. Amour* ex abbate Balmæ ab archiducibus Alberto et Isabella nominatur abbas Luxovii 9 Junii 1601. Quam nominationem 25 Junii monachi sibi gratam esse denuntiavere. Non tamen Antonius munus adiit ante 14 Septembris 1605. Bullas pontificias 6 Junii 1603 obtinuerat. Paucis vero post muneris aditionem diebus, 24 Novembris, ab armatis militibus, *de Cressia* duce, captus est, nec libertate donatus, nisi numeratis quinque millibus nummorum; e Chronico Joan. Bonneti. Obiit 6, vel 7 Septembris 1622.

LXXIX. Philippus *de la Baume*, Antonii e fratre nepos, ejusque 18 Maii 1620 creatus adjutor, abbas deinde fuit, et obiit 22 Februarii 1631. Quo defuncto, reformationem S. Vitoni Luxoviense monasterium admisit. Exinde regularium abbatum nova series initium cœpit.

LXXX. Hieronymus *Coquelin*, in urbe *Morteau* gymnasiarcha, ab Isabella infante Luxovii abbas nominatur 23 Octobris 1633, et in possidendam reformandamque abbatiam mittitur 14 Februarii 1634. Bruxellis moritur 15 Augusti 1639, bullas nondum adeptus.

LXXXI. Joannes-Baptista I *Clerc*, ex abbatiæ priore regularis abbas eligendus litteris regiis commendatus est 14 Decembris 1641, et apostolicis institutus 4 Septembris 1645. Munus tamen anno tantum 1652 adiit. Adjutor ei datus fuerat a rege Joannes *de Watteville*, abbas Balmæ, 5 Septembris 1663. Ut vero Joannis-Baptistæ mors renuntiata est, consilio regio placuit ut ad commendatarios iterum abbates cœnobii regimen traduceretur. Quos inter primus recensetur Claudius Paulus *de Beauffremont*, marchio *de Listenois*, 27 Martii 1671 nominatus. Is autem nondum susceptum munus missum fecit, ut mox duarum legionum tribunus esset: qui scilicet inter pugnandum obiit, 4 Octobris 1674.

LXXXII. Joannes-Baptista II Josephus Hyacinthus *de Beauffremont*, antecedentis frater, eo recedente abbas creatur a Carolo II, Hispanorum rege, 23 Novembris 1671. Huic vero, qui duodecimum ætatis annum nuper attigerat, muneris aditum Romana curia primo denegavit. Quare, mutato rursus consilio, regularem rex abbatem Emmanuelem *Privey* nominavit, 24 Februarii 1673. Ad Joannem-Baptistam dein apostolicæ bullæ delatæ sunt, eo scilicet anno, 14 Decembris, idemque in possidendam abbatiam missus est 17 Julii 1674. Tunc vero Emmanuel *Privey* adversus eum litigavit, munus munerisque fructus sibi vindicans: hujus autem postulationem senatus postea cassam fecit. Elapsis quinque annis Joannes-Baptista Josephus 26 Junii 1680 abdicavit. Idem commendatarius abbas erat S. Pauli.

LXXXIII. Carolus II Emmanuel *de Beauffremont*, Joanne-Baptista germano abdicante, vices ejus excepit, ex auctoritate Ludovici regis, 28 Junii 1680. Obiit 27 Junii 1733. Eo mortuo, rex, 31 Octobris, administrationem et reditus abbatiæ per annos novem capitulo Bisuntino concedit, his conditionibus ut abbatialem domum vetustate fatiscentem reædificet, et Arbosii canonicis 1000 libr. quotannis conferat.

LXXXIV. Renatus *de Rohan-Soubise* 1 Julii 1741 nominatur; qui possessionem aggreditur 14 Septembris, et obit 7 Februarii 1743. Erga monasterium, quod procurator congregationis S. Vitoni generalis N. *Dauday* administrabat, beneficentissimus exstitit.

LXXXV. Joannes IV Ludovicus Aynardus *de Clermont-Tonnerre* litteris regiis instituitur 22 Februarii 1748 et munus adit 13 Aprilis. Ultimus Luxoviensium abbatum fuit.

LUTHRA.

Luthrensem abbatiam, in decanatu *Granges* sitam, condidisse memoratur S. Deicolus, Hibernus, S. Columbani discipulus. Ea de fundatione fidem facit, præter Vitam S. Deicoli quam Bollandus edidit, Henrici imperatoris diploma, anno datum 1016, in quo legere licet antiqua Luthræ tecta in prædio ad fiscum regium pertinente, *largitione anteriorum regum*, exstructa fuisse. Ch. vi, col. 6. Vixit S. Deicolus sub initium septimi sæculi. Recensetur, anno 817, Luthrensis abbatia inter monasteria quæ nulla dona, sed solas orationes, imperatori debent. Tradunt nonnulli Lotharium postea regem, Lotharii imperatoris filium, Valdradæ hanc abbatiam dono dedisse, et tunc, exsulantibus monachis, in dominium pellicis regiæ locum olim Deo sacrum traductum fuisse. Hanc quidem narratiunculam parum confirmare videtur Lotharii diploma, tres sui juris ecclesias Nittoni, Luthrensium abbati, condonantis, et quam maximis laudibus tam prædictum Nittonem quam ejus socios extollentis; inter schedas *Droz.*, t. XIII, p. 332. Adnota vero plura in eo diplomate falsitatis, aut saltem corruptionis, indicia. Annum enim præ se fert 880, et Lotharius anno 869 decurrente occubuit. Ibidem præterea Lotharius semet *Lothariensis regni monarcham* nuncupat; quod insolitum omnino videtur, nam provincia quam Lotharius gubernaverat Lotharingia non ante ipsius Lo-

tharii mortem nuncupata est(1). Parva igitur Lotharii in Nittonem benefici chartulæ fides tribuenda. Alii tamen iidemque magnæ auctoritatis testes quidquid de facto Waldradæ dono monachorumque exsilio refertur satis aperte refellunt; Carolus scilicet rex et Ludovicus imperator, qui, anno 870, inter se regnum partientes, Luthrensem abbatiam Ludovici dominio assignant. Vacua enim ascetis domus, imo in potestatem regiæ amicæ nuper translata, inter præcipuas Galliæ abbatias non sane recensenda. Ut ut ea se res habuit, Hunni postea devenerunt, qui Luxovium insimul Luthramque vastaverunt; Luthrensisque domus, sub id siquidem tempus omni Dei cultu destituta, inclytis quibusdam militibus, Ebrardo scilicet Hugonique, Hugonis comitis filiis, circa mediam decimi sæculi partem hæreditario jure contigerat, eam qui Ottoni regi tunc temporis restituerunt. Is vero protinus, adhibito procerum episcoporumque consilio, sibi restitutum locum ad monachos ex Analesbergensi (2) monasterio, in Argentoratensi, ut videtur, diœcesi, deductos contulit; Rer. Gall. Script., t. IX, p. 385. Analesbergenses autem monachi Benedictinam regulam observabant : ab eo igitur tempore Luthrensis abbatia, quæ S. Columbani primum institutis subjecta fuerat, inter Benedictinæ gentis colonias annumerata est. Adde quod sub imperatoris custodia, nullo medio, tunc posita fuit, et sub ipsius domini papæ auctoritate. Majora in dies domus incrementa suscepit, damnis tamen non semel, procellosis his temporibus, afflicta. Crebras inter ærumnas, quas Luthrensibus monachis vicini toparchæ attulerunt, audax Theodorici III, Montis Biligardi comitis, facinus enarrandum est. Is, Luthræ factus quodam pacto custos, in monte monasterio insidente castellum, *Etobon* postea vocatum, invito Theobaldo abbate, exstruxerat. De qua re Theobaldus questus est, comitemque Bisuntinus archipræsul excommunicavit, anno 1233. Furens autem comes monasterium occupare, et, actis in fugam monachis, possessiones eorum quascumque, mobilesque etiam res diripere. Quare in ipsum iterum iterumque summus Pontifex desæviit, ecclesiasticam denique sepulturam in toto comitis dominio prohibens. Elapso dein uno sæculo, anno 1345, cum Luthrensi monasterio Burgundiones

Ch. LXXXIV col. 78.

(1) D. L. *Besson* chartam hanc Lothario, Ludovici Transmarini filio, sub annum circiter 980, attribuit. Huic autem conjecturæ adhærere non tutum. Lotharingiam quidem sibi Lotharius, Ludovici filius, vindicavit, eamque aliquantisper occupavit, non autem veluti proprii juris regnum, regemque se Francorum semper, nunquam *Lothariensis regni monarcham*, ipse nuncupavit. Consule D. N. *De Wailly*, Element. Paleogr., t. I, p. 329.

(2) De eo monasterio paucissima antecessores nostri tradidere, supra, t. V, col. 834. Idem alii *Conalesberg*, *Calonesberg*, *Laversberg* vocant. Adnotationem D. L. *Besson* consule, p. 17.

A imminerent, Jacobus abbas id duobus fossis, turribus aliisque propugnaculis communivit. Quod non Montis Biligardi comitissa Joanna æquo animo passa, Jacobusque coram delegatis judicibus ab ejus ministris citatus. Decreverunt quidem judices Luthræ munimenta convellenda : eorum vero decreto minime obtemperatum est : quam ob rem, per quinque et triginta annos, Luthrensis abbas reditibus bonorum quæ in Burgundia possidebat privatus est; quin imo, anno 1356, eodem ea tenus fervente dissidio, armatæ turmæ abbatiam occupaB verunt, et per biennium, expulsis monachis, ibi sedem fecerunt. Nec adeo multo post, anno 1370, Austriæ duce et Joanne *de Ray*, Sequaniæ custode, inter se bella moventibus, Austriæ dux, cui Luthrensis abbas favebat, in urbe Luthrensi stativa sibi castra fecit, unde turmas misit quæ castella Montem Bozonis Montemque Justini expugnarent. Mox autem Joannes *de Ray*, validiores ducens copias, venit, Luthram cepit, Henricumque abbatem captivum duxit. Succurrit tandem monachis Austriacus, et, damna quæ pertulerant compensare studens, C eis Belli Fortis castelli per decem annos fructus adscripsit. Anno 1512, Georgium, Luthrensem abbatem, Murbacenses monachi sibi quoque præficiendum exoptavere : quorum votis Leo X adhæsit; unde originem sumpsit duarum abbatiarum in unam mox futura conjunctio. Erat tunc abbatia Luthrensis satis dives opum, armis vero potentior; castello similis, et munimentis validissimis circumsepta. Sed simul ac vires creverant, defecerant mores et disciplina obsoleverat. Anno 1539 proscriptæ sunt Ferdinandi, ducis Austriæ, litteræ, quibus imperatum est D ut Luthrensis quivis monachus genere nobilis esset, aut saltem ex ingenuis parentibus natus. Id sane prorsus a S. Benedicti institutis alienum. Imo, elapso brevi tempore, hic mos invaluit ut nullus in Luthrensia tecta monachus exciperetur, nisi productis nobilitatis suæ testimoniis. Jam tum monastica quidem nomine, re vero militaris, congregatio Luthram incoluit. Huic nec cura divini cultus, nec sacrarum, imo nec profanarum litterarum studium : arma tantum ludosve isti monachi appetunt, quibus per ipsum abbatem claustrum in sphæE risterium convertere licet. Anno 1554, 12 Martii, cardinalis Moronis, sedis apostolicæ legati, decreto statutum est ut Murbacensis Luthrensisque abbatiæ, quæ eidem abbati jam parebant, in perpetuum connecterentur. Sequente decurrente sæculo, omnimodo Luthrensis domus vexata est. Anno scilicet 1633, urbem Luthram Sueci obsedere, eamdemque vicissim Germani, Lotharingi Gallique occupavere. Interea possessiones abbatiæ hostiles amicæve copiæ

æque deprædatæ sunt, et in abbatia, cui semper excidii minæ intentatæ, superstites adeo pauci fratres exstitere, ut quatuor tantum anno 1634 reperiantur, Columbanus scilicet *Tschudi* spiritualis administrator, Paulus *de Laussin* temporalis, Joannes Claudius *de Vauferrans* et Ambrosius *de Blitterswick* monachi, qui, anno 1638, cum ferveret acrius bellum, ipsi in vicinas regiones confugere. Ab anno quidem 1648 serenior cœli facies. Tunc in desolatas ædes quidam monachi rediere, sed Morbacum paulo post, rebus omnibus exhausti, secessere, tam opulenta ecclesiæ ornamenta, quam vetera in armariis ea tenus servata diplomata secum asportantes. Anno 1679, urbs Luthrensis comitatui Burgundiæ a Ludovico XIV annexa est, Luthrensisque abbas pleraque jura sua amisit. Anno denique 1765, tam Luthræ quam Morbaci, sæculares canonici monachos excepere. Duabus quidem abbatiis in collegia conversis idem rector, abbatis, imo principis titulo, veteris usus observantia, datus est: cetera vero Luthrensibus sex canonicis octoque Morbacensibus minime communia. Nullus tamen vel in Morbacensia vel in Luthrensia claustra hospes admissus fuit, nisi nobilissima stirpe genitus.

Commentationem Historicam de Luthrensi Abbatia scripsit D. L. *Besson*, typisque anno 1846 mandavit; e qua nos plura desumpsisse grato animo profitemur.

SERIES ABBATUM.

I. S. Deicolus, S. Columbani, ut ferunt, discipulus, e monasterio Luxoviensi deveniens, Luthram exstruxit, anno prorsus incerto. Obitus S. Deicoli 18 Januarii adscribitur. Ejus vitam, decimo sæculo scriptam, sub hanc diem Bollandus edidit: cui parva, ut fatentur omnes, fides adhibenda.

II. S. Columbinus, S. Deicoli assecla et ipse Erigena, post eum, ut memorant, Luthræ regimen obtinuit. Colitur 13 Septembris.

III. Nitto, Lotharii regis coævus, in charta sublestæ fidei memoratur. Eumdem forsan Ichonem auctor vitæ S. Deicoli nuncupat. Nittone vero aut Ichone præsidente, Hunni Luthram, actis in fugam monachis, occupaverunt, nullusque exinde in vastata domo piorum sodalium cœtus. Postea vero eo devenit

IV. Baltramnus, qui jam Analesbergense, vel Conalesbergense monasterium, in Alsatia, condiderat. Episcopis vero Metensi et Argentoratensi super hujus monasterii patronatu decertantibus, Ottonem regem Baltramnus, apud quem acceptissimus erat, adiit, petiitque ut alia sibi monachisque suis sedes concederetur. Tunc eum in Luthrensis abbatiæ claustra, omni cultu jam diu destituta, rex transtulit, VIII cal. Aprilis 969, eique Benedictinæ libertatis privilegium impertivit. Obiisse Baltramnum Chiffletius opinatur 15 Augusti 960. Quidam, inter quos Mabillonius, Baltramnum sanctis annumerant, alii vero beatis.

V. Werdolfus, Baltramni nepos, ei, ut videtur, successit. Is est cui vitam S. Deicoli anonymus auctor dicavit. Scripta vero, ut palam est, ea S. Deicoli vita aliquanto post Othonis I mortem, qui decessit 7 Maii 973.

VI. Milo ab Henrico II imperatore, XI cal. Julii 1016, abbatiæ suæ privilegia rata impetravit. Ch. VI, col. 6.

VII. Durandus, anno 1031, Hugoni I archiepiscopo semet fidum fore promisit; ex Epist. domni *Pitra, Archiv. des Missions*, t. IV, p. 106.

VIII. Gerardus anno 1050 reperitur; e litteris Leonis papæ IX. Has autem litteras, de quibus omnes fidem faciunt, nobis ætas invidit.

IX. Humbertus occurrit anno 1118, in chartula translationem S. Columbani referente; D. L. *Besson* Comment., p. 197.

X. Stephanus inter annos 1134 et 1135: nempe una cum Bernardo, Roseriarum abbate, litteris Humberti archiepiscopi subscripsit de jam collatis Roseriarum hospitibus fundis; *Droz*, t. X, p. 321.

XI. Odalricus, alias Ulrichus, XVIII cal. Decembris 1157, litteras a Frederico imperatore obtinuit, quibus sancita antecedentium regum imperatorumve privilegia. Idem, una cum Guillelmo, abbate Bethaniæ, testis occurrit Humberti archipræsulis plura Bethaniensibus data confirmantis: quæ, ut videtur, confirmatio inter annos 1156 et 1162 edita est.

XII. Guido I postea nuncupatur, cui, III non. Martii 1178, amplissimis Alexander papa III litteris jura possessionesque Luthrensis abbatiæ confirmavit, parochias scilicet *Vouhenans, Pont, Bouhans, Genevreuille, Vy* juxta Luthram, *Plancher, Frahier*, etc., etc.; D. L. *Besson*, ibidem, p. 199. Abdicato munere, Guido superstes erat anno 1189, ut constat e Bethaniensi chartula a D. *Dunand* laudata.

XIII. Petrus I, anno 1207, testis est Narduini, Anagratensis domini, de quorumdam prædiorum finibus cum Bethaniæ monachis paciscentis; *Droz*, t. XI, p. 162. Idem, anno 1208, litteris Amedei archiepiscopi subscribit de rebus Bellævalli ab Alardo milite restitutis.

XIV. Theobaldus *de Faucogney* innotescit, anno 1215, e quodam pacto cum decano S. Pauli. Idem testis est, mense Martio 1223, monachorum Bethaniæ cum Henrico Sultitio transigentium. Idem occurrit, Februario mense 1228, secundum hodiernum computum, in chartula de jurgiis compositis

inter Bellam Vallem et S. Vincentium. Quo etiam anno ipse cum abbate S. Pauli plura prædia commutat; *Droz*, t. VII, p. 633. Anno 1230, arbiter cujusdam litis est inter Bethaniæ monachos et Narduinum de *Enegrez;* ibid., t. XI, p. 187. Ut erat consiliorum suorum fama in tota Burgundia clarus, eum, mense Augusto 1232, Fredericus imperator capellanum imperialis aulæ nominavit, eique, domestica privilegia confirmavit; Hist. Dipl. Fred. II, t. IV, p. 379 (1). Eo quoque anno, pridie cal. Januarii, Haguenoviæ reperitur, quo regem Henricum secutus erat, ibique ejus litteris subscribit villam *Tarrenried,* vel *Batinriet,* ab Hugone, Morbacensi abbate, semet accepisse testantis. Sigillo suo confirmat, Aprili mense 1233, pactum quod S. Vincentii monachi et Guido de Rupe iniverant, et, mense Maio, eodem sigillo litteras Annæ Bonædulcis in S. Vincentium beneficæ munit; ex ind. chart. Vincent.; apud *Droz,* num. 736, 1308. Tunc autem extra monasterii sui fines exsul vitam agebat : comes enim Montis Biligardi Theodoricus III monachorum claustra per vim occupaverat, et in vastatis ædibus armatorum prædonum turma debacchabatur. De hoc exsilio jam fidem facere videtur Fredericus imperator Augusto mense 1232, Theobaldum referens sibi *devotionem illæsam inter plurimas adversitates* servavisse. Parum tamen fidissimo abbati ipsam imperatoris tutelam profuisse constat. Mense denique Junio 1233, summi Pontificis constantia victus, eum qui non semel excommunicatum proscripserat, Theobaldo pacem Theodoricus obtulit, et, sopito dissidio, excommunicationis sententia oblitterata est. Postremo Theobaldus, mense Junio 1240, litteras edidit de Theobaldo de Novo Castro Hierosolymitanum iter aggrediente et Othoni, Meraniæ duci, Castellionem super Divissiam restituente; Comm. et Doc. ad Sequan. spect., t. III, p. 526.

XV. Guido II *de Clermont*, vulgari sermone *Guiard, Viard,* aut *Vidou* nuncupatus, ab anno 1256 memoratur. Hic ut Luthrensem abbatiam ære alieno liberaret, Richardo *de Belfort* plura prædia, Septembri mense 1257, vendidit; apud D. L. *Besson,* p. 203. Dein compositionem obsignat inter abbatem S. Vincentii et Albericum *de Servigney*, Februario mense 1262, secundum recentem calculum. Idem, mense Februario 1265, testis est Joannis *de Ayresche* semet Luxoviensis abbatis clientem profitentis; *Droz,* t. VIII, p. 480. Eum referunt, anno 1266, munere dimisso, et ex abbate Luthrensi factum domus *Herles* priorem, eo tempore ad Theobaldum de Campania missum fuisse a monachis Luxoviensibus de

A Burgundiæ comitissa querentibus. Ea vero legatio anno 1266 perperam adscripta videtur; nam D. L. *Besson* Guidonem annis 1275, 1279 et 1280 Luthrensi abbatiæ præfuisse contendit.

XVI. Petrus II *de Beauffremont* electus tantum erat, nondum igitur consecratus, 11 Martii 1284, secundum hodiernam computationem, qua die cum Reginaldo, Burgundionum comite, pactionem quamdam fecit; apud D. L. *Besson,* p. 204. Idem litteras Isabellæ *de Francheville* pro Bethania anno 1289 obsignat, et, Octobri mense B 1290, prædium *Couthenans* Hugoni de Burgundia ipse tradit; ibid., p. 206. Mense dein Januario 1291, Clementiæ, *Painz,* vel Pontii, militis, uxoris, alias pro eadem abbatia litteras sigillo suo munit. Dein, eo anno, juribus regalibus investitur a Radulfo rege, pridie id. Martii; Monaster. Bened., t. XXI. Attamen Petrus Hugoni de Burgundia, Cæsare consentiente, custodiendam abbatiam credidit. Anno denique 1295, mense Junio, Reginaldus, Montis Biligardi comes, cum Petro pactum fecit, quod D. L. *Besson* typis mandavit, p. 208.

C XVII. Alardus *de Gouhenans,* ab anno, ut videtur, 1300. Ei, anno 1304, 3 Maii, Joanna et Simonetta, Boquardi Luthrensis filiæ, jura concedunt quæ Luthræ possidebant. Eidem, 18 Martii 1308, secundum recentem calculum, Petrus *de Chalonvillars* a patre nuper data confirmat; apud D. L. *Besson,* p. 210-212. Cari Loci, anno 1310, solemnibus Othonis IV funeribus interest: dein, in castello *Granges,* anno 1314, testis est Reginaldi, Montis Biligardi comitis, testamentum dictantis quo novissima ejus vota posteris tradita. Nec adeo multo post Alardus ipse decessit. D

XVIII. Robertus abbas instituitur a Joanne papa XXII, post Alardi obitum, anno prædicti Joannis primo, Christi 1316, aut 1317; e schedis Suarezii.

XIX. Fulco *de Melincourt* obiit anno 1329.

XX. Jacobus *de Vy* e priore S. Antonii in Frigido Monte abbas, mortuo Fulcone, pontificiis litteris instituitur, 11 id. Novembris 1329; e Suaresio. Obsidionem passurus anno 1345, abbatiam propugnaculis munivit, et minantium Burgundionum vim irritam fecit.

E Nullus igitur locus superest Petro *de Montboson,* quem Sammarthani Luthræ præfuisse anno 1329 memorant. Petrus *de Montboson* anno minime 1329, anno vero 1389, Luthrensem præfecturam habuit.

XXI. Guillelmus I ejectus est, anno 1356, a quadam militum Tribochorum turma, qui per biennium duosque fere menses monasterium occupaverunt. Anno 1357 e vivorum consortio deturbatus Guillelmus fuerat, nam

(1) Mendose *Theodorus* ibi appellatur.

XXII. Otho, Velpaci antea prior, in diœcesi Basileensi, ab Innocentio VI instituitur, XI cal. Aprilis; e Suaresio. Ab eo, anno 1362, secundum hodiernum calculum, quædam S. Columbini ossa, Viennam in S. Stephani basilicam deferenda, Radulfus, Austriæ dux, obtinuit. (Ch. CXVI, col. 105.)

XXIII. Henricus ab anno 1367, secundum Sammarthanos. Anno 1370, Luthrensibus monachis, quos Burgundiones continuate vexabant, Allemani præsidium attulere. Mox autem Joannes *de Ray*, valida Burgundionum manu stipatus advenit, Henricum cepit, captumque aliquantisper carceri mandavit. Unde non una monasterio clades. Eidem Henrico, anno 1373, Albertus et Leopoldus, Austriæ duces, villam *Tavey* restituerunt; apud D. L. *Besson*, p. 215. Mutuæ defensionis dein fœdus pepigit Henricus, anno 1376, cum Stephano, Montis Biligardi comite; ibid., p. 216.

XXIV. Guillelmus II anno 1379 reperitur, quem anno 1387 obiisse referunt.

XXV. Petrus III *de Montbozon*, ab anno 1389. Hic servos abbatiæ in urbe Luthrensi commanentes manumisit, anno 1400.

XXVI. Joannes I *de Beaumotte* abbati Morbacensi capellam S. Antonii in *Uffholtz* donat 6 Aprilis 1406; apud Schoepfl., Als. Dipl., t. II, p. 314. Anno dein 1412, 27 Septembris, Rupe Forti, Joannes testis est Joannis, Burgundionum ducis, et Catharinæ Austriacæ, pactum quoddam ferientium. Qui etiam, apud Joannem ducem acceptissimus, ab eo sub annum 1416 legatus in Austriam missus est. Obiit anno 1422, eique, nepos e fratre, successit

XXVII. Joannes II *de Beaumotte*, prior antea S. Antonii in Frigido Monte, qui concilio Basileensi interfuit anno 1435, et, difficillimam sortitus præfecturam, anno 1438 vita cessit.

XXVIII. Elyon *de Lantenne* servos villas *Frahier* et *Chalonvillars* incolentes manumisit, anno 1449. Anno dein 1454 occurrit in Joannem *Prévost*, Joannis *Girait* occisorem, sententiam ferens; *Droz*, t. XIII, p. 348.

XXIX. Claudius *de Rye* abbatiale pedum aliquantisper tenuit. Is Joanni *Prévost* supra memorato crimen condonavit.

XXX. Joannes III *Stoër*, Morbacensis monachus, eligitur anno 1458, Claudio successurus. Sub idem vero temporis Joannes *Jouffroy*, Atrebatensis episcopus, a summo Pontifice litteras obtinuerat, quibus idem munus Joanni *Bonnet*, Luxoviensi monacho, ipsius quoque Atrebatensis cardinalis e sorore nepoti, demandatum. Ignobilis sane viri Joannes *Bonnet* ignobile nomen. Hic vero, quem propolæ genuerant, clariorem originem mentiens, semet ipse Joannem *de Montureux* nuncupabat. Abbatia quidem Joannes *Stoër* potitus est; patronos autem nactus potentissimos Joannes *Bonnet* in conculcandum æmulum nervos omnes contendit. Ei siquidem favens Philippus, Burgundionum dux, ad Austriæ ducem, 18 Martii 1459, scripsit, Joannem *Stoër* semet alia sede donaturum promittens. Joannis quoque *Bonnet* partes Gallorum rex Ludovicus XI amplexus est, cujus litteras D. L. *Besson* publici juris fecit. Majora etiam cardinalis molitus est, qui contra Joannem *Stoër* sententiam excommunicationis obtinuit, mense Maio latam. Sic, per septem circiter annos, æmuli duo de legitima abbatialis baculi possessione litigaverunt, donec arbitri a Romana curia delegati secundum Joannem *Stoër*, anno 1465, decreverunt. Joanni tamen *Bonnet* centeni ducati nummi assignati sunt, pensionis nomine quotannis persolvendi. Sopitis autem his dissidiis, Joanni *Stoër* novus hostis imminet, Petrus scilicet *de Hagenbach*, cui Carolus, Burgundionum dux, comitatum Ferretensem administrandum commiserat. Hic fodinam *Plancher* sitam sibi vindicans, Luthrensem abbatem, veluti regii fundi iniquum possessorem, comprehendi jubet, et in castellum *Ensisheim* traduci, stricto carceri mancipandum. Dimissa quidem re Joannes liber efficitur. Vix autem libertate donatus, sub exitum anni 1470, judices appellat, et in ereptæ fodinæ possessionem rursus mittitur. Obiit anno 1486, egregii abbatis laudem meritus.

XXXI. Petrus IV ei successit, qui Frederico III imperatori semet fidum fore promisit, anno 1487.

XXXII. Joannes *Virot*, perperam a quibusdam dictus *Didot*, reperitur anno 1506, in regestis officialis Bisuntini. Ex abbatiæ æditùo abbas anno 1505 factus erat. Litteras tamen pontificias non ante annum 1510 accepit. Quo etiam anno decessit.

XXXIII. Georgius *de Massmünster*, ab anno 1511. Eum, anno 1512, Morbacenses monachi sibi quoque præficiendum exoptarunt, eorumque votis annuens Leo X eumdem duobus monasteriis præfecit 7 Januarii 1513. Maximiliano imperatori se fidum fore Georgius juravit 12 Januarii 1518, et circa annum 1520 monasterii turres reædificavit, anno 1540 obiturus.

XXXIV. Joannes V Radulfus *Stoër* litteras a Paulo papa III acceperat, 1 Januarii 1536, quibus Georgio adjutor datus fuerat designatusque ejusdem successor futurus. Eodem anno, Pauli papæ decretum Joannem Radulfum tam Luthræ quam Morbaci Georgio defuncto subrogandum renuntiaverat. Ei quidem anno 1540 successit. Minime S. Benedicti, sed Martis alumnum olens, Joannes Radulfus primo ceteris monachis vitæ perditæ exemplum præbuit: dein contra Henricum, Morbacensem decanum, bellum ciens, eum in castello *Hug-*

stein delitescentem obsedit cepitque. Is est qui, 21 Martii 1546, secundum hodiernam computationem, cum Luthrensibus incolis, jugis mancipii ea tenus hominibus, præclarum fœdus fecit, quo scilicet libertate donati sunt, ea tamen sub conditione ut magnam aureorum nummorum copiam Luthrensi abbati subministrarent; apud D. L. *Besson*, p. 221. Principem imperii potius quam abbatem Joannes Radulfus semper egit, qui, ex imperatoris auctoritate, monetam suo nomine insignitam cudit, et anno 1548 Spirensibus comitiis interfuit. Eo regente, 12 Martii 1554, Luthrensis et Morbacensis abbatiæ in perpetuum unitæ. Obiit anno 1578. Adjutores habuerat Philippum *d'Helmstædt* ab anno 1545, et, ab anno 1560, Ulricum *de Raittnaw* (1).

XXXV. Joannes VI Ulricus *de Raittnaw* tam Luthræ quam Morbaco ab anno 1570 præfuit. Qui, anno 1576, Wolfgangum Theodoricum, e fratre nepotem, præpositum jam Basileensem, in muneris consortium accivit. Obiit anno 1580.

XXXVI. Wolfgangus Theodoricus *de Raittnaw* avunculo suo successit. Postquam vero Luthræ et Morbaco per duos menses præfuerat, in Salisburgensem cathedram evectus est, et aliquanto post duarum abbatiarum regimen dimisit.

Abdicante Wolfgango Theodorico, Morbacenses monachi Gabrielem *Gyet* elegere; qui non multo post ab omni jure cessit. Interea vero Marcus *de Rye*, marchio *de Varembon*, in Luthrensem abbatiam irruit, et monachis, quos armorum vi premit, imperat ut germanum fratrem Ferdinandum *de Rye*, archiepiscopum recens Bisuntinum, sibi præficiant. Alia etiam minanti parent fratres. Clam vero Romam unum ex ipsis delegant, qui summo Pontifici rem enarret, et ne bullæ ad Ferdinandum mittantur postulet. Interea vero Morbacenses in Andream, Austriacum cardinalem, abbatiale munus transtulerant. Quod ut Luthrenses audiunt, Sixtum V orant ut eumdem Luthrensi præfectura, unitis jam duobus abbatiis, donet, eorumque votis summus Pontifex annuit.

XXXVII. Andreas, cardinalis Austriacus, tam Luthræ quam Morbaco a Sixto V præficitur 14 Octobris 1587, et, 9 Novembris, Luthrensi præfectura per procuratorem potitur. Qui anno sequente, 28 Septembris, imperatoriis litteris donatus est. Obiit anno 1600.

Tunc nova dissidia. Concessam sibi pontificia gratia abbatis eligendi potestatem asserentes, Albertus et Isabella, archiduces, Joannem *Richardot*, Mortuæ Aquæ priorem, abbatem Luthræ nominant, et, provincialis præfecti mandato, Cleryardus *de Vergy* Lucasque *de S. Maurice* Luthram mittuntur, 16 Martii 1601, qui prohibeant ne quælibet a monachis electio fiat. Capitulum vero, *Guebviller* congregatum, Joanni Georgio *de Kalkenriedt*, cui Morbacenses favebant, abbatiale munus confert. Tunc Claudius *de Mugnans*, apud Luthrenses acceptus candidatus, Romanam curiam appellare, duarum abbatiarum unionem Luthræ damnosam clamitans. In ea vero causa cecidit.

XXXVIII. Joannes VII Georgius *de Kalkenriedt* sententia apostolica confirmatur abbas Luthræ et Morbaci 27 Martii 1602. Qui plura cum archiducibus Austriæ pactus, regalibus juribus, 13 Octobris 1608, donatur. Munus vero postea in gratiam sequentis dimittit: cujus abdicationem Paulus V, 13 Julii 1614, approbat.

XXXIX. Leopoldus I, episcopus Argentoratensis electus, idem quoque Austriacus archidux, Luthram Morbacumque suis dominiis adnectit, licet sacris ordinibus nondum initiatus. Pactione vero cum Joanne Georgio inita, hic abbas imperiique princeps utique nuncupabitur, Leopoldusque, administratoris titulo, colligendos tam Luthræ quam Morbaci reditus percipiet. Quam pactionem Paulus V anno 1614 ratam habuit. Non semel Leopoldus de monachis a disciplinæ tramite declinantibus questus est. Non vero audita vox administratoris laici regulam regularibus strictius observandam commendantis. Ipse denique, anno 1625, uxorem duxit, et abbatiale munus in sequentem, e fratre nepotem, transtulit.

XL. Leopoldus II Guillelmus, Ferdinandi II imperatoris filius, episcopatum insimul Argentoratensem et abbatias Luthrensem necnon Morbacensem, duodecim annos natus, accipit ab Urbano VIII, 10 Julii 1626. Qui, eo anno, temporalem Luthræ administrationem Paulo *de Laussin*, spiritualem vero Columbano *Tschudi* demandat. Obiit Leopoldus Guillelmus anno 1662.

Eo mortuo, fratres Columbanum *d'Andlau* elegere; episcopus vero Argentoratensis novus antecessorum suorum hæreditatem sibi vindicavit, et Columbani electio irrita evasit.

XLI. Franciscus I Egon *de Furstemberg*, Argentoratensis præsul, Coloniæ obiit 1 Aprilis 1682.

XLII. Felix Egon *de Furstemberg*, antecedentis, cujus adjutor fuerat, e fratre nepos, vita cessit 15 Martii 1686. Adjutoris munus a rege susceperat 26 Januarii 1682. Idem inter Colonienses præpositos recensetur.

XLIII. Philippus Eberhardus *de Lœvenstein*, Argentoratensis canonicus, eligendus abbas a Ludovico rege designatur, 26 Aprilis 1686. Idem pontificiis litteris donatus est 7 Martii 1703. Attamen in possidendam ab-

(1) Perperam hunc D. L. *Besson* abbatem S. Maximini Trevirensis asserit.

batiam non ante 9 Novembris 1706 missus est. Obiit anno 1720.

XLIV. Cœlestinus *de Beroldingen-Gundelhart,* antecedentis adjutor a Clemente XI creatus 29 Martii 1704, ei anno 1720 successit, et anno 1737 munere semet abdicavit, eodem anno moriturus.

XLV. Franciscus II Armandus Augustus *de Rohan-Soubise,* canonicus Argentoratensis, annos novem et decem natus, adjutorem habuit Leodegarium *de Rathsamhausen.* Argentoratensis dein episcopus fuit, obiitque anno 1756.

XLVI. Leodegarius *de Rathsamhausen* eo anno Francisco Armando Augusto successit.

XLVII. Casimirus Fredericus *de Rathsamhausen* ab anno circiter 1780, anno 1790 superstes.

BALMA.

Tribus leucis distans ab urbe Ledone Salinario, in angusta valle, quam abruptorum montium minæ super impendent, Balmense monasterium antiquissimam originem sibi vindicat. Quam multæ vero de fundatione sententiæ. Ne singulas referamus, Petrus Venerabilis hanc S. Columbano fundationem, sicut ipsi, ut ait, fama tradiderat, adscribit: eamdem alii Brunechildi, Chilperici filiæ, Guntramno regi, S. Prothasio Abrincensi episcopo et S. Benedicto Anianensi. Ceteri vero S. Desideratum, aut S. Lauthenum, ejusdem domus conditorem memorant, qui scilicet ad Balmam spectare contendunt ea quæ de Maximiaco narrat auctor vitæ S. Lautheni. Certum quidem est S. Lautheni reliquias in Balmensem abbatiam olim translatas fuisse, ex humiliori cella deductas, quæ scilicet Balmensi abbatiæ semper subjecta comperitur. Ut ut se res habuit, Balma recensetur, anno 817, una ex abbatiis quæ subsidia tantum imperatori conferre debent; Rer. Gallic. Script., t, VI, p. 408. Quod de Palma, Palmensive parthenone, perperam nostra sententia Buquetius et alii intelligunt. Balma quoque, virorum, minime puellarum, domus, Mabillonii pace, qui rem aliter interpretatur, occurrit, anno 831, inter inclytas abbatias quibus Ansegisus morbo laborans diversa dona confert. Anno dein 869, *cellulam Balmam, in pago Scodingorum sitam,* Lotharius, Lotharingiæ rex, Arduico, Vesuntionensi episcopo, inter metropolitanæ ecclesiæ possessiones confirmabat. Vetustissima abbatia magnam cladem inter annos 831 et 869, ut videtur, erat passa, quam *cellulam* Lotharius nuncupat. Facta tamen, anno sequente, inter Carolum Calvum et Ludovicum imperatorem Gallicanarum abbatiarum partitione, Balmam, quamvis e pristina dignitate dejectam, in-

Ann. Ben., t. II, p. 542.

Ch. III, col. 4.

A ter abbatias sibi assignatas Ludovicus non prætermisit. Postea Gigniacenses monachi Balmensem cellam restaurandam acceperunt, et jacentes revera veterum ædificiorum parietinas sine mora suscitaverunt. Abbas autem Gigniaci tunc temporis Berno, magnæ famæ vir, cujus nomen Formosi papæ litteræ de cella Balmensi in Gigniacensis monasterii possessionem traducta præbent, anno, ut videtur, 895. Eidem Bernoni Radulfus rex jam a fundamentis reparata ejusdem cellæ ædificia confirmavit; e Vitis SS. Sequanic., t. III, p. 454. Nec alius hic B Berno ac perceleberis abbas Cluniaci. Qui Cluniacensium instituta tam Gigniaci quam Balmæ vigere jussit. Indubium quoque videtur Balmam ab eo tempore abbatialem domum exstitisse, non proprio tamen abbati subjectam, Bernoni vero qui Cluniacum, Gigniacum, Dolum et Masciacum eadem virga regebat. Sed post Guidonem, qui Bernonis tam Gigniaci quam Balmæ vices excepit, Balma Gigniacumque secessionem fecere, suumque Vesuntionensis domus seorsum rectorem habuit. Ab ea tempestate majus ei nomen, nam dives opum et frequens incolis C sub undecimum sæculum memoratur. Vasta quoque describitur et pretiosissimis ornamentis decorata Balmensis monasterii ecclesia, quæ S. Petrum peculiarem patronum ab origine habuit.

De antiquis Balmensis abbatiæ possessionibus insigne documentum nobis humanissime notum fecit doctissimus archivi Jurensis investigator D. A. *Rousset;* Urbani scilicet papæ litteras, anno 1089, ind. XIII, V cal. Januarii, ad Hugonem abbatem missas, e quibus sequentia decerpere operæ sane pretium est: « Tuis, carissime fili Hugo, D « Bisuntinique archiepiscopi Hugonis piis « petitionibus annuens, tibi tuisque successoribus Balmense cœnobium regendum « ac disponendum præsentis decreti nostri « pagina confirmamus, cunctaque tam in « monasteriis quam in ecclesiis ad idem « Balmense cœnobium pertinentia, videlicet « monasterium S. Mariæ Grandis Fontis, « cum omnibus appenditiis suis, monasterium S. Petri *Gaude* (*Jouhe*), monasterium « S. Mariæ infra urbem Bisuntinam quod « vocatur Jussanum, monasterium S. Eugendi Ethicæ, monasterium S. Lautheni, E « ecclesiam S. Joannis Balmæ, cum capella « *Crancet,* ecclesiam S. Gervasii Victoris, « ecclesiam S. Nicolai Carneti, ecclesiam « Laviniaci, montis *Huin,* Caveriaci, Cavaniaci, Brariaci, ecclesiam S. Desiderati Ledonis, Sisentiaci, Larnaci, Desnensis, ecclesiam Domblensem, ecclesiam de *Guars* « (*Vers-sous-Sellières*), montis Tolosæ, *Asnens,* montis Alaeris, Neblensis castri, ecclesiam Sarmaci, Sabonariæ, Alfractæ, « Cortunnæ, Mulneti, *Ver,* Buvliaci, S. Mau-

« ricii et S. Germani Grausoni, Baensis, Belli « Montis, montis Roolcnis, Esciconis, Reancinaci, Gelerensis, Beneventi, ecclesiam « Bellievavæ, Ciensis villæ, cum capella ca- « stri S. Renoberti, S. Stephani de Ponte, « domni Petri de Arliaco, Vistruvici, eccle- « siam Poloniaci, cum capella castri Mar- « riaci, Platani, S. Sabini, ecclesiam Aquen- « sis, Solciaci, Spictensis, cum appenditiis « earum. » Ex ea Balmensium ecclesiarum recensione satis superque comperitur quot reditus quot prædia possederit quem tunc Hugo regebat monachorum cœtus.

Anno 1147, Osbertus, sedis apostolicæ legatus, Balmam adiit. Quomodo vero acceptus est? Tam ad Petrum Cluniacensem quam ad Humbertum, Bisuntinum archiepiscopum, scribens Eugenius papa III, ambiguis iisdem verbis *execrabilis horrendique facinoris* erga magistrum Osbertum patrati memoriam nobis tradidit. De eodem Petrus Cluniacensis, a Mabillonio laudatus: « Prætereo casum qui nostri temporis hominibus nimium notus est, et qui indignitate « sui scripto ad posteros transmittendus « non est. » Novimus igitur infandis Osbertum contumeliis a Balmensibus monachis impetitum; genus autem sceleris, sicut Petrus decreverat, prorsus ignoramus. Pœna delicto non impar fuit. Jussit enim Eugenius papa ut Balmensis domus abbatiale nomen protinus et in perpetuum amitteret, prioratusque fieret Cluniacensi subjectus abbati. Tribus hanc sententiam Eugenius epistolis 29 Maii significavit, quas ad Petrum
Ch. xxxvi, col. 37. Cluniacensem abbatem, ad Humbertum Bisuntinum archipræsulem, et ad Guillelmum comitem Matisconensem misit. Summam illico curam adhibuit Petrus, Cluniacensis abbas, ad restaurandam Balmæ disciplinam. Nec ingratum fuit, nec vanum opus: mox enim, die Circumcisioni sacra 1151, congregatam Cluniacensium monachorum concionem adloquens, perfectam Balmensis reformationis rem sibi ipse Petrus coram omnibus gratulatus est. Anno postea 1157, 18 Novembris, Fredericus imperator, Arbosii moram aliquam faciens, solemnibus litteris abbatialem dignitatem Balmæ restituit. Anno tamen 1239, occurrit Cluniacensis abbas in Balmensis conventus hospites aliquid juris ad se pertinere asserens, ipsisque Balmensibus hanc Cluniacensium repetitionem legitimam esse profitentibus, decretum est, ut, mortuo Balmæ abbate, ei successurus abbas Cluniaco deduceretur. Ex ejusdem pactionis instrumento cognovimus Balmensem abbatem primas inter Cluniaco submissos abbates habuisse. Dein non parva lis, anno scilicet 1269, inter archiepiscopum Bisuntinum et Cluniacensem abbatem ea de S. Petri Balmensis tutela: qui tandem, xvii cal. Novembris, compo-

A suerunt. Tunc, inito fœdere, statutum est ut abbatis electione in et ab ipso Balmensi conventu peracta, electus abbas Cluniacensi archimandritæ denuntiaretur, eum qui deinde archiepiscopo Bisuntino præsentaret. Nec singula retulimus quæ ad controversiosa Balmensis monasterii jura spectant. Quippe quæ tam cum Cluniacensibus quam cum archiepiscopo Vesuntionensi fœdera Balmenses, ut diximus, fecerant, non semel rescindere conati sunt, semet Romano Pontifici, nemine medio, subjacere contendentes. Sic, anno 1297, Bertrandum, Cluniaci ab-
B batem, qui Balmam venerat ut loci lustratione fungeretur, aditu prohibuerunt. Nec, anno 1693, archiepiscopo Vesuntionensi majorem reverentiam præstitere. Unde quam plurimæ lites, quibus nondum anno 1790 impositus finis.

Labentibus annis et primigeniam rerum institutionem corrumpentibus, is mos tam Balmæ quam Gigniaci invaluit, ut nemo e monachorum grege ad claustralia officia vocaretur, nisi nobilissima stirpe genitus. Id senatus ipse Burgundi comitatus 23 Augusti 1647 sancivit, et Hispanorum rex anno
C 1653 confirmavit. Sexdecim tunc monachi Balmam incolebant. Anno vero 1663, post bella, superstites tantum ibidem octo reperiuntur hospites, quorum quinque sacris ordinibus initiati et tres novitii. Sæculares canonici in eam domum, anno 1760, amotis monachis, intromissi sunt, qui non multo post, anno scilicet 1769, cum S. Pauli canonicis conjuncti sunt; sub idem tempus inter se copulatæ, unaque e duobus effectæ, congregationes quæ in æde S. Pauli et in ecclesia metropolitana divinæ rei operam dabant. Ab eo tempore Balmense capitulum
D duodecim habuit canonicos, decano præsidente.

Seriem Balmensium abbatum præbet Annuaria Jurensis præfecturæ Ephemeris, anno 1844.

Series Abbatum.

I. Berno Cluniacum insimul, Gigniacum et Balmam rexit. Memoratur anno 904, Balmensem cellam a Radulfo rege obtinens. Idem mox decessurus, anno scilicet 926, Guidoni, consanguineo suo, Gigniacum Bal-
E mamque tradidit, Odoni Cluniacum. Obiit 13 Januarii 927.

II. Guido I, certe consanguineus, forsan, ut Nalgodus in Vita S. Odonis refert, nepos Bernonis, post eum Balmensis abbatiæ gubernaculo præfuit. De eo supra, inter Gigniacenses abbates, t. IV, col. 219.

Odonem, Cluniacensium abbatem, Balmæ, ante vel post Guidonem, regimen suscepisse quidam falso, ut videtur, memorant.

III. Bernardus I suscribit, cal. Novem-

Ch. VII, col. 8. bris 1040, litteris Hugonis archipræsulis pro Palmensi parthenone: Is a Guillelmo comite Jussanum monasterium pretio comparavit.

IV. Odo I memoratur anno 1053.

V. Bernardus II annis 1078, 1080. Anno 1083, a viei *Montmoret* toparchis ecclesiam Ledonis Salinarii pretio comparavit; eodem, a Guillelmo comite ecclesiam S. Germano sacram in viculo *Azans*. Eodem quoque Dolensem prioratum condidisse fertur, a duodecim monachis, præter priorem, incolendum.

VI. Hugo I anno 1089 reperitur, in litteris Urbani II singulas Balmæ possessiones recensentis.

VII. Reginaldus I, anno 1100.

VIII. Bernardus III obiit XV cal. Octobris 1104.

IX. Albericus, anno 1111, plures abbatiæ suæ confirmatas a Guillelmo archipræsule ecclesias impetrat. Idem occurrit, anno 1120, cum canonicis B. Mariæ Magdalenæ de patronatu Dolensis ecclesiæ litigans: Ch. XVIII, col. 21. quos inter, III id. Junii, Ansericus archipræsul pacem facit. Testis est, anno 1130, Richardi de Monte Falconis erga Bellævallenses benefici. Anno dein 1133, Reginaldum comitem, qui S. Lauthenum, subjectum Balmensibus viculum, cum quadam armatorum turba occupaverat, ad præstandam illati damni compensationem compulit. Superstitem Albericum usque ad annum 1139 referunt; quo ad exitum vergente, XI cal. Octobris, a capitulo S. Joannis Bisuntino altare Vincellæ accepit, quod Guil- Ch. XVI, col. 18. lelmus I archipræsul, anniversarium suum condens, S. Joanni contulerat.

X. Hugo II, annis 1143, 1144.

XI. Albertus, anno 1145. Abbatis regimen anno 1147 desinit, abbatia in prioratum mutata.

XII. Guido II anno 1157 instituitur. Idem superstes videtur anno 1170; quo decurrente cum ecclesia Bisuntina de censu persolvendo transegit; *Droz*, t. V, p. 551.

XIII. Hugo tamen III a quibusdam ab anno 1162 memoratur. Idem certius anno 1186 præsidebat.

XIV. Pontius I, anno 1190, a Clemente III litteras obtinet, quibus singulæ monasterii possessiones confirmatæ.

XV. Theobaldus, anno 1200, litteris Guillelmi, Viennensis comitis, subscribit, quibus Roseriarum monachis condonatum territorium, in quo horreum *Illes* vocatum situm erat. Idem, anno 1208, Stephano, Burgundionum comiti, montem viculo *Chavenai* imminentem concedit, Montem scilicet Acutum. Anno tandem 1209, cum Balernæ monachis de Glenone transigit; Comment. et Doc. ad Sequan. spectantia, t. III, p. 496.

A Bernardus a quibusdam anno 1204 recensetur; sed perperam, ut palam est. Hic si forte Theobaldo successerit, anno 1217 jam non superstes erat, nam

XVI. Geroldus, eo anno, cum episcopo Æduensi de plurium ecclesiarum patronatu transegit.

Pontium II Geroldo quidam subrogant; sed falso. De eo Pontio infra dicendum.

XVII. Stephanus I a quibusdam sub annum 1234 memoratur. Quorum errorem castiga. Stephanus enim e Romani Monasterii priore Balmensis abbas fiebat anno 1223; B quo tempore, etiam tunc prior Lausannensis domus jamque abbas Vesuntionensis, intererat compositioni factæ inter Humbertum de *Dysie* et Romani Monasterii monachos; e chartul. Rom. Monast.

XVIII. Odo II, anno, ut ferunt, 1229.

XIX. Pontius II de Moysia, anno 1231, suadet Amedeo de Coloniaco ut cum abbate S. Eugendi transigat; supra, t. IV, Instr., col. 30. Anno 1234, VII cal. Novembris, Gregorius IX ad abbatem S. Martini Æduensis scribit, de monachis Balmensibus querens, qui, Vesuntionensis archipræsulis et non- C nullorum procerum favore nimium elati, ecclesiæ Cluniacensi debitum morem denegabant, quamvis in eos jam Cluniacensis abbas excommunicationis sententiam promulgavisset; e Collect. D. *La Porte du Theil.*

XX. Odo III, Lunæ die post Pentecosten 1239, cum Hugone, Cluniacensi abbate, componit; supra, t. IV, col. 1146. Idem, ut videtur, mense Martio 1246, vel 1247, in Montis Falconis tabulario reperitur; *Droz*, t. XXX, p. 10. Februario denique mense 1252, vel 1253, inter Odonem Joannemque Cabilonensem initum est pactum, per quod D Joanni licitum ut in veteri *Montanoisel* castro turriculam exstrueret, nec ipse procul Odo domum Balmensis conventus dominio adscribendam.

XXI. Guido III, anno 1262, Henricum de Loia Guillelmo archipræsuli præsentat, cui Dolensis ecclesiæ cura demandetur; *Droz*, t. XVI, p. 342. Idem, ut videtur, anno 1265, testis est Gualcheri, Haimonis filii, Joanni, Burgundionum comiti quasdam res vendentis; ibid., t. XXVIII, p. 327.

Guidonem hunc quidam Haimonem appellant. Nulla vero ad nos pervenit char- E tula hoc Haimonis nomen præbens.

XXII. Joannes I, mense Maio 1265, quasdam decimas cum Hugone, Burgundionum comite, permutat; *Droz*, t. XVI, p. 240. Idem, anno 1269, litteras obsignat Stephani de *Chilley* plura Amedeo de Monte Biligardi vendentis; ibid., t. XXX, p. 116.

Anno 1271, sede vacante, Hugo, monasterii dictus prior, abbatiale munus aliquantisper exercet. Is, eo anno, Stephano, Joiæ priori, facultatem concedit presbyterum ec-

clesiæ Dolensi præficiendum præsentandi; ibid., t. XV, p. 344.

XXIII. Reginaldus II fidem archipræsuli Bisuntino spondet anno 1273. Idem, Septembri mense 1280, Othoni, Burgundiæ comiti, concedit, ut per vitam omnes fructus decimarum ad cœnobium Balmense pertinentium percipiat. (Ch. cvii, col. 97.) Reginaldum quoque reperimus, anno 1290, in Cabilonensis domus tabulis, *Droz*, t. XXVIII, p. 502, et, anno 1295, in indice chartarum Dolensium, M. 110. Superstes dicitur anno 1302, sed perperam.

XXIV. Simon *de Goucans*, patria Bisuntinus, testis est, anno 1300, Petri, Basileensis episcopi, cum comite Montis Biligardi de castellis *Valengin* et *Montjoie* transigentis: dein, anno 1303, ipse cum eodem Montis Biligardi comite paciscitur, et, mense Januario ejusdem anni, secundum recentem calculum, testis est Guillelmi *Forestier* erga Joannem Cabilonensem juramento semet obligantis; *Droz*, t. XXVIII, p. 190. Anno 1305, P. ei, Basileensis episcopus, hanc provinciam dedit ut de jure quod ad Gualtherum de Monte Falconis in villa *Guemoens* pertinebat inquisitionem faceret: quod mandatum eo anno, sub mensem Septembrem, exsecutus est; ibid. t. XXX, p. 370. Interfuit Simon, anno 1309, cuidam pacto inter Joannem de Monte Falconis et matrem ejus; ibid., p. 408. Anno 1316, in senatu Parisiensi tunc sedem occupans, ad abbatem Cluniacensem scripsit sibi non esse licitum capitulo ordinis generali interesse. Ejusdem annis 1317, 1319, 1320, tam domesticæ tabulæ quam officialis Bisuntini regesta meminere. Creatus autem est, anno 1321, Ambianensis episcopus. Illum e Corbeiæ monacho Ambianensem antistitem effectum antecessores nostri narraverunt : eos vero, præter jam memorata, refellunt Joannis papæ XXII litteræ de Joannis sequentis promotione.

XXV. Joannes II *d'Eternoz* pontificiis litteris instituitur II non. Septembris 1321; apud Suaresium. Cui Joannes XXII jurisjurandi, idibus Julii 1322, gratiam fecit. Occurrit dein, anno 1323, permittens ut monachi Dolensem prioratum incolentes, nonnulla cum Joanna, Franciæ regina, permutent; ex ind. chart. Dolensium, t. I. Abdicata, ut videtur, præfectura, anno 1341 obiit.

XXVI. Joannes III *de Mont-Saugeon* anno 1333 in regestis officialis Bisuntini memoratur. Idem præsidebat anno 1341, 12 Februarii, quam sub temporis notam Richardus *de Monnet* eum testamenti sui novissimi exsecutoribus annumeravit. Superstes quoque reperitur anno 1344.

Haimonem Hugoni VI archipræsuli fidem anno 1349 promisisse Dunodius con-

A tendit; Hist. Eccl. Vesunt., t. I, p. 221. Hujus Haimonis nulla chartula meminit.

XXVII. Richardus, perperam a nonnullis dictus Michael, *de Montjoie*, quamdam vineam Odoni *Charrette*, monacho, tradidit, 3 Octobris 1352. Idem, 8 Septembris 1357, testis est Joannis de Vienna, archiepiscopi, sententia lata litem dirimentis inter Ludovicum de Novo Castro et Henricum de Monte Biligardi. Dein memoratur anno 1369, executor testamenti quod Androinus de Rocha, Cluniacensis abbas, dictaverat; supra, t. IV, col. 1154. De eodem Richardo

B expressis verbis mentionem facit Urbanus papa V, in litteris quibus sequentem instituit.

XXVIII. Joannes IV *de Molpré*, alias *de Moprel*, ex abbatiæ camerario Richardo demortuo sufficitur ab Urbano papa, II id. Decembris 1369; apud Suaresium. Ejusdem nomen exhibet apocha, data 8 Novembris 1377; ind. chart. Dol., B, 45. Reperitur quoque annis 1380, 1385.

XXIX. Amedeus *de Châlons* reficiendæ abbatiæ, quæ, 7 Maii 1336, bellis desævientibus, magnam cladem passa erat, operam

C dat anno 1390. Apocham et ipse obsignat 31 Augusti 1417; *Droz*, t. XIII, p. 99. Anno tandem 1419 memoratur.

XXX. Henricus *de Salins* ab anno 1426 usque ad annum 1445 legitur. Hic quoque resarciendæ et ornandæ ecclesiæ operam contulit.

XXXI. Guillelmus I *de Chassault*, anno 1449. Unus ex abbatibus Benedictinis fuit quibus Nicolaus V hanc provinciam dedit ut S. Claudii abbatiam reformarent.

XXXII. Stephanus II *de Chassault* ab anno 1450. Obiit anno 1487, abdicato jam

D diu munere.

XXXIII. Ludovicus *de Chassault* ab anno 1464 reperitur. Anno 1466, de capsa in capsam caput S. Lautheni transtulit. Percelebris olim juxta S. Lauthenum onychis fodina, ad Balmenses abbates pertinens, quam Ludovicus, anno 1474, locitavit. Superst[es] legitur anno 1480.

XXXIV. Philibertus *Hugonet*, Matisconensis episcopus, obiit 5 Martii 1484.

XXXV. Claudius I *Morel* anno 1488 decessit.

XXXVI. Stephanus III *Voiturier*, anno

E 1489 reperitur.

XXXVII. N..., S. Angeli cardinalis, annis 1494, 1497.

XXXVIII. Guillelmus II *Saquenay*, ab anno 1497 usque ad annum 1522.

XXXIX. Claudius II *de Poupet* sub annos sequentes Balmæ præfectus legitur.

XL. Guillelmus III *de Poupet*, abbas quoque Balernæ et Goliæ, necnon plurium locorum prior. Is Poliniaci natus, Parisiis humaniores litteras didicerat. Laudatur boni

vir consilii, artium peritus, doctorumque patronus, qui suis sumptibus ecclesiam Balmensem restituit et ornavit. Adjutorem ei dedit Gregorius papa XIII Antonium *de la Baume*, clericum Lugdunensem, 21 Martii 1583. Quo Guillelmus obiit anno, XIII cal. Septembris.

XLI. Antonius *de la Baume S. Amour* Guillelmo succedit. Comitiis Burgundiæ, 2 Martii 1598, interfuit. Balmam dein deserit, anno 1601, Luxovii futurus abbas.

XLII. Petrus *de Binand*, alias *de Banans*, qui sub prioris nomine S. Desiderato nuncupatam in urbe Ledo Salinario domum antea gubernaverat, Antonii vices excipit, archiducum decreto, 9 Junii 1601, deinde, senatus Dolensis ex auctoritate, in possidendam abbatiam mittendus 18 Aprilis 1602. Litteræ Pauli papæ V ad eumdem 28 Julii 1606 datæ sunt. Moritur anno 1614, vel 1615.

Claudium *de Beauffremont* quidam post Petrum memorant. Is autem sub id temporis Balernæ abbas erat, prior Vallis Clusæ et Vesuntionensis ecclesiæ præcentor.

XLIII. Claudius III *d'Achey* ab archiducibus abbas eligitur 29 Octobris 1615, et in possessionem mittitur 18 Januarii 1616. Directæ ad eumdem pontificiæ litteræ 13 Maii 1620. Burgundiæ comitiis anno 1625 interfuit. Decanus idem posteaque archipræsul Vesuntionensis. Ut vero decessit,

XLIV. Carolus I Emmanuel *de Gorrevod*, et ipse archiepiscopus Vesuntionensis, abbatia donatur a Philippo IV. Cum autem inter eum et summum Pontificem dissidium esset, bullas aut non poposcit, aut non obtinuit. Obiit Matriti, 20 Julii 1659.

XLV. Joannes V *de Watteville* Carolo Emmanueli defuncto suffectus est a Philippo rege 13 Augusti 1659, et ab Alexandro VII Claudio *d'Achey* (nempe Carolum Emmanuelem Romana curia non admiserat), 13 Novembris 1660, eique per senatum Dolensem munus aggredi licuit 9 Februarii 1661. Idem, 5 Septembris 1663, Joanni-Baptistæ *Clerc*, Luxovii abbati, adjutor a rege datus est. Adjutor ipsi quoque, in Balmensis abbatiæ administratione, conceditur, Joannes scilicet Christianus *de Watteville*, 9 Martii 1672. Balmensis noster abbas S. Judoci abbatiam, anno 1670, insuper acceperat. Idem etiam Vesuntionensis decanus fuit; quo munere anno 1680 semet abdicavit. Anno dein 1684, Joannes occurrit, 2 Junii, cum monachis Balmæ pactum faciens. Postea vero cum ipsis Balmæ oppidanis de quibusdam juribus litigans, adversus eos sententiam obtinuit 13 Augusti 1689. Ejus vitam, quam tot facinora famosam effecere, prolixius supra narravimus. Munificum cum disce ex eo quod, 30 Novembris 1701, proximam sentiens mortem, famulis suis plusquam ducentas auri libras dono dederit. Obiit 4 Junii 1702. Ante vero mortem, ut videtur, munus dimiserat. Ejus epitaphium, quod in ecclesia Balmensi legitur, præcipuos vitæ casus memorat :

Italus et Burgundus in armis, Gallus in albis,
In curia rectus, presbyter, abbas adest.

XLVI. Joannes VI Franciscus *de Chamillart* ex episcopatu Dolensi in Silvanectensem cathedram et in Balmensis abbatiæ sedem a Ludovico rege simul transfertur 16 Aprilis 1702; supra, t. X, col. 1454. Obiit 16 Aprilis 1714.

XLVII. Carolus II Mauricius *de Broglio*, filius Victoris Mauricii comitis, presbyter Parisiensis, abbas instituitur a Clemente XI 17 Septembris 1714. Obiit anno 1766. Idem abbas Vallium Sarnaii.

XLVIII. Joachimus Josephus *de la Fare*, regi ab eleemosynis, nominatus anno 1766, superstes erat anno 1790.

S. VINCENTIUS.

A majoribus traditum est S. Vincentio nuncupatam abbatiam a B. Aniano episcopo super SS. Ferreoli et Ferrutii tumulo quondam ædificatam fuisse; dein vero injuria temporum eversam hanc domum, urbi quæ propinqua erat, monachosque in ea commanentes alio translatos. E certioribus autem documentis oppidanam, Vesuntionensemve, S. Vincentii abbatiam Hugo II archipræsul condere cœpit, Hugo III consummavit, a Benedictinis monachis incolendam. Perfectum erat opus anno 1092 : quem sub annum, accitis aliunde monachis Achardus primus abbas præpositus est. Prolixioribus totam rem verbis enarrat Hugonis III di- Ch. XII, col. 14
ploma, quod, Dunodio licet suspectum, infra typis committemus : parvum enim nostra sententia pondus habent argumenta quibus Dunodius fidem huic diplomati debitam infirmare conatus est. Abbates olim San-Vincentianos sæcularis ecclesiæ rector, archiepiscopus scilicet Vesuntionensis, præter morem in Benedictinis abbatiis usitatum, eligebat : ipse vicissim San-Vincentianus abbas in capitulum Vesuntionense suffragium laturus suum, ne convocatus quidem, veniebat, cum, vacante sede, archiepiscopus eligendus esset. Hoc jus ad eum pertinere declarat instrumentum anno 1268 editum. Privilegia S. Vincentii annis 1106, 1253, Ch. XCII, col. 84.
sæpiusque confirmata. Custos abbatiæ Burgundiæ comes palatinus. Diu floruit ea domus. Anno vero 1610 desinente, Paulus papa V jussit ut de vituperatis monachorum moribus inquisitio fieret. Qua peracta, congregationi S. Vitoni S. Vincentius unitus est.

Peramplum San-Vincentianarum chartarum indicem Drozianæ schedæ nobis, inter alia, præbuere.

Series Abbatum.

I. Achardus primus abbas S. Vincentii (Ch. XII, col. 14.) ab Hugone III archiepiscopo, v cal. Novembris 1092 instituitur, et eximiis donatur privilegiis.

II. Hugo I, anno 1132, testis est Anserici archiepiscopi S. Joanni Pauliacenam ecclesiam condonantis.

III. Petrus I abbas una S. Vincentii fuit, vicarius et vice-cancellarius Humberti, Bisuntini archipræsulis. Non semel Petri Vincentianæ chartulæ meminere. Is enim domesticarum rerum, necnon jam S. Vincentio collatorum privilegiorum, confirmationem ab Humberto archiepiscopo obtinuit, vi cal. Novembris 1140. Anno dein 1143 eidem Humberto ministravit, S. Stephani canonicis in vico Villeta decimas colligendi potestatem facienti. Idem, v cal. Januarii 1145, Bellævallensibus monachis ecclesiam *Cyrey*, permutatione quadam peracta, contulit. (Ch. XXXIII, col. 36.) Subscripsit, anno 1146, litteris Humberti archiepiscopi pro Corneolo: imo, eodem, ut ferunt, anno, ab eodem Humberto Silviniacenam ecclesiam, vulgo *Servigney*, necnon ecclesiam *Valeroy* accepit(1). Vixit Petrus usque ad tempora Victoris Octaviani pseudo-Pontificis, et Herberti archiepiscopi. (Ch. XLI, col. 40.) Victor enim ad Herbertum scribens, hunc monet se Petro, Vincentianorum abbati, qui Cremonam venerat, pontificalium ornamentorum usum concessisse. Diuturnam Petri administrationem similiter testatur Loci Crescentis chartula, e qua Narduino, Loci Crescentis abbati, prædium Lamberti *de Blucens* dedisse comperitur; *Droz*, t. XIII, p. 258. Ipsi denique Petro, anno 1160, Landricus, Lausannensis episcopus, ecclesiam S. Stephano in urbe Lausannensi nuncupatam tradidit.

IV. Guichardus, Wichardus, Richardusve, innotescit ab anno 1177, quo testis fuit initi pacti inter Bellævallenses monachos et Stephanum, S. Joannis decanum. Ipse, anno 1178, de variis jurgiis cum Bernardo, Bellævallis abbate, pactus est; *Droz*, t. IX, p. 191. Anno 1179, abbatiæ suæ privilegia ab Alexandro papa II sancita habuit, et postea, anno 1184, a Lucio III. Frequens Guichardi nomen in diversis Bisuntinæ ecclesiæ tabellis. Nec singula quæ gessit, aut ab aliis gesta probavit, memorabimus, sed tantum præcipua. Anno scilicet 1181, cum Narduino, Loci Crescentis abbate, de quibusdam reditibus transegit. Testis deinde fuit, (Ch. LII, col. 51.) anno 1183, Theodorici archipræsulis plura Corcellis data sancientis, et litem dirimentis inter monachos Bellævallenses et præpositum vici *Noroy;* (Ch. LIII, col. 52.) ejusdem, anno 1185, certum numerum præscribentis canonicorum in ecclesiam B. Mariæ Magdalenæ sacram excipiendorum; (Ch. LIV, col. 53.) ejusdem, anno 1186, data Bethaniæ dona stabilientis. Guichardus quoque, anno 1188, coram eodem Theodorico, cum Wiberto et Josberto super ecclesia *Baumotte* composuit. Guichardo denique, anno 1189, Theodoricus abbatiæ jura bonaque confirmavit, eoque teste idem archipræsul plura Bellæ Valli, Hierosolymam transfretandus, contulit. Quo anno, 9 Octobris, Guichardus, ut ferunt, obiit.

V. Hugo II, qui se miseratione Dei Vincentianorum abbatem vicariumque archiepiscopi Bisuntini professus est, litteras edidit, anno 1197, in quibus legitur nullas postea Vesuntione domos, nullos reditus, (Ch. LX, col. 57.) nulla prædia, Vincentianis, nisi archiepiscopo consentiente, tribuenda. Reperitur dein, anno 1198, Brutinum *de Bonay*, et, anno 1200, Reginaldum de Treva plura Bellævallensibus dedisse testans. Superstes erat anno 1205, quo sopitam litem denuntiavit inter eosdem Bellævallenses et Raynaldum, Burgillarum præpositum; anno 1207, quo testis adlectus occurrit ab abbate Accincti et S. Pauli priore de prioratu Belli Fontis transigentium; anno tandem 1208, quo litteras obsignavit Theobaldi, Balmensis abbatis, cum Stephano, Burgundionum comite, de possessione Montis Acuti componentis. Perperam igitur Hugonem nonnulli 30 Junii 1198 occubuisse contendunt.

VI. Anselinus, alias Anserinus, Ansericus, vel Anselmus, occurrit, anno 1215, ab Amedeo archipræsule ratam habens insignem Reginaldi comitis donationem. Anno dein 1217, ejusdem Amedei testis est gravem judicio litem solventis de libertate fundorum ad colonos Mortuæ Aquæ pertinentium. Idem litteris publicis exprimit, anno 1218, Jacobum de *Frasney* quasdam S. Paulo vineas vendidisse, e schedis *Droz*, t. VII, p. 215; anno 1219, Guillelmum de Lisla ecclesiæ S. Stephani quidquid sibi in ecclesiis *Quingey* et *Busy* vindicabat condonavisse, ibid., t. V, p. 593, et, anno 1224, Reginaldum de Monte Basonis Bellævallenses reditus auxisse; ex eisdem schedis, t. IX, p. 123. Testem Anselinum habet, anno 1225, Guillelmus de Aspero Monte erga Accinctum beneficus. Die Martis post Resurrectionem Domini 1228, Anselinus Joannem, Narduini generum, Hierosolymitanas ad oras pergentem, B. Mariæ Magdalenæ rebus aliquid adjecisse similiter testatur. Nicolao archiepiscopo Bisuntinorum civium societatem rumpere studenti Anselinus adhæsisse videtur. Postquam scilicet Germanici imperii principes hanc societatem abrogaverant,

(1) Paulo recentior nobis ea donatio videtur, cum Humberti litteris subscripserit Petrus, prior S. Pauli.

eorum sententiæ sigilli sui testimonium protinus apposuit, ut e litteris Frederici imperatoris compertum habemus. Præsentibus futurisque dein mandat, mense Novembri 1230, Hugonem *Malechars* sex hominum suorum familias archiepiscopo Bisuntino, quindecim librarum Stephaniensium pretio, obligavisse. Idem, anno 1231, missum a Girardo de Durnaco militem audivit pro damnis archiepiscopo illatis quadraginta libras, compensationis nomine, spondentem, et ipse litteras edidit de rebus S. Paulo datis a Bernardo *Bourgeois*. Anno sequente, Decembri mense, testatus est Joannem, Burgilliacenum præpositum, a Nicolao archiepiscopo sex libras Stephanienses mutuatum esse. Occurrit dein, anno 1233, in charta quæ Fredericum, magistrum domus lepra laborantibus addictæ, ab archiepiscopo Bisuntino duos solidos censuales accepisse memorat. Ipse, Aprili mense 1235, ad omnium notitiam defert Nicolaum archipræsulem prædii cujusdam Burgilliaceni, quod Clausum Præpositi dicebatur, tertiam partem emisse, et, mense Junio 1236, donationem ecclesiæ S. Pauli ab Hugone de *Lariaus* factam charta renuntiat authentica, quam exhibent *Droz* schedæ, t. VII, p. 220. Mense dein Augusto 1237, litteras edit de quodam pacto inter Bellævallenses monachos et Joannem *de Amaigney;* ibid., t. IX, p. 231. Alias, mense Maio 1238, litteras publicas facit, de pactis inter Stephanum, Othonis filium, et Stephanum Columbum, B. Mariæ Magdalenæ canonicum; ibid., t. XV, p. 107. Anno denique 1239, compositam declarat litem inter Bellævallenses monachos et Guillelmum Henricumque *de Ceys*.

Anselmum quidam ab Ancelino distinguunt, et hunc 20 Aprilis 1238, vel potius 1239, decessisse contendunt, illum 10 Novembris 1213. Quin vero diversim Anselmus Anselinusque sumantur æque prohibent S. Vincentii, S. Pauli et Bellævallis tabulæ.

VII. Hugo III de Montmerio post Anselmum a nonnullis recensetur, qui S. Vincentii ædificia vineasque muris aliisque præsidiis sepsit anno 1239, quemque 19 Martii 1240 mortuum referunt.

VIII. Wiricus de Rubeo Monte, quem Vincentium perperam Drozius, Comm. de Pont., p. 235, appellat, cellarius S. Vincentii primum occurrit anno 1236; quo nomine cum Forcadio *de Byère* transegit. Reperitur dein Silviniacensis prior. Anno vero 1241, mense Aprili, abbas tunc temporis S. Vincentii litteras edidit super decimis a Reginaldo *de Ceys* ecclesiæ S. Pauli venditis; *Droz*, t. VII, p. 224. Quo etiam anno per eumdem renuntiatum est S. Pauli canonicos Humberto *Regnier* prædium quoddam sub certis conditionibus tradidisse. Occurrit

A dein, anno 1242, ad notitiam omnium deferens prædium aliud quoddam Bellævallensibus a Stephano de *Luysans* venditum fuisse. Ipse cum monachis Bellævallis, anno 1243, transegit de prædio *Athoyson* sito. Idem, Septembri mense 1244, Richardum *de Dampierre* excepit quidquid *Devecey* possidebat S. Vincentio condonantem. Quo et anno litteras edidit de Guidone *de Boul* se Bellævallensis abbatiæ clientem profitente, testisque fuit Alardi de Falcogneio erga Bellam Vallem benefici; ibid., t. X, p. 180. Dein Lunæ die ante festum Simonis et Judæ B 1245, sigillum suum Wiricus apposuit litteris, quibus Odo de Rocha, comes, Castellionem et Novum Castrum in beneficiario Amedei de Monte Falconis dominio consistere recognovit, et *feodum* esse *reddibile;* Comment. et Doc. ad Sequan. spect., t. III, p. 529. Decembri denique mense 1246 reperitur in chartula de duobus piscariis ad S. Vincentium pertinentibus. Obiit 9 Martii; sed falsa, ut videtur, conjectura obitus ejus anno 1243 adscribitur.

IX. Hugo IV, Decembri mense 1247, reperitur in litteris Henrici de Monte Bosonis, C decimas *Montussain* percipiendas e Vincentiani abbatis auctoritate semet possidere profitentis. Dein, anno 1250, ipse litteras edit de fœdere inter Bellævallenses monachos et Girardum de Escheno inito. Eo anno, sub Junium mensem, Hugone præsente, Guillelmus *de Roulans* Petro de Palma, Montis Falconis castellano, quemdam servum dono dedit, nomine Bisuntinum; *Droz*, t. XXX, p. 22. Hugo deinde, mense Septembri 1251, litteras publicas facit de quadam inter Bellævallenses et Guidonem Rufum, presbyterum, pactione. Die D Veneris ante festum B. Michaelis 1253, plura ecclesiæ Bisuntinæ data sigillo suo confirmat. Idem, Aprili mense 1253, vel 1254, testis est Petri, Burgillarum majoris, archiepiscopo Bisuntino quemdam censum a semet quotannis persolvendum agnoscentis, et, iisdem anno et mense, ejusdem Guillelmi archiepiscopi Giaci vineam ementis. Dein, mense Maio, litteras edit de Theobaldo *de Levoncort* decimas Giaci percipiendas archiepiscopo Bisuntino numerato pretio tradente. Mense Martio 1254, secundum recentem calculum, ab Hugone, Ve-E suntionis senescallo, silvam *Bouloye* accepit. Quo etiam anno, chartulam Theobaldi de Rubeo Monte, quidquid Giaci possidebat ecclesiæ metropolitanæ vendentis, sigillo suo munivit. Mense Decembri 1256, litteras edit de villa conventui S. Pauli a Stephano de *Cicons* vendita. Pacem facit, VI id. Aprilis 1257, inter Guillelmum archipræsulem et Hugonem *de Glisueles* de jure piscatorio in fluvio *Linotte* litigantes, et, eodem anno, mense Junio, testis est Richardi de Monte

Biligardi se Guillelmi archipræsulis clientem profitentis. Idem, die Lunæ ante festum S. Lucæ 1259, Guillelmum archipræsulem prædium *Cers* emisse testatur, et ipse, eodem anno, quidquid San-Vincentiana abbatia in vico *Chasteñoy* possidebat Joanni, Burgundionum comiti, custodiendum et protegendum committit; ex ind. Dolens. chart. Anno 1260, Stephanum de Monte Avium præmemorato Guillelmo frumenti quoddam pondus, ratum accepti beneficii pignus, tradidisse palam renuntiat; quo etiam anno, Theobaldi de Turre, Burgundionum comiti semet fidum fore promittentis, litteras sigillo suo firmat; *Droz*, t. XVI, p. 173. Die Mercurii post octavas apostolorum Petri et Pauli 1262, testis adlectus reperitur ab archipræsule Bisuntino, prohibente ne S. Pauli canonici, aggerem molendini sui firmantes, in archiepiscopali prato Burgillis operarentur; ibid., t. II, p. 30. Januario 1263, Jacobum *d'Arguel;* Maio, Stephanum *Navarret;* Junio, Isabellam de Juncivilla audit obsequium Hugoni, Burgundionum duci, spondentes; ibid., t. XVI, p. 191, 209. Dominica die ante Omnes Sanctos 1264, eo præsente, Hugo *de Favergne* prædictum Hugonem rerum suarum custodem agnoscit; ibid., p. 221. Januario 1265, secundum recentem calculum, ipse Hugo litteras edit de Bellæ Valli datis a Roberto de Treva: quo et anno, mense Maio, vendita jura prædiaque Hugoni comiti a Margarita *d'Estrabonne* testatur; ibid., p. 225. Obiit Hugo 1 Junii, anno, ut videtur, 1266.

X. Hugo V *de Chenecey*, secundum San-Vincentianos indices, Hugoni præmemorato successit, et consecrationem nondum adeptus obiit 20 Martii; anno, ut videtur, 1267. Exstat vero chartula San-Vincentiana, in qua legitur Albericum, Silviacenum accolam, ab Hugone abbate manumissum fuisse, die qua Pentecoste celebrabatur, anno 1268. Ea autem chartula notarum chronicarum vitio laborat, ut satis comprobant instrumenta de Joanne *de Palize* fidem facientia.

XI. Joannes I *de Palize*, abbatiali clavo recens præpositus, Aliciæ, Burgundionum comitissæ prædia *Chastenoy* sita vendit, 25 Junii 1267; *Droz*, t. XVI, p. 269. Dein Bisuntinorum canonicorum gregi adscribitur, Augusto mense 1268. Cujus mensis die 10, Guillelmus archiepiscopus eum renitentem jussit in ecclesia S. Stephani, non aliter ac in ecclesia S. Joannis, cum pares ordine essent, archiepiscopalis vicarii munus implere. Sigillo suo munit, Augusto mense 1269, litteras quibus Hugo, Girardi filius, Othoni, Burgundionum comiti, turrim castri *Poligny* vendit. Deinde, XVI cal. Decembris 1270, testatur Milonem *de Sornay*, equitem, ab Odone archipræsule mulcta mulctatum.

A Anno 1273, pascuum agrum juxta *Devecey* a Joanne, Rupis domino, accipit, et quoddam a Guillelmo *de Buthier* prædium: quo etiam anno, Odonem, Manegandi filium, censu trium solidorum eximit, et cum capitulo Bisuntino de variis rebus paciscitur. Bellævallenses colonos, agrum *Villerpater* assiduo vomere sulcantes, suos esse clientes Vincentiani asseruerant: dubium hoc in eos jus Joannes dimittit Octobri mense 1275. Anno sequente, tam cum canonicis Bisuntinis quam cum Bellævallensibus monachis iterum transigit. Obsignat, mense B Martio 1279, Reginaldi *de Columpne* litteras beneficiarium prædium rursus suscipientis; *Droz*, t. XVI, p. 392. Agnoscit, anno 1280, abbatiæ custodiam, necnon bonorum extra Vesuntionem ad abbatiam pertinentium, penes Othonem, Burgundiæ ducem, esse. Eodem quoque anno, cum Beatrice Burgunda, Balmensis ecclesiæ dispensatrice, de jure piscario in fluvio *Lougnon* componit. Eodem postulante, XIII cal. Augusti 1281, ecclesia *Bouclans* Bonæ Valli conjungitur. Octobri 1282, libellum supplicem Joannis *de Rens* ad Burgundionum comitem C sigillo suo firmat. Maio 1285, quædam cum Joanne de Monte Biligardi permutat. Die Lunæ post Pentecosten 1291, instrumentum edit publicum de cassa facta electione centurionis Bisuntini. Anno 1293, pactionis cujusdam inter archiepiscopum Bisuntinum et oppidanos plures Bisuntinos de nonnullis domibus peractæ testis est. Quo etiam anno ipse decimas in viculo *Fraisne* percipiendas cum abbate Flabonis Montis partitus est. Ea quidem paucis verbis memoranda. Anno vero 1295 solemnius aliquid de Joanne enarratur, qui scilicet D tunc temporis obsequium Odoni archiepiscopo, ut Dunodius Berthodiusque referunt, promisit. Insolens res videtur tandiu dilatum Joannis juramentum. Ea igitur nobis arrideret conjectura, alterum scilicet a Joanne *de Palize* Joannem eo anno 1295 San-Vincentianæ domus præfecturam suscepisse. Joannes tamen Jacobus Chiffletius, qui San-Vincentianorum abbatum seriem e domesticis tabellis digessit, unius tantum Joannis sub hoc tempus meminit. Ut ut ea se res habuit, idem alterve Joannes testis reperitur, III non. Julii 1295, Joannis de Ca-E bilone obsequium archiepiscopo Bisuntino promittentis. Denique, anno sequente, mense Maio, venditam fuisse eidem archiepiscopo a Pontii *de Pointus* filiis vineam non aliter testatus est, et, eodem anno, VIII id. Februarii, secundum veterem calculum, publicis Joannes abbas subscripsit litteris, quibus Hugo de Burgundia ne Bisuntinum vicecomitatum occuparet prohibitus est.

XII. Guillelmus I *de Ruffey* his verbis archipræsuli Bisuntino obsequium promisit:

« Ego Guillelmus, nunc ordinandus abbas « ecclesiæ S. Vincentii Bisuntini, subjectionem, reverentiam et obedientiam a sanctis patribus constitutam, secundum statuta canonica et regulam S. Benedicti, « huic sanctæ sedi Chrysopolitanæ ecclesiæ « B. Joannis Evangelistæ rectoribusque ejus, « in præsentia domini Thierrici, episcopi, « vices gerentis archiepiscopi Bisuntini, me « perpetuo exhibiturum promitto, et super « hoc sanctum altare ejusdem ecclesiæ pro- « pria manu firmo. Datum II non. Martii, « anno Dom. 1299. » E schedis *Droz,* t. V, p. 435. Computandis, ut videtur, secundum recentiorem calculum annis, Guillelmus S. Vincentii abbas anno 1300 incipiente electus est. Is de Damparisina abbatia in prioratum Vincentianum commutanda paciscitur III id. Aprilis 1305, secundum hodiernum calculum, atque prædictam commutationem ex auctoritate Bisuntini archipræsulis, eodem anno, 17 Junii, ratam habet. Guillelmum domesticæ tabulæ 24 Julii 1306 obiisse referunt.

XIII. Guillelmus II *de Quingey,* inter quem et antecedentem quidam discrimen nullum fecere, occurrit, V id. Septembris 1312, Stephano *Lefebvre* quidquid in ecclesia *Neuvelle* S. Vincentius possidebat sub persolvendi census conditione tradens. Ipse eodem anno Guillelmus erga Sibillam *d'Antoison* semet beneficum exhibuit; et vineam quamdam, *Devecey* sitam, a Petro *Torcol* emit, IV cal. Decembris 1313. Interfuit, anno 1319, recognitioni corporum SS. Epiphanii et Isidori, in ecclesia S. Joannis Bisuntina. Anno dein 1320, XII id. Julii, Guido *de Busy,* trans montes iter agens, magnam nummorum copiam Guillelmo tradidit, quam is, prædicto Guidone inter eundum forsan occumbente, ad ædificandam capellam impenderet. Guillelmus testis dein reperitur, die Lunæ post festum S. Nicolai 1322, Jacobi *de Aucèle* semet Vitalis archiepiscopi clientem profitentis. Anno 1329, III cal. Februarii, pascui cujusdam agri partem a Guillelmo, Haliberti filio, Guillelmus comparavit, et, anno 1330, a Guillelmi *de Buxières* filiis, fructus prædiorum *Benans* sitorum. Nonnulla inter eum et ecclesiæ *Vauconcour* capellanum de juribus in ea parochia exercendis dissidia memorantur anno 1332 fervida; de quibus tandem, XV cal. Junii 1339, transegere. Anno 1334, pridie Pentecostes, Guillelmi precibus obsequens, Damparini abbatiali Vincentianorum mensæ Hugo archipræsul univit. Anno 1335, partem quamdam agri pascui emit a Joanne *de Cresancey;* anno 1336, a Joanne Priore, vineas *Montagney* sitas, et a Columba, filia Hugonis, quidquid ea in silva *Bouloye* possidebat. Occurrit quoque annis 1339, 1340, 1342, in minoris etiam momenti chartulis. Anno 1343, 4 Aprilis, ut vicarius generalis Hugonis, archiepiscopi Bisuntini, jubet ut Ulricus Divitis, Radulfo de Novo Castro præsentante, ecclesiæ *Môtier en Vuilly* regendæ præficiatur; Monum. Historiæ Novi Castri, p. 502. Abbatem vero San-Vincentianum agens, eo anno Guillelmus domos duas emit, unam in via S. Vincentii, alteram in Castellionensi castro. Denique, 14 Septembris 1348, patrimonium Henrici *Chuchard,* monachi, quem perpetuus carcer exceperat, sibi feliciter contra Bisuntinum decanum vindicat, et anno sequente, 17 Januarii, prandium supprimit, quod, ipsa die qua novitius quidam excipiebatur, monachis San-Vincentianus abbas offerebat.

XIV. Aymo, alias Amedeus *de La Baume,* Jovis die post Ascensionem 1350, quædam sub census conditione tradit. Abbas antea Ambroniaci fuerat. Falso tamen supra dicitur anno 1341 in abbatiam S. Vincentii Bisuntinam translatus; t. IV, col. 276. Tardius enim Aymo Guillelmi vices excepit, annoque tantum 1349 archiepiscopo Vesuntionensi fidum semet fore juravit; *Droz,* t. V, p. 436. Reperitur dein, II non. Junii 1351, quamdam vineam emens ab Henrico, Henrici filio. Decessit, ut ferunt, eo anno, 7 Novembris.

XV. Guillelmus III Hugoni archipræsuli obsequium promittit anno 1352; e Dunodio, Hist. Eccl. Vesunt., t. I, p. 221. Idem Drozianæ schedæ testantur, t. V, p. 436. Guillelmum hunc opinamur gentilitio nomine Chinum, gallice *Lichins,* dictum fuisse: qui scilicet in nonnullis chartulis eo cognomento insignitus sub id temporis occurrit.

XVI. Joannes II *de Chamelat,* anno 1354; e regestis officialis Bisuntini.

XVII. Guillelmus III, dictus Guillelmus de Bisuntio, Guillelmo *Le Baillif* agrum *Beures* situm sub census ratione contulit anno 1357. Idem a Jacoba *de Bussières* prædium in territorio *Benans* emit, ut refert, anno 1370, Hugo, successor ejus, idem Hugoni *de Mions* prædium tradens. Obiit 3 Martii, anno prorsus incerto.

XVIII. Geraldus de Alba Spina, gallice *de l'Aubcspin,* quem quidam, sed e mendosis, ut conjicimus, chartulis, Gualterium nuncupant, ab anno 1363 occurrit: Aymoni sedenim *de Villersaxel* ecclesiam Vesuntionensem solemniter ingredienti comes adest eo anno, 3 Februarii. Eum nonnulli decessisse memorant 6 Julii 1364. Falsus autem est hic annus, ut e litteris Urbani papæ V Petrum sequentem instituentis comperimus. Geraldus insuper reperitur 8 Julii 1368, a Guidone de Monte Bosonis silvam, furnum, moletrinam, necnon ipsos *Aubertans* colonos pretio comparans. Quin imo in schedis San-Vincentianis, quas Drozius compilavit, Geraldus dicitur anno 1394 a plusquam qua-

tuor et viginti annis mortuus. Unde palam est eum anno 1369 obiisse. Consule ind. chartul. Vincent., n. 1165.

XIX. Petrus II *Berard,* quem nonnulli *Berard d'Amberiau,* alias *d'Ambourney,* appellant, abbas antea S. Benigni, ordinis S. Augustini, in Januensi diœcesi, in Bisuntinam S. Vincentii abbatiam apostolicis litteris transfertur VI non. Julii 1369, apud Suaresium, et in canonicorum Bisuntinorum collegium cooptatur 16 Aprilis 1370. Anno vero sequente, 1 Aprilis, cum, mandato domini papæ, defuncti nuper archiepiscopi Vesuntionensis supellectilem, quam scilicet sibi camera apostolica vindicabat, colligeret, mandatum hoc exsequenti Bisuntinorum civium turba tumultuose obstitit, animisque ultra modum effervescentibus, Petrus ipse, a seditiosis comprehensus, in speluncam mœnibus civitatis contiguam abductus est, ibique occisus. Ut tanti sceleris nuntius Romam pervenit, Gregorius papa XI ad archiepiscopum Bisuntinum scripsit, VIII id. Julii 1372, in Petri percussores inquiri jubens, ideoque solemni Guillelmus archipræsul decreto, 10 Januarii 1373, secundum recentem calculum, urbem, ipsa suburbia Burgillasque viculum interdicto supposuit. Id vero cives interdictum male ferentibus, permisit summus Pontifex ut tabellæ absolutoriæ palam ederentur, idemque concessæ veniæ conditiones 1 Septembris præscripsit, statuens ut tam ecclesiæ Bisuntinæ quam S. Vincentii basilicæ non parva nummorum copia numeraretur. Anno tandem 1374, 26 Maii, Hugo, Vincentianus abbas, acceptis tricenis florenis, omni actione destitit. Mulcta vero ipsi urbi a Burgundionum duce irrogata est, quam anno 1382 nondum persolverat. Hugo enim Cabilonensis, eo anno, mille florenos ob Petri *Berard* necem ab ipsis Vesuntionis civitatis præfectis semet accepisse profitetur, ad Burgundionum ducem transvehendos; *Droz,* t. XXV, p. 337.

XX. Hugo VI de Monte Avium, gallice *d'Oiselay,* jam ante Petrum per tres annos S. Vincentii gubernaculo præfuisse dicitur. Hujus autem conjecturæ falsitas satis patet e litteris Urbani papæ Geraldo recens mortuo Petrum sufficientis. De eo jam sub annum 1374 mentionem fecimus. Anno dein 1375 desinente, legitur pratum *Balvart* Joanni *Balcillal* sub ratione census tradens. De eodem plura chartulæ Vincentianæ referunt, annis 1383, 1384, 1386 adscribenda. Martis die post festum Omnium Sanctorum 1387, domum emit Silviniacenæ ecclesiæ contiguam, et, anno 1388, aliam, quæ Petri monachi res fuerat, domum Richardo cuidam vendit. Anno 1391, secundum hodiernum calculum, XII cal. Martii, Usellæ capellano per tres annos hujus ecclesiæ quoscumque reditus attribuit. Anno 1394, contra A Petrum *de Charicy,* Silviniaci rectorem, coram papa litigat. Minoris momenti quæ gessit annis 1395, 1396, 1397, et quorum domesticæ tabulæ meminere. Anno 1408, cum Joanne, Loci Crescentis abbate, de juribus in prædio *Vauruche* exercendis transegit. Eidem Richardus *de Mion,* 2 Augusti 1410, obsequium clientelare promisit. Occurrit deinde, Martis die post festum S. Dionysii 1412, domum *Vauconcourt* sitam Joanni *Perrenin* vendens. Anno denique 1413, ultima Septembris die, parochiam S. Donati, quæ sub jure S. Pauli a capellano quodam B sæculari procurabatur, cantori S. Pauli regendam assignat.

Duos eodem non tantum nomine, sed etiam eodem cognomine nuncupatos abbates, alium alia vice S. Vincentio præfuisse quidam asseruerunt, et utriusque obitum commentitiis, ut videtur, temporibus adscripserunt. Si duos in unum colligas, hujus quidem diutinum regimen fuit, non autem humanæ vitæ metas excessit.

XXI. Guillelmus IV *de Leugney* post Hugonem collocatur. Quod si Guillelmus ille, de quo domestica diplomata nullam fi- C dem faciunt, abbatibus S. Vincentii jure annumerandus sit, certe non per longum temporis intervallum abbatiæ clavum gubernavit.

XXII. Petrus III *Armenier de Montaigny* prior occurrit *Jussau-Moutier* anno 1410; qui hanc dignitatem, abbatia San-Vincentiana postea donatus, nihilominus retinuit. Petrus, S. Vincentii jam tunc abbas, Burgundionum ducem Joannem abbatiæ fundatoribus annumeravisse refertur 8 Aprilis 1415. Id autem charta memorans vitio fortasse quodam laborat, nam ex indice di- D plomatum domesticorum comperimus San-Vincentianos monachos jucundum Petri adventum anno tantum 1419, 21 Junii, aut etiam 21 Januarii 1420 celebravisse. Petrus certe, ultima Decembris die 1423, B. Mariæ capellam, a Guillelmo *de Vergy* archipræsule conditam, monasterio S. Vincentii adnectit. Occurrit deinde in tabulis annorum 1425, 1428, 1432, 1435, 1436. Anno denique 1440, die Dominica qua cantant *Oculi,* per eumdem Joanni *Grangeat,* monacho, quamdam a Joanne *Malptus* vineam accipere licet. Restauratio castelli *Vilerpater* E Petro adscribitur. Idem, 3 Novembris 1430, *Gigny,* prioratus in diœcesi Lugdunensi Cisterciensis, prior factus erat.

XXIII. Joannes III *de Renedales,* baccalaureus in decretis, ab anno, ut videtur, 1443 S. Vincentio præfuit. Longum esset quæcumque peregit singulatim referre. Nec ca si taceamus, in aliquam vituperationem forte cademus, cum minimi pleraque momenti fuerint. Reperitur usque ad 19 Maii 1490, qua die S. Vincentii possessiones *An-*

thoison sitas sub conditione persolvendi census contulit. Laudatur quoque claustrorum Vincentianorum restaurator. Obiisse eum referunt 11 Januarii 1491.

XXIV. Petrus IV *de Montfort*, e domus *Vaucluse* priore abbas primum reperitur 14 Maii 1492, qua die *Viennot Miellin* quemdam agrum sub censu tradit. Pactum dein approbat de reditibus Dampari percipiendis, 21 Octobris 1494. Die 22 Februarii 1499, inter præstantes dignitate viros recensetur, coram quibus Bisuntino archiepiscopo Philippus dux fidei professionem fecit. Obiit, ut videtur, 12 Maii 1500. Abbatiale tectum B exstruxerat.

XXV. Hugo VII *d'Augicour* e priore Bonævallis S. Vincentii archimandrita mortuo Petro eligitur. Ideo Joanni, Ebroicensi episcopo, Alexander papa VI mandat, 12 Novembris, anno pontificatus nono, anno videlicet 1500, ut electum Hugonem consecret. Quæ peracta est consecratio in ecclesia Montis Biligardi IV cal. Januarii, vel, ut aliis placet, IV cal. Junii 1501. Eo postulante, 6 Septembris 1508, officialis ecclesiæ Bisuntinæ iteratam excommunicationis sententiam in Vincentianorum agrorum deprædatores edidit. C Reperitur Hugo usque ad diem 8 Julii 1517, qua nummos quoscumque possidebat, lautamque, ut videtur, supellectilem, abbatiæ condonavit. Elapsis dein aliquot diebus, nempe 11 ejusdem mensis, obiit.

XXVI. Claudius *d'Amance* post Hugonem monachorum suffragiis San-Vincentianæ rei præfectus est. Ei vero consecrationem adipisci non licuit. Ab eo tempore commendatariis abbatibus S. Vincentii administratio demandata est.

XXVII. Antonius I *de Montecut*, alias *de Monteant*, istorum commendatariorum or- D dine primus, Margaritæ Austriacæ confessionibus audiendis præpositus, vicariis procurandam abbatiam commisit, et ipse in Flandria commoratus est. Inter ejus vicarios occurrunt Nicolaus *Michaelis*, ædituus abbatiæ, et Desiderius *Moret*, Bisuntinus canonicus. Campanile S. Vincentii Antonius ædificavit, et novissimo voluntatis suæ testamento plura jam a se datis adjecit, 20 Junii 1532. Eo anno obiit, 24 Junii.

XXVIII. Franciscus *Bonvalot*, Antonio mortuo, a monachis abbas exoptatur. Is, e clara apud Bisuntinos oppidanos gente de- E ductus, Dolæ doctoribus juris adscriptus primo fuerat: dein protonotarius apostolicus, thesaurarius ecclesiæ Bisuntinæ, prior Frigidi Fontis, Portus supra Ararim et S. Nicolai, libellis supplicibus ad imperatorem missis præpositus, ejusdemque Cæsaris legatus senatorque Burgundus. Titulorum denique congeriem absolvebat affinitas fructuosissima : sororem enim Francisci Nicolaus *Perrenot*, cardinalis pater, ipse apud

A Cæsarem acceptissimus, uxorem duxerat. Anno circiter 1528, Romam Franciscus missus fuerat; anno 1530, Genevam; dein Parisios, imperatoris verba laturus: quibus in legationibus summam laudem meruerat. San-Vincentiani igitur monachi præpotentem sibi virum præfecerant. Illis tamen metuendum erat ne summus Pontifex electionem Francisci ratam non haberet. Nam, XVIII cal. Februarii 1524, Clemens papa VII Bertrandum *de Marnix*, clericum, tunc unum et viginti annos natum, futurum Antonii successorem publicis litteris designaverat. Audita igitur Antonii morte, Bertrandus presto Vesuntionem se recepit, abbatiaque potitus est 7 Julii 1532. Munus vero postulante Francisco et vota monachorum afferente, prædictus papa statuit, XV cal. Augusti, ut Bertrandi designatio nullum tunc temporis effectum sortiretur. Jam possessionem abbatiæ ipse Franciscus sibi vindicaverat 26 Junii. Eidem postea, 17 Aprilis 1533, obedientiam monachi juraverunt. Verum non modo monachorum suffragia, sed ipsum summi Pontificis decretum spernens Bertrandus, Dolensem senatum adiit, et contra Franciscum conventumque S. Vincentii litem movit. Quibus dissidiis finis non impositus est ante diem 14 Decembris 1534. Tunc vero abdicationem Bertrandi litteræ senatoriæ confirmaverunt, et Franciscum abbatiali S. Vincentii domo secure frui jusserunt, dummodo competitori, inito fœdere, ecclesiæ *Melesey* reditus et prioratum *Chaux* ipse dimitteret. Obiit Franciscus anno 1560. Idem Luxovii commendatarius abbas fuerat. Eum insuper, anno 1544, canonici Bisuntini archiepiscopum salutaverant, et revera usque ad annum 1556, quo Franciscus *de la Baume* canonicam ætatem attigit, archipræsulatus res omnes administravit.

XXIX. Antonius II *Perrenot de Granvelle*, cardinalis, archiepiscopus Mechliniensis et Bisuntinus, per procuratorem abbatiale munus adiit 17 Decembris 1560, decessurus 21 Septembris 1586. Eo mortuo, Dolensis senatus statuit, 10 Octobris, ut Joannes *Doroz*, Nicopolitanus episcopus, abbatiam procuraret.

XXX. Ludovicus *de Madrucio*, cardinalis, nationis Germanicæ protonotarius, et Tridentinus episcopus, abbas nominatur a Philippo rege 8 Septembris, vel Decembris, 1589, et a Gregorio papa XIII instituitur 29 Decembris 1590. Qui vicarium elegit, 12 Aprilis 1591, Claudium *Farod*, canonicum Bisuntinum et priorem S. Joannis-Baptistæ Lavallensis. Munus vero adeundi facultatem sententia Dolensis senatus non consecutus est Ludovicus ante 20 Maii. Obiit anno 1600, 2 Aprilis.

XXXI. Petrus V *de Tolède*, supremus archiducum eleemosynarius, præfectura S.

Vincentii ab eis donatus est 10 Novembris 1600. Cui civitate concessa 16 Maii 1601, in possidendam abbatiam paulo post missus est, 9 Julii. Id autem munus, elapsis aliquot mensibus, ejuravit.

XXXII. Stephanus *Pierrard,* decretorum doctor, ex abbate Gratiæ Dei abbas S. Vincentii ab Alberto duce renuntiatur 10 Julii 1602. Qui senatus Dolensis litteras obtinuit 25 Septembris, et rite possessionem adiit 9 Octobris. Antecedens Petrus omnia quæ ipsi collata fuerant jura denuo abdicavit 6 Aprilis 1603 : quare Clementis papæ VIII ad Stephanum bullæ missæ sunt XIII cal. Augusti 1604. Obiisse memoratur 5 Februarii 1608.

XXXIII. Guillelmus V *Simonin*, filius Reginaldi *Simonin* et Margaritæ *Duval,* decretorum doctor, abbatiæ vicissim monachus, cantor, prior et antecedentis Stephani generalis vicarius, prior idem S. Petri de Romano Monasterio, necnon B. Mariæ de Vallibus, et archiepiscopus Corinthinus, archiepiscopi Bisuntini suffraganeus, litteris apostolicis a Paulo papa V donatus est calendis Decembris 1609. Occurrit tamen ab anno 1608 Vincentianam præfecturam occupans, nam ab archiducibus Alberto et Isabella abbas creatus fuerat eo anno, 29 Aprilis, et, 27 Augusti, Scholasticæ *de Livron,* Juviniaci abbatissæ, benedictionis munus impertiverat. Obsoleta jam veterum institutorum observantia, jussit Paulus papa V, 30 Decembris 1610, postulante Guillelmo, ut monasterium pejorem in statum quotidie ruens emendaretur. Quocirca visitatores eo legati fuere; qui ut apostolicum mandatum executi sunt, abbatiam Guillelmus congregationi S. Vitoni univit. Hanc archiduces unionem, 5 Octobris 1611, approbavere. Non semel vero in Guillelmum monachorum invidia postea desæviit. Ideo, 10 Novembris 1621, postquam de eis Guillelmus questus erat, litteras accepit Ferdinandi archipræsulis, quibus officiali Bisuntino imperatum erat ut rebellantes ante forum ecclesiasticum venire compelleret. Sedit Guillelmus anno 1625 in Burgundiæ comitiis. Præterea in urbe *Poligny,* unde oriundus erat, seminarium ædificari jussit, in quo hujus urbis juniores incolæ sacras litteras edocerentur. Hujus autem domus fundationem bellorum tumultus prohibuit. Ultimæ voluntatis testamentum edens, 23 Aprilis 1630, imum chori gradum sepulturæ locum elegit. Obiit sub Augustum mensem in castello *Viller-Pater.*

XXXIV. Josephus *Saulnier*, episcopus Andrevillæ, Bisuntini archiepiscopi suffraganeus, quasi numero carentibus chartulis subscripsit, ab anno 1630 usque ad annum 1681, quo decessit, 25 Aprilis. Eum annis 1654, 1671, comitiis Burgundiæ interfuisse comperimus.

A XXXV. Joannes-Baptista *Boisot,* Vesuntione natus mense Julio 1638, Dolæ, dein Parisiis, cujuscumque disciplinæ ediscendæ tirocinia posuerat. Dein in Italiam iter fecerat, ubi traditas a peritissimis pictoribus tabellas miratus erat, et quasdam pretio comparaverat. Sub id temporis ei papa prioratus *Lachaux* et *La Loye,* apud Sequanos, concessit. Anno 1662, cleri legatus Burgundiæ comitiis interfuit. Nec multo post in Sabaudiam, Ludovico, Gallorum rege, Sequaniam occupante, Joannes-Baptista secessit: unde Taurinorum Augustam se recepit; B Hispaniam quoque peragravit, donec, amicissimo viro *Pellisson* eum regi commendante, abbatiam S. Vincentii gubernandam accepit. Abbas fit 30 Maii 1681. Anno 1683, 13 Martii, cum monachis de reditibus necnon oneribus abbatiæ paciscitur. Anno sequente, cum Petro archipræsule de juribus suis litigat. Anno denique 1691, 20 Decembris, bullis pontificiis ornatur, decessurus 4 Decembris 1694. Abbatiæ moriens libros suos, quos permultos habebat impressos manuve scriptos, et amplam numismatum copiam legaverat. Magistratus ei Ve- C suntiones universi quam maxime solemnia publice sacra fecerunt : qua pompa ea tenus solos reges aut provinciæ præfectos cohonestaverant. Joannis-Baptistæ *Boisot* vitam descripsere, inter ceteros, *Moreau,* in curia computorum Divionensi causarum regiarum actor, et *Bosquillon,* Suessionensis academicus. De eodem prætcrea præfationem consule, quam publicis cardinalis *de Granvelle* libellis doctissimus vir Carolus *Weiss* adnexuit.

XXXVI. Gabriel *Petit,* canonicus et senator Parisiensis, a Ludovico rege nomina- D tus est 24 Decembris 1694, et obiit 11 Julii 1701, bullis nondum obtentis.

XXXVII. Antonius Franciscus Gaspardus *de Grammont,* supremus archidiaconus Bisuntinus, Arethusæ episcopus, abbatia donatur a rege 15 Augusti 1701. Obiit 17 Novembris 1727. Decanatum insimul ecclesiæ Bisuntinæ et abbatiale munus occupaverat. Eo mortuo, 18 Novembris, abbatiam administrandam senatus Dolensis Francisco Xaviero *Courchelet*, canonico, commisit.

XXXVIII. Claudius Antonius *Duding,* E Lausannæ episcopus, abbas creatus a rege 27 Martii 1728, decessit anno 1744.

XXXIX. Antidius Josephus *de Jouffroy d'Uzelles,* decanus quoque Bisuntinus, obiit Augusto mense 1768.

XL. N. *d'Escars,* summus Suessionensis ecclesiæ vicarius, nominatur anno 1768.

XLI. Sebastianus Michael *Amelot,* Venetensis episcopus, anno 1790 superstes erat.

FAVERNIACUM.

Favriniacum villam Fredegarii Chronicon memorat, in qua Wulfus patricius Brunichildis jussu occisus est. Eamdem, ut videtur, villam Faberniacum castrum appellat vetus scriptor qui S. Berthari gesta posteris commendavit. Hic circa mediam octavi sæculi partem, Goidila, Widradi soror, qui Flaviniacensi monasterio præerat, ecclesiam B. Mariæ sacram exstruxit, eoque moniales Benedictinæ regulæ, ut fertur, subjectas adduxit. Elapsa vero multorum annorum serie, olim florens abbatia omni fere cultu destituta reperitur: quamobrem Ansericus archipræsul, 17 Septembris 1132, postquam superstites in deturpatis ædibus sanctimoniales, addictos ecclesiæ clericos, advocatosque ipsius loci consuluerat, Faverniacensem abbatiam ecclesiæ Casæ Dei submittit, ea sub conditione ut puellis viri subrogentur, eisque præficiatur abbas ex ipso Casæ Dei capitulo deductus; apud Mabill., Annal., t. VI, p. 663. Celeberrimum Casa Dei in Arvernico pago monasterium, quod tunc Stephanus de Mercorio regebat. Monachos hic Benedictinos illico Faverniacum misit, et ab eo tempore novus ibi rerum ordo exordium cepit, peractam mutationem approbante Innocentio II, 13 Junii 1133. Exortam reperimus, sub annum 1257, inter archiepiscopum Vesuntionensem abbatemque Casæ Dei contentionem, super juribus ad alterutrum pertinentibus tam in electione quam in confirmatione Faverniacensis abbatis. Ea vero cognita causa, Hugo, cardinalis S. Sabinæ, necnon sedis apostolicæ legatus, statuit ut Faverniacensis abbatis electio coram monachis Casæ Dei, in ipsa videlicet matre abbatia, perageretur, electusque a Casæ Dei archimandrita confirmaretur, deinde ab archipræsule Vesuntionensi, iterata de moribus ejus inquisitione facta, consecrandus. Eodem Hugonis legati decreto insuper præcautum est, ut si quem electum confirmatumque Vesuntionensis archipræsul abbatiali baculo indignum reputaret, eo requirente electio nova fieret; *Droz*, t. I, p. 59. Hanc vero legem adeo non semper Faverniacenses monachi observaverunt, ut contra sæpissime Casæ Dei abbatem sua sibi jura vindicantem surdis auribus exceperint. Floruit tamen multos per annos Faverniacensis domus; quæ, disciplina denique emollescente, reformationem S. Vitoni anno 1614 exoptavit. Anno 1663, Faverniaci reperiuntur 7 monachi et 11 scholares. Non parvum domesticæ rei detrimentum abbates commendatarii attulerant: quare, ipsorum monachorum petitioni obsequens, summus Pontifex, 28 Octobris 1770, abbatialem mensam suppressit. Ab eo igitur tempore nemo comparandi quæstus studio, Faverniacensis conventus præsidatum conquirere potuit, et commendatariæ pestis contagione liberata Benedictinorum ascetarum societas, æquabilius atque constantius præscriptam a majoribus normam usque ad postremos decimi septimi sæculi dies observavit.

Notissimus inter rei Bisuntinæ scriptores anonymum anno 1771 libellum edidit, cui titulus *Mémoires sur l'abbaye de Faverney*. Eo quidem adjutore non semel usi sumus: præcipuum vero nobis auxilium contulit Faverniacense Chartularium, inter Drozianas schedas, t. X.

Aliquot Abbatissæ.

I. S. Goidila in Vita SS. Berthari et Athaleni memoratur, quos juxta Roserias vicum occisos sepeliri curavit, annum circa 764.

II. Lucia subjectionem Hugoni archiepiscopo (Hugoni, ut videtur, I) promisit; apud Bolland., 6 Junii.

III. Euphemia eidem semet fidam fore juravit; ibid.

IV. Odiarda quoque Faverniaci abbatissa a quibusdam dicitur. De ea vero dubitare licet.

V. A., anno 1126.

Series Abbatum.

I. Bernardus primus monachorum Faverniacensium abbas fuit. De eo fidem facit, anno circiter 1140, diploma quod S. Perardus edidit, p. 229. Quidam Faverniacensis, ut videtur, abbas, cum Guidone, abbate Cari Loci, anno 1141 litigans, probris afficitur a S. Bernardo Claraevallensi, eum qui votorum suorum violatorem, bonorum domesticorum profligatorem, imo et alienorum deprædatorem appellat. Ea ad Bernardum, Faverniaci primum abbatem, nonnulli referunt: Vitæ SS. Sequan., t. IV, p. 231.

II. Petrus I, anno 1149; e Clari Fontis chartula.

III. L., quem Lambertum quidam vocant, anno, ut videtur, 1151, cum Cari Loci monachis transigit; e Chartul. Cari Loci, p. 7.

IV. Guitardus subscripsit, anno 1165, Frederici I diplomati pro Castri Carnonis abbatissa. Idem, annis vero incertis, plura Caro Loco contulit, sub annui census conditione, tam juxta *Chalmes* quam juxta *Tremoncourt;* e Chartul. Cari Loci, p. 18, 48.

V. Herbertus occurrit, anno 1185, in litteris Fulconis, Caseoli toparchæ, qui postquam quosdam agros ad monachos Faverniaci pertinentes sibi vindicaverat, eos dimittit et eorum custos, ipsius Herberti mandato, efficitur. Idem Herbertus Morarum Cisterciensibus monachis, anno 1186, diversos reditus e diversis vicis exigendos confert.

VI. Petrus II ab anno 1199 memoratur.

Exstant Innocentii III litteræ, e quibus comperitur eo summum Pontificem agente subortum fuisse inter Casæ Dei archimandritam et Faverniacensem conventum de cujusdam abbatis electione dissidium: quod pace nostra ad electionem Petri spectare nonnulli contendunt. Idem, anno 1209, de variis prædiis cum abbate Cari Loci paciscitur.

Petrum usque ad annum 1247 supervixisse quidam asserunt. Id autem, quod minime probant, infirmat D. *Pitra* testimonium, qui scilicet, in chartulario *Middle-Hill* dicto, chartam unam se vidisse nuper memorat, anno 1206 editam, nomenque Gilberti præbentem, semet insimul S. Benigni Divionensis et Faverniaci Bisuntini abbatem profitentis. Nota quidem hujus chartæ chronica falsa est. Petrus enim Faverniacum usque ad annum 1209 certe rexit, nec Gilbertus ante hunc annum 1209 S. Benigni præfecturam assecutus est. Quod si vero temporis notam corrigas, nihil jam prohibebit quin Gilbertus, anno circiter 1210, tam Faverniaci quam S. Benigni simul abbas exstiterit. De hoc Gilberto prælaudatus D. *Pitra* mentionem fecit in Epistola quam reperies in *Arch. des Missions,* t. IV, p. 166.

VII. Robertus munus dimisit, aut vita functus est, anno 1250.

VIII. Petrus III litteras obsignat Gerardi *de Mosteruel* erga Hugonem, Burgundionum comitem, juramento semet obligantis, anno 1255; *Droz,* t. XVI, p. 126. Idem, anno 1256, sigillo suo confirmat permutationem rerum inter Aliciam Drocensem et Carilocensem conventum; Hist. Dynast. Salinar., t. I, p. 106. Dein, Aprili mense 1257, Geoffridum *de Mosteruel* audit fidum obsequium Hugoni comiti spondentem; *Droz,* t. XVI, p. 150. Testatur, mense Decembri 1258, Luxoviensem abbatiam sub imperio Burgundionum ducis positam esse; ex ind. Chart. Dol., L, 206. Anno 1261, secundum recentem computationem, nempe VIII cal. Aprilis, Petrus abbati Casæ Dei semet in omnibus subjectum profitetur. Quid vero fuit quare professionem hanc tandiu distulerit? Tunc scilicet magna inter abbatem Casæ Dei et archiepiscopum Vesuntionensem de Faverniacensium abbatum confirmatione controversia, quam non, sicut diximus, ante finem anni 1257 legatus apostolicus diremit. Eodem anno 1261, Faverniacenses oppidani liberam rerum suarum administrationem sibi vindicaverunt: quam Petrus, juribus tamen quibusdam sibi servatis, eis concessit.

Petro munere semet abdicante, monachi conveniunt VII id. Februarii 1267, secundum hodiernum calculum, potestatemque faciunt Guillelmo *Rosier* Petroque de Gesneio novum abbatem designandi, vel e grege Casæ Dei vel ex alio conventu, prout abbati Casæ Dei expeditius videbitur, deducendum; *Droz,* t. X, p. 629.

IX. Carolus I anno 1271 reperitur, Lunæ die post diem S. Michaeli sacrum; quod sub tempus Philippo, Burgundionum comiti, fidem spopondit; ibid., t. XVI, p. 318. Eo anno in Luxoviensem sedem translatus est.

X. Petrus IV anno 1276 fœdus pangit cum Alicia, Burgundionum comitissa. Eodem quoque anno, Jovis die post S. Bartholomæum, litteras obsignat Heloissæ, Joannis *de Faucogney* uxoris, hæreditarium quoddam prædium rursus excipientis; ibid., t. XVI, p. 370. Anno 1279, litteras laudat Joannis *de Bu* cum Cari Loci abbate paciscentis; ex origin. pergameno quod servat Max. Paris. Bibl., chart. caps., num. 1798. Petrum anno 1294 obiisse contendunt.

XI. Olivarius, die Dominica post octavam B. Michaelis 1294, archiepiscopi Bisuntini consecrationem postulavit. Paulo post, nempe XVII cal. Maii 1295, cum Joanne de Burgundia, Othonis comitis fratre, pactum solemne ferit, cujus clausula infirmatæ sunt nonnullæ conditiones anno 1276 vulgatæ. Non tamen mutuis dissidiis ea pactio finem imposuit: alia enim inter Joannem Olivariumque anno 1303 facta est. Singulare prorsus superest documentum de supina monachorum sub id temporis ignorantia; Olivarii scilicet decretum, anno 1305 editum, quo prohibuit ne monachus deinceps in Faverniacensia tecta exciperetur, qui non satis canendi legendique peritus esset.

XII. Petrus V, dictus *de Binvillars,* anno 1312, abbati Casæ Dei debitum promittit obsequium, et anno 1319 moritur.

XIII. Dalmatius Ricomagi natus, patria igitur Arvernus, e Luxoviensi monasterio deducitur, Faverniaco præficiendus. Abbatiale vero munus anno circiter 1326 dimisisse videtur, nam e necrologio Casæ Dei comperimus eum in ea abbatia obiisse, ibique ante magnum altare sepultum fuisse.

XIV. Guillelmus *des Mars* se fidum fore archiepiscopo Bisuntino promisit 10 Augusti 1326, protinusque regimen abbatiæ aggressus est. Reperitur idem, mense Julio 1331, cum Joanne *de Choiseul* super custodia vicorum *Andilly* et *Poiseux* paciscens; *Droz,* t. X, p. 658.

XV. Joannes I *de Bougey,* die Dominica ante festum S. Petri ad Vincula 1335, reverentiam archiepiscopo Bisuntino spondet. Quatuor vero circiter elapsis annis, munere semet abdicavit.

XVI. Matthæus *de La Molette,* anno 1340.

XVII. Hugo *de Salins,* anno 1345.

XVIII. Reginaldus *de Belmont,* anno 1352. Nec multo post Faverniacenses incolæ adversus monachos seditionem fecerunt, vectigalia his debita solvere recusantes: de quibus dissidiis pactum est 9 Se-

ptembris 1355, Reginaldo præsidente. Anno dein 1366 Reginaldus reperitur. Anno vero circiter 1374, permutatione cum sequenti peracta, abbas fit S. Vincentii Metensis.

XIX. Henricus *de Vienne* ex abbate San-Vincentiano Faverniacensis efficitur. Sed postea Hierosolymitanum iter aggressus est: quo in itinere a maritimis prædonibus captus est, et per plures annos prohibitus ne patrias ad oras remearet. Redux tandem, anno circiter 1386, Veteris Cellæ Trecensis abbas fuit.

XX. Leobaldus *de Cusance*, e Luxoviensi monacho et priore Clari Montis episcopus jam Virdunensis, Henrico abeunte Faverniaci commendatarius abbas effectus est. Ipse vero abbatiale munus dimisit anno 1396.

XXI. Stephanus I *Pierrecy de l'Isle*, ipse quoque prior antea Clari Montis et Luxoviensis monasterii ædituus, Leobaldo successit. Ad Stephanum, v cal. Augusti 1410, Joannes papa XXIII litteras misit, ornamentorum pontificalium usum ei concedens; *Droz*, t. X, p. 672. Anno vero 1418, in Luxoviensem sedem transfertur.

XXII. Joannes II *de Colombey* ex ædituo Luxoviensi Faverniaci fit abbas anno 1418; qui usque ad annum circiter 1439 supervixit.

XXIII. Petrus VI *de Buffignécourt*, monachus antea Cluniacensis, cum monachis suis litigavit.

XXIV. Philippus *Le Friand* anno 1458 Faverniaco præsidebat. De eodem domesticæ tabellæ mentionem faciunt anno 1474. Obiit 1 Februarii 1478.

XXV. Carolus II *de Neufchatel*, idem et archiepiscopus Bisuntinus, anno 1479. Non autem diuturna fuit ejus præfectura.

XXVI. Stephanus II *Morel*, decanus Matisconensis (1), usque ad annum 1482 Faverniacum, commendæ titulo, rexit: quo scilicet anno, cum Simone, abbate Besuæ, permutavit.

XXVII. Simon *de S. Seygne* abbatiam Faverniacensem ingressurus, Besuensis abbatiæ dimisso regimine, coram congregatis monachis incolisque Faverniaci promisit, anno 1482, se non eorum juribus attentaturum. Besuam tamen sub extremos vitæ suæ dies secessit, et in ea domo obiit. Funereum Simonis tumulum describi curavit *de Gaignières;* quam scilicet linearem monumenti adumbrationem habes inter ejus schedas, t. 248.

XXVIII. Guido *de Lambrey*, filius Joannis, *Sorans* toparchæ, et Jacobæ *d'Orsans*, ab anno circiter 1486 usque ad annum 1520, quo decessit anno, 6 Julii. Nonnulla supersunt documenta ad ejus administrationem spectantia. Post eum per quatuor annos sedes vacua fuit, abbatiæque gubernandæ cura tribus procuratoribus demandata.

XXIX. Claudius I *de Boisset*, idem Dolensis et Poliniacensis decanus, supremus Atrebatensis ecclesiæ archidiaconus, ut apud Hispanorum regem acceptissimus erat, Faverniacensis abbas etiam nominatur anno 1524. Non autem is erat Claudius qui aulam relinqueret, ecclesiasticum quodlibet munus obiturus. Temporalem igitur Faverniaci administrationem Guillelmo *de Boisset*, germano, tradidit, spiritualem Ludovico *de Lambrey*, abbatiæ ædituo. Claudium denique ferunt anno 1546 decessisse.

XXX. Carolus III *Perrenot*, Nicolai *Perrenot* et Nicolaæ *Bonvalot* filius, Antonii cardinalis frater, 9 Januarii 1531 natus, Faverniacensis abbatiæ regimen, jam protonotarius apostolicus, archidiaconus ecclesiæ Bisuntinæ et abbas Parci in Sicilia, anno circiter 1547 aggressus est. De eo pauca memorantur. Postquam in gratiam Antonii, e sorore nepotis, munere semet abdicaverat, anno 1567 obiit. Ut erat indole mitis, moribus honestus, et ab ambitione longe remotus, a monachis *bonus abbas* nuncupatus est.

XXXI. Antonius I *d'Achey*, idem et canonicus Vesuntionensis, ab anno 1567 abbas legitur. Qui obiit anno 1580.

XXXII. Franciscus *de Grammont de Vezet*, jam decanus Vesuntionensis ecclesiæ, litteris a Philippo II acceptis abbas nominatur 4 Julii 1580. Apostolicæ dein ad eum missæ sunt bullæ, 1 Novembris 1582. Idem Franciscus Montis Benedicti commendatarius abbas creatus est anno 1587, eique per summum Pontificem prædicta beneficia, nec non prioratum *Sirod*, simul possidere licuit. Obiit mense Junio 1595.

XXXIII. Joannes III *Doroz*, Lausannensis episcopus, Francisco mortuo sufficitur a Philippo rege, 26 Martii 1599, bullis donatur 21 Maii, et in possidendam abbatiam deputatur 10 Decembris. Obiit in prioratu *Chaux-lès-Clerval*, qui Vallium quoque juxta Poliniacum prior erat, 17 Septembris 1607, et in ecclesia S. Stephani Bisuntina sepultus est.

XXXIV. Alphonsus *Doremieux*, prior S. Vedasti Atrebatensis, ab archiducibus abbas Faverniaci creatur 18 Aprilis 1608, et eodem anno, 13 Maii, Dolensis senatus decreto civitate donatur. Dein administrationem abbatiæ suscepit, 28 Junii, bullis apostolicis donandus 22 Aprilis 1611. Mox autem Alphonsus disciplinæ correctionem aggressus est, ipsisque monachis suasit ut semet S. Vitoni reformatis institutis subjicerent. Huic consilio archiduces 9 Januarii

(1) Eum antecessores nostri, seriem abbatum Besuensium describentes, Matisconensem decanum fuisse referunt, t. IV, p. 711: eumdem vero, eodem tomo, col. 1110, inter decanos Matisconenses recensere prætermiserunt.

1616 et Paulus V 4 Septembris annuerunt. A Augusto mense 1623, Claudius Hydulphus *Brenier*, supremus Faverniaci prior, Alphonso datur adjutor ab infante Isabella. Obiit autem Alphonsus 17 Septembris 1630.

XXXV. Claudius II Hydulphus *Brenier*, Luxovii natus erat anno 1588, et Faverniaci monachum induerat : dein S. Vitoni reformationem amplexus, visitator congregationis generalis effectus fuerat : demum ex Alphonsi adjutore abbas Faverniaci fuit. In tabulis S. Vincentii memoratur anno 1632. Anno 1652, 30 Novembris, Luxovii præsens aderat, cum Joannes-Baptista abbatiam pos- B sidendam ingressus est; *Droz*, t. VIII, p. 444. Luxoviensis quidem abbatiæ regimen ipsi Claudio Hydulpho oblatum fuerat : Faverniacum vero relinquere noluit; qua scilicet in domo non tantum mores, sed etiam liberalium disciplinarum studia, restituerat. Magnam sanctitatis famam adeptus, obiit 18 Maii 1662 in abbatia S. Michaelis ad Marsupiam, cum Virduno rediret, ubi congregationis generale capitulum præsidem eum elegerat.

XXXVI. Antonius II *Doré*, Philippi regis medicus, ab eo Faverniacum accipit 5 Septembris 1663. Ei autem, multarum nuptia- C rum, ut ferunt, viro, bullas summus Pontifex constanter denegavit. Quocirca, 23 Septembris 1671, inferioris Germaniæ proconsul ad curiam Bisuntinam scripsit, imperans ut prædicto Antonio bonorum ad abbatiam pertinentium reditus saltem traderentur. Huic mandato curia 24 Octobris obtemperavit.

XXXVII. Theodorus Franciscus *Gourret Du Cloz*, clericus Parisiensis, Antonio submoto, a Ludovico Francorum rege nominatur, 29 Martii 1675, tunc annos novem et decem natus, et multo post ab Innocentio D papa instituitur, nempe mense Februario 1697. Dissidiis inter papam regemque exortis, diu bullas exspectaverat. Monachicam vestem induit in abbatia Luxoviensi 26 Aprilis 1699. Completis dein tirocinii annis, Faverniacum rediit. Adjutores ei dati sunt Vincentius *Duchesne* 12 Aprilis 1720, et Hieronymus *Coquelin* 10 Martii 1725. Obiit Theodorus Franciscus 20 Septembris 1734, ætatis anno 79, et monachicæ professionis 36.

XXXVIII. Hieronymus *Coquelin*, Vesuntione natus 21 Julii 1690, monachicam vestem Luxovii acceperat 20 Februarii 1708 : E dein Faverniaci creatus est abbas, ex antecedentis Theodori Francisci adjutore, anno 1734, possessionemque adiit 30 Septembris hujus anni. Ipsi adjutor datus est, 1 Octobris 1741, Ambrosius *Mareschal d'Audeux*. Obiit Hieronymus 1 Septembris 1771, ultimusque Faverniacensium abbatum fuit. Plura scripserat ad historiam Vesuntionensis ecclesiæ spectantia, sed quæ prælo nondum mandata sunt.

PALMA.

Palmensem, apud recentiores Balmensem, parthenonem quidam S. Desideratum, alii S. Germanum exstruxisse referunt. Albericus vero primam hujus abbatiæ fundationem duci cuidam Warnario, vel Garnero, tribuit, sub annum 763. Hæc sunt Alberici verba : « Dux Garnerus fundavit abbatiam « monialium de Balmis ubi depositus est, et « adhuc nobilissimam habet ibi sepultu- « ram. » Adde quod monumentum hoc ducis Garneri lapideum delineari curavit Joan. Jac. Chiffletius, Vesunt., part. II, p. 64. Commentitia Dunodius reputat ea quæ de S. Desiderato et S. Germano Palmæ fundatoribus enarrantur; et nos quidem fugerunt authentica documenta, quibus rem prudentissimo viro suspectam stabilire valeremus. Testis tamen unus adest, non omnino, ut sæpe diximus, spernendus, anonymus scilicet S. Pauli canonicus. Eo scilicet referente, inchoata Desiderati temporibus abbatia moniales dein Germani curis excepit, et a Vandalis postea eversa est. Quæ si vera essent, nihil obstaret quominus Garnerus comes jacentis domus parietinas recollegerit, et pro fundatore merito habitus fuerit. Sed aliud est dubium de temporibus Garneri comitis. Albericus eum, ut diximus, circa mediam octavi sæculi partem vixisse contendit : alii vero eumdem Guntramni regis coævum asserunt, et anno 603 mortuum. Non unius enim Garneri veteres scriptores meminere. Cui vero Palmæ fundatio, vel restauratio adscribenda? Per nos licebit ut opinioni, seu conjecturæ, cuilibet adhæreas. Quod si vero Garnerus sub annum 763 vixit, eo certe antiquior Palmensis parthenon. Ermenfredi sedenim, Cusatensis abbatis, de gestis disserens Egilhertus, Palmensium puellarum, sub annum circiter 670, mentionem fecit; apud Bolland., 25 Septembris. Hancne Egilberti narrationem parva fide dignam reputas? Veruntamen ipse Egilbertus annum circa 720 scripsit : Palmensis igitur conventus ante hunc annum conditus. S. Othiliam quoque, cujus obitum in anno 760 collocant, ibi eremiticæ disciplinæ tirocinia posuisse constat. Incompertum tamen habemus cui regulæ Palmenses moniales tunc addictæ fuerint : an monachæ, vel canonicæ, aut privatam vitam agentes, aut omnia in commune referentes. S. Benedicti regulam postea, sed anno prorsus incerto, admisere. Nonnullis Palmensi parthenoni adscribere placuit, frequentia quidem, documenta quæ Balmam sub nonum sæculum memorant. Dunodii vero sententiam pluris facimus, ea qui testimonia ad Balmensem virorum conventum respicere autumavit. Prima Palmensis abbatissa, cujus nomen authentica scripta posteris tradidere, Hugo-

nis I æqualis fuit. Non semel, bellorum æstuante procella, quam maximis damnis afflicta domus. Pejorem vero cladem 6 Julii 1637 passa est, qua die Bernardus, dux Suecorum, Palmam ingressus est, et omnes monialium possessiones militibus suis deprædandas tradidit. Tunc Helena *de Rye*, abbatissa, desolatas ædes fugiens, Vesuntionem secessit, ubi, anno 1647, debitum naturæ persolvit. Decem anno 1663 moniales Palmæ reperiuntur, duodecim anno 1750, decem anno 1790, omnes e nobili stirpe deductæ, sicut primum usus, dein lex decreverat. Disciplinæ vero cultus adeo, labentibus annis, antiquatus evaserat, ut ipsæ puellæ, cum abbatissa de mutuis juribus decertantes, semet Benedictinas moniales esse minime coram judicibus comprobarent, et potius canonicæ viderentur.

Commentationem de Palmensi parthenone Historicam nuper digessit D. L. *Besson*, quo duce confidentius difficilem sæpe viam ingressi sumus.

ABBATISSÆ.

I. Elisabetha I, anno 1031, ut rem nos D. *Pitra* docet, obsequium Hugoni archipræsuli promittit. Eodem anno 1034, cum S. Odilone, Cluniacensi abbate, transigit, et, cal. Novembris 1040, ab Hugone supra dicto plurium ecclesiarum oblationes accipit. Ch. VII, col. 7.

II. Adela I cum Wichardo, S. Pauli decano, pactionem memorandam facit. Id enim inter abbatissam decanumque, annuente Hugone archiepiscopo, ordinatum est, ut si S. Pauli quidam servi quasdam Palmæ ancillas uxores ducerent, horum matrimoniorum fructus duæ abbatiæ in æquas partes distributos sibi vindicarent; *Droz*, t. VII, p. 14. Actum hoc tempore Henrici regis I; Henrici nempe tertii Romanorum regis, Burgundionum vero primi, qui 5 Octobris 1056 decessit. Consule D. N. *de Wailly*, Elem. Paleogr., t. I, p. 307.

III. Stephana I *de Bourgogne* anno 1119 a Dunodio memoratur; Hist. Comit., t. I, p. 162.

IV. Adela II, anno 1120, obsequium Anserico archipræsuli promittit; *Droz*, t. V, p. 469.

V. Sibilla I, anno 1143, domesticas possessiones litteris apostolicis confirmatas obtinet. Eadem anno 1147 reperitur apud Dunodium; Hist. Vesunt. Eccl., t. I, p. 154.

VI. Stephana II *de Montfaucon* Visulii reperitur VIII cal. Octobris 1162, de Theodorico *de Soys*, præposito vici *Mathay*, coram imperatore querens, et de eodem sententiam obtinens; *Perreciot, Etat des Pers.*, t. III, p. 422. Dein occurrit anno 1170, cum Bellævallensibus paciscens; *Droz*, t. IX, p. 557. Eadem, ut videtur, anno 1178, 13 Septembris, cum Martello *de Mailly* de pluribus prædiis litigans, Fredericum imperatorem controversæ rei judicem habet; *Perreciot, Etat des Pers.*, t. III, p. 35. Anno denique 1182, de quodam fundo cum Bernardo, abbate Bellæ Vallis, transigit.

VII. Clementia *de Bourgogne*, Stephani comitis filia, abbatiæ præsidebat anno 1204. Anno vero 1212, munus ipsumque sacrum nimbum reponit, ut cum Bertholdo, *Zeringen* duce, matrimonium contrahat.

VIII. Blanda I *de Châlons*, quam ejusdem Stephani comitis filiam notham opinantur, Clementiæ successit. Cum Frederico, metropolitani capituli thesaurario, de quarumdam ecclesiarum patronatu, Februario mense 1229, transegit.

IX. Nicolaa *de la Roche*, Odonis nata, vineam quamdam canonicis B. Mariæ Magdalenæ concedit, IV non. Julii 1265; *Droz*, t. XV, p. 117. Eadem anno 1266 memoratur

X. Beatrix I *de Bourgogne*, anno 1276, cum Burgundionum comite paciscitur; ibid., t. XVI, p. 360. Eidem Alicia, Palatina comitissa, anno 1278, pateram inter alia testamento legat.

XI. Blanda II, anno 1286, sigillo suo confirmat litteras Stephani de *Vaillans* quidquid *Roulans* possidebat vendentis; ibid., t. XXX, p. 221.

XII. Beatrix II *de Cromari*, anno 1295, e regestis officialis Vesuntionensis innotescit. Eadem superstes erat anno 1315.

XIII. Sibilla II *de Vaire*, alias *de Cyr*, anno 1326 confirmata, anno 1349 in regestis supra memoratis occurrit. Obiit anno 1355 incunte. Cum vero, 22 Maii, convenirent moniales, Alicia scilicet de *Montbozon*, Guillelma *de Saveigney*, Beatrix *de Montmartin*, Clementia *de Nant*, Margarita *de Ruffey*, Guidona *de Venne*, Guillelma *de Verchamp*, Isabellis et Catharina de *Montbozon*, Guidona *d'Amoncourt* et Isabellis *de Grammont*, quæ novam abbatissam eligerent, occurrit Theobaldus de Novo Castro, asserens ad suum jus spectare ut electionis peragendæ particeps esset. Ei primum moniales obstiterunt: dein autem petitam rem concesserunt, et, ex ipsius Theobaldi consensu, sequens electa est.

XIV. Alicia I *de Montbozon* anno 1355 reperitur. Eadem, anno circiter 1367, ab abbate Gratiæ Dei debitos nummos poscit.

XV. N. *de Cusance* eligitur 3 Novembris 1373, quæ per annum unum abbatiæ præfuit.

XVI. Ludovica *d'Auxerre*, alias de *Châlons*, Autissiodorensis comitis filia, ab anno 1375. Guillelmus autem, Vesuntionensis archipræsul, ejus administrationem improbavit, et ei Beatricem *de Montmartin* suffecit. Unde lites inter Ludovicam et Beatricem

acerrimæ. Potior denique judicibus Ludovicæ causa visa est, quæ usque ad annum 1388 abbatiæ clavo præfuit.

XVII. Isabella de *Maisonval*, perperam dicta de Marsona, annuente Joanne, Burgundionum duce, anno 1415 eligitur; *Droz*, t. XIII, p. 113. A quibusdam tamen memoratur anno jam 1388 Ludovicæ antecedenti suffecta.

XVIII. Joanna I *de Salins* anno 1423 reperitur.

XIX. Margarita I *de Salins* confirmatur anno 1440.

XX. Agnes, alias Amata *de Ray* Joannis *de Ray* et Ludovicæ *de Vergy* filia, eligitur anno 1458; *Droz*, t. XIII, p. 114. Reperitur anno 1473 hæres instituta Joannis *Conrault, Chassey* curionis. Ipsa testamentum suum anno 1474 condidit.

XXI. Dulcis *de la Roche Taillée* litteris pontificiis donatur anno 1474. Ea defuncta, anno 1476, Bisuntinus archiepiscopus, dilatam diutius reputans abbatissæ novæ electionem, eligendi jus sibi vindicat.

XXII. Alicia II *de Montmartin* annis 1481, 1485, adversus Joannem *Petit*, S. Sulpicii Palmensis presbyterum, litigabat. Nonnulli anno 1484 puellam quamdam e domo *Salins* deductam parthenoni præsidentem memorant, de qua nihil aliud comperitur.

XXIII. Catharina *de Neufchatel* abbatissa litteris apostolicis instituitur anno 1494. Eadem, 30 Junii 1501, anniversarium suum in ecclesia Locis Crescentis fundat; *Droz*, t. XIII, p. 177.

XXIV. Margarita II *de Neufchatel*, Claudii filia et Bonæ *de Boulai*. Obiit 3 Septembris 1549; ex ejus epitaphio. Eadem sub id tempus abbatissa Romarici Montis erat.

XXV. Elisabetha II *de Morimont* ex antecedentis adjutrice abbatissa confirmatur a Carolo V, Hispanorum rege, anno 1551. Eadem anno 1565 reperitur, contra Marcum *Fournier*, presbyterum, litigans. Mores Elisabethæ perditissimos D. Richardus culpavit, sed describere horruit; Hist. Diœc. Bis., t. II, p. 247. Ea regente, omnia in pejus ruere, totusque conventus a quibuslibet institutæ disciplinæ præceptis deflectere.

XXVI. Joanna II *de Rye*, Castri Carnonis antea monialis, a Pio V Octobri mense 1571 instituta, munus adiit 25 Maii 1572. Eam ipse papa reformandæ abbatiæ præfecerat; quam non sine laude per annos circiter decem gubernavit. Ea vero defuncta rex Margaritam *de Genève* nominavit, papa vero Margaritæ de *Chauvirey* bullas concessit; inter quas diu litigatum.

XXVII. Margarita III *de Genève* a Philippo II ad regendam abbatiam vocata fuerat 17 Novembris 1582. Obstitit vero diu Margarita *de Chauvirey* ne litteris pontificiis institueretur. Quas postquam tandem obtinuerat, ei a senatu Dolensi concessum, 17 Novembris 1583, ut munere potiretur. Quod protinus adiit, nempe 22 ejusdem mensis. Hæc legimus inter fragmenta e regestis senatus Dolensis decerpta. Occurrit, anno 1618, duobus prædiis rem augens Capucinorum Palmæ consistentium; *Droz*, t. XIII, p. 130. Eodem anno, 22 Augusti, Paulus V adjutricem ei dat Helenam *de Rye*.

XXVIII. Helena *de Rye* occurrit anno 1633. Ea regente, Suecorum turmæ abbatiam deprædatæ sunt. Vesuntionem Helena secessit, S. Germani reliquias secum ferens. In ea urbe anno 1647 obiit.

XXIX. Anna Caspara *d'Andelot* a Philippo rege nominatur 8 Julii 1647; cui possidendam abbatiam adire per Dolensem senatum licet 4 Aprilis 1648. Rediit quidem Anna Caspara in vastatas ædes, sed paucissimæ eam moniales secutæ sunt.

XXX. Renata Gabrielis *d'Andelot* ab eodem Philippo rege abbatissa creatur, post Annæ Casparæ decessum, 31 Januarii 1653, et in possidendam abbatiam deputatur 12 Martii.

XXXI. Regina Helena *de Laubespin* post Renatam Gabrielidem reperitur; qua monasterium regente, 5 Maii 1659, adjutricem ei rex Mariam *d'Achey* concedit.

XXXII. Maria I *d'Achey* Reginæ Helenæ postea succedere jubetur. Moniales vero, quarum sibi mentes minime conciliaverat, ei morem gerere fugitaverunt, et ea de re coram senatu decertatum est. Administrationem abbatiæ senatus Mariæ confirmavit 30 Aprilis 1675. Eadem contra Bisuntinum archiepiscopum ante Dolensem senatum, de præsentatione sacerdotis in ecclesia *Verne* constituendi, litigabat, 7 Septembris 1675; *Droz*, t. XIII, p. 112. Denique inter Mariam Palmensesque moniales de mutuis juribus etiam tum pendente dissidio, totam rem iterum senatus Dolensis enodavit 20 Decembris 1677. Ea defuncta,

XXXIII. Francisca *de Thyard de Bissy*, inter abbatiæ professas admissa sub Decembrem mensem 1680, a Ludovico rege nominatur abbatissa 25 Decembris 1684. Per eam licet, 24 Februarii 1692, ut molendinum *Verne* exstruatur. Ab archiepiscopo Vesuntionensi eadem poscit, 12 Julii 1697, ut ipsi facultas concedatur Garneri comitis sepulchrum ex abbatialis ecclesiæ sanctuario in capellam Montis Carmeli transferendi.

XXXIV. Angelica I *de Thyard de Bissy*, antecedentis neptis, ei defunctæ subrogatur 22 Januarii 1725.

XXXV. Maria II Francisca *d'Achey* Angelicæ mortuæ a rege sufficitur 21 Aprilis 1728, et 31 Maii in possidendam abbatiam mittitur. Litteræ eidem datæ pontifi-

ciæ 18 Augusti. Adjutricem habuit neptim Henricam *de Crux d'Amas*.

XXXVI. Henrica *de Crux d'Amas* ab anno 1750. Abbatialem ecclesiam exstruxit. Cum vero manu liberrima nummos in hoc opus spargeret, ejus administrationem moniales culpaverunt, lisque inter abbatissam conventumque exorta est, quæ procacioribus causidicis amplam disserendi materiam dedit. Causa vero nondum a supremo judice cognita, Henrica obiit anno 1767.

XXXVII. Philippa Leopolda *d'Andelot* anno 1767 abbatissa creatur.

XXXVIII. Angelica II Petrina *de Laubespin* eam anno 1773 excepit. Cui succedit:

XXXIX. Maria III Francisca *de Mouchet de Laubespin* anno 1787, anno 1790 superstes.

CASTRUM CARNONIS.

Castrum Carnonis olim, dein Castrum Caroli, et, idiomate gallico, *Château-Chalon* appellata abbatia, inter Ledonem Salinarium et Poliniacum, in summo vertice montis abrupti qui fervidum vinum generat, antiquissimam originem sibi vindicat. Eam quidem a Norberto, patricio viro, conditam asserit Fredericus imperator, eique domesticum necrologium, a Dunodio laudatum, assentire videtur. Cujus autem regis Norbertus coætaneus fuerit percontanti admodum ambigua res est; argumentis enim minime certis Dunodius eum sub tempora Clotarii II exstitisse contendit. Æqualis potius fuit Clotarii III, vel Childerici II, si verum est, ut memorant, ecclesiam Carnonis Castri a S. Leodegario, Augustodunensi episcopo, consecratam fuisse. Carolus dein Magnus ibi castellum erexit. Unde nomen ejus abbatia, quam protegendam curaverat, suscepit. Inter vetustiora instrumenta primum
Ch. III, col. 4. Lotharii regis diploma, anno 869, de Carnonis Castri monasterio, in pago Scodingorum, fidem facit : quod scilicet Vesuntionensi ecclesiæ rex dono dat.

An monachos vel moniales antiquitus exceperit æque dubium. Moniales tamen Benedictinæ in ea domo postea reperiuntur. Verisimile est, non vero satis comprobatum, eas vitam communem primum egisse : paulantim vero gliscente morum corruptela, institutæ præbendæ, et unicuique sororum privata res assignata. Is quoque labentibus annis mos invaluit, ut nobiles tantum virgines eo intromitterentur.

Castri Carnonis possessiones recensuerunt Adrianus IV, Lucius III, Gregorius IX, Innocentius IV; easdem confirmavit Fredericus imperator 19 Septembris 1165 : cujus e solemnibus litteris comperimus puellarem hanc domum multos et opulentissimos fundos tunc possedisse. Postea, ineunte tertio
A decimo sæculo, nonnulla damna passa est, quo scilicet tempore Stephanus comes cum Othone, Meraniæ duce, acerrimum bellum administrabat. Cabilonenses vero comites illatum ejus rei detrimentum resarcire studuerunt, novis eam opibus, novis juribus augentes. Sub annum 1657, Gallorum, Lotharingorum Germanorumque hostiles turmæ Castri Carnonis agros, villas, vicissim occupant, ipsamque abbatiam flammis tradunt. Ea desæviente procella, virgines fugam arripiunt, quibus non ante annum 1660 desolatam domum regredi licitum est. Anno
B tamen 1663, nondum prorsus instauratis ædibus, novemdecim numero eo redierant, decem scilicet professæ, et novem novitiæ.

Index chartularum ad abbatiam hanc spectantium, anno 1762 descriptus, inter schedas Drozianas reperitur, t. XI.

Veteres quædam Castri Carnonis abbatissæ e domestico necrologio nobis tantum innotuere: quod cum nullam temporum notam præbeat, incompertum habere profitemur quos sub annos vixerint Umbergis, Agnes, Anna, Sibilla, Beatrix, Pernella, Imbergis, quarum prædictum necrologium me-
C minit. Quas ordine suo collocare licuit, hæ sunt :

Abbatissæ.

I. Berlaida, anno 1031, Hugoni I archiepiscopo fidem promisit; ex Epistola domni *Pitra, Archiv. des Missions,* t. IV. p. 106.

II. Aldwida, anno 1032, ab eodem archiepiscopo consecratur; ibid.

III. Halaida, vel Adelais, anno incerto, sed decurrente undecimo sæculo; ibid.

IV. Petronilla I, 20 Aprilis 1154, ab Ana-
D stasio IV abbatiæ possessiones confirmatas impetravit. Ea, 19 Septembris 1165, reperitur in litteris Frederici imperatoris protegendam abbatiam suscipientis. Eadem, anno incerto, Arembургem, Aimonis Guntelli matrem, in suum consortium recipit; e Baluz. schedis, arm. 5, fasc. 3, n. 6.

V. Caprasia, Capraria, alias Coparica, de juribus abbatiæ suæ cum Stephano, Burgundiæ comite, coram Theobaldo, Balmensi abbate, anno, ut ferunt, 1208, paciscitur; ibid.

VI. Euphemia, anno 1228, cum Joanne
E Cabilonensi de illatis abbatiæ damnis transigit. Eadem domestica privilegia a Frederico II confirmata impetrat, Julio mense 1232; Hist. Dipl. Fred. II, t. IV, p. 370.

VII. Guillelma I, anno 1237, contra Joannem Cabilonensem litigans, qui juribus abbatiæ vim intulerat, sententiam obtinet, dissidii judice Stephano, Salinario archidiacono.

VIII. Joanna I *de Bourgogne* ante Margaritam a quibusdam collocatur.

XI. Margarita I *de Bourgogne*, Augusto mense 1263, sigillo suo litteras firmat Stephani *de Chamballens* quamdam vineam Joanni Cabilonensi vendentis; anno eodem, Septembri mense, idem sigillum apponit Joannis comitis diplomati pro filiis quos e comitissa Laura susceperat; Mon. Novi Castri, p. 127. Ipsa quoque Margarita colonis vicos *Noure, Saulçois* habitantibus immunitates concedit, mense Septembri 1275.

X. Matthæa *de Bourgogne* memoratur anno 1285, decimas *Rahon* percipiendas accipiens.

XI. Joanna II *de Clervaux* de nemore juxta *Bleterans* mense Maio 1303 cum Joanne Cabilonensi transegit.

XII. Alicia *de Rochefort quondam* abbatissa legitur, anno 1334, in regestis officialis Bisuntini.

XIII. Hugona *de Clervaux* Aliciæ successisse memoratur.

XIV. Guillelma II *de la Baume*, anno, ut ferunt, 1356.

XV. Isabella *d'Andelot*, a quibusdam Eleonora dicta, 1367.

XVI. Joanna III *de Dramelay*, apud Hugonem *Dutemps*, anno incerto.

XVII. Petronilla II *de Chevrières;* ex eodem.

XVIII. Catharina I *de Leugney;* ex eodem. De tribus ultimis abbatissis nihil certi ad nos pervenit. Catharina fortasse post Margaritam sequentem, quam scilicet Hugo *Dutemps* prætermisit, collocanda est.

XIX. Margarita II *de Loges* reperitur anno 1384.

XX. Guillelma III *d'Andelot* eligitur 16 Martii 1396.

XXI. Catharina II *d'Andelot* Guillelmæ, suffragiis aditis, subrogatur 27 Novembris 1404. Eadem et Margarita de Vallegrinosa, abbatiæ priorissa, cum Quintino archiepiscopo de visitando monasterio transigunt, 20 Junii 1446; *Droz*, t. I, p. 93.

XXII. Joanna IV *de Vaudrey* recens electa visitationem archiepiscopalem primo detrectat, dein, reservatis juribus, subit, 27 Augusti 1449; ibid., p. 100.

XXIII. Ludovica *de Lurieux* obstare conatur, 12 Maii 1464, ne Bisuntinus archipræsul visitandam abbatiam adeat.

Mortua vero Ludovica, anno 1473, monialium suffragia in duas partes distrahi, simulque Henrica *de Quingey* et Catharina *de Sugny* abbatiale munus sibi certatim vindicare. Postquam res Romam delata est, æmulam vicit Catharina.

XXIV. Catharina III *de Sugny*, ab anno 1480. Ea S. Magdalenæ sacram capellam condidit.

XXV. Margarita III *de Sugny* ab anno 1488. Quorumdam vero e sententia Catharinæ *de Sugny* Margarita *de Servigney* successit et Margaritæ *de Servigney* Margarita *de Sugny*.

XXVI. Maria I *de Rye* decessit 5 Septembris 1503; ex ejus epitaphio, inter schedas *de Gaignières*, t. 247. In eodem tumulo sepultæ fuerunt Maria, Henrica Catharinaque proxime sequentes.

XXVII. Henrica *de Quingey*, ab anno 1503, quæ resarciendis abbatiæ rebus opportunam curam adhibuit. Obiit 21 Julii 1508; ex ejus epitaphio.

XXVIII. Catharina V *de Rye*, obiit 21 Martii 1518; ex ejus epitaphio.

XXIX. Maria II *de Rye*, anno 1555.

XXX. Catharina VI *de Rye* 29 Martii 1558 reperitur, cum Claudio *de La Baume* de nominatione quatuor capellanorum componens. Eadem, 2 Septembris 1582, capellam S. Dionysio sacram in abbatiali ecclesia instituit. Catharina postulante, adjutricem ei papa dedit Guillelmam *de Lurieux*, 1 Januarii 1583, quam rex 15 Junii probavit, quamque officialis Bisuntinus eo munere insignitam renuntiavit 23 Maii 1585. Dein vero, post Catharinæ decessum,

XXXI. Guillelma IV *de Lurieux* abbatissa fit ex auctoritate senatus Dolensis, 26 Martii 1590.

XXXII. Claudia I *de Fouchier de Savoyeux*, ex ejusdem domus moniali ad abbatiale munus ab Hispanorum rege vocatur 29 Novembris 1592, a Clemente papa VIII instituenda 30 Martii 1593, et a monialibus postulanda 18 Septembris. Obiit 4 Novembris 1611.

XXXIII. Catharina VII *de Rye*, Claudia defuncta, ab archiducibus nominatur 30 Martii 1612, et in redituum abbatialium possessionem a senatu Dolensi mittitur 14 Maii. Ad eam delatæ Pauli papæ V bullæ diem 14 Augusti 1613 exhibent. Anno quoque 1646 Catharina reperitur.

XXXIV. Claudia II *de Fouchier de Savoyeux* litteris regiis donatur 4 Decembris 1651; apostolicis vero, II id. Septembris 1652 : cui munus adire licuit 9 Februarii 1653. Obiit 17 Aprilis 1660 (1). Ejus administratio magnis laudibus extollitur.

XXXV. Alexandra Matthæa *de Reculoz*, post Claudiæ mortem, per summum Pontificem abbatissa fit XI cal. Aprilis 1661. Cui, 2 Maii 1667, adjutrix data est Maria Angelica *de Watteville*.

(1) Philippa *de Fouchier*, Claudiæ soror, Castri Carnonis ipsa monialis, ejus in honorem sepulcrum erexit, quod his versibus decoravit :

Après une illustre naissance,
Voisine des principautés,
Après une rare prudence
Qui n'eut pas de moindres beautés,
Après la perte constante
D'une âme toujours agissante,
La grande abbesse est au cercueil,
Et le temple de sacrifice,
Sans pouvoir réparer son deuil,
Y pleure sa réparatrice.

XXXVI. Maria III Angelica *de Watteville* ex adjutrice abbatissa deinde fuit; post cujus mortem supellectilis quæ ad eam privatim pertinuerat recensio facta est 9 Junii 1701.

XXXVII. Anna I Maria Deicola *de Watteville-Conflans* in abbatiam regendam litteris regiis accitur 15 Augusti 1700. Adjutrix ei datur neptis ejus Anna Maria *de Watteville,* 9 Julii 1718. Obiit anno 1733.

XXXVIII. Anna II Maria Deicola *de Watteville*, antecedentis, ut diximus, neptis, obiit 27 Maii 1742.

XXXIX. Francisca Elisabetha *de Watteville* a rege nominatur 9 Julii 1742, a domino papa mox instituenda, nempe VIII id. Augusti. Curam habuit ut domesticarum chartularum index a regio notario describeretur : qui munus hoc exegerat 18 Maii 1762.

XL. Maria III Anna *de Watteville* ab anno 1775.

XLI. Carola Anna Sophia Desiderata *de Stain,* antecedentis neptis, usque ad annum 1790.

S. PAULUS.

Ecclesia S. Pauli, infra Bisuntinæ civitatis mœnia olim sita, diversam diversis temporibus usque ad exitum ultimi sæculi fortunam experta est. Quippe quæ demum sæcularibus canonicis addicta sedes fuit, monachos olim exceperat, diuque regularem, ut aiunt, vitam viventes aluerat. Abbatiam S. Pauli S. Donati temporibus conditam memorat Hugonis I percelebre diploma. Exordium igitur decurrente sæculo septimo sumpsit. Expressioribus etiam verbis Jonas, Bobiensis monachus, S. Donati coævus, S. Pauli fundationem ipsi Donato adscribit. Hæc enim Jonas : « Qui (Donatus) post, pro « amore B. Columbani, ex ipsius regula mo« nasterium virorum construxit, quod Pa« latium nuncupant ob veterum monimenta « murorum. » Nec improbanda videtur Francisci *Dunod de Charnage* conjectura, qui scilicet in eo loco, Palatiove, Romanorum præfectorum domum exstitisse asseruit. Nonnihil dubitationis habet quam vivendi normam S. Pauli priores incolæ secuti sint. Benedictinis illos quidam monachis annumeravere. Alii vero, Jona teste, eosdem S. Columbani regulæ adhæsisse referunt. Nulla etenim ea tempestate et in eo terrarum tractu clarior S. Columbano cœnobiorum institutor. Præponendum tamen scriptoris anonymi testimonium, eos qui regulæ ex institutis S. Columbani et S. Benedicti concinnatæ paruisse memorat. Exstat enim ipsius Donati Commonitorium ad fratres S. Pauli et S. Stephani, 77 capitibus constans, quorum 43 e regula S. Benedicti decerpta

A comprobantur. Commonitorium hoc edidit Holstenius, Cod. Regul., t. I, p. 139. Ut ut ea res se habuit, magnum quondam fuit ecclesiæ S. Paulo sacræ decus, in qua non tantum Donatus et alii quamplures Bisuntinæ ecclesiæ pastores, sed etiam Waldelenus dux, Donati pater, sepulti sunt. Deinde vero ingruentibus Sarracenis Hunnisque, non una clades monachorum rei allata, et ad id inopiæ redacta domus ut paucissimis hospitibus victum difficillime suppeditaret. His quoque excidiis dissipata quælibet de veteribus S. Pauli abbatibus fidem posteris factura B monumenta, adeo ut duorum tantum nomina ad nos pervenerint; Frodonis scilicet, qui, 6 Novembris 1041, in Bisuntina synodo, testis fuit Hugonis archiepiscopi ecclesiæ S. Desiderio sacræ jura firmantis, et Alberici, eidem Hugoni æqualis; quo scilicet terrenis curis exempto, Radulfus, Burgundionum rex, abbatiam monachis propemodum vacuam ecclesiæ Bisuntinæ possessionibus adjunxit. Qui vero Bisuntinam cathedram tunc occupabat Hugo I, cum eo temporis collegiatam quamdam ecclesiam ædificare, eamque B. Mariæ nomine nuncupare stude- C ret, sibimet a Radulfo rege opportunissime collatas ædes ad excipiendos canonicos protinus accommodavit. Jam e prælo prodierunt Hugonis litteræ, anno datæ 1044, 26 Martii, quibus in ecclesia S. Mariæ, S. Paulo necnon S. Antidio, *in eadem*, ut ait, *requiescenti,* consecrata, insignem sæcularium canonicorum societatem sub decani regimine constituit, eamque prædiis, privilegiis, quin imo vectigalibus in episcopali civitate percipiendis, adornat. Utque suos abbates eligendi monachis plena, scilicet liberrima, facultas olim concessa fuerat, non aliter Hugo de- D crevit ut suum canonici decanum, suffragiis editis, eligerent, qui communi mensæ præesset. Nec multo post, anno 1045, Henricus III, imperator, Hugonis decretum solemnibus litteris sancivit. Dein XVI cal. Decembris 1049, Leo papa IX rerum mutatio- Ch. x, nem in ædibus S. Pauli peractam pro sua col. 12. auctoritate communivit. Mutationis ejusdem alia profertur Henrici IV confirmatio, anno data 1067. Post Leonem Alexander papa II anno 1068, Paschalis II anno 1108, et Calixtus II annis 1120, 1122, S. Paulum protegendum suscepere. Anni vero non multi a E Calixti decessu transierant, cum quidam ex ipsis canonicis de fratrum suorum moribus et de ipsa quam Hugo I præceperat vivendi norma palam conqueri, utque ager novaretur, quo meliores fructus ederet, magis magisque in dies deposcere cœperunt. Canonicos enim S. Pauli sæculares supra diximus communi mensæ accumbere consuetos; quisque vero ex illis, etsi conventualium bonorum particeps, propria tamen retinuerat, quorum scilicet secundum legem civilem hære-

ditas ei obtigerat. Hunc imprimis morem novarum rerum studiosi vituperare, et, duce quodam Garlando, quem Spiritus Sancti internuncium jactitabant, asperiorem S. Augustini regulam appetere. Exinde non parva inter fratres vivendi genere dispares discordia, quorum hi sæcularibus institutis firmius adhærebant, illi pro suo arbitrio regulares evaserant. Adeo turbatas res aliquanto post Ansericus archipræsul composuit, qui, 4 Maii, anni, ut asserunt, 1131, Ch. xxiii, col. 26. regularibus favens, metropolitano decreto statuit quo modo in prioratum Augustinianum S. Paulus, abrogatis veterum legibus, converteretur. Ab illo tempore summa rerum administratio penes priores fuit. Quæcumque Ansericus decreverat probavit Innocentius papa II, nonis Februarii 1132; qui postea, xii cal. Maii 1139, iteratis litteris, non eadem tantum, sed etiam omnes domus possessiones stabilivit. Similes proferuntur confirmationes, Eugenii papæ III, xiii cal. Junii 1148; Alexandri III, vii cal. Maii 1177. Alia eisdem S. Pauli canonicis concessa a Clemente papa III privilegia, Ch. lvi, col. 54. v id. Julii 1188, necnon a Cœlestino papa III anno 1193. Spectantem ad eos jurisdictionem expressis verbis determinavit Fredericus I anno 1153. Eadem sancivit Henricus VI imperator anno 1190, et, vi id. Julii 1196, amplioribus litteris pro imperiali auctoritate cuncta S. Pauli jura recognovit. Prioratus quidem nomine ecclesia S. Pauli jamdudum adeo creverat, ut Bisuntinarum abbatiarum eam nulla dignitate antecelleret. Quare apostolicis litteris ea potestas Guillelmo II archipræsuli concessa est, ut prioratum abbatiam efficeret prioremque abbatis titulo insigniret. Id peregit Guillelmus iv cal. Novembris 1250. Dunodius hanc abbatis institutionem anno 1253 perperam adscribit, et eidem anno rei gestæ confirma- Ch. xciii, col. 85. tionem ab Innocentio IV, quæ revera concessa est v cal. Junii 1254. Omnes ab illo tempore S. Pauli abbates per canonicam electionem ad hunc gradum sublimati sunt, usque ad Carolum de Novo Castro, commendatariorum abbatum primum, anno 1466.

Canonici S. Pauli summo semper honore habiti, et amplissimis privilegiis ornati. Eos qui instituerat archiepiscopus Vesuntionensis ceteris ecclesiæ suæ regularibus ascetis, tum canonicis, tum monachis, semper prætulit. Abbas S. Pauli primus inter abbates in solemnibus supplicantium agminibus incedebat : in ipsis comitiis provinciæ generalibus, primum post præsidem locum obtinebat; qui scilicet anno 1654 ei judicio assignatus est, contestante licet Luxovii abbate. Quin imo quoties, vacante Bisuntina metropoli, erat archiepiscopi electio facienda, in ea electione S. Pauli canonici tria suffragia edebant, unum scilicet abbas, unum claustralis prior, unum denique deputatus a fratribus canonicus. Nec sane prætereundum eos, quibus in eligendo metropolita tantum juris, a metropolitana jurisdictione prorsus immunes exstitisse; quam eis exemptionem Leo IX, Alexander II, Gregorius VII aliique summi Pontifices, peculiaribus litteris iterum iterumque firmatam concessere. Ut erat S. Pauli abbatia in Bisuntina diœcesi veluti caput ordinis, ab ea, præter amplissimos tam in urbe quam extra urbem census, præter jurisdictionem forensem in vico S. Pauli nomine insignito, præter opulenta prædia, prata, vineas, emporia, molendina, arces et castella, permulta etiam ecclesiastica beneficia dependebant. Duæ enim plusquam triginta Vesuntionensis diœcesis ecclesiæ sub patronatu S. Pauli positæ erat. Magna hujus abbatiæ diu fortuna fuit. Jam a pristina dignitate multum dejecta comperitur anno 1675, cum, 5 Decembris, Petrus ei *de Grammont* statuta imposuit, quæ in Francisci Alexandri *Bruant* schedis integra, in Historia Dunodii contracta, reperies. Anno enim 1663, non plus quam quinque canonici, præter priorem unumque novitium, vastas ædes incolebant. In eisdem, anno 1765, quatuor tantum superstites. Tunc decretum est ut in sæcularem domum S. Paulus desineret, metropolitano capitulo uniendam. Ea peracta est unio anno 1769.

Franciscus Alexander *Bruant*, cujus supra meminimus, canonicus erat S. Pauli, qui 31 Januarii 1712 decessit, ætatis anno 74. Hic Historiam S. Pauli conscripsit inter Drozianas schedas asservatam, t. VII. Eamdem præbet volumen Max. Paris. Bibl., his notis signatum P. *B. F.* 89. Nec pauca ad abbatiam eamdem spectantia commemoravit Franciscus Petrus, Wettenhusanus canonicus, in opere cui titulus : Germania Canonico-Augustiniana, inter Collect. Scriptor. Michaelis Knenii, t. I.

Decani.

I. Wichardus, seu Guichardus, primus inter decanos memoratur qui S. Paulo non tantum præfuere, ut ait Hugo archipræsul, sed profuere. Occurrit primum xvi cal. Decembris 1049, in litteris Leonis IX. Anno Ch. x, col. 12. dein, ut videtur, 1067, Spiram se recepit, litterasque ab Henrico imperatore obtinuit, quibus rata S. Pauli privilegia. Eadem, ad Wicardum scribens, Alexander papa II stabilivit, idib. Aprilis 1068. Wichardum quoque S. Pauli chartulæ referunt a Frederico, Gebennensi episcopo, villam Fraxinellum accepisse, et a Guidone, Ambroniaceno abbate, prædium in villa *Roches* situm emisse; quem nos Guidonem non alium conjicimus ac Dudonem de quo inter Ambroniaci ab-

bates supra mentio facta est, t. IV, col. 272. Pepigit insuper Wichardus cum Adela, Palmensi abbatissa, ut si quidam servi dominium S. Pauli incolentes ancillis Palmensibus connubii vinculo conjungerentur, exinde nata soboles in utriusque abbatiæ fructu, æqua partitione facta, haberetur. Acerbissima inter eum et Hugonem archipræsulem, sub annum circiter 1075, dissidia exarsere, silva quadam ad dominium S. Pauli pertinente a nonnullis archiepiscopi famulis vastata, ipsisque S. Pauli colonis, dum irruentem prædonum turmam propulsare conarentur, acerbissima passis vulnera. Vicit causa Wichardi, et, apostolici legati sententia, præsul, ut diximus, suspensus est. Obiit Wichardus x cal. Novembris; e S. Pauli necrologio.

II. Gerardus *de Traves*, ex inclyta domo oriundus, subscripsit litteris Guillelmi comitis in gratiam S. Stephani. Quæ licet notis chronicis careant, anno 1084 non falsa fortassis conjectura adscribuntur, cum nomen insimul Hugonis exhibeant, nondum Bisuntinis infulis donati. Nihil aliud de Gerardo e tabulis S. Pauli depromitur. Anno
Ch. xII, col. 15. vero 1092, testis reperitur in instrumento de fundatione S. Vincentii, et sub idem tempus, una cum Maynerio, decano S. Joannis, aliis litteris Hugonis III subscripsit.

III. Odo post Gerardum reperitur. Quo præsidente, Hugo III, archipræsul, canonicis altare Rosarii pactis conditionibus contulit. Eam Paschalis papa II donationem aliasque S. Pauli possessiones, Odoni scribens, confirmavit, VIII id. Maii 1108.

IV. Aymo litteras a Calixto papa II accepit, quibus, XIV cal. Aprilis 1122, apostolico decreto S. Pauli possessiones stabilitæ. Idem Girardo presbytero capellaniam ecclesiæ *Nasey* contulit. Obitus ejus in domestico necrologio memoratur IV non. Novembris.

Aymone decanatum occupante, regula S. Augustini in ecclesiam S. Pauli invecta est, et tunc, prout in Augustinianis prioratibus fieri solebat, suprema conventus administratio a decanis ad priores transiit. Memoratur tamen Aymo etiam tum decanus, anno 1133, in litteris Anserici archipræsulis Pugiacenam ecclesiam S. Paulo restituentis. Sed tunc temporis quibusdam tantum e canonicorum S. Pauli cœtu eo nomine præerat; qui scilicet ab arctioris vitæ instituto abhorrescentes, regulam Augustinianam amplecti noluerant, quibusque pristinum vitæ genus sequi, sub Aymonis regimine, per ipsum archiepiscopum licitum fuerat.

PRIORES.

I. Garlandus prior occurrit, IV non. Maii, anno circiter 1131, in litteris Anserici regulares canonicos in ecclesia S. Pauli instituentis. Reformandæ siquidem domus Garlandus suasor fuerat: postquam igitur res ex ejus sententia successerat, reformatis canonicis præfectus est. Ad eumdem scripsit Innocentius papa II, nonis Februarii 1132, quæcumque prædictus Ansericus decreverat sanciens. Garlando postea, anno 1133, Pugiacenam ecclesiam Ansericus restituit, et, anno 1134, alia plura jura concessit. Quidam jam conjecere hunc priorem S. Pauli Bisuntini Garlandum, inter duodecimi sæculi scriptores non incelebrem fuisse, qui, præter *Candelam studii salutaris*, anno 1527 typis vulgatam, *Computum* insuper, *Tractatum de Musica et Organis*, necnon *Regulas logicæ disciplinæ*, inedita hactenus opera, condidit. Consule Hist. Gall. Litter., t. XII. Auctor siquidem *Candelæ studii salutaris* Chrysopolitanus vocatur in Victorino codice quem servat Max. Parisior. Biblioth., num. 722. Unde compertum habemus ad eumdem scriptam fuisse Hugonis Metelli epistolam 33, in qua Garlando, *scientia trivii quadriviique onerato et honorato*, sententiam exprobrat de sacramento corporis sanguinisque Berangarianæ hæresi consonam. Abdicata dudum S. Pauli præfectura obiit Garlandus, anno 1149, in *Alaise* prioratu, juxta Sequanorum Salinas.

II. Wichardus, vel Guichardus, dictus Rusticus, ut legimus ad calcem litterarum quibus Humbertus archipræsul Bellævallensium possessiones confirmat, inter *Droz* schedas, t. IX, p. 250, occurrit, anno 1136, subscribens litteris ejusdem Humberti pro abbatia Lucellensi, et, anno 1138, plura ab Humberto, inter quæ ecclesiam *Roches*, obtinens. Idem, anno 1139, ab Innocentio II domus suæ privilegia quæcumque rata impetravit, idemque circa tempus testis fuit Richardi de Monte Falconis Cyriacum Bellævalli condonantis. Bellævallensis ecclesia anno circiter 1142 consecratur. Cui consecrationi Guichardus interfuit audivitque Bernardum de Roseriis quæcumque ad eum Cyriaci pertinebant eidem ecclesiæ tribuentem. Eumdem deinde reperimus, anno 1143, sed discordantibus inter se aliis notis, nempe epacta XII, ind. V, in litteris quibus Humbertus archipræsul canonicis S. Stephani potestatem facit decimas quas Villetæ possidebant percipiendi. Anno dein 1145, ejusdem Humberti chartam obsignat, canonicorum S. Pauli Alasiam incolentium jura recognoscentis, eodemque anno ejusdem diplomati subscribit de quarumdam rerum inter Bellævallis et S. Vincentii monachos permutatione. Anno tandem 1147, v non. Maii, nomen ejus præbent Humberti litteræ Gratiæ Dei fundationem enarrantes. Guichardi S. Pauli necrologium XIII cal. Septembris meminit.

(Marginal notes: Ch. XXIII, col. 26. — Ch. XXVI, col. 29. — Ch. XXX, col. 33. — Ch. XXXV, col. 37.)

III. Petrus memoratur anno 1143, Frederici imperantis primo, indict. 1, Fredericum Balmæ degentem adiens, et ab eo privilegia suæ domus stabilita impetrans. Annus autem tam Frederici imperantis quam indictionis primus, ceteraque in eadem schedula relata, in annum 1153 conveniunt. Errorem igitur eorum castiga qui Petrum, ad fidem præmemorati diplomatis, ab anno 1143 S. Paulo præfuisse asseruerunt. Jam tamen anno 1148 Guichardo successerat. Sub hunc enim annum, XIII cal. Julii, ad Petrum Eugenius papa III litteras misit, quibus S. Paulo constantem sedis apostolicæ tutelam despondit. Eodem quoque anno,
C. XXXVII, col. 38. VIII id. Julii, Petrus Humberti instrumento S. Gorgonium Monti Benedicti tradentis subscripsit. Huic etiam, anno 1161, Humbertus archipræsul ecclesiam *Adelanges* iteratis litteris confirmavit. Memoratur dein, V non. Maii 1162, testis Reginaldi, clerici, in Montem Benedicti benefici; *Droz,* Comment. de Pont., p. 214. E necrologio: *V cal. Julii obiit Petrus, prior hujus ecclesiæ, hic sepultus.*

IV. Valanus e domestico necrologio innotescit. Eum, suadente Dunodio, post Petrum et ante Hieremiam ponimus. Ab aliis ante Petrum recensetur; sed perperam: Petro enim S. Pauli tunc præsidatum occupante, ante scilicet annum 1162, Valanus *sacerdos et canonicus S.' Pauli* legitur in charta de rebus a Reginaldo, clerico, Monti Benedicti traditis.

V. Hieremias clarior est. Ad eum enim VII cal. Maii 1177, Alexander III litteras misit, prioratum S. Pauli protegendum suscipiens; *Droz,* t. VII, p. 77. Reperitur idem, III id. Januarii 1179, secundum recentem calculum, testis Wichardi, Vincentiani archimandritæ, cum Bellævallensibus monachis componentis, et, eodem anno, Eberardi archipræsulis plura Bethaniæ a diversis data sancientis. Anno dein 1180, Hieremia præsente, Theodoricus archipræsul auctam a Richardo, clerico, Roseriarum rem approbavit, et, anno 1183, solemni judicio litem solvit inter Bellævallenses monachos et præpositum majoremque vici *Noroy.* Eo quoque anno Hieremias litteris Beatricis imperatricis pro Roseriarium conventu subscripsit. Occurrit denique, anno 1188, in Theodorici sæpe dicti diplomate de pluribus decimis ab Hugone *de Cicons* S. Paulo condonatis.

VI. Stephanus I Rocham mittitur ab Amedeo archipræsule, anno 1195, qui litem com-
Ch. LVIII, col. 55. ponat inter Bellævallenses monachos et Guidonem de Rocha. Idem, anno 1197, promittit se nullas res intra Vesuntionis muros sine archiepiscopi civiumque permissu em-
Ch. LX, col. 57. ptnrum; Orig. Comm. Bis., p. 170: quod sub tempus litteris San-Vincentiani abbatis

A de eadem re subscripsit. Anno tandem 1200, testis est S. Vincentio datorum a Guidone de *Vuillafans.*

VII. Albertus, eo anno 1200, reperitur in litteris Amedei archipræsulis pro Monte Benedicti. Anno dein 1209, litteras edit super media ecclesia S. Benigni de Pontarlo iisdem Montis Benedicti canonicis a capitulo S. Joannis collata; *Droz,* Comm. de Pont., p. 229.

VIII. Stephanus II *de Cicons,* Guillelmi filius, Pontium, Jacobi, fratris sui, filium, testatur Bellævallensibus monachis donum
B a matre irrogatum confirmavisse, anno 1215. Idem, anno 1217, transigit cum Guidone de *Franoy:* quo etiam anno secundum Mortuæ Aquæ colonos sententiam fert, prohibens ne comes Montis Biligardi, nominibus suis responsurus, eorum bona creditoribus suis tradat; Comm. et Doc. ad Seq. spect., t. III, p. 506. Stephanum deinde reperies annis 1227, 1229, in Bellævallensibus, San-Vincentianis, aliisve chartulis, quæ minimi sunt momenti. Anno 1230, Hugonem de *Cicons* cum Bella Valle transegisse renuntiat. Anno 1231, Bartholomæus de *Cicons* eum-
C dem testem eligit condonatorum ab ipso monachis S. Vincentii jurium. Mense Julio 1233, litteras Stephanus profert de rebus B. Mariæ Magdalenæ a Jacobo de Berna traditis; *Droz,* t. XV, p. 140. Anno eodem, mense Octobri, et, mense Martio 1234, secundum hodiernam computationem, Stephanum diversarum donationum testem B. Mariæ Magdalenæ tabularium pariter exhibet; ibid., p. 55, 124. Ex ejusdem litteris comperimus Stephanum de *Fondremant,* canonicum, eo anno erga B. Mariam Magdalenam beneficum exstitisse, ibid., p. 299, et, sub men-
D sem Octobrem, Amedeum de Monte Falconis cum Petro de *Arcées* de variis jurgiis composuisse; ibid., t. XXX, p. 3. Annis quoque 1235, 1236, 1237, 1238, Stephanum habemus San-Vincentianorum plura pacta sigillo suo firmantem. Anno 1245, litteras obsignat quibus inter Montis Falconis et Rochæ toparchas pax inita; ibid., p. 7. E dictis satis apparet Stephani tam in ecclesia quam extra ecclesiam magnam auctoritatem fuisse, quem tot contentionum judicem, tot pactorum testem clerici laicique appellaverunt. Tuendis quoque domus suæ privile-
E giis impiger invigilavit. Inter ea quæ canonicis S. Pauli privilegia summorum Pontificum favor concesserat, præcipuum erat quod non tantum intra conventualia tecta, sed etiam in vico S. Pauli nomine nuncupato, jurisdictionem integram exercebant. Accidit autem ut Guillelmi archipræsulis officiales Hugonem quemdam *d'Alve* in supra memorato vico comprehenderent: protinus ea de re Stephanus questus est, et a Guillelmo, jura S. Pauli tandem agnoscente, ut reus

ipsi traderetur obtinuit, incipiente Jejunio 1247, secundum recentem usum. Anno dein 1248, Stephanus dona Bellæ Valli a Pontio de *Cicons* supra memorato facta laudat; *Droz*, t. X, p. 179. Mense denique Junio 1250, litteras profert de Guillelmo de *Roulans* clientem quemdam suum, Bisuntinum nomine, Petro de Palma, Montis Falconis castellano, tradente; ibid., t. XXX, p. 22.

Deinde vero, prioratu in abbatiam converso, Stephanus e priore abbas fit, ex auctoritate Guillelmi archipræsulis, IV cal. Novembris 1250.

Abbates.

I. Stephanus *de Cicons* abbatem jam se ferens occurrit mense Decembri 1250, in litteris quas edit de Laurentio *Crohet* vineam quamdam Bellævallensibus monachis vendente. Anno dein 1251, litteras obsignat Joannis de *Vercées*, Amedeo de Monte Falconis obsequium promittentis; *Droz*, t. XXX, p. 24. Sequente, e San-Vincentianis chartulis, testis est Hermengetæ tres denarios quotannis persolvendos S. Vincentio conferentis, et, mense Maio 1253, Guillelmi archiepiscopi decimas Giaci percipiendas numerato pretio comparantis: dein anno 1254, subscribit litteris Theobaldi de Rubeo Monte quidquid ibidem possidebat Guillelmo archipræsuli vendentis. Munere semet Stephanus abdicavit circa medium annum 1257. Id primo novimus e compromisso cum priore *Lanthenans* facto, die Veneris post Assumptionem B. Mariæ, cum prædictus prior suum esse assereret ut peragendæ electionis particeps esset: cujus compromissi tenore Stephanus *quondam abbas* litis arbiter dictus est. Memoratur præterea Stephanus *quondam abbas*, inter vivos tamen superstes, VI non. Octobris 1267, in chartula super quibusdam *Foucherans* colonis. Anno tamen 1257 ineunte, secundum recentem calculum, decurrente scilicet Februario mense, abbatiale munus etiam tum Stephanus exsequebatur; e litteris Bartholomæi *de Chalezeule*, quidquid in vinea quadam *Clametigney* sita possidere videbatur abbati Stephano dimittentis. Obiisse tandem creditur II non. Januarii 1269.

II. Otho *de Vennes* e canonico S. Pauli abbas creatur. Idem quoque *Lanthenans* prior, utrumque munus simul exercuit. Cum Guillelmo archipræsule transegit, VI non. Octobris 1257, de possessione quorumdam colonorum *Foucherans* degentium; laudavit, anno 1258, Reginaldi comitis litteras pro Luxoviensi monasterio, et sopitam litem renuntiavit inter Guillelmum archiepiscopum et Guillelmum civem Bisuntinum; dein, anno 1259, notam fecit Petri *Athalans* archiepiscopo Bisuntino subjectionem. Anno

A vero 1261 abbatiale pedum deposuit, obiturus VIII idus Februarii, anno incerto. Abbatis Othoni successuri facta est electio Sabbati die post Ascensionem Dom. 1261.

III. Reginaldus *d'Usies* Othoni subrogatus est, qui paucos per annos abbatiam administravit. Anno 1261, Veneris die post festum S. Remigii, in vico quem S. Albinum vocant, testis est cujusdam pacti inter hujus vici colonos et ejusdem toparcham; *Perreciot, Et. des Pers.*, t. III, p. 70. Eo præsidente perfecta sunt capitulum, refectorium et dormitorium, ab Othone inchoata. Obiit nonis B Julii.

IV. Joannes I *de Sauvigney* anno 1263 memoratur in chartula de cujusdam vineæ permutatione. Idem, anno 1264, testis est Hugonis *de Favergne* Hugoni, Burgundionum comiti, obsequium promittentis; *Perreciot, Etat des Pers.*, t. III, p. 76. Anno 1265, litteras Guillelmi archiepiscopi obsignat, de Joanne de *Verceaus* Amedeo de Monte Falconis fidem spondente; ibidem, p. 77. Quo etiam anno, VI non. Julii, coram eo Elisabetha, Theobaldi vice-comitis nata, plura Guillelmo supra memorato condonat.
C Eodem quoque præsente, VIII cal. Augusti 1266, Clementia de *Oiseler* earumdem rerum traditionem confirmat. Eodem etiam anno, Januario mense, cum Guidone, abbate S. Eugendi, de quibusdam prædiis transegerat. Dein Pentecostes die 1268, Joanne teste, Hugo, S. Vincentii abbas, Albericum Silviniacenum colonum, manumisit. Quo etiam anno, VI id. Maii, a Josepho *Malechars* plura mancipia pluraque prædia Joannes comparavit. Procuranda quælibet abbatiæ negotia deinde, anno 1273, duobus canonicis demandavit. Testis quoque fuit, die
D Martis ante Epiphaniam 1277, Isabellæ, Bisuntinæ *majorissæ*, domum quam habitabat agnoscentis archiepiscopalis feodi partem esse, et ipse paulo post, nempe IX cal. Februarii 1278, cum Burgundiæ comite de Gerardi cujusdam militis hæreditate pactus est. Anno 1280, pecuniam sibi debitam a B. Mariæ Magdalenæ capitulo semet accepisse profitetur; *Droz*, t. XV, p. 137. Annis dein 1282, 1286, ejusdem Montis Falconis chartularium meminit; ibid., t. XXX, p. 199, 224. Anno 1292, laudavit Joannes Henricum de Turre, canonicum, de paternis
E maternisque possessionibus cum fratribus paciscentem, et, partitione facta, nonnulla quibus in perpetuum frueretur retinentem. Unde *Bruant* atque *Dunod*, ex indubio quidem argumento, concordes colligunt ab Augustiniana regula jam canonicos S. Pauli defecisse, qui omnia in commune referre desiverant. Joannes postea testis est, III non. Julii 1295, Joannis de Cabilone obsequium archiepiscopo Bisuntino promittentis; mense Maio 1296, natarum Pontii *de Pointres* vi-

neam eidem archiepiscopo vendentium; idibus Octobris 1298, Odonis, Bisuntini archipræsulis, ecclesiæ cuidam Guillelmum *de Wyl* præficientis. Majoris sane momenti negotium fuit quod Joannes sub annum 1300 ad felicem exitum perduxit. Prior enim domus *Lanthenans*, quem Joannem de Rupe nuncupabant, Joannem quemdam alium, *Chatenois* priorem, necnon S. Pauli canonicum, comprehendi jusserat, carcerique suo mancipatum detinebat. Citatur *Lanthenans* prior, et S. Pauli archimandritæ semet subjectum esse confessus, nullumque in priorem *Chatenois* jus habere, veniam a Joanne *de Sauvigney* humiliter poscit. Dein, 16 Aprilis 1301, Joannem Guillelmus, Ebredunensis archiepiscopus, collectorem denuntiat nummorum pro ecclesia Romana percipiendorum. Anno denique 1304, xv cal. Februarii, plura priori *Rosey* ab Odino de S. Paulo data laudavit, eo anno decessurus, ix cal. Aprilis.

V. Hugo I *de Montbozon* postea e canonico S. Pauli abbas eligitur, quem xii cal. Januarii 1305 reperimus Henricum de Savigneio sui juris vicarium instituentem. Ad eumdem Hugo archipræsul litteras misit, anno 1308, vetans ne canonici absentes assignatos præsentibus reditus æque reciperent. Dissipata jamdudum nonnulla fuerant abbatiæ bona. Ideo Vitalis archiepiscopus, anno 1315, Hugoni scribens, abalienationes quascumque honorum, non consentientibus canonicis peractas, cassas fecit. In remotis agens dein Hugo *de Montbozon* memoratur iii nonas Februarii 1316; qua die Henricus de Savigneio, ejus procurator, Petrum *Karyto* probavit Joanni Michaelis quatuor solidos annui reditus vendentem; e schedis *Droz*, t. III, p. 718. Anno vero 1318, cum S. Vincentii abbate de patronatu ecclesiæ *Lariaus* ipse transegit. Quam ob causam, elapsis aliquot annis, abbatialis muneris curam in alium transtulerit incertum relinquitur: eo tamen annuente, imo postulante, 5 Novembris 1321, congregatum S. Pauli capitulum in palatio Bisuntini archiepiscopi, Joannem, Rosarii priorem, temporalium rerum administratorem et spiritualium adjutorem elegerunt; ibid., t. VII, p. 101. Abbatis nihilominus titulum Hugo retinuit, ut e chartulis annorum 1329, 1330, compertum habemus, decessurus ii id. Martii 1333.

VI. Henricus I *de Sauvigney*, alias *de Sauvagney*, e Lanthenansi priore Hugoni defuncto suffectus est a Joanne papa XXII, 29 Martii 1333; ad quem idem pontifex iterum scripsit, xviii cal. Junii, permittens ut a quo vellet consecrationis munus deposceret; e schedis Suaresii. Mox, 17 Julii, possessionem Henricus adiit. Ejus nomen nonnullæ, exigui vero momenti, chartulæ præbent, usque ad annum 1355, quo anniversarium suum instituit. Anno 1356, corporis languore quamvis impeditus ne mandatum id exsequeretur, a nuntio domini papæ commissarius subdelegatusve nuncupabatur, qui capitulum Bisuntinum, apostolicæ sedi immediate subjectum, visitaret. Obiit xii cal. Julii 1362, et sepultus est in capella B. Mariæ Virginis.

VII. Joannes II *de Marigny*, ex antiqua et illustri familia, anno 1362 electus e priore S. Symphoriani Æduensis, anno 1363 munus dimisit, et eum protinus abbatiæ S. Stephani Divionensis Urbanus papa præfecit.

VIII. Theobaldus *de Nant* ex abbate S. Stephani Divionensis abbas fit S. Pauli, consentiente Urbano papa, vii cal. Junii 1363. Is, interjectis aliquot annis, cum Stephano de Monte Avium aliisque Bisuntini tractus proceribus acerrime contendens, a dicto Stephano captus est, carcerique arctissimo mandatus. Ejus vero causam Aimo archipræsul amplexus, Stephanum ceterosque excommunicationis flagello percussit, xvi cal. Junii 1366. Restaurandam perficiendamque S. Pauli basilicam Theobaldus suscepit anno 1371, ut constat e pactione cum structore quodam facta. Quo etiam anno, 13 Novembris, in comitatu Guillelmi archiepiscopi, urbem solemniter ingredientis, reperitur, et, 17 ejusdem mensis, Richardum *de Montagney*, canonicum, ab archiepiscopo recens confirmato pro more præsentatum, excipit. Anno 1372, Bellicii congregata provincialis canonicorum regularium synodus Theobaldum elegit Basileensium conventuum visitatorem. Idem denique reperitur, 20 Maii 1375, de quibusdam reditibus cum Guillelmo archipræsule paciscens. Obiit, e domestico necrologio, xvi cal. Maii 1379.

IX. Hugo II *de Chatillon Guiotte*, filius Ferrici *de Chatillon* et Elisabethæ *de Molay*, prior antea *Lanthenans*, Theobaldo suffectus est; qui Romam procuratores misit, 27 Junii 1379, paulo post decessurus, nempe v non. Octobris 1380, aut 1381.

X. Joannes III de Valle Traversa, gallice *de Vautravers*, e priore S. Mauri Lausannensis S. Pauli clavo sedens occurrit anno 1381, in apocha. Idem memoratur anno 1383 in regestis officialis Bisuntini. Obiit ix cal. Augusti, anno incerto.

XI. Odo *de Sauvigney*, alias *de Sauvagney*, occurrit de quibusdam cum canonicis paciscens ultima die Februarii 1386, secundum recentem calculum. Per eumdem, 27 Octobris, Richardo *Courvoisier* matrimonium contrahenti uxori suæ dotem assignare licuit. Obiit nonis Maii 1387.

XII. Henricus II *de Falerans* e priore S. Mauri Lausannensis abbas ordinatur a Clemente papa VII, litteris Avenione editis ii cal. Junii 1387. Qui, 22 Novembris 1388, Arelatensi episcopo, domini papæ camera-

rio, tam pro se quam pro Hugone, Joanne et Odone, prædecessoribus suis, auri copiam apostolicæ cameræ numerandam tradidit. Composuit, anno 1390, cum Henrico *de Moffans,* utroque Stephanum *Chapuset,* villicum, suum veluti servum sibi vindicante. Solebant canonici Bisuntini, festo die S. Desiderati, in ecclesiam S. Pauli solemniter convenire, ibique, in refectorio scilicet conventuali, cœnare. Quod cum prandium deposcentes, ad mensam prædictam, anno 1404, accederent, eos foras Henricus *de Falerans* ire jussit, cunctosque conviciis, nonnullos verberibus impetivit. Quare, sententia Bisuntini archipræsulis, aliquandiu excommunicatus est. Obiit XIII cal. Maii 1406.

XIII. Joannes IV *Suhard,* alias *Soüart,* abbas e canonico S. Pauli, litteras a Theobaldo archipræsule obtinuit, 14 Februarii 1407, vel 1408, secundum recentem usum, quibus ei licuit nummos per totam provinciam colligere, quos in ædificandam abbatiæ novam ecclesiam impenderet. Permutavit, 27 Augusti 1409, cum Roberto, abbate S. Stephani Divionensis. Nihilominus tamen Vesuntione vitam postea finiit, qui scilicet in ecclesia S. Pauli tumulatus est.

XIV. Robertus *de Baubigny, de Baubigney, de Beligny,* aliquando dictus *de Courbeton,* decretorum doctor, ex abbate S. Stephani Divionensis S. Pauli præfecturam aggreditur et archiepiscopo Bisuntino obsequium promittit 30 Augusti 1409. Hic, anno 1412, Guillelmum *de Moncley,* armigerum, qui Jacobum *de Laynans,* Belli Fontis priorem, interfecerat, ad deposcendam patratæ cædis veniam compulit, atque ea de re cum eo, 1 Octobris, pactus est. Dein Robertus, 19 Februarii 1415, secundum hodiernum morem, cum in eo esset ut ad concilium Constantiense iter faceret, a Bisuntino capitulo canonicatum prædecessoribus suis ulla sine controversia ea tenus concessum, ipsi vero injuria denegatum, obnixe requirit obtinetque. Eidem, 18 Aprilis 1418, per Joannem, Burgundionum ducem, eum qui *intrepidum* vocare consueverat, castellum *Francy* ædificare licet. Anno 1420, apostolicam sedem per Hugonem de Rupibus, priorem S. Pauli claustralem, Robertus adiit. Anno 1422, in consilia Philippi ducis accitur, et ab eodem, anno 1423, ad colligendos nummos, dono gratuito concessos, deputatus comperitur. Theobaldi quoque archiepiscopi vicarius generalis nuncupatur, anno 1425, in instrumento quo Hugo *Geloux,* cantor S. Pauli, ratam obtinet S. Donati possessionem. Dein Robertus memoratur, 27 Junii 1427, Hugonem de Fonte Romano, consentientibus canonicis, præbenda donans. Qui decessit VI cal. Martii 1429, secundum Gregorianum calculum.

XV. Simon I *de Clerval* ex abbate Goliæ

A abbas S. Pauli a Martino papa V instituitur, VII id. Maii 1429. Interfuit Simon, 10 Junii 1435, compositioni inter archiepiscopum Bisuntinum urbisque cives de juribus diu controversis initæ, et ipse pro sua parte transegit; *Droz,* t. XXV, p. 644. Eo S. Paulum administrante, a prioribus institutis nonnulli canonici deficere, adeo ut qui antea sub eodem tecto degebant, peculiares privatasque domus tunc temporis, ex abbatis auctoritate, sibi vindicarent. Unde magna inter canonicos dissidia, his liberiorem vitam consectantibus, illis antiquatam de-
B siderantibus disciplinam. Simon, *Bruant* teste, novos mores inducere conantibus adhæsit, ideoque ceteros sibimet adversantes expertus est. Quare eum procellosæ præfecturæ fastidium subiit, et eam, anno 1439, cum sequente permutavit.

XVI. Simon II *de Domprel,* prior *Lanthenans* ab anno 1429, abbas postea Montis Benedicti, S. Pauli regimen permutatione facta aggreditur Augusto mense 1439. Memoratur in schedulis annorum 1440, 1441, 1444, 1445. Anno 1448, die Dominica ante festum S. Martini, S. Pauli capitulum, Si-
C mone præsidente, statuit ut domestica diplomata colligerentur et describerentur singulatim. Anno 1455, Joannes Bassandus, qui prior erat Bellifontis, angustiis domus suæ coactus consulere, cunctos ejus fundos in sexennium elocavit: fructus autem hujus elocationis inter creditores et S. Pauli Simonem Domnopratanum abbatem divisi sunt; Erycius Puteanus, Div. Virg. Bellifont., p. 23. Interfuit Simon, 31 Decembris 1462, postulationi Caroli archiepiscopi, ejusque comes fuit urbem ingredientis, 10 Julii 1463. Anno dein 1465,
D 1 Decembris, cum Guillelmo *Armenier, Lanthenans* priore, pactus est. Munere denique semet abdicavit, decessurus nonis Junii 1467.

XVII. Carolus I *de Neufchatel,* electus jam Bisuntinus, Simone abdicante regimen S. Pauli suscipit. Ad eum pontificiæ missæ litteræ XV cal. Aprilis 1466. Commendatariorum Carolus primus fuit, qui, 4 Maii 1467, domus possessionem per Joannem Bassandum procuratorem, adiit. Potentes quidam viri in prædia S. Pauli manus injecerant, easque recuperare studentem Ca-
E rolum spreverant. Rem autem Carolus summo Pontifici notam fecit, isque, 9 Maii 1478, Balmensem abbatem et Dolensem decanum judices custodesque jurium ad abbatem S. Pauli pertinentium designavit. Reperitur Carolus 13 Aprilis 1496, secundum recentem calculum, in cujusdam canonici scripto, quo plurium altarium in ecclesia S. Pauli consecratio enarrantur. Obiit XIII cal. Augusti 1498.

Appropinquante morte, Carolus in gra-

tiam Joannis *Courtois*, unius e domesticis suis, abbatiæ præsidatum dimiserat. Canonici vero, 26 Augusti congregati, procuratores elegerunt quibus abbatiæ vacantis administrationem demandaverunt; nec multo post iidem canonici Guillelmo *de Maugerez*, alias *Maugerot*, vel *Mougères*, pedum abbatiale tradidere. Guillelmi quidem adlectionem probavit Hispanorum rex, Januario mense 1499, et ad canonicos S. Pauli rursus eodem anno scribens, 17 Augusti, expressis verbis vetuit ne Joanni *Courtois* parerent. Summo tamen Pontifice litteras ad Guillelmum mittendas diu differente, is munus deposuit in gratiam Petri *Rolin*, archidiaconi Æduensis, et paulo post, 29 Decembris 1501, decessit. Possessionem abbatiæ Petrus *Rolin* 4 Decembris 1500 accipit, et proinde munus exsequens reperitur anno 1501. Eum scilicet tuens Maximilianus imperator, Bisuntinæ civitatis rectoribus, 7 Novembris 1500, mandaverat, ut ei contra quascumque ecclesiasticas censuras præsidio essent. Interea Joannes *Courtois*, bullis apostolicis donatus, abbatiæ januam ictu crebro frustra pulsabat, prohibente rege quin intus exciperetur. Qui tamen pessimi tumultus concitator permanebat; non enim, dum bullas possideret, alium quempiam Romana sedes instituere poterat. Constantia tandem regis victus, inanes bullas inter Alexandri papæ VI manus deposuit, isque, mortuo aut annuente præmemorato Petro, Joannem de Palude monasterio S. Pauli protinus præfecit. Hic vero munus oblatum recusavit. Nec tam diuturnis dissidiis finis impositus ante annum 1503, quo Petrum, Salinarium archidiaconum, Alexander munus adire jussit.

XVIII. Petrus I *de Rosières*, archidiaconus jam, ut supra diximus, Salinarius, abbatiam ingreditur, debitum canonicis morem præbentibus, anno 1503. Sed ipse mox, cessione peracta, abbatiam deseruit.

XIX. Joannes V *de La Palud*, quem Seniorem vocant, abbas jam Luxovii, litteras iterum obtinet pontificias x cal. Decembris 1504. Qui, sententia mutata, detrectatum antea summi Pontificis donum tunc temporis excipiens, munus per procuratorem adiit 25 Januarii 1505. Occurrit, 9 Januarii 1527, de variis jurgiis cum rectoribus civitatis paciscens.

Eo postea cedente, anno 1527, commendam summus Pontifex in Petrum *Bouillier*, Bisuntinæ diœcesis clericum, transtulit. Vix autem acceptis bullis, is nequidem aditam præfecturam ejuravit. Quare Clemens papa VII ea Joannem alterum de Palude, antecedentis, ut videtur, e fratre nepotem, donavit.

XX. Joannes VI *de La Palud*, Junior, patria Burgundio, litteras apostolicas accipit VII id. Martii 1529. Idem et prior *Lanthenans*. Cui a Carolo rege V, 5 Martii 1530, concessum jus abbatiali gubernaculo assidendi. Possessionem adiit 23 Junii, procuratore utens Joanne *de La Palud*, seniore.

Munus dimisit Joannes, cum reservatione, ut aiebant, fructuum et regressus, in gratiam Joannis *Lallemand*, canonici Bisuntini, 22 Martii 1544. Anno vero sequente, sententia mutata, iisdem tamen conditionibus, in favorem Antonii *de Gorrevod* abbatialem titulum exuit. Unde novis litibus nova materia. Joannes quidem *Lallemand*, bullis apostolicis donatus, præfecturam sibi collatam conquirit. Antonio, Joannis, comitis *de Gorrevod*, filio, Carolus rex pro viribus patrocinatur. At vero duodecim vix annos natus obeundo muneri Antonius impar erat. Quare administranda abbatia Joanni *Perrot*, canonico Bisuntino, donec Antonius annis maturior esset, a rege committitur 6 Augusti 1545. Nec multo post, nempe XI cal. Novembris, ipsius papæ litteræ Joannem eumdem *Perrot* administratorem instituunt. Utraque igitur parte contraria diplomata exhibente, lis in judicium deducitur. Non a tantis contentionibus cessatum ante 22 Januarii 1549, qua die, Nicolai *Perrenot de Granvelle*, Cæsareæ majestatis vice-cancellarii, sententia, statutum est ut Antonius abbatiam S. Pauli obtineret, ejus fructibus Joanni *de La Palud*, quandiu viveret, reservatis.

XXI. Antonius *de Gorrevod*, baro S. Juliani in Brixia et Arcus juxta *Montenot*; adjutori Joanni *Perrot* per aliquot annos omnem abbatialis rei curam permisit: dein, anno scilicet 1555, administrationem adeptus est. Præpositus idem fuit S. Anatolii Salinarii et Lausanensis episcopus. Episcopalibus etiamsi redimitus infulis, commendam S. Pauli retinuit, ut rem ex abbatiæ tabulis comperimus. Eo vero postulante, Philippus ei rex Prosperum *de la Baume*, Cari Loci jam abbatem, adjutorem concessit, 15 aut 18 Octobris 1588, regiasque ea de re litteras Sixtus papa V semet approbare testatus est. Prosperus autem nondum sacris initiatus erat; jussit ergo rex ut intra quindecim annos presbyter fieret. Gravi morbo laborans comperitur Antonius 15 Novembris 1591, qua die tota abbatialis rei administratio, senatus Dolensis decreto, Prospero demandata est. Obiit tandem Antonius 24 Februarii 1598.

XXII. Prosperus *de la Baume Montrevel*, Cari Loci abbas et decanus Bisuntinus, qui præmemorati Antonii multis ab annis adjutor erat, eo mortuo abbas renuntiatur, decessurus ipse 7 Junii 1599.

Post eum a confratribus eligitur Joannes *d'Aubonne*, claustralis prior S. Pauli, cui Radulfus II, imperator, muneris aditum, 7 Augusti, permittit, donec a summo Pon-

tifice confirmetur. Postulata vero diu frustraque, ut videtur, ea confirmatione,

XXIII. Carolus II Gaudentius *de Madrucio*, episcopus et princeps Tridentinus, ab archiducibus Alberto et Isabella nominatur 22 Julii 1599. Dilatæ vero bullæ, quæ non missæ sunt ante III id. Januarii 1604. Is in aula summi Pontificis plerumque moratus, gubernandam abbatiam procuratoribus demandavit, et, postquam abbatiali munere semet abdicaverat, Romæ obiit 14 Augusti 1629.

XXIV. Franciscus *de Livron de Bourbonne*, abbas jam Caladiæ in Virdunensi diœcesi, peracta in ejus gratiam a Carolo Gaudentio resignatione, litteras regias impetravit 12 Maii 1622. Eidem per Dolensem senatum possessionem adire licuit 13 Novembris 1624. Semet ipse, teste *Bruant*, nuncupare solebat abbatem, cardinalisque abbatis procuratorem, in quem videlicet quoslibet muneris fructus transferebat. Nec bullas Franciscus vivente Carolo Gaudentio, postulavit, aut obtinuit. Eo tamen defuncto, adeo non abbatiæ clavum deseruit, ut contra quidquid e monasterii reditibus in abbatialem mensam erogari consuetum erat sibi protinus vindicaverit. Interea, cognito Caroli Gaudentii interitu, Urbanus papa VIII, vacantem, ut aiebat, abbatiam Carolo Emmanueli Madrutio, Caroli cardinalis e fratre nepoti, nihil curans de Francisco, contulerat. Ille vero veluti extraneus a rege repulsus est. Magis ac magis turbatis rebus, duobus jam competitoribus tertium Romana sedes adjunxit, Petrum scilicet *Alix*, patria Dolensem, Bisuntinum canonicum, prioremque B. Mariæ Magdalenæ Salinariæ. Ad eum missæ summi Pontificis litteræ idibus Septembris 1632. Ea quidem Petri adlectione Carolum Emmanuelem summus ipse Pontifex amovebat; qui revera, pro more solito, vanum, apostolicis precibus obsequens, titulum deposuit. Franciscus autem, cujus, ut videtur, causam omnes dereliquerant, abbatia quidem cedens judicis forum nihil cunctatus adiit.

XXV. Petrus II *Alix* in muneris possessionem pedem ponit 1 Julii 1634. Eum Franciscus statim litibus impetere. Audita vero causa, Dolensis senatus, 15 Martii 1636, secundum Petrum statuit, jussitque ut quoscumque Franciscus a Caroli cardinalis obitu nummos perceperat Petro numeraret. Capsam S. Antidii canonici S. Pauli, jubente et adstante Petro, visitavere, 5 Augusti 1638. In Burgundiæ comitiis Petrus annis 1654, 1657, reperitur. Cantoris dignitatem Alexandro Francisco *Bruant*, qui egregiam nobisque valde utilem S. Pauli historiam digessit, 9 Augusti 1666 contulit. Qui etiam ejusdem Alexandri *Bruant* curis, anno 1667, operam restaurandi chori commendavit.

A Obiit denique 6 Julii 1676, ætatis anno 76. De eo sic Alexander *Bruant*: « Fuit vir acutissimi ingenii, profundissimæ doctrinæ, « qui vitam in studio continuo et multis « ærumnis patientia admirabili consumpsit, « temperantia et aliis virtutibus insignitus. » Aliquot mensibus ante ultimum vitæ diem munere semet abdicaverat.

XXVI. Joannes Baptista Josephus Hyacinthus *de Bauffremont*, ab anno 1668 antecedentis coadjutor, S. Pauli commendam, quamquam Luxovii jam commendatarius archimandrita, a rege Lodovico suscepit
B anno 1675, annuente papa 19 Decembris ejusdem anni. Paucis vero elapsis annis, Joannes Baptista fratres inter superstites natu major evasit, et munera protinus ecclesiastica dimisit, 26 Junii 1680.

XXVII. Carolus III Emmanuel *de Bauffremont*, antecedentis germanus, ei successit, 28 Junii 1680. Cum autem ætate juvenis admodum esset, prætori suo, donec adolevisset, regendam abbatiam rex aliquantisper commisit. Obiit Carolus Emmanuel anno 1733, in castello quod *Scey* super Ararim magnis sumptibus ædificaverat. Decesserat
C 31 Januarii 1712 Alexander Franciscus *Bruant*, annalium S. Pauli conditor.

XXVIII. Joannes VII Claudius *Boisot*, filius Joannis Antonii, in Burgundionum senatu præsidis, a rege nominatur 26 Julii 1733. Litteras vero pontificias non ante Augustum mensem 1741 accepit. His eum conditionibus rex obligaverat, ut Joanni *Pelissier* 800 libras, et N. *Deservaux* 200, quotannis numeraret. Superstes erat anno 1790.

MONS BENEDICTI.

D

In saltu sita Jurensi, juxta Dubim, inter Pontarlum et Mortuam Aquam, domus Mons Benedicti nuncupata auctorem habuit, ut ferunt, quemdam Sequanicum eremitam, Benedictum nomine, quem pia populi recordatio sanctorum catervæ aggregavit. Fundationem hanc conjectura nonnulli anno circiter 1102 adscripsere: antiquiorem vero eamdem alii opinantur. Nec desunt qui monachos olim Benedictinos eadem tecta incoluisse contendunt. Certe, anno circiter 1130, Mons Benedicti prioratus erat S. Augustini
E regulæ addictus, qui ante annum 1140 in abbatiam ejusdem ordinis mutatus est. Præcipuos benefactores habuit Jurenses dynastas, Gualcherium Salinarium Joannemque Cabilonensem. Ædificia, sub initium decimi septimi sæculi, Renobertus *Chevroton*, abbas, restauravit. In ea tamen abbatia, anno 1663, octo tantum reperiuntur hospites, quorum quatuor canonici, duo professi, duo novitii.

Compendiosam abbatum seriem exhibet

Droziana Commentatio de civitate Pontarlo, p. 182.

Series Abbatum.

I. Narduinus, alias Harduinus, Vesuntione, anno circiter 1130, prior tunc dictus Montis Benedicti, litteris Anserici pro Bella Valle subscripsit. Eidem etiam tunc priori, anno incerto, Ansericus ecclesiam *Noz*, et Humbertus archipræsul, anno pariter incerto, ecclesiam B. Mariæ de Pontarlo contulere; Comment. de civit. Pontarlo, p. 207. Abbas vero legitur anno 1140, quo testis fuit Humberti archipræsulis jura bonaque San-Vincentiani monasterii confirmantis, eidemque abbati Innocentius II, II id. Aprilis 1141, quascumque monasterii possessiones confirmavit; Comm. de Pont., p. 208. Ch. XXX, col. 32. Interfuit dein, anno 1142, Bellævallensis ecclesiæ consecrationi. Eidem, VIII id. Julii Ch. XXXVII, col. 38. 1148, Humbertus ecclesiam S. Gorgonio sacram, necnon capellas Albonnam atque *Arc*, dono dedit. Novi Castri, anno 1154, cœtus non incelebris pars fuit Narduinus, quo circumstante, Ortliebus, Basileensis episcopus, inter Vesuntionensem et Lausannensem ecclesias litem de duobus villis diremit. Usque ad annum 1156 reperitur, quo decurrente, XI cal. Januarii, Humbertus ecclesiam *Montigny* Monti Benedicti contulit; *Droz*, Comm. de Pont., p. 213. Anno quoque incerto, una cum Petro, S. Vincentii abbate, inter priorem domus *Lanthenans* et canonicos S. Pauli Narduinus pacem fecit; e sched. Drozian., t. VII, p. 409.

Desideratur nomen abbatis qui Narduino, ut videtur, proxime successit.

II. Petrus I sub annum 1184 innotescit, e litteris Rogerii, Lausannensis episcopi, de prioratu Vallis a Guillelmo, Agaunensi abbate, canonicis Montis Benedicti collato; *Droz*, Comm. de Pont., p. 219.

III. Richardus, anno 1189, domesticorum prædiorum confirmationem a Theodorico archipræsule impetrat; ibid., p. 221.

IV. Henricus, anno 1200, eorumdem confirmatione ab Amedeo archiepiscopo donatur; ibid., p. 227.

V. Stephanus I, anno 1220, cum Stephano de *Aons* super ecclesia *Noz* transigit; ibid., p. 229.

Ch. LXXIV, col. 67. VI. Girardus, anno 1228, in instrumento legitur ad Montis B. Mariæ fundationem spectante.

VII. Hugo, anno 1240; e serie quam *Droz* digessit.

VIII. Stephanus II, anno 1243, adversus Henricum Jurensem de decimis sententiam obtinet; Comment. de Pont., p. 236. Idem, anno 1251, reperitur in instrumento de juribus Montis Benedicti in colonos vallem *Saugeois* assiduo vomere sulcantes; ibid., p. 243.

IX. Amalricus, anno 1262, testis est rerum Joanni Cabilonensi a Philippo de *Ceys* venditarum : eodem etiam anno, litteras ejusdem Philippi cum Petro fratre componentis obsignat; e sched. Droz., t. XXVIII, p. 417. Reperitur quoque, die Dominica ante sacrum S. Thomæ diem 1263, in chartula qua Petrus de *Verchamp* Amedeo de Monte Falconis obsequium promittit; ibid., t. XXX, p. 83.

X. Haimo, Aprili mense 1264, vel 1265, testis adlectus legitur ab Othone de *Vennes* Amedeo de Monte Falconis quidquid *Roulans* possidebat vendente; ibidem, p. 145. Ipse, Julio 1273, cum prædicto Amedeo transigit, et, anno 1280, testatur Jacobum *de Cheffoy* Othoni, Burgundionum comiti, furnum Pontarli situm vendidisse; ibidem, t. XVI, p. 420. Die tandem Lunæ post festum S. Matthæi 1283, quædam cum Joanne de Monte Falconis permutat; ibid., t. XXX, p. 204.

XI. Guillelmus I, Februario mense 1296, secundum hodiernum calculum, suum sigillum apponit novissimo Henrici *de Joux* testamento; Hist. Dynast. Salin., t. I, p. 316.

XII. Joannes I, mense Martio 1302, quartam partem jurium dimittit quæ in ecclesia S. Benigni de Pontarlo sita abbatia Montis Benedicti possidebat; *Droz*, t. XIII, p. 360.

XIII. Guillelmus II a Philippo *de Verchamps*, Vesuntionensi cantore, medium patronatum ecclesiæ *Montigny* accipit, 27 Octobris 1307; *Droz*, t. XIII, p. 360.

XIV. Joannes II *d'Usie*, Reginaldi, militis, frater, sigillo suo litteras firmat, 20 Decembris 1332, quibus Joannes *de Pontarlier*, miles, in quem Radulfus de Novo Castro beneficum semet exhibuerat, eidem Radulfo obsequium clientelare promittit; Monum. Hist. Novi Castri, p. 407. Joanni dein, anno 1342, Radulfus idem de Novo Castro permittit ut in Novicastrensi comitatu horreum quoddam ædificet; ibid., p. 491. Novicastrensis comes post Radulfum Ludovicus fuit, inter quem et Girardum de Monte Falconis bellum protinus exarsit : præsente vero Joanne, 19 Januarii 1344, uterque tanti dissidii arbitrum Joannem Cabilonensem elegit; ibid., p. 352. De eodem Joanne mentio reperitur in archivo Novi Castri, 10 Januarii 1345; ibid., p. 570. Anno postea 1348, die Jovis post festum S. Andreæ, cum Ludovico de Novo Castro de terminis agrorum tam ad Montem Benedicti quam ad Mortuam Aquam pertinentium litigans, Othonem de Grandisonne hujus dissidii judicem habuit; ibid., p. 620. Mense denique Junio 1349, Reginaldus ei *d'Usie* novissimum testamentum exsequendum committit; Hist. Dynast. Salinar., t. I, p. 55. Mors au-

tem prohibuisse videtur ne fraterno mandato Joannes pareret. Eidem Joanni Reginaldoque frater Richardus *d'Usie*, magister fratrum Minorum in provincia Burgundiæ, qui decessit 23 Aprilis 1341.

XV. Petrus II *de Pontellier*, cum Joanne de Novo Castro de præsentando curione ecclesiæ *Orchamps* transigit, 30 Septembris 1349. Idem, 5 Junii 1357, cum Jurensibus toparchis de quibusdam rebus litigans, ineundæ pacis viam ingreditur; *Droz*, t. XIII, p. 382.

XVI. Joannes III *de Pontellier* annis 1380, 1387; e regestis officialis Bisuntini. Monti S. Mariæ postea præfuit, anno scilicet 1390.

XVII. Milo *de Falerans* nuper defunctus legitur 16 Martii 1393, in litteris apostolici camerarii quarum *Droz* meminit, t. XIII, p. 355.

XVIII. Guillelmus III *de Saunot*, anno 1400. *Quondam* abbas memoratur anno 1442 in regestis officialis Bisuntini.

XIX. Simon I *de Domprel* annis 1433, 1434. Is, permutatione facta, fit, anno 1439, abbas S. Pauli Bisuntini.

XX. Simon II *de Clerval* abbas antea S. Pauli, Montis Benedicti præfecturam assequitur anno 1439. Qui, 1 Januarii 1440, secundum recentem calculum, Jurensem toparcham abbatiæ custodem agnoscit. De eodem, anno 1443, mentio fit.

XXI. Jacobus *de Clerval* Simoni, S. Pauli abbati, et Guillelmo *Armenier*, *Lanthenans* priori, suadet ut de mutuis jurgiis pacem faciant, 1 Decembris 1465. Anno quoque 1467 reperitur.

XXII. Simon III *de Clairon*, de quo mentio fit anno 1507, abbas idem Goliæ, obiit vi cal. Maii 1510. Post eum commendatariorum abbatum series initium cepit.

XXIII. Ferricus *Carondelet*, archidiaconus Bisuntinus, præpositus Furnensis apud Flandrenses, Caroli V consiliarius oratorque, Montis quoque Benedicti commendatarius abbas fuit. Obiit 27 Junii 1528, ætatis suæ anno 55, et sepultus est in ecclesia S. Stephani Bisuntini, sub splendidissimo monumento quod fratri dedicavit Joannes sequens.

XXIV. Joannes IV *Carondelet*, archiepiscopus Panormitanus, cancellarius perpetuus Flandriæ, consiliorum in Belgia imperatoriorum præses primarius, decanusque Vesuntionensis ecclesiæ, commendam Montis Benedicti, mortuo fratre, accepit. Obiit ipse Mechliniæ 7 Februarii 1543.

XXV. Antonius *Perrenot de Granvelle*, cardinalis, obiit Madriti, 21 Septembris 1586.

XXVI. Franciscus I *de Grammont*, jam abbas Faverniaci et summus ecclesiæ Vesuntionensis decanus, litteras regias accipit 13 Novembris 1587. Ei mox, 11 Januarii A 1588, per senatum Dolensem abbatiales reditus colligere, et, 10 Maii, quaslibet muneris ipsi demandati curas suscipere licet.

XXVII. Jacobus *de S. Mauris*, e S. Salvii, in ecclesia Cameracensi, priore, abbas Montis Benedicti, Francisco mortuo, litteris regiis creatur 29 Novembris 1596, deinque in possidendam abbatiam a senatu Dolensi deputatur 25 Junii 1597. Non tamen ad eum Clementis VIII missæ litteræ ante Augustum mensem 1598. Idem abbas erat Goliæ, prior Belli Fontis, magnus ecclesiæ Vesuntionensis archidiaconus, consiliarius præ- B terea regius et libellorum supplicum in supremo Burgundiæ senatu magister. Quæ Jacobus possederat beneficia pleraque Carolo *de S. Mauris*, e fratre nepoti, collata sunt, præter hoc abbatiale Montis Benedicti regimen.

XXVIII. Renobertus *Chevroton*, vestiarius S. Pauli Bisuntini, ab archiducibus nominatur 14 Martii 1603, eodem anno a Clemente papa VIII instituendus. Præceperant autem archiduces ut quadringenas libras annuatim Bernardo *de Montgaillard* numeraret. Eo defuncto, Joachimus *de Poitiers* C administratoris titulo abbatiam aliquantisper gubernavit. Renoberti, regularis abbatis, elogium hoc versu continetur:

Jura, domos, census, statuit, renovavit et auxit.

XXIX. Claudius *d'Achey*, archiepiscopus jam Vesuntionensis, Montem Benedicti regendum a Philippo IV accipit 28 Maii 1639. Bullas vero diu exspectavit: quæ tandem ad eum missæ sunt ab Innocentio X, 15 Februarii 1646. Eo defuncto,

XXX. Carolus I Emmanuel *de Gorrevod*, D ipse etiam Vesuntionensis archipræsul, a rege nominatur 20 Aprilis 1656, ea tamen sub conditione, ut quamdam partem redituum Philippo *Bereur* conferat. In possessionem abbatiæ mittitur 6 Maii.

XXXI. Franciscus II Hyacinthus *de Launoy* nominatur a Philippo rege 18 Augusti 1659, ea sub conditione, ut octingentas libras annuatim Stephano *Michotey*, præsidis filio, numeret. Qui in possidendam abbatiam a senatu Dolensi mittitur 4 Junii 1660. Sub idem fere tempus, nempe 4 Februarii 1660, occurrit Joannes-Baptista *d'Enskerq* E ex abbatia Goliensi Montem Benedicti a Philippo rege, post Caroli Emmanuelis decessum, translatus, irrita velut Francisci Hyacinthi nominatione. Hæc tamen prævaluit; Francisco sedenim Hyacintho bullas misit Alexander VII 3 Octobris 1661. Aliunde comperimus Joannem Baptistam *d'Enskerq* non jam inter vivos superstitem tunc temporis exstitisse. Munus ipse dimisit Franciscus Hyacinthus anno 1682, uxorem ducturus.

XXXII. Franciscus III Josephus *de Gram-mont,* decanus Bisuntinus, abbas Bethaniæ, necnon prior *Champlitte* et *Beauprel,* Monte Benedicti quoque donatur a Ludovico rege 1 Augusti 1682; ab Alexandro VIII, 21 Julii 1690. Episcopus etiam Philadelphiæ postea fuit. Nominatus tandem, anno 1698, Vesuntionensis archipræsul, abbatiale munus retinuit. Obiit 20 Augusti 1717.

XXVIII. Carolus II Nicolaus *de Saulx-Tavanne* creatur abbas a rege, audita Francisci Josephi morte, 20 Martii 1718. Idem Catalaunensis episcopus et dein archiepiscopus Rotomagensis.

XXXIV. Renatus Ludovicus *de Ste-Hermine* nominatus anno 1745, obiit anno 1761.

XXXV. Ludovicus Renatus *de Ste-Hermine,* reginæ ab eleemosynis, creatur abbas a rege anno 1761. Bullas vero poscere diu distulit. Eum rex iterum anno 1771 nominavit, ea conditione, ut pensionem annuam Petro Ludovico Genofevæ *de Ste-Hermine* persolveret.

XXXVI. N. *de S. Pern,* nominatus anno 1776, superstes erat anno 1790.

GOLIA.

Golia, non procul a Sequanorum Salinis, ad imum scilicet abrupti montis e quo præceps desilit rivus, condita est, anno circiter 1207, a Gualcherio Salinario, et canonicis regularibus addicta. Ibi quondam erat prioratus Bellus Locus dictus. Præmemoratus vero Gualcherus abbatem Abundantiæ, penes quem prioratus erat, exoravit ut hujus in abbatiam convertendi possessionem dimitteret, eique vicissim Villare dictum viculum obtulit. Quæ inter eos permutatio facta est, ut rem comperimus e chartula a J. B. Guillelmo edita, Hist. Dynast. Salinar., t. I, instr., p. 93. Ædificandæ domui concesserat abbas Abundantiæ *quæcumque* circa castrum Jurense antea propria habuerat: postea tamen nonnihil juris ad se in eodem pertinere contendit, imo et probare visus est. Occurrunt scilicet, anno 1352, Bisuntinus archipræsul et abbas Abundantiæ, cum patronum Goliæ uterque semet assereret, nuper electum abbatem certatim confirmare volentes, atque ea sub lege transigentes, ut abbas Abundantiæ et Bisuntinus archiepiscopus alternis vicibus Goliæ abbates deinde consecrarent. Superstites anno 1750 sex Goliæ canonici, quorum unus claustralis prior. Anno 1772, Junio mense, regium decretum conventualem Goliæ mensam suppressit, ejusque possessiones reditusque Caroli Castri puellis assignavit.

Abbates.

I. Humbertus, Goliæ primus abbas nuncupatus, subscribit, anno 1218, litteris Gualcherii Salinarii, tam Montis S. Mariæ quam Goliæ res augentis; *Droz,* t. XI, p. 256. Idem, anno 1219, testatur capitulum S. Joannis Bisuntini mediam ecclesiam S. Benigni de Pontarlo Monti Benedicti, sub annui census conditione, tradidisse; *Droz,* Comment. de Pont., p. 229. Anno dein 1224, notum facit omnibus quoddam donum quod Ulricus *Chambier* Carthusianis Boni Loci contulerat; ibid., p. 370: 1225, ab eodem Ulrico Monti S. Mariæ condonata recenset; ibid., p. 371: 1227, litteras edit de composita lite inter ecclesiam S. Pauli Bisuntini et Frotmundum de Alesia; e Drozianis schedis, t. XXIX, p. 58.

II. Petrus anno 1240 obiit; e Sammarthanis

III. Reginaldus, eo anno 1240, litteras edit de quodam inito fœdere inter Joannem, Burgundionum comitem, et Salinarios oppidanos; Hist. Dynast. Salinar., t. I, instr., p. 132. Reginaldum Dunodius anno 1254 obiisse refert.

IV. Gualcherius litteras Joannis de Burgundia obsignat ad claustrum castelli *Salemont* spectantes; *Droz,* t. XVI, p. 134. Idem, Januario 1259, vel 1260, ejusdem schedulam sigillo suo munit, qua civitatem *Pontarlier* Hugoni, filio suo, hæreditarium dominium tradit; ibid., p. 164. Eodem præsente, anno 1262, Aimericus *de Joux* Burgundionum comiti fidem spondet, Comm. et Doc. ad Sequan. spect., t. I, p. 286, et Philippus *de Ceys* quædam Joanni Cabilonensi vendit. Anno dein 1266, Mercurii die post S. Luciam, testis est Burgundionum comitis sua omnia liberis legantis quos e comitissa Laura habuit aut habebit; Hist. Dynast. Salinar., t. I, instr., p. 190. Sigillo quoque suo eo anno confirmat litteras Stephani *de Bannens,* aliasque cujusdam Hugonis Joanni Cabilonensi diversas res vendentium; *Droz,* t. XXVIII, p. 413, 359. Adstante Gualcherio, Stephanus *Puz* comitissæ Lauræ, Januario mense 1267, obsequium promittit; ibidem, p. 226. Testis tandem est, Aprili mense 1271, Hugonis, Gualcherii *Puz* filii, beneficiarium prædium ab Hugone *d'Usies* accipientis; ibid., p. 258.

V. Joannes I, Sabbati die post Purificationem B. Mariæ 1272, litteras obsignat Petri *Esperit* se Joannis Cabilonensis clientem profitentis; *Droz,* t. XXVIII, p. 248. Idem, mense Martio 1274, testis occurrit Joannis *de Rens* Lauræ comitissæ clientelare obsequium spondentis; ibid., p. 275. Perperam eum Sammarthani anno 1281 obiisse referunt, nisi tamen antea munere semet abdicaverat, nam

VI. Balduinus, mense Junio 1277, Jacobum de Chaffeiaco Joanni Cabilonensi fidem promisisse testatur; ibid., p. 274. Eo-

dem quoque anno, VI non. Julii, Gualcherii, A militis, Joanni Cabilonensi medium furnum vendentis, litteras obsignat, et, Julio mense 1281, alias Petri *de Meges* litteras, a quo Joannes idem comes quasdam res emit; ibid., p. 430, 395. Eum Sammarthani falso post Guillelmum recensuere, quem XVII cal. Octobris 1297 obiisse memoravere. Lege forsan 1287.

VII. Guillelmus I, Januario mense 1289, testis est Othonis *de Bannens* nonnulla jura, numerato pretio, Joanni comiti tradentis, et, Lunæ die ante Ramos Palmarum 1291, Gualterii *de Viguorri* comitis Burgundio- B num se fidum clientem profitentis; *Droz*, t. XVI, p. 488. Idem, mense Maio 1300, litteras obsignat Joannæ *de Lisle* Joanni Cabilonensi quædam vendentis; ibid., t. XXVIII, p. 509. Occurrit tandem Guillelmus annis 1302, 1306, 1310.

Dunodius quemdam Witbertum ab anno 1297 usque ad annum 1310 sedem tenuisse memorat, eique Guillelmum successisse, qui, eodem teste, per unius tantum anni curriculum Goliæ moderator exstitit. Dunodii fidem in eo diplomata minime tuentur.

VIII. Anserinus, Anselmusve, anno 1316, C mense Maio, cum Joanne Cabilonensi transigit; *Droz*, t. XXIX, p. 304. Idem, anno 1329, reperitur in regestis officialis Bisuntini. Obiit cal. Augusti.

IX. Guido *de Vautravers* in Montis Benedicti claustro commorabatur 7 Januarii 1340, qua die testis fuit sententiæ contra vallis *Saugeois* colonos latæ, qui civitatis jus usurpaverant. Idem in vico *Banvans*, 19 Januarii 1344, subscribit litteris quibus Ludovicus de Novo Castro et Girardus de Monte Falconis, bello finem imponentes, Joannem Cabilonensem arbitrum eligunt. D Anno denique 1349, Reginaldus eum *d'Usie* testamenti sui exsecutoribus annumerat; Hist. Salin. Dynast., t. I, p. 55. Decessit Guido III id. Augusti; e Sammarthanis.

X. Guillelmus II *d'Abbans* Guidoni successit. Anno 1352, 7 Maii, abbas Abundantiæ et Hugo, Bisuntinus archipræsul, de Guillelmi confirmatione litigantes, paciscuntur. Anno 1358 mortuus est.

XI. Joannes II *de Fraisne* obiit pridie non. Augusti 1362; e Sammarthanis.

XII. Otho *Simoneti* moritur VI cal. Julii.

XIII. Joannes III *de S. Germain* in rege- E stis officialis Bisuntini anno 1369 reperitur. Obiit anno 1385; e Sammarthanis.

XIV. Hugo I *de Chevroz*, alias *de Charnau*, quem Simonem quidam appellant, præerat annis 1381, 1382, 1384, 1398.

XV. Simon I *de Clerval* reperitur anno 1423. Ex abbate Goliæ abbas S. Pauli instituitur a Martino papa V, VII id. Maii 1429.

XVI. Hugo II *de Roches* interiit 17 Februarii 1439; e Sammarthanis.

XVII. Nicolaus *de Beutal*, alias *de Bonstal*, munere semet abdicavit anno 1460; ex eisdem.

XVIII. Parisius *d'Oussans*, alias *d'Orsans*, arbiter reperitur, 1 Decembris 1465, inter Simonem, abbatem S. Pauli, et Guillelmum *Armenier*, *Lanthenans* priorem; *Droz*, t. VII, p. 138. Obiit IV non. Martii 1478.

XIX. Simon II *de Cleron* obiit VI cal. Maii 1510.

XX. Simon III *Merceret* munus dimisit anno 1518.

XXI. Guillelmus III *de Poupet*, abbas quoque Balmensis et Balernensis, per annos 65 Goliæ præfuisse dicitur. Obiit XIII cal. Septembris 1583.

XXII. Jacobus *de S. Mauris*, anno circiter 1534 Dolæ natus, Joannis filius erat et Stephanæ *Bonvalot*. De eo jam inter abbates Montis Benedicti mentionem fecimus. Guillelmo defuncto sufficitur a Philippo rege 10 Aprilis 1584, et bullas obtinet eodem anno, 13 Julii. Is, ut erat ætate provectus, invalida manu baculum abbatialem sustinere vix potuit, et adjutorem accepit, archiducum gratia, Carolum *de S. Mauris*, canonicum Vesuntionensem, 29 Octobris 1599. Nec multo post ipse Jacobus Vesuntione obiit, anno scilicet 1602.

XXIII. Carolus *de S. Mauris*, antecedentis e fratre nepos, canonicus jam, ut diximus, Vesuntionensis, decanus templi ruralis Bellopratani, necnon Belli Fontis et B. Mariæ Bisuntinæ prior, litteris Clementis VIII Goliæ præficitur 26 Martii 1603. Eidem per Dolensem senatum munus adire licet, 10 Junii.

XXIV. Bernardus *de Malarmey*, alias *Mallarmé*, sacerdos, natus in vico *Vercel*, ab archiducibus Golia donatur 16 Januarii 1614, in possessionem mittendus 26 Januarii 1615. Eidem a Paulo V concessæ bullæ diem 20 Aprilis 1617 exhibent. Adjutorem postulat obtinetque Bernardus Marcum *de Malarmey* 27 Junii 1622. Obiit cal. Martii 1627. Bernardum Leonardumque sequentem regulares fuisse Dunodius asserit.

XXV. Leonardus *de Chassagne*, S. Anatolii præpositus, Bernardo mortuo, abbas creatur ab Isabella infante 24 Julii 1628, et ab Urbano VIII instituitur 20 Decembris. Idem Leonardus tunc prior erat Belli Fontis: quod munus dimisit, idque Urbanus VIII, 26 Augusti, Philippo *Chifflet* contulit. Leonardus sub idem tempus occurrit prioris munus in domo S. Regnoberti juxta *Quingey* deponens.

XXVI. Joannes-Baptista *d'Emskerque* a rege nominatur 4 Decembris 1641. Qui postquam Goliam in gratiam sequentis dimiserat, eum rex abbatem Montis Benedicti creavit, 4 Februarii 1660. Montis autem Benedicti regimen nunquam adiisse videtur.

XXVII. Claudius Franciscus Hyacinthus *d'Emskerque* litteras regias accipit 4 Februarii 1660, pontificias 6 Octobris 1661.

XXVIII. Ludovicus Hyacinthus *Doroz*, clericus Bisuntinus, antecedente mortuo, nominatur a rege 7 Aprilis 1703. Bullis dein pontificiis ornatus est 23 Augusti 1707. Diuturnum fuit Ludovici Hyacinthi regimen, qui anno 1775 superstes reperitur; ex *Alman. royal.*

XXIX. N. *De Mouchet de l'Aubespin* ab anno 1776 usque ad annum 1790.

BELLA VALLIS.

Anno circiter 1119, Morimundenses quidam monachi, a Pontio de Rupe acciti, juxta Camborniacum et *Cirey* vicos constiterunt, et in loco paludoso Cisterciensis domus fundamenta, Anserico archipræsule annuente, posuerunt. Ab eo tempore domus ea Bella Vallis, Alba Vallis, Vallis Speciosa, Vallis sanctæ Dei genitricis Mariæ, dicta est, quæ scilicet prima Morimundi filia fuit. Quorumdam e sententia, surgens domus abbatialem dignitatem protinus sortita est, Pontiumque e Morimundensi monacho Bellæ Vallis abbatem eo anno 1119 exstitisse contendunt. Pontius quidem non semel primus abbas Bellævallis nuncupatur. Cum autem usque ad annum circiter 1160, Pontii nomen abbatis in Bellævallensibus tabulis memoretur, de tanta longævitate nonnulli dubitantes duos Pontios eodem vicissim munere insignitos fuisse opinati sunt. Quæ tamen opinio falsa deprehenditur: unus enim Pontius Bellævalli præfuit. Non autem ab anno, ut aiunt, 1119. Prioratus enim Morimundensis primo domus fuit: quod aperte demonstrant Gisleberti, Visuliensis vice-comitis, litteræ, in quibus Ulricus *de Senoncort* recognoscit se « longe ante tempora domini Pontii abbatis, de Masnilo eleemosynam monasterio » fecisse; inter *Droz* schedas, t. IX, p. 422. Quem vero sub annum prioratus, dignitatis incremento, in abbatiam conversus fuerit non plane compertum habemus.

E Bellævallensi domo deducti, anno 1124, Cistercienses ascetæ qui S. Mariæ monasterium, vulgo Lucellam nuncupatum, in agro Basileensi condidere. Quam plurimæ dein, præter Lucellam, e Bellævallensis abbatiæ sinu filiæ prodierunt, nempe Neoburgum, Roseriæ, Caritas, Thela, Staforda, Salem, S. Urbanus, *Montarlot*. Ideo nonnullæ paparum litteræ Lucelam nominatim, Roserias, Caritatem Thelamque inter Bellævallensis abbatiæ *possessiones* memorant.

Floruit siquidem per multos annos ea domus, velut exemplar Cisterciensis disciplinæ in tota provincia. Quare permultis eam fundis, reditibus, juribus, Bisuntini proceres A auxere. Decurrentibus tamen annis non parvam pristini decoris imminutionem experta est. Anno 1663, quinque tantum recensebantur in claustris silentibus incolæ, tres videlicet monachi et duo scholares.

Sepulturæ Bellævallensis ecclesiæ insignes, ut Casparus Jongelinus refert, Notit. Abbat. Cisterc. Illustres inter clericos qui in ea jacebant non prætereundi Petrus Tarentasiensis archiepiscopus; Gerardus, Nicolaus, Odo de Rubeo Monte, Vesuntionenses; Thierricus, Sudensis episcopus; Joannes de Nauto, Parisiensis. Bellævallis chartularium B exhibent Drozianæ schedæ, t. IX et X.

SERIES ABBATUM.

I. Pontius Bellæ Vallis primus abbas dicitur tam ab Humberto archipræsule donum Humberti *Piper* sanciente, quam ab Henrico, Morimundi abbate, in ea chartula qua, anno 1174, pacem denuntiat initam inter Bellæ Vallis Caritatisque monachos de metis pascuorum agrorum ad utramque abbatiam spectantium; inter sched. *Droz*, t. IX, p. 674. In domesticis tabulis primum Pon- C tius occurrit anno 1128, quo prædium *Champors* a Manasse, S. Joannis decano, confirmatum obtinet; Orig. Comm. Bisunt., a D. *Castan*, p. 148. Eidem, anno 1130, Richardus de Monte Falconis plurima Cyriaci exercenda jura condonat. Quem circiter annum, præsente Bernardo, Claræ Vallis abbate, Ansericus archipræsul solemni documento Bellævallenses quascumque possessiones ad Pontium scribens approbavit. Aliæ servantur confirmationes ad Pontium anno 1131 delatæ, Innocentii videlicet papæ II bullæ, quæ III cal. Aprilis editæ sunt, iteratæque Anse- D rici litteræ, in quibus singula ad surgentem domum collata jam prædia recensentur. Anno dein 1136, Petrus, S. Stephani decanus, Pontium profitetur dictum *terram S. Stephani* prædium jure possidere. Amplius de Bellævallensi dominio diploma Innocentius II Pontio concessit XVIII cal. Maii 1139. Eodem præsente, III cal. Augusti 1140, Richardus de Monte Falconis Cyriacum, in jus ecclesiæ Bellævallensis traducendum, Humberto archipræsuli restituit. Pontio præterea, idibus Septembris 1143, Humbertus archi- E præsul ab Humberto *Piper* data confirmavit, eidemque Camborniacenam ecclesiam ipse Humbertus dedit, V cal. Maii 1145. Reperitur anno, ut videtur, 1148, ejusdem Humberti litteris pro S. Vincentio subscribens. Anno 1151, testis est Waltherii, S. Stephani decani, Roseriis agrum *Bruillout* condonantis: anno denique 1156, a Frederico I imperatore litteras obtinens, quibus omnia monachorum bona in manibus possidentium stabilita. De Pontio mentio reperitur in Vita S. Bernardi a Geoffrido conscripta,

apud Bolland., 20 Augusti, p. 306, ubi in consortium cujusdam miraculi a S. Bernardo accitus legitur.

Hugonem Bellævallis abbatem nuncupant, IV non. Maii 1131, Anserici litteræ pro S. Paulo. Errorem hunc castiga. Legendus forsan Hugo Luxoviensis tunc temporis abbas.

II. Burchardus, alias Brochardus, Bochardus, vel Bouhardus, ex abbate Balernæ Bellæ Vallis secundus abbas expressim nuncupatur ab Humberto archipræsule, qui scilicet, anno incerto, Geoffridum, Humbertum Aymonemque, Henrici filios, cum Bellævallensibus transigentes approbat: e schedis
Ch. XI, col. 40. *Droz,* t. IX, p. 389. Eidem Burchardo plura Barradus et Herenfridus, anno 1162, tradiderunt, Ulrichusque *de Beaumotte* controversam agri *Bluinvil* possessionem in eum transtulit. Anno dein 1163 cum Hugone Vivianoque *de Merchal* composuit. Obiit Burchardus eo, ut videtur, anno 1163, 17 aut 19 Aprilis. De eo martyrologium S. Pauli XVI cal. Martii: « *Ob. Branchondus abbas de Bellavalle, per quem acquisivimus ecclesiam* de Cogney ». Ejusdem Menologium Cisterciense, Catalogus SS. ordinis Cisterciensis, Bollandistæ ceterique 19 Aprilis meminere. De eo præterea consule Vit. Sanct. Sequan., t. IV, p. 258.

III. Bernardus a Bouhardo Brochardove antecedente manifeste distinguitur, in Henrici, Morimundensis abbatis, charta, supra infraque laudata. Occurrit, anno 1165, decimam *Champors* percipiendam impetrans ab Hugone, Hieronymi filio. Anno sequente, cum Stephanello, clerico, transigit. Inter eum Stephanamque, Palmensem abbatissam, pactum de Calido Fonte anno 1170. Quo et anno, Legdonium deveniens, testis est Stephani, comitis Burgundiæ, Roseriis Guichardum servum condonantis. Anno 1172, cum Novæ Villæ fratribus super hæreditate Petri *de Cirey* paciscitur. Ledone dein Salinario, anno 1173, testis est Gerardi, comitis Viennensis, in Bullionem benefici. Quo et anno quædam permutat cum Nicolao *de Voray*. Non semel, anno 1174, adversus B. Stephani decanum coram Eberardo archipræsule feliciter verba fecit: episcopalis
Ch. XLIV, col. 41. enim fori sententia Bernardo quæcumque sibi vindicabat assignata fuere, decimæ scilicet *Bullenteys,* agri pascui *Valeroi,* necnon prædium *Cirey*. Eodem anno, ab Henrico *de Athezun* prædia decimasque accepit, et cum Theobaldo, Caritatis abbate, de metis quorumdam agrorum coram Henrico, Morimundi abbate, transegit. Quo etiam testis fuit Eberardi archipræsulis ecclesiam *Voujancourt* Bello Campo confirmantis, et litteras edentis pro Bethania. Eidem, anno 1176,
Ch. XLVI, col. 44. per eumdem Eberardum, archipræsulem, domum in vico *Battant* ædificare licuit. Anno 1177, Bernardo Stephanus, decanus

A S. Joannis, medium confert censum quem *Champors* coloni S. Joanni persolvere solebant. Ad eumdem, XVI cal. Julii 1178, missæ Alexandri papæ III litteræ, quibus Bellævallis possessiones confirmatæ. Eo quoque anno cum Guichardo, abbate S. Vincentii, componit. Anno 1179 Luxovii reperitur, ubi, cum Guidone, Calmusiaci abbate, inter Luxovienses et Bethanienses monachos sententia litem dirimit. Eidem, anno 1180, Rogerius, Lausannensis præsul, quæcumque Ch. L, col. 48. Bellævallenses temporibus Herberti schismatici acceperant, aut pretio comparaverant,
B confirmat. Quo et anno testis occurrit Theodorici archipræsulis Roseriarum jus in nemus *Waldré* sancientis. Idem, anno 1181, Lambertum *de Gendrey* monachosque Accincti de villa *Vauchanges* paciscentes audivit, et ipse dimissa habuit a Stephano de Nova Villa plura quæ præfatus miles antea sibi vindicaverat; *Perreciot, Et. des Pers.*, t. III, p. 37. Anno 1182, cum Stephana, abbatissa Palmensi, et cum Henrico et Hugone *de Reygne* de variis rebus transegit, et anno denique 1183, testis fuit, in nemore juxta Ch. LI, col. 51. Veterem Loiam, Beatricis imperatricis Ro-
C seriarum possessiones confirmantis.

IV. Conradus de diversis rebus, anno 1186, cum San-Vincentianis monachis paciscitur; *Droz,* t. IX, p. 652. Eidem, eodem anno, a Gerardo *de Saz* data Theodoricus archipræsul confirmat.

V. Guido I reperitur anno 1188 domestica jura in Merlum nemus confirmata obtinens; *Perreciot, Et. des Pers.*, t. III, p. 44. Idem, anno 1189, a Theodorico archipræsule, Hierosolymitanum iter aggrediente, pro Caritate litteras impetrat; apud *Droz,* t. XII, p. 266. In his leges Guidonem vica-
D rium Theodorici abeuntis generalem. Quo etiam munere Olivarius, Luxovii abbas, sub idem tempus honestatus est.

VI. Guillelmus I anno 1190 innotescit, e litteris Guidonis et Gilberti *de Foleyns* cum Bellavalle paciscentium. Forsan autem hic Guillelmus non alius a Guidone antecedente. Sæpius enim abbreviata nomina veteres librarii pro suo libitu complevere.

VII. Wecilo anno 1194 reperitur. Anno scilicet 1189 Theodericus archipræsul mediam Quenoschiæ ecclesiam Bellæ Valli tradiderat: alteram ejusdem ecclesiæ partem
E sub hunc annum 1194 Amedeus Weciloni confert. Quod circa tempus Bellæ Valli præesse Wecilo desinit, nam

VIII. Herbertus occurrit eo anno 1194, quo, Roseriense claustrum ingressus, testis est Roberti de Grosone plura Roseriarum monachis condonantis; *Droz,* t. X, p. 519. Idem litteras obtinet ab Henrico VI impe- Ch. LII, col. 55. ratore, 16 Maii 1196, in quibus abbatiæ possessiones recensentur. Ex eo, quod infra prælo dabimus, diplomate prodit Helnwi-

cus, Salsensis abbas, quem antecessores nostri prætermisere. Herbertus dein, anno 1200, tam a Reginaldo de Treva quam a quibusdam aliis plura accepit.

Guillelmus quidem anno 1198 Bellævallis abbas reperitur, in charta Mauræ, Viennensis comitissæ, pro Roseriis. Seriem vero Roseriensium abbatum condens ea de charta paucis disseram.

IX. Odo, VIII cal. Decembris 1212, annuit consilio Thelensis abbatis capitulo Lausannensi prædium quod tenebat Raymundus *de Gyes* concessuri; e chart. Lausann. Idem, eodem anno, ab Amedeo archipræsule quamdam Anserici antecedentis confirmatam chartam obtinet. Odoni, anno 1220, Guido de Maceriis obsequium spondet; *Droz*, t. X, p. 13. Abbatiæ Roseriarum *pater* nuncupatur anno 1229, in instrumento de quibusdam juribus a Roseriarum monachis ad Cistercienses translatis: cui translationi rogatus consentit. Dein, VI id. Februarii 1229, vel potius 1230, testis est Nicolai archipræsulis quosdam Giaci colonos ementis. Sigillo suo probavit, Octobri mense 1231, rationem quam administrationis suæ Nicolaus archipræsul reddidit. Ipse, anno 1232, cum Petro *de Forqueroles*, Templi præceptore, de variis dissidiis pactus est. Dein, mense Februario 1234, ad notitiam omnium defert Poncelinum quidquid in ecclesiis Giaci possidebat Nicolao archiepiscopo pro sex libris Stephaniensibus obligavisse. Quo et anno testis est Reginaldi *de Larriaus* servum quemdam, nomine Petrum, eidem Nicolao, numerata pecunia, tradentis. Reperitur denique Odo, anno 1240, in instrumento quo Guillelmus de Vergeio beneficiarii prædii *Longecort* dimidiam partem a Stephano, Burgundionum comite, semet accepisse professus est; *Droz*, t. XXVIII, p. 239.

C. LXXVIII, col. 72.

X. Simon occurrit anno 1243 cum Wirrico, S. Vincentii abbate, paciscens. Septembri mense 1246, initum pactum inter Bisuntinum archipræsulem et Joannem, *Noroy* majorem, publici juris facit. Idem, anno 1253, inter eumdem archipræsulem eumdemque majorem compositionem aliam peractam declarat. Octobri denique mense 1255, cum Othone, *Quenoche* villico, seu majore, componit.

XI. Humbertus I, anno 1260, Amedeo de Monte Falconis plura vendit; *Droz*, t. XXX, p. 63. Idem, Octobri mense 1265, litteras edit de pactis rebus inter Thecelinum, Rochæ præpositum, et Reginaldum de Camborniaco; ibid., t. IX, p. 403.

XII. Stephanus I, Sabbati die post festum B. Leodegarii 1269, Joannem de Rocha excipit quæcumque jam cum Bellævallensibus pepigerat semet exsecuturum promittentem; *Droz*, t. IX, p. 476. Dein, mense Martio

A 1273, reperitur in litteris Humberti, Rubei Montis decani, de Reginaldo, *Athoyson* colono, ipsi Humberto a Sexata, Guillelmi *d'Agville* filia, vendito; ibid., p. 211. Idem, anno 1274, testis Stephani *de Roignon* multos agros Aimoni de Monte Biligardi vendentis; ibid., t. XXX, p. 154. Postea, anno quidem, ut videtur, 1275, instrumento subscripsit quo *Fondremant* ecclesiæ rector et Hugo *de Villefeaux* Aliciæ, Burgundiæ comitissæ, tertiam partem cujusdam furni, numerata pecunia, tradidere; ibid., t. XVI, p. 71. Nec multo post, Aprili scilicet mense 1276, B in præsentia Stephani, Aliciæ prædictæ eumdem furnum Alicia *d'Oiseler* pro suo jure vendidit; ibid., t. XV, p. 355. Decembri ejusdem anni Stephanus quædam cum Joanne, abbate S. Vincentii, permutavit et Joannem *de Larriaus* audivit in nomen Theobaldi de Novo Castro jurantem. Februario denique 1278, traditis nummis, syngrapham a Guillelmo, clerico, accepit; ibidem, t. X, p. 126.

XIII. Petrus I, anno 1280, sigillo suo litteras obsignat quibus Otho, Burgundionum comes furnum vici *Cromary* emit; *Droz*, C t. XVI, p. 427. Idem, Februario mense 1281, testis est Pontii *de Chatenoy* cum Clementia de *Nuevelle* pactionem quamdam ferientis; ibid., t. IX, p. 439. Octobri dein 1283, Reginaldum *de Roignon* audit in Theobaldi de Novo Castello nomen jurantem; ibidem, t. XXXVII, p. 542.

XIV. Theodoricus, anno 1291, Petri *de Reigney* juramentum excipit.

XV. Jordanus anno 1299 reperitur, a quo abbas Gratiæ Dei pecuniam mutuo accipit. Idem, idibus Martii 1301, plura permutat cum Stephano, ecclesiæ *Burgeilles* re- D ctore. Jordani quoque meminit parvi momenti schedula, Aprili mense 1302, apud *Droz*, t. X, p. 257.

XVI. Nicolaus, anno 1307, testis est fœderis inter Joannem Cabilonensem et Bisuntinos cives initi; ibid., t. XXVIII, p. 306.

XVII. Petrus II *de Gy* ab anno 1327 usque ad annum 1338 memoratur.

XVIII. Joannes I *de Nant* annis 1339, 1348, plura sub conditione census tradit; ibid., p. 293, 294. Obiit anno 1349; ex ejus epitaphio.

XIX. Guido II, dictus Divionensis, cum E Guillelmo, Gratiæ Dei abbate, de nonnullis jurgiis paciscitur, anno 1349. Idem reperitur anno 1352, Roseriensem abbatiam visitans; *Droz*, t. X, p. 543. Comes incessit, 3 Februarii 1363, Aymonis *de Villersexel* metropolitanam urbem ingredientis. Anno denique 1369, cum Eberardo *de Cirey* transegit; ibid., p. 270.

XX. Joannes II annis 1382, 1402; e variis abbatiæ chartulis, in Droziana farragine.

XXI. Antonius I, ad exemplum Joannis, quem prædecessorem suum appellat, ecclesiam *Chambornay* visitat anno 1407.

XXII. Stephanus II, anno 1426; e regestis officialis Bisuntini.

XXIII. Guillelmus II *de Moustier*, filius Hugonis *de Moustier*, equitis, et Petrinæ *Noblat*, testis est, 18 Martii 1442, vel potius 1443, Petri *d'Ornans* Stephanam *de Ceys* matrimonii vinculo sibi conjungentis; Hist. Dynast. Salin., t. I, p. 194. Abbatiali dein munere semet abdicavit, et in prioratum Augustinianum *Marast* secessit, quem prioris titulo rexit. Litteras artesque Guillelmus didicerat. Ut igitur e Bellævallensis conventus administratione liber fuit, tota legendis libris describendisque figuris otia addixit. Unde in suspicionem magicorum incantamentorum apud plebem, imo apud ipsos prioratus incolas, venit. Tanti sceleris reum archipræsul Bisuntinus coram caute delectis judicibus sistere jussit, quos Nicolaum *Jacquier*, fratrem Prædicatorem, Guillelmum de Rupe Forti, doctorem legum, et Joannem de Bosco fuisse comperimus. Comprehensus est igitur Guillelmus, et in castrum *Fontenoy-en-Vosges* traductus. Ut vero 24 Maii 1463 interrogatus est, falsitatem criminis facile detexit, eoque purgatus in libertatem missus est. De eo consule Hist. Dynast. Salin., t. I, p. 236.

Unus forsan inter Guillelmum Jacobumque abbas exstitit, cujus nomen nos fugit.

XXIV. Jacobus *de Theulley de Pontailler*, latine de Ponte Scisso, dein abbas fit Bellæ Vallis, futurus mox Cari Loci, Morimundi anno 1495, et Cistercii anno 1501. De eo supra, t. IV, col. 821 et 1007.

XXV. Antonius II *de Nant* obiit 22 Aprilis 1529, postquam Bellam Vallem annos 38 rexerat; ex ejus epitaphio. Marco, ei qui successit, adjutore usus est.

XXVI. Marcus *Cusseminet* abbas jam Bellævallis anno 1530, Roseriarum abbas fit anno 1546.

XXVII. Joannes III *du Tartre*, ex abbate Loci Crescentis, non diuturnum sane regimen apud Bellævallenses habuit.

XXVIII. Petrus III *d'Andelot*, anno 1547.

XXIX. Petrus IV *d'Andelot*, magnus idem cellarius S. Eugendi, ex antecedentis Petri adjutore.

XXX. Ludovicus I *du Tartre*, professor in Academia Dolensi, episcopus Nicopolitanus, suffraganeus Claudii *de la Baume*, archiepiscopi. Intererat comitiis Burgundiæ 10 Martii 1579.

XXXI. Petrus V *d'Albamey*, alias *Darbancey*, e S. Claudii Jurensis monacho antecedentis adjutor creatus fuerat a Philippo II, Hispanorum rege, 12 Martii 1583. Ludovico vero mortuo, a Bellævallensibus postulatur abbas 13 Decembris ejusdem anni, et hanc postulationem Guillelmus *de Mandre*, Cisterciensis abbatis vicarius generalis, 24 Martii 1584 ratam habet. Eumdem denique senatus Dolensis in possidendam abbatiam mittit 16 Aprilis. Benedictinus quidem Petrus erat monachus; Cisterciensem vero regulam sine mora amplexus est. Legitur Bellævalli præsidens annis 1601, 1602.

XXXII. Philippus *Boitouzet*, officialis Bisuntinus, mortuo Petro, ab archiducibus Alberto et Isabella abbatia donatur 26 Martii 1607. Eum Cisterciensis abbas instituit 5 Decembris, et in abbatiam possidendam senatus Dolensis deputavit 11 Februarii 1608. Philippus multis damnis afflictam domum accepit. Qui postquam sex millia florenorum in resarcienda ædificia impenderat, ei ab archiducibus data potestas reditus abbatiæ commodatori cuidam locandi, 23 Januarii 1610. Attamen, mense Junio 1615, Cisterciensis congregationis visitator generalis deformem abbatiæ faciem acerrime vituperavit, eoque postulante senatus Dolensis in nonnullas abbatis possessiones manus injecit, quarum annui reditus in sumptus stabiliendorum tectorum erogarentur. Philippo tandem integros muneris fructus rursus colligere per eumdem senatum licuit, ædificiis fere restitutis, 17 Martii 1617.

XXXIII. Joannes-Baptista *de Cuzance* ab archiducibus nominatur 31 Martii 1621, et in possessionem mittitur 25 Novembris.

XXXIV. Ludovicus II *Delatour*, abbas antea Bullionis, Bellævallis abbas fit ex auctoritate Isabellæ infantis, 20 Novembris 1633.

XXXV. Humbertus II Guillelmus *de Précipiano*, canonicus Bisuntinus, consentiente senatu Dolensi munus adeundi facultatem habet 5 Augusti 1650. Idem ab anno 1661 Bisuntinus decanus. Inter eum et Antonium Petrum *de Grammont*, quem summus Pontifex, conculcato regis jure, archiepiscopum, reservatis mensibus, instituerat, acerba, sub annum 1663, dissidia exarsere; cumque canonicorum Bisuntinorum, regis causam tuentium, præcipuus Humbertus Guillelmus esset, in hunc sibi minime morigerum excommunicationis sententiam Antonius Petrus detorsit. Anno 1670, in Ratisponæ comitia a Ludovico rege deputatur. Anno dein 1682 munus abdicavit.

XXXVI. Cæsar *de Marnais de la Bastie*, Viennensis clericus, e Vallis Clusæ priore Bellæ Vallis abbas a rege nominatur 5 Junii 1682, et in possidendam abbatiam mittitur 15 Decembris. Eo mortuo,

XXXVII. Ludovicus Albertus *de Lezay-Marnesia*, filius Claudii Huberti et Claudiæ Franciscæ *de Poligny*, ex abbate Bullionis Bellæ Vallis abbas fit 8 Augusti 1731, ea sub conditione, ut Ignatio *d'Arvisenet*, canonico, 1200 libr. quotannis numeret. Idem

dein Ebroicensis episcopus. Superstes erat anno 1790.

BALERNA.

Balernam non procul a vico *Champagnole,* in amœna valle quam cristallini fontes irrorant, *Monnet* castri toparchæ, duodecimo sæculo ineunte, condidisse memorantur. Ait Rogerius *de Monnet,* anno circiter 1184, id semet ex ipso patris ore accepisse; nec ejus testimonium Bisuntinorum fastorum quivis indagator hactenus infirmavit. Benedictinos primo monachos locus hospites habuit, ex abbatia Divionensi deductos. Prædiis eos auxerunt, anno 1114 Guillelmus, anno 1130 Ansericus, Bisuntini archiepiscopi, pluresque milites in agro circumjacente degentes. Anno vero 1135, Balernenses monachos arctioris disciplinæ studium subiit, et Cistercienses fieri exoptarunt. Eorum igitur votis annuens S. Bernardus Burchardum, Clarævallensem monachum, Balernam deputavit, eo qui Cisterciensia instituta intromitteret, edoctisque ab ipso discipulis præesset. E veteri Balernæ Chronico sequentia depromuntur: « Anno ab Incarn. « Domini 1136, ind. XIII, epacta XV, pridie « cal. Junii, cepimus nos Balernenses ordi- « nem Cistercii. » Pauca ad historiam Balernensis abbatiæ spectantia referuntur. Donis eam *Monnet* toparchæ non semel affecerunt; multa tamen ab eisdem damna, quibus resistere non valebat, passa est. Anno 1663, quatuor tantum ibi monachi, et duo novitii. Anno 1755, ecclesia et claustra incendio sublata. Quæ non multo post e solo rursus educta prodierunt: posteriora tamen ædificia prioribus minora fuere.

Historiam Balernæ brevem a D. Desiderato *Monnier* digestam præbet Annuaria Jurensis præfecturæ Ephemeris, ann. 1844.

Abbates Benedictini.

I. Joscelinus e S. Benigni Divionensis monacho Balernæ primus abbas comperitur, qui, anno 1114, mediam ecclesiam *Cognosch,* juxta vicum *Loulle,* a Constantino, clerico, annuente Guillelmo archipræsule, impetravit (1).

II. Aimo, monachus et cantor S. Benigni, Joscelino successit anno circiter 1122. Monachus quidam vagus, Theodoricus nomine, vallem *Migette* devenerat, ibique capellam exstruxerat. Audita re, Ansericus archipræsul baculum pastoralem Theodorico obtulit. Is autem ut Aimoni, Balernæ abbati, traderetur postulavit. Quod fecit Ansericus, anno 1123; *Droz,* t. XIII, p. 421. Alteram ecclesiæ *Cognosch* partem Aimo dein, anno 1130, ab Anserico accepit. Ad eumdem missæ, annis 1124, 1129, 1132, Calixti II, Honorii II et Innocentii II litteræ, de juribus Balernensis abbatiæ. Quo decedente Cisterciensia instituta Balernenses monachi amplexi sunt.

(1) Hanc donationem, quodam calami lapsu, D. A. *Rousset* anno 1155 adscribit; Dict. Geogr., I, IV, p. 19.

Abbates Cistercienses.

I. Burchardus, alias Brochardus, e Claræ-vallensi monacho abbas Balernæ fit pridie cal. Junii 1136; qui Bullionis, anno incerto, conditor fuit. Anno pariter incerto, occurrit in litteris Guidonis Ermenfredi erga Roserias benefici; *Droz,* t. X, p. 362. E variis diplomatibus Burchardum annis 1143, 1146, 1156, 1157, Balernæ præfuisse Casparus Jongelinus collegit. Anno revera 1146 *Glennon* prædium a Balmensibus monachis accepit, et, anno 1157, scriptis ad eum litteris, Fredericus I abbatiæ possessiones confirmavit. Balernam vero sub id temporis deseruit, Bellævallensis domus administrationem, Pontio defuncto, suscepturus. S. Bernardo carissimus exstitit, et ad eum Bernardus epistolam misit, quæ numerum 146 inter clarissimi viri Epistolas præbet. Ipse Burchardus in arte scribendi peritus, epistolas complures aliaque opuscula texuerat, ut Jongelinus e veteri librorum Balernensium indice tradidit. Nihil vero ex his superest, præter epistolam ad Nicolaum, Arremarensem monachum, quam Annalium Cisterciensium auctor edidit, t. II, c. 9, sub annum 1145, et epilogum ad vitam S. Bernardi a Guillelmo de S. Theodorico conscriptam, inter Opera S. Bernardi a Mabillonio edita, t. II, col. 1090. De eo consule Hist. Franc. Litterar., t. XIII, p. 323.

II. Guichardus post Burchardum recensetur; e tabulis Vallis Clusæ.

III. Quintavallis legitur anno 1172, a Gualcherio Salinario confirmata impetrans bona quæ Humbertus Gualcheriusque, Gualcherii pater avusque, Balernæ dederant; Hist. Dynast. Salin. a J. B. Guillelmo, t. I, Instr., p. 52. Idem, anno 1175, testis est Gualcherii ejusdem, ecclesiæ S. Stephani Bisuntinæ villam *Sup* condonantis, ibid., p. 54, et, anno incerto, Roseriarum possessiones confirmantis. Eo denique qui supra legitur anno, subscripsit litteris Gerardi, Viennensis comitis, anniversarium Gualcherii Salinarii in ecclesia S. Anatolio sacra instituentis; ibid., p. 55. Sequente, Quintavallis nomen præbet Rogerii de *Monnet* chartula erga Roserias benefici; *Droz,* t. X, p. 365. Anno tandem 1180 reperitur in litteris Rogerii, Lausannensis episcopi, Bellævallensium possessiones confirmantis. De eodem sub annum 1183 mentionem Casparus Jongelinus fecit. Ch. I, col. 48.

IV. Thomas, anno 1188, testis est Theo-

dorici archipræsulis Altæ Ripæ ab Hugone data sancientis; *Droz,* t. XLIII.

V. Guido I, annis 1194, 1195. Conjecit Casparus Jongelinus veteres Balernæ abbates non perpetuos, seu ad vitam, sed amovibiles fuisse, cum ipsæ Balernensis archivi tabulæ brevem cuivis eorum præfecturam assignent.

VI. Guillelmus I, anno 1196; e serie quam Casparus Jongelinus ex archivo Balernæ collegit.

VII. Guido II, annis 1196, 1197, 1198.

VIII. Guillelmus II, annis 1198, 1199.

IX. Joannes I eodem anno 1199 memoratur, multis rebus auctus a Pontio *de Cuisel.*

X. Gualterius I VII id. Martii 1200 recensetur.

XI. Guido III, annis 1200, 1202, 1203, 1204.

XII. Gualterius II anno 1206, 1208, 1209. Eo anno 1209, a Petro *de Molpré,* turrim Savarici de S. Germano, in urbe Poliniacena, accepit et circumjacentes agros; Hist. Dyn. Salin., t. I, p. 233.

XIII. Petrus I, in capella Braconis, anno 1210, Guidonem de Monneto audivit Balernensibus monachis, quos multis antea molestiis afflixerat, benevolentiorem semet fore promittentem; Hist. Dynast. Salin., t. I, instr., p. 96. Idem reperitur Petrus annis 1212, 1213.

XIV. Robertus, 1216, mense Junio.

XV. Gunthardus, VI id. Julii 1217.

XVI. Albertus, 1218, 1220, 1221.

XVII. H., Aprili mense 1227 occurrit in pacto de Bellævalli rebus a Balerna venditis; *Droz,* t. IX, p. 644.

XVIII. Odo, mense Julio 1228, Montem S. Mariæ se recipit, et de initiis hujus abbatiæ inquisitionem facit. Eum Jongelinus usque ad annum 1243 memorat. Obiit VII cal. Martii.

XIX. Guido IV, anno 1250.

XX. Aimo, annis 1262, 1263.

XXI. Joannes II *de la Ferté* e Cisterciensi priore Balernæ abbas fuit; qui, anno 1268, in Angliam Cisterciensium monasteriorum visitator missus, inter fluctus interiit; Henriq., Fascic. Sanct., p. 418.

XXII. Nicolaus, anno 1269.

XXIII. Reginaldus nondum consecratus Odoni archipræsuli fidem spopondit V cal. Martii 1273, secundum veterem calculum. Brevissimum ejus regimen, nam

XXIV. Humbertus eidem Odoni obsequium promisit III non. Novembris 1275. Eo regente, Richardus *de Monnet* erga monachos beneficus fuit. Memoratur dein Humbertus anno 1277, in sched. *de Gaignières,* num. 247.

XXV. Guillelmus III erga Odonem archiepiscopum juramento semet obligat in octava apostolorum Petri et Pauli 1281. Idem, A anno 1285, mense Septembri, cum Joanne Cabilonensi fœdus pangit; *Droz,* t. XXIX, p. 226. Anno dein 1287, testis est Stephani *Piacet de Meges* obsequium Joanni Cabilonensi promittentis; *Perreciot, Et. des Pers.*, t. III, p. 133. Anno 1288, Octobri mense, litteras obsignat Joannis *de Ceys* cum eodem Joanne Cabilonensi pactionem ferientis. Ipse dein, anno 1292, plura cum Joanne, abbate S. Pauli, permutat, necnon cum Joanne Cabilonensi; *Droz,* t. XXIX, p. 56. Sequente, in urbe Salinis, fœdus obsignat inter Othonem, Burgundiæ comitem et Joannem Cabi-
B lonensem initum; ibid., t. XVI, p. 514. Quo etiam anno testis est Petri, administrandis Vesuntionis rebus præfecti, cum eodem Joanne Cabilonensi paciscentis; ib., t. XXVIII, p. 507. Anno 1295, litteras laudat Gualterii *de Commercy* Castri Novi incolis quasdam immunitates concedentis; ibid., t. XXVII, p. 25. Guillelmi alia parvi momenti diplomata annis 1299, 1303, meminere. Anno denique 1304, a Joanne Cabilonensi ad Vesuntionenses oppidanos legatus Guillelmus mittitur, ibid., t. XXV, p. 310; qui eum Joannemque de *Noseroy,* mense
C Februario 1305, secundum recentem computationem, arbitros excipiunt a quibus solvantur lites inter Joannem Cabilonensem et Burgundionum comitissam exortæ; ibidem, t. XXVI, p. 86. Eum jam ex ea legatione comperi magnam auctoritatem consecutum esse. Nec multo post, ut videtur, ex abbate Balernæ abbas Cari Loci, dein Claræ Vallis salutatus est.

XXVI. Joannes III *d'Arbois,* ab anno, ut aiunt, 1306. Anno 1323, mense Novembri, una cum Beatrice Viennensi nonnullas immunitates incolis vici Fraxini confirmat;
D *Droz,* t. XXVII, p. 25. Superstitem hunc Casparus Jongelinus usque ad annum 1348 memorat.

XXVII. Guido V *Toisset,* alias *Touchet,* Poliniaci natus, ab anno 1349 usque ad annum 1390 memoratur. Anno 1350, vectigalia nonnulla dimisit a vici *Chambly* incolis quotannis exigenda: in cujus beneficii memoriam hi non parvam nummorum copiam Guidoni præbuere. Præerat etiam Guido 25 Aprilis 1390.

XXVIII. Simon I *de La Loye,* 1391, 1393, 1400, 25 Decembris.

E XXIX. Laurentius *de Valdieu,* alias *de Vaudioux,* ab anno 1405 usque ad annum 1430.

XXX. Joannes IV *de Paigny* obiit, ut ferunt, anno 1436.

XXXI. Petrus II *Maréchal,* e Fratre Prædicatore factus abbas, decessit anno 1456.

XXXII. Joannes V *Rolin,* episcopus Cabilonensis, dein Æduensis, commendatariorum abbatum primus fuit. Ab anno 1456 usque ad annum 1471 occurrit.

XXXIII. Anselmus *Bouton*, protonotarius apostolicus, Balernæ fit abbas, postquam antecedens in ejus gratiam munere semet abdicaverat. Ipse quoque Anselmus, 1 Maii 1475, munus idem in sequentem contulit.

XXXIV. Joannes VI *de Cirey*, patria Divionensis, e monacho Caritatis fit abbas Tulleii, dein Balernæ anno 1475, et sequente Cistercio præficitur.

XXXV. Simon II *Friand*, alias *de Faucogney*, alias *de Faverney*, Balernæ abbas instituitur anno 1476; ex ind. chart. Dol., B. 5. Qui, anno 1484, Burgundiæ comitiis interest, a clero legatus. Idem, anno 1495, Cisterciensis abbatis vicarius generalis, Franciscum Vincentium, Accincti abbatem, munus dimittentem excipit. Ornamentorum ei pontificiorum concessus usus. Obiit anno 1499.

XXXVI. Claudius I *Bachot*, alias *Baichod*, 1499, 1500, 1502.

XXXVII. Antonius *de Vienne*, abbas idem Molismi, Sancti Sequani, Firmitatis ad Gronam, Miratorii, et Maceriarum, necnon episcopus Cabilonensis, occurrit commendam Balernæ possidens a 4 Septembris 1506 usque ad 18 Januarii 1527. Dimissa, ut videtur, ab aliquot annis Balernæ præfectura, obiit mense Februario 1552.

XXXVIII. Guillelmus IV *de Poupet*, Caroli de *Poupet* filius et Philibertæ *de la Baume*, abbas idem Balmæ et Goliæ, hæredem suorum bonorum instituit, 8 Octobris 1579, Ludovicum *de la Baume*, comitem *de St-Amour*, e matre nepotem, obiturus XIII cal. Septembris 1583.

XXXIX. Claudius II *de Beauffremont* adjutor exoptatus fuerat a Guillelmo *de Poupet*, Guillelmique votum Philippus rex gratum habuerat, tam 1 Augusti 1563, quam 14 Augusti 1579. Res autem nullum effectum sortita erat. Guillelmo denique defuncto, Gregorius papa XIII abbatiale munus in Claudium transtulit 26 Martii 1584, et rex ad fratres scripsit 28 Maii, eos jubens Claudium postulare. Nec multo post, 20 Junii, idem a senatu Dolensi in possessionem missus est. Ille Trecensis erat episcopus, necnon abbas Accincti et Longi Vadi. Balernæ regimen dimisit anno 1591, in gratiam Claudii, e fratre nepotis.

XL. Claudius III *de Beauffremont* Balernam, abbatiali baculo potiturus, ab Hispanorum rege mittitur 26 Maii 1592. Quem, 5 Septembris 1601, litteræ pontificiæ Valclusensi prioratu et insimul abbatia Balernensi donant. Idem Vesuntionensis ecclesiæ præcentor erat. Per archiduces ei licuit, 5 Decembris 1613, abbatiales reditus locare. Præfuit anno 1614, 10 Septembris, Burgundiæ comitiis : iisdem interfuit 16 Januarii 1624. Morbo forsan laborans Claudius fratrem germanum Joachimum hæredem suum instituit 5 Novembris 1631. Diutius tamen vixit. Anno 1636, 15 Januarii, Gabriel *Durand*, abbas Montis S. Mariæ, necnon ordinis Cisterciensis generalis visitator, Balernam se recepit. Eum protinus adeunt monachi, ad victum necessaria sibi denegari, abbatis avaritia culpata, clamitantes. Quorum precibus obsequens prædictus Gabriel *Durand* quædam præscribit a senatu Dolensi, 13 Februarii, approbanda.

XLI. Philippus *Chifflet* e priore Belli Fontis abbas Balernæ creatur a Philippo IV, et in possidendam abbatiam a senatu Dolensi mittitur 9 Decembris 1639.

XLII. Julius *Chifflet*, Philippo mortuo, eodem munere a Philippo IV donatur mense Februario 1657, bullis instituitur pontificiis 20 Aprilis, et in abbatiam, e senatus Dolensis auctoritate, intromittitur 14 Novembris. Interfuit, 5 Novembris 1671, cleri Bisuntini percelebri concioni, quam Antonius Petrus archipræsul coegerat. Obiit anno 1676.

XLIII. Joannes VII Jacobus *Fauche*, canonicus Vesuntionensis, Julio defuncto sufficitur a Ludovico, Gallorum rege, 20 Julii 1676, et in possessionem mittitur 13 Augusti, anno 1687 decessurus.

XLIV. Jacobus *Frotté de la Chétardie*, presbyter Turonensis, post Julium abbatia donatus a Ludovico rege legitur, 18 Maii 1687. Eodem die prædictus rex Jacobum *Jourdain* abbatiali mensæ possessiones adscriptas œconomi titulo administrare jussit. Jacobus munere semet abdicavit anno 1722, retenta ducentarum librarum pensione.

XLV. Guillelmus V Henricus *Berard de Montallet de Vilèbre*, archidiaconus Senonensis, litteris regiis abbas creatur 4 Junii 1722, et 22 Octobris in possidendum munus a senatu Dolensi mittitur. Decessit anno 1767.

XLVI. Claudius III Ignatius *Franchet de Rans* ab anno 1767 usque ad annum 1790.

CARUS LOCUS.

Carum Locum, in decanatu Faverniaci et Bugiaco viculo, canonici, ut videtur, regulares primum habuere; nec eis ab origine præfuit abbas, sed prior. Prior Cari Loci instituitur Germanus, anno 1127, ab ipso Anserico archipræsule, eamque institutionem referentes litteræ agri Vesuntionensis magnates memorant, quorum beneficio fratrum Cari Loci degentium res ea tenus non parva sortita erat incrementa; Gislebertum scilicet de Jussiaco, Paganum Rufum, Odonem Rufum, Guidonem de Juncivilla, Guillelmum *de Pesmes*, aliosque minoris famæ. Carilocensem vero domum non alter, ut videtur, post Germanum prior administravit.

Anno sedenim 1130, Reginaldus, Burgun- A dionum comes, ecclesiam Cari Loci, quam nuper construxerat, Cisterciensibus monachis addicit, eoque deductos e claustris Claræ Vallis ascetas proprio abbati parere jubet : quam rerum mutationem Ansericus archipræsul sub idem tempus approbat. Unde veteribus in schedulis legitur abbatia Cari Loci, consummato videlicet opere, 17 Januarii 1131 condita. Humillima quidem domus initia habuerat : intra paucos tamen annos adeo frequentes eo convenerant monachi, Clarævallensis disciplinæ amplectendæ studio, ut plures sub idem veluti B tempus coloniæ ex eodem loco deducerentur. Carilocenses enim, anno 1134, Altam Cristam, in Lausannensi diœcesi, anno circiter 1136 Altam Ripam, in eadem diœcesi, anno 1137 Bellum Locum in Bassigneio, in Lingonensi diœcesi, Cisterciensibus ascetis instruxerunt : quod etiam sub tempus primum Accincto referuntur abbatem ministravisse. Nemini igitur mirandum videbitur S. Bernardum, Clarævallis abbatem, pio Carilocenses affectu semper prosecutum esse, et plusquam semel apud eos, ut narrat Guillelmus de S. Theodorico, moram fecisse. C Diversa a diversis damna, labentibus annis, Carilocensis domus passa est; nullum majus quam a Calvinianis cohortibus, mense Februario 1569. Tunc enim, vastatis jam abbatiæ prædiis, abbatiam ipsam aggreditur Claudio *de la Baume* infensissimus *Savigny de S. Remy*, cujus, ut videtur, sorori clandestino connubio Claudius aliquantisper conjunctus erat. Exitiales ille tædas admovet, incendioque abbatia exhauritur. Solam memorant ecclesiam e tanta clade superstitem exstitisse. Idcirco septem tantum monachi, anno 1598, in restauratis ædificiis D occurrunt. Crevit postea eorumdem numerus, et ante bellum Gallicum octo decemque recensebantur : sed post hoc bellum, anno scilicet 1663, tres tantum ibidem, præter abbatem, monachi, cum duobus conversis. Reditus ipsius abbatiæ eadem procella minuti. Exstat vero eorumdem redituum breviarium, anno 1780 digestum, in quo 42,492 librarum abbati assignata leguntur, monachis 30,000. In opulentissimam igitur domum Carus Locus desiit.

Chartularium Cari Loci in Maxima Parisiorum Bibliotheca servatur, inter chartu- E laria separatim ordinata, num. 108. Hoc etiam exhibet tomus *Droz* duodecimus. In eodem insuper *Droz* volumine extravagantium chartarum nimis abbreviatus index occurrit, qui tamen de rebus ad abbatiam spectantibus permulta documenta suppeditat. Auxilium quoque nobis in pluribus opportunum præbuit Commentatio de Carilocensi abbatia a D. L. *Besson* conscripta, et anno 1847 typis Vesuntione mandata.

SERIES ABBATUM.

I. Guido (1) I, quem Clarævallensem antea monachum opinantur, Caro Loco primus præfuit. Anno jam 1131, litteris Anserici archiepiscopi pro Bella Valle subscripsit, et, anno 1132, eodem sigillo ejusdem Anserici diploma munivit de Faverniacensi abbatia Casæ Dei subjicienda. Guidoni abbati consilium fuit, anno 1137, ut Cisterciensem abbatiam, Altam Ripam nomine, in diœcesi Lausannensi exstrueret : quam fundationem Guido, Lausannensis episcopus, illico approbavit. Dein, anno circiter 1140, testis reperitur S. Bernardi Clarævallensis, inter abbates S. Apri Luxoviique pacem facientis. Quod circa tempus Romam Guido se recepit, litterarum lator quas S. Bernardus ad Innocentium II scripserat, acerbe querens de Bisuntini tractus quodam abbate ipsi Guidoni infestissimo. S. Bernardi litteras habemus inter ejus Opera, epist. 198, 199 : e quibus colligere licet hunc sine certo nomine abbatem Faverniacensem exstitisse. Anno tamen 1141, explorata re, Cari Loci Guidonisque causa judicibus quos summus Pontifex designaverat potior visa est. Interfuit Guido, anno circiter 1142, consecrationi Bellævallensis ecclesiæ, testisque sub (Ch. XXX, col. 33.) idem tempus fuit Bernardi de Roseriis quidquid Cyriaci possidebat præmemoratæ ecclesiæ condonantis. Idem, V cal. Maii 1145, Juncivillæ, litteris Humberti archipræsulis subscribit, quibus ecclesia Camborniacena (Ch. XXXI, col. 34.) Bellævalli tradita. Anno dein 1158, ipsi Guidoni Montiniacenam ecclesiam Humbertus confert. Eodem denique anno, X cal. Julii, testis occurrit canonicorum S. Pauli et Bellævallensium monachorum de possessionibus quas Balmetæ possidebant transigentium. Nec multo post vitæ metam attigit. Optimam famam consecutus, Beatis postea Guido annumeratus est; eum Menologium Cisterciense, 23 Septembris, peculiari laude cohonestat, et B. Guidonis gesta singulatim enarrata reperies inter Vitas SS. Sequanic., t. IV, p. 217. Ei tribuitur Epistola de Cantu quam Mabillonius publici juris fecit, inter Opera S. Bern., p. 699.

II. Lucas, ut aiunt, Pagani *de Soye* filius fuit, et Theodorici *Mathay* præpositi frater. Anno circiter 1162, cum Bernardo, Bellævallis abbate, inter Loci Crescentis et *Lanthenans* monachos pacem facit. Anno postea 1166, a Manasse, Lingonensis ecclesiæ de-

(1) Guidonem e gente *Durnes* in Varasco natum asserunt auctores Sanctorum Sequan., t. IV, p. 217. Guido enim *abbas* dictus *de Durneu*, vel *de Durnac* in chartis Gualcherii Salinarii et Reginaldi comitis, annis 1133 et 1148 occurrit. In aliis vero Reginaldi comitis litteris, quas Perardus sub annum 1143 edidit, Coll., p. 227, is *Guido cognomento abbas* nuncupatur. Hujus cognomenti originem quærat alius : hic dicere sufficit Guidonem sæpe dictum abbatem civili, minime monasticæ militiæ, nomen dedisse.

cano, litteras accepit, quibus ei Mons Rafredi traditus, ut in eo loco novam abbatiam conderet, Cisterciensibus institutis addictam; supra, t. IV, Instr., col. 181. Ea abbatia Bellus Locus in Bassigneio appellata est. Ad eumdem scriptis litteris, eodem anno, Gualterus, Lingonensis episcopus, prædictam traditionem approbavit. Morimundi vero monachis agros Bellilocensibus assignatos sibi vindicantibus, exorta lis, quam Lucas opportuna pactione sopivit. Id refert Morimundensis chartula, chronicis notis carens, quam pariter antecessores nostri typis mandavere; ibid., col. 182. Ipse Gualterus supra memoratus, Lingonensis scilicet præsul, donationem quamdam laudans Theoloco factam a Richardo de *Poiens*, Lucam, Cari Loci abbatem, hujus doni testem memorat; *Droz*, t. XII, p. 159. Huic quoque Gualteri diplomati notæ chronicæ desunt. Anno 1170, Stephanus, Burgundiæ comes, Hierosolymitanum iter aggrediens, ecclesiæ Bisuntinæ, præsente Luca, plura donat. Testis quoque Lucas reperitur, anno 1173, ejusdem Stephani erga Bellam Vallem [Ch. XLV, col. 43.] benefici. Anno dein circiter 1174, litteras Eberardi archipræsulis pro Bethania obsignat. Eo certius anno, secundum recentem calculum, nempe v id. Februarii, litteris ejusdem Eberardi pro Bello Campo Lucas subscribit. In comitatu scilicet Eberardi, eum qui acceptissimum habuisse videtur, frequens Lucas fuit. Cui et Bernardo abbati Bellæ Vallis, anno incerto, dissidia inter Accincti monachos et Girardum *de Tervay* exorta prædictus archipræsul componenda demandavit; ibid., t. XI, p. 32. Sub annum vero 1175 circiter decessit.

III. Petrus I anno 1179 innotescit e charta Pontii de Rupe monachis lignandi jus in suis nemoribus concedentis.

IV. Guido II Visulii reperitur anno 1188, [Ch. LV, col. 53.] ubi Ludovici, comitis Salverniæ, litteras obsignat de controversia quæ inter Bellævallenses monachos et Quonoschiæ colonos erat exorta. Anno deinde 1193, in capitulo Cistercii generali, monachum Gardi, Eustachium nomine, increpat, qui prædium quoddam ad prædictam abbatiam pertinentem invaserat, et jure spreto retinebat. Eumdem D. *Besson* anno 1194 Lucellam missum memorat, et ad condendum prioratum *Lautenbach* cum Bellævallis abbate conspirantem.

V. Gabaudus, Gobaudus, quem Paradinus Agobardum appellat, occurrit, anno 1196, cum Clarifontis abbate, coram Cisterciensis congregationis capitulo generali, litigans; quam litem abbates Bethaniæ et Albæ Ripæ, delegati judices, sopivere; e Chartul. Cariloc. Cum eodem transegit Philippus *de Ache*, monachorum possessionibus infestus; ibid., fol. 36. Gabaudi præfecturam usque ad annum 1207 producunt, eumque referunt, ob conculcatam Cisterciensis ordinis regulam, damnatorio judicio, sub vitæ finem, jejunio unius diei mulctatum.

VI. Galo memoratur anno 1209, cui per Guidonem *de Pesmes* licuit beneficiariis ejus clientibus monachicam vestem conferre.

VII. Guido III reperitur anno 1214, cum Henrico, Fontisvennæ domino, de fructibus vineæ paciscens, quam Longam Plancham nuncupabant; ex abbatiæ chartular., fol. 84. Idem, anno 1224, testis est Odonis *de Frelois* Accincto plura concedentis; *Droz*, t. XI, p. 127. Quidam Guidonem eo anno obiisse memorant. Vita autem ejus in annum 1226 producenda. Eo scilicet anno, mense Septembri, litteras edidit de Guillelmo, Faverniacensi milite, cum priore S. Marcelli paciscente; apud S. Perardum, Collect., p. 409.

Gabaudus, Galo Guidoque tria nomina sunt quæ ab eadem littera initium faciunt. Cum autem ea tantum littera, cæteris prætermissis, præsidentem abbatem chartularium Cari Loci sæpe designet, difficillimum nobis fuit propria Gabaudi, Galonis Guidonisque gesta discernere, et breve vel diuturnum eorum regimen certis limitibus circumscribere. Nec etiam certo comperimus Guidonem Galonis successorem fuisse: Cisterciensia enim regesta contrahens *de Gaignières* Galonem anno 1230 superstitem fuisse asserit.

VIII. Reginaldus I, præfecturam vix auspicatus, acerbissimis contumeliis ab ipsis monachis impetitus est. Eos quidem Cisterciense capitulum condemnavit: Reginaldus vero anno 1227 munere semet abdicavit, 1 Maii 1228 decessurus.

IX. G., cum Dagneta, H. Fontivennensis vidua, de bujus H. hæreditate, anno 1229, [Ch. LXXVII, col. 71.] composuit. Nec chronicas hujus chartæ notas aliquo vitio laborare putes, cum nomen præbeat Nicolai tunc temporis *electi*.

X. Albericus testis occurrit, anno 1241, cum Conone, Flabonis Montis abbate, Joannis et Garnerii *de Mosteruel* cum Luxoviensi monasterio transigentium; e schedis *Droz*, t. VIII, p. 620. Unde colligitur mendam aliquam in seriem abbatum Flabonis Montis ab antecessoribus nostris digestam irrepsisse. Nisi tamen annus 1231, pro anno 1241, in Luxoviensi chartula legendus sit.

XI. Guillelmus I, anno 1242, litteras edit de Jacobo *de la Risée*, cui in priorem S. Marcelli benefico Gilbertus, tunc abbas S. Benigni Divionensis, promiserat semet unam e filiabus ejus monialem facturum; inter Collect. Perardi, p. 450.

Albericum quidam sub annum 1256 ponunt, sed prorsus infelicis conjectura. Agnetis enim de Firreta chartula, eo anno data, e qua nomen Alberici depromsisse referunt,

quolibet abbatis nomine caret; apud Schœpflinum, Als. Diplom., t. I, n. 567. Adde quod anno 1256 plane diversus ab Alberico Cari Loci clavum abbas regebat.

XII. Bisuntius anno 1255 litteras obsignat Gerardi *de Mosteruel* semet Hugonis comitis clientem agnoscentis; *Droz,* t. XVI, p. 126. Eodem presente, anno 1256, Guillelmus *de Moustier de Messialx* comiti Burgundiæ obsequium promittit; ibid., p. 147. Superstes Bisuncius fuit usque ad annum 1264, ut comperimus a J. B. Guillelmo, Hist. Dynast. Salinar., t. I, p. 347.

XIII. Simon, anno 1264, testis est Isabellæ, Guillelmi de Rocha filiæ, quædam Amedeo de Monte Falconis vendentis; *Droz,* t. XXX, p. 87.

XIV. Gualterius, Junio mense 1275, cum Garnerio, Portus priore, de terminis villarum *Courcelle* et *Confracour* paciscitur; ibid., t. XII, p. 406.

XV. Joannes I, die Martis ante festum SS. Philippi et Jacobi 1277, laudat litteras quibus Caseoli toparchæ quarumdam villarum ad Faverniacenses pertinentium se custodes profitentur; ibid., t. X, p. 621.

XVI. Richardus, anno 1304, cum Roberto, Cabilonensi episcopo, Dolam Sequanorum se recipit, hique, mandato summi Pontificis, ecclesiam Dolæ collegiatam instituunt; ibid., t. XV, p. 467.

XVII. Guillelmus II, ex abbate Balernæ Cari Loci præfecturam assecutus, anno, ut ferunt, 1305, magni nominis vir, Clarævallis abbas efficitur anno 1312; supra, t. IV, col. 808.

XVIII. Theobaldus anno 1314 occurrit; anno 1317, ut ferunt, moriturus.

XIX. Joannes II ab anno 1317 usque ad annum 1320.

XX. Reginaldus II reperitur 7 Junii 1323, contentionis arbiter quæ inter Joannem Cabilonensem, Aliciæ de Monte Biligardi maritum, et Hugonem de Burgundia, de Reginaldi, comitis Montis Biligardi, hæreditate exorta erat. Idem, anno 1326, litteras obsignat, quibus inter abbatem Loci Crescentis et colonos vicorum *Mancenans* et *Etrapes* de variis juribus pax inita. Obiit Reginaldus 1 Maii 1328.

XXI. Arnulfus post Reginaldum recensetur, cujus solum nomen posteris traditum est.

XXII. Guido IV *de Caudenay,* abbas idem Theoloci, anno 1338.

XXIII. Nicolaus *de Campignolle* anno 1341 reperitur. Is, anno 1349, abbatibus Gratiæ Dei et Bellæ Vallis suadet ut mutuis dissidiis finem dent. Obiit, ut ferunt, anno 1357.

XXIV. Odo *de Pierrefitte* e Cari Loci monacho abbas factus est post Nicolai mortem, ut Innocentii VI litteræ memorant, apud Suaresium. Anno 1358, eum abbatiæ

A præsidentem memorat J. B. Guillelmus, Hist. Dynast. Salin., t. I, p. 321. De eodem, anno 1360, officialis Bisuntini regesta fidem faciunt. Obiit anno 1365, et eo defuncto, cum bellorum æstu Bisuntinus ager totus ferveret, per quatuor circiter annos sedes abbatialis vacua permansit.

XXV. Joannes III eligitur anno 1369.

XXVI. Guido V *de Pierrefitte* ab anno 1393 usque ad annum 1396.

XXVII. Joannes IV *de Vaux* ab anno 1396 usque ad annum 1400. Ejus anno 1396 meminit J. B. Guillelmus, Hist. Dy-
B nast. Salin., t. I, p. 321.

XXVIII. Joannes V *d'Aynans* ab anno 1400 usque ad annum 1410.

XXIX. Laurentius procurator generalis totius congregationis eligitur annis 1412, 1416. Quo nomine, anno 1415, concilio Constantiensi interfuit. Anno 1421 Parisios mittitur, qui San-Bernardino gymnasio in meliorem statum revocando operam impenderet.

Sub idem tempus, anno scilicet 1413, Cari Loci abbas legitur Jacobus *de S. Eustache,* cardinalis, quem anno 1431 deces-
C sisse memorant.

XXX. Stephanus Laurentium excepit, cujus præfectura permultis ærumnis afflicta fuit, dum turmæ armatæ vicinos agros ipsamque abbatiam popularentur.

XXXI. Jacobus I *de Montigny* obiit, ut ferunt, anno 1456.

XXXII. Joannes VI anno 1459 moritur.

XXXIII. Ægidius *de La Tour* e Sigilleriarum monacho Cari Loci factus abbas, Claræ Vallis abbati a Pio papa II commendatur anno 1459. Is Germanorum Gallorumque cohortes vicissim infensas expertus
D est, decessurus anno circiter 1476.

Eo mortuo, Carolus dux a summo Pontifice petiit ut abbatiale pedum traderet Matthæo *Des Clercs,* quo legato necnon medico utebatur. Munere vero donatus est Joannes *de Cleron,* canonicus Bisuntinus, id qui detrectavit.

XXXIV. Drovetheus *Henrion,* anno 1483, 1486. De quo, sub postremum hunc annum, regesta officialis Bisuntini.

XXXV. Jacobus II *de Theulley de Pontailler,* latine de Ponte Scisso, ex abbate Bellæ Vallis fit abbas Cari Loci anno circi-
E ter 1491, dein Morimundi anno 1495, et Cistercii anno 1501. De eodem supra fusius, t. IV, col. 821, 1007.

XXXVI. Matthæus I *Six,* e monacho Clarævallis, anno 1496, Cari Loci abbas reperitur.

XXXVII. Remigius *Morelot,* alias *Morelet de Brassey,* Matthæo succedens anno 1500, ultimus regularium abbatum fuit.

XXXVIII. Carolus *de Brassey,* anno circiter 1515, commendatariorum primus.

XXXIX. Claudius I *de Nicey*, theologiæ doctor, ab anno 1522. Ei Paulus III, idibus Octobris 1538, hanc potestatem fecit ut quoslibet qualibet ecclesiastica censura solveret, eidemque, necnon ejus successoribus, pontificalium ornamentorum usum concessit; *Droz*, t. XII, p. 332. Obiit anno 1546. Idem abbas fuit Escuraii, in Tullensi diœcesi. Expungendus hic error antecessorum nostrorum qui, t. XIII, col. 1115, Claudium hunc nostrum Cari Loci, in diœcesi Matisconensi, abbatem fuisse contenderunt.

XL. Claudius II *de La Baume*, filius Claudii, Burgundiæ gubernandæ præfecti, et Guillelmæ *d'Igny*, annos circiter quindecim natus, archiepiscopus jam Vesuntionensis, Carilocensem commendam anno 1546 obtinuit. Abbatiam vero regendam Nicolao *Guerin*, priori, commisit. Idem Nicolaus inter suffraganeos Claudii archiepiscopi episcopos recensetur. Munere semet Claudius abdicavit anno 1579.

XLI. Prosperus *de La Baume-Montrevel* abbas Cari Loci a Gregorio papa XIII creatur, VI cal. Augusti 1579; ex origin. pergameno quod servat Max. Paris. Bibliotheca, chart. capsa 1798. Idem decanus Bisuntinus fuit et simul abbas S. Pauli et Miratorii, decessurus 7 Junii 1599.

XLII. Ferdinandus *de Rye*, archiepiscopus jam Bisuntinus, atque permultis aliis beneficiis dives, ab archiducibus Alberto et Isabella Caro Loco donatur, 24 Septembris 1599, sub hac tamen conditione ut Joanni Ludovico *Laloos* ducentos annuatim nummos persolveret. Bullas diu exspectavit : quibus ad eum missis 29 Maii 1605, possessionem adiit e senatus Dolensis auctoritate 2 Augusti 1606.

XLIII. Franciscus *de Rye*, archiepiscopus quoque Vesuntionensis, obiit 17 Aprilis 1637.

XLIV. Petrus II *de Cleron*, abbas antea Theoloci, abbas Cari Loci nominatur a Philippo IV, 1 Martii 1639, et, 19 Aprilis, in possidendam abbatiam a senatu Dolensi deputatur. Annis 1654, 1657, 1658, 1662, Burgundiæ comitiis interfuit. Adjutorem ei rex concessit Joannem Ignatium *Froissard de Broissia*, 5 Maii 1659.

XLV. Joannes VII Ignatius *Froissard de Broissia*, filius Joannis Simonis, equitis et Bonaventuræ *Dumoulin*, anno 1666 Petro successit, obiitque anno 1694. Idem erat Vallium prior, necnon *Fay* et *Laval*, camerarius Innocentii XI, et præcentor ecclesiæ Bisuntinæ.

XLVI. Antonius Franciscus *de Blitterswyck de Moncley*, doctor theologiæ, summus Bisuntinæ cantor ecclesiæ, abbas Cari Loci renuntiatur a Ludovico rege 24 Decembris 1694. Bullas igitur ad eum Innocentius papa XII misit 8 Junii 1695, et in muneris integram possessionem deputatus est 10 Augusti. Contentio tunc quædam exarsit inter Vesuntionenses senatores de nummorum numero quos Antonius Franciscus ipsis senatoribus daturus erat, ut ejus nominationem publicis commentariis consignarent; licetque Joannes Ignatius eis 800 nummos conferre jussus fuisset, ab Antonio Francisco 400 tantum postulaverunt. Vesuntionensis dein decanus fuit et archiepiscopus. Parisiis tunc temporis commorans, 8 Novembris 1701, cum Francisco *Labbé*, priore, de claustralibus oneribus pactus est. Obiit 12 Novembris 1734.

XLVII. Ludovicus *de Berton de Crillon*, idem quoque Narbonnensis archiepiscopus, Caro Loco præfuit ab anno 1734 usque ad annum 1751.

XLVIII. N. *Playcart de Raygecourt* usque ad annum 1758. Aturensis idem episcopus.

XLIX. Matthæus II *Poncet de la Rivière*, Trecensis episcopus, ab anno 1758 usque ad annum 1780. Eo regente incœpta nova splendidaque ædificia.

L. Matthæus III Jacobus *de Vermont* anno 1790 superstes erat. Hic nomine, non re, ecclesiasticus, apud reginam commorabatur, anagnostæ munus implens. Attamen quadraginta millia librarum ei quotannis abbatia conferebat.

LOCUS CRESCENS.

Cisterciensis Locus Crescens abbatia, in decanatu *Granges*, Lucellæ filia, e linea Morimundi. In eodem agro, quem veteres parvum *Vagenans* appellabant, antiquior extitit abbatia, de qua non semel in Loci Crescentis tabulis mentio reperitur. Fama enim est duos Benedictinos monachos, e Valle Clusa deductos, suam ibi primum sedem posuisse. Postea vero, anno scilicet 1133, Reginaldus, Burgundionum comes, Theodoricus de Monte Biligardi Simonque de Rupe, in eamdem domum, quam suis auctam beneficiis Locum Crescentem dixerunt, Lucellenses quosdam intromiserunt ascetas, annoque 1134 recens conditam ecclesiam Ansericus archipræsul consecravit. Quare Lucellensis abbas pluribus in instrumentis *pater abbas* Loci Crescentis nuncupatur. Conradus rex ejusdem abbatiæ fundationem VIII cal. Junii 1139 confirmavit; *Droz*, t. XIII, p. 219. Aliud quoque Loco Crescenti nomen, Tres scilicet Reges. Hoc vero abbatiæ impositum est ob articulum pollicis unius e tribus magis, quem Loci Crescentis hospitibus inter transeundum dederunt, anno 1163, qui prædictorum magorum reliquias Mediolano Coloniam deferebant. Octo quondam sub his tectis monachi, duoque novitii : anno vero 1663, post bella, tres

tantum monachi ibidem superstites erant.

In serie sequenti Raymundi cujusdam abbatis nomen prætermisimus, qui a Bereo de Uzeto, anno incerto, donum accepisse memoratur, inter schedas Drozianas, t. XIII, p. 230. Odonem quoque abbatem, cujus plures chartulæ a Drozio transcriptæ, t. XIII, 288, meminerunt, in loco suo collocare non licuit.

SERIES ABBATUM.

I. Theobaldus primus Loci Crescentis abbas nuncupatur, anno, ut videtur, 1134, in instrumento ad ecclesiæ fundationem spectante. Idem, xv cal. Augusti 1138, Innocentii papæ II litteras accepit, quibus abbatiæ exsurgentis possessiones confirmatæ. Anno denique, ut ferunt, 1147, fundationi Gratiæ Dei interfuit. Sæpius insuper Theobaldus in domesticis tabulis reperitur, cui prædia plura a diversis Bisuntini tractus proceribus collata sunt. Hæc dona referentes chartulæ notis chronicis carent. Anno pariter incerto, testis legitur Humberti, archipræsulis, Bellævallensibus a Simone, dapifero, data renuntiantis.

II. Garnerius, Warnerusve, ab Henrico, cognomento Pelerino, nonnulla *Senargens* sita pretio comparavit; *Droz*, t. XIII, p. 263. Hujus quidem emptionis tempus charta silet; testis autem legitur Theodoricus, Montis Biligardi comes, qui, inter plures ejusdem nominis Montis Biligardi toparchas, Hermentrudis videtur maritus et Ludovici, Guillelmi, Hugonis pater. Non infelici igitur conjectura Petrus Franciscus Chiffletius, apud Sammarthanos, Garnerium Theobaldo successorem dedit.

III. Gualtherius, Waltherusve, nonnullas ærumnas a *Mancenans* toparchis passus est; *Droz*, t. XIII, p. 224. Idem a Richardo, *Courchaton* villico, plura in vico *Senargens* exercenda jura accepit; ibid., p. 266. Cum autem inter hujus donationis testes Narduinus tunc temporis monachus recenseatur, non improbanda eorum conjectura qui Gualtherium ante Narduinum inter Loci Crescentis abbates collocavere. Gualterium insuper tunc abbatem, Narduinum tunc monachum, abbatem vero futurum, et Petrum, S. Vincentii archimandritam, simul præbet pactum inter Locum Crescentem et Cusantianam ecclesiam, de juribus quoad villam *Mancenans* controversis; ibid., p. 282. Adde quod Gualtherius una et Guillelmus, abbas Bethaniæ, testes legantur, anno incerto, Humberti archipræsulis plura Bethaniæ data sancientis; ibid., t. XI, p. 302. Guillelmus autem Bethaniensis abbas ab anno 1156 saltem fuit, et Humbertus archipræsul anno 1162 decessit. Unde præsidentis Loco Crescenti Gualtherii tempus aperte comperitur. Bellævallenses denique tabulæ eosdem Gualtherium Loci Crescentis et Guillelmum Bethaniæ abbates nobis exhibent, anno pariter incerto, subscribentes litteris Guidonis *de Aveilley* erga Bellamvallem benefici.

Nullum forsan inter hunc Waltherum et Warnerum antecedentem personarum discrimen.

IV. Narduinus e Loci Crescentis monacho in abbatialem sedem evectus est, ut e pluribus chartulis comperitur. Testis est, anno 1170, Stephanæ, Palmensis abbatissæ, cum Bellævallensibus paciscentis. Dein, anno circiter 1174, litteris Eberardi archipræsulis pro Bethania subscripsit. Quo etiam anno, compositioni cujusdam litis inter Bellævallenses monachos et S. Stephani decanum interfuit. Ch. XLV, col. 43. Ch. XLIV, col. 43. Vesuntionensis metropolitæ forum adiverat, anno 1178, et ipsum juxta sedebat, cum Maurianensis episcopus Lambertus ibi inter Bellævallenses monachos et priorem domus *Chaz* pacem fecit; *Droz*, t. IX, p. 554. Luxovii, anno sequente, Luxovienses Bethaniensesque monachos de mutuis jurgiis transigentes audit. Occurrit dein, x cal. Julii 1180, ab Alexandro papa III litteras accipiens, quibus domesticæ res confirmantur. Inter Locum Crescentem et S. Vincentium, sub id temporis, de vectigalibus e villa *Vauruche* percipiendis lis fuit: quam vero Narduinus et Guichardus, abbates, anno 1181, composuere. Quo etiam anno, Stephanum de Nova Villa Bellævallensesque monachos pepigisse Narduinus testatus est. Iteratis denique litteris, anno 1182, iidem Bellævallenses Palmensesque puellæ pluribus jurgiis finem dedere, hujus pactionis teste Narduino.

V. Stephanus I, anno 1183, ab imperatrice Beatrice domesticarum possessionum confirmationem impetravit; *Perreciot, Et. des Pers.*, t. III, p. 40.

VI. Humbertus I amplissimas a Gregorio papa VIII pontificatum auspicante litteras impetrat, II cal. Novembris 1187. Eidem, anno 1188, Theodoricus archipræsul ecclesiam *Blussans*, cum sacellis ejus, condonat.

VII. Josephus, eodem anno 1188, ab Henrico, Basileensi episcopo, liberum impetravit per Basileensem diœcesim transitum; D. J. *Trouillat*, Monum. Basil. Episc., t. I, p. 415.

VIII. Stephanus II anno 1203 abbatiæ præsidebat. Ei, anno 1210, Fredericus, Ferretensis comes, quæ monachis intulerat damna compensare cupiens, prædium dictum Owam totum concedit. Ch. LXIV, col. 60.

IX. Hugo I testis est, anno 1222, Guidonis de *Fondremans* cum Bellævallensibus paciscentis, et, anno 1223, Stephani de Montebisio erga eosdem Bellævallenses benefici; *Droz*, t. IX, p. 683, et t. X, p. 43. Eodem anno, subscripsit litteris Richardi, Montis Biligardi comitis, quibus Lucelæ vicus *Dalate* tradi-

tus; inter Monum. Basil. Episc. a D. *Trouillat* edita, t. I, p. 489.

X. Guillelmus, pridie festi S. Matthæi apostoli 1229, litteras edit de Bellævalli datis a Simone de Nova Villa; *Droz,* t. X, p. 42.

XI. Guido, anno 1240, Haimonis de Columbæ Monasterio litteras pro Bethania sigillo suo firmat; *Droz,* t. XI, p. 197. Anno dein 1245, notam omnibus facit pacem inter Bellævallenses monachos et Joannem de Sona initam; ibid., t. X, p. 218. Sequente, Simonem testatur, filium Gerardi, quondam archiepiscopi, eum monachis iisdem Bellævallensibus de quodam jurgio transegisse.

Ch. xc, col. 83.

XII. Petrus I ex abbate Loci Crescentis Lucellensis monachus, dimissa dignitate, jam factus erat 30 Martii 1258, vel 1259, eum in vico *Blumenberc,* litteris Ulrichi de Ferreto in gratiam Lucellensis abbatiæ subscripsit; Monum. Episc. Basil., t. I, p. 651.

XIII. Petrus II, ab antecedente, ut videtur, diversus, ut suis succurreret, quos alienum æs opprimebat, *Olweiler* prædium Conrado *Waldener,* anno 1260 vendidit; apud Schœpflinum, Alsat. Dipl., t. I, p. 430. Idem, anno 1264, mense Martio, testis est Ulrichi *de Tiestasperch,* aliorumque in Altam Cristam beneficorum; *Droz,* t. XLIV, p. 205.

XIV. Adolphus a quibusdam memoratur anno 1263. Adolphus vero nomen est quod insincerum habemus. Petrus ceterum hoc anno 1263, ex indubio testimonio, Loco Crescenti præerat.

XV. Gerardus I a Joanne dicto *de Valehn,* 14 Novembris 1280, quæcumque prædictus vir in villa *Luemeswilr* possidebat accipit; Monum. Bas. Episc., t. II, p. 330. Idem, Octobri mense 1283, Reginaldum *de Roignon* audit in nomen Theobaldi de Novo Castro jurantem; *Droz,* t. XXXVII, p. 542.

XVI. Henricus I, Martis die ante Ramos Palmarum 1286, testis est Joannis *de Nans* semet Theobaldi de Novo Castro clientem profitentis; *Droz,* t. XXXVII, p. 394. Dein, mense Maio 1289, litteras laudat Frederici imperatoris in gratiam Luthrensis monasterii; ibid., t. XIII, p. 340. Idem, 24 Julii 1291, cum S. Joannis fratribus domum *Sulze* sitam incolentibus quasdam decimas permutat; Monum. Basil. Episc., t. II, p. 509. Anno dein 1298 reperitur, die S. Barbaræ sacro, testis Guillelmi de Longavilla abbati Bellævallensi obsequium clientelare promittentis.

XVII. Humbertus II, anno 1299, abbati Gratiæ Dei suadet ut pecuniam a Jordano, abbate Bellævallis mutuo accipiat. Isne Humbertus alius ab Henrico?

XVIII. Rol., forsan Rollandus, sub annum 1300 ponitur. De eo nihil aliud comperimus.

XIX. Joannes I, anno 1310, *Senargens* ecclesiæ sacerdotem præsentat. Idem, anno

A 1314, testis est Reginaldi, Montis Biligardi comitis, ultima dictantis vota. Anno dein 1316, cum incolis vici *Geneix* de variis juribus litigans, arbitros eligit quorum ex auctoritate finem ea contentio habeat; *Perreciot, État des Pers.*, t. III, p. 192. Denique, anno 1326, cum *Mancenans* et *Etrape* colonis de vectigalibus ab eis persolvendis paciscitur; ibid., p. 230.

XX. Radulfus, anno 1338; quem Sammarthani usque ad annum 1355 vixisse contendunt. Nullus igitur locus superesse videtur cuidam Henrico, cujus Hugo *Du Temps*

B sub annum 1353 meminit.

XXI. Aimo, 1356.

XXII. Joannes II *de Mancenans,* 1361.

XXIII. Gerardus II, 1380.

XXIV. Joannes III, annis 1381, 1382; e Sammarthanis: anno 1389, e regestis officialis Bisuntini.

XXV. Hugo II *de Fontaine* quasdam res a Theobaldo de Novo Castro accipit, 18 Martii 1392; *Droz,* t. XXXVII, p. 130. Idem, secundum Sammarthanos, usque ad annum 1395 reperitur.

XXVI. Joannes IV anno 1407, dominis

C Novi Castri missam a se suisque successoribus debitam agnoscit; *Droz,* t. XXXVII, p. 128. Idem, anno 1408, cum Hugone de Monte Avium super prædio *Vauruche* paciscitur; ex ind. chartarum S. Vincentii.

De Loci Crescentis abbatibus qui decimo quinto sæculo vixere nihil in domesticis tabulis. Documentorum ad eos spectantium inopia seriem ab Hugone *Du Temps* editam nos transcribere cogit.

XXVII. Petrus III Guillermi eligitur 17 Novembris 1423.

XXVIII. Petrus IV *Jacobtat,* anno 1430.

D XXIX. Petrus V *de Clerval,* 1437, 1441.

XXX. Joannes V *Porterne,* 1460.

XXXI. Joannes VI *de Clerval,* 1462.

XXXII. Joannes VII *de Fallon,* 1464.

XXXIII. Petrus VI *Paypau,* alias *Papay,* Joanni successit.

XXXIV. Joannes VIII *Bernard* S. Vincentio annuum vectigal a se successoribusque suis ob prædium *Vauruche* persolvendum spondet, 14 Martii 1492. Eo præsente, anno 1496, Petrus *de Raincour* Aliciam *de Franquemont* uxorem duxit; Hist. Dynast. Salin., t. I, p. 329.

E XXXV. Joannes IX *d'Augerans* abbas confirmatur 23 Octobris 1499; e Sammarthanis.

XXXVI. Joannes X *d'Auvers,* episcopus Salonensis, archiepiscopi Bisuntini suffraganeus; ex eisdem.

XXXVII. Joannes XI *du Tartre,* electus 27 Aprilis 1520, occurrit, anno 1529, a Clemente VII usum pontificalium insignium obtinens. Ejusdem regesta officialis Bisuntini anno 1532 meminere. Superstes erat, secun-

dum Sammarthanos, anno 1545. Idem postea Bellævallis abbas fuit.

XXXVIII. Remigius *Doccort*, alias *d'Occourt*, senator Dolanus, ab anno 1553 usque ad annum 1566; e regestis officialis Bisuntini.

XXXIX. Joannes XII *de Grammont* anno 1570 recensetur. Hunc vero Casparus Jongelinus non inconsulto forsan prætermisit.

XL. Claudius *de Grammont*, anno 1571. Caritatis postea abbas fuit.

XLI. Ludovicus *de Boutechoux*, Claudii filius et Carolæ *de Vandenesse*, e nobili Salinarum domo deductus, Loci Crescentis abbas erat 24 Septembris 1579, qua die, Graii, testis fuit Joannæ *de Boutechoux* cum Claudio de Monte Forti justas nuptas contrahentis; Hist. Dynast. Salin., t. II, p. 54. Idem Burgundiæ comitiis interest 28 Junii 1585. Occurrit dein, 12 Aprilis 1608, episcopo Basileensi domos *Both* sitas vendens. Eidem, 4 Februarii 1620, adjutorem archiduces dant Philippum Emmanuelem *de Montfort*. Per annos 43 Loco Crescenti Ludovicus præfuit.

XLII. Philippus Emmanuel *de Montfort*, antecedentis e sorore nepos, ex adjutore abbas fit. Idem a Philippo IV Altam Petram, prioratum, accipit. Abbatia vero retenta, prioratum postea dimisit, qui Joanni Casparo *de Castelnoue* traditus est. Burgundiæ comitiis Philippus Emmanuel interest anno 1657.

XLIII. Henricus II *Lenet de Laré*, Divionensis clericus, tam Locum Crescentem quam Altam Petram, beneficia sub idem tempus vacantia, litteris apostolicis simul adeptus est, 26 Decembris 1657. Jam antea, ex auctoritate Philippi regis, 27 Februarii, his muneribus potitus erat. Castellionis dein, in diœcesi Lingonensi, abbas fit anno 1664, decessurus 27 Novembris 1710. Castellionem et Locum Crescenten simul rexit.

XLIV. Leo *de Saulx de Tavanne*, clericus Parisiensis, Henrico mortuo, creatur abbas a Ludovico rege, 24 Decembris 1710. Obiit anno 1719.

XLV. Carolus Josephus *Maréchal* munus accipit 4 Julii 1719 et in possessionem mittitur 26 Augusti. Iteratis eumdem litteris rex abbatiali baculo donavit 24 Januarii 1724, eumque summus Pontifex 1 Julii instituit.

XLVI. N. *Courchetet*.

XLVII. N. *Boisot* nominatur anno 1742.

XLVIII. Franciscus Casparus *de Jouffroy de Gonssans*, natus in Bisuntina diœcesi 15 Augusti 1723, Loco Crescenti regendo præficitur anno 1766. Idem anno 1774 Vapincensis creatur episcopus, et anno 1778 obit.

XLIX. N. *de Beaumont* ab anno 1778; qui etiam abbatiæ præsidebat anno 1790.

CARITAS.

Caritatensem domum, in decanatu Graii sitam, canonici regulares primum incoluerunt: nec tamen tunc temporis abbatia, sed tantum prioratus erat. Id comprobat Anserici archiepiscopi diploma, in quo Petrus et Guillebertus, alter canonicus, alter prior Caritatis, quascumque res in eo loco possidebant dimittentes occurrunt, in possessionem Cisterciensium monachorum illico ab eodem archiepiscopo transferendas; *Droz*, t. XII, p. 282. Annum 1133 Anserici charta præbet. Eamdem temporis notam confirmat transmissum a majoribus testimonium, cujus pro fide Caritatensis abbatia ab Alayde de Treva condita est 23 Januarii 1133, et Cisterciensibus ab eadem ascetis addicta. Bellævallis filia fuit. Insequentibus annis Stephanus, Cabilonensis comes, hanc abbatiam tot incrementis ditavit ut ejus conditor a nonnullis, sed perperam, appelletur: pro tantis tamen beneficiis obtinuit ut ejusdem custos esset. Anno 1663 quatuor tantum intra Caritatis muros monachi numerabantur.

Indicem chartarum ad hanc abbatiam spectantium præbent Drozianæ schedæ, t. XII.

SERIES ABBATUM.

I. Petrus instauratæ nuper abbatiæ primus abbas nuncupatur, in charta Henrici, Morimundensis archimandritæ, quæ Petrum refert cum Pontio, Bellævallis abbate, de metis pascuorum quorumdam agrorum transegisse. Bellævalli cum disciplinæ monachicæ tirocinia posuisse Sammarthani e domesticis tabulis memorant. Eumdem comperimus Radulfi *de Waddens* germanum e chartula qua Radulfus, Petro subscribente, Roseriis agrum quemdam, anno 1163, concedit; *Droz*, t. X, p. 396. Abbatiale munus jam tum exsequens legitur ante annum 1137; nempe cum Ascelino, Roseriarum abbate, testis est Reginaldi de Monte Lambodio prædium quoddam Roseriis condonantis; ibid., p. 331. Eodem præsente, anno 1140, Richardus de Monte Falconis Cyriacum ecclesiæ Bellævallensi confert, Humbertus, anno 1147, fundationem Gratiæ Dei sancit, et Waltherius, S. Stephani decanus, Roseriis agrum *Bruillout*, anno 1151, tradit; *Droz*, t, X, p. 402. Anno 1155, Petrum Roserienses chartulæ bis exhibent, testem scilicet datorum tam a Bovono, clerico, quam a Stephano *de Mornay*. Ad eumdem scribens, anno 1156, Fredericus imperator Caritatis possessiones agnoscit. Anno denique 1162, a Barrado et Harenfrido testis accitur nonnulla Bellævalli condonantibus. Quo etiam anno Gislebertum, Visulii comitem, erga Locum Crescentem beneficum semet præbuisse profitetur.

Ch. xxx, col. 32.

Ch. xxxv, col. 37.

Ch. xl, col. 40.

Diuturnum igitur Petri regimen, quem anno 1164 obiisse ferunt.

II. Jacobus I Petro successit. Ille Legdonii reperitur anno 1170, testis Stephani, Burgundiæ comitis, Roseriis Guichardum servum condonantis. Sub idem quoque tempus eumdem testatur, ad Hierosolymitanas oras iturum, pluribus ecclesiam Vesuntionensem bonis auxisse. Anno denique 1172, quidquid Caritatis ecclesia Grosone possidebat Roseriis Jacobus tradit. (Ch. XLIII, col. 41.)

III. Theobaldus Clarofonte præsens erat anno 1173, quo in loco testis fuit Stephani, Burgundionum comitis, Bellævalli plura concedentis. Anno 1174, coram Henrico, Morimundi abbate, cum Bellævallensibus de metis quorumdam agrorum componit; *Droz*, t. IX, p. 674. Anno dein 1177, Theobaldo præsente, P., Leucorum episcopus, inter Bellamvallem fratresque hospitio Villæ Dei regendo præpositos pacem facit, et, anno 1178, Lambertus Maurianensis episcopus, inter eosdem Bellævallenses et priorem *Chaz;* ibid., p. 680, 554. Idem, anno 1179, in Luxoviensi capitulo, Luxovienses et Bethanienses monachos fœdus ferientes videt: qui similiter, anno 1181, testis est Bellævallensium et Stephani de Bella Villa compositum inter se dissidium palam renuntiantium; anno 1182, Stephanæ, Palmensis abbatissæ, de quodam prædio cum Bernardo, Bellævallis abbate, paciscentis. Dein, anno 1183, interest judicio litis inter Bellævallenses monachos et præpositum villicumque vici *Noroy*. Quo etiam anno, in nemore juxta Veterem Loiam, Danielem, imperatorium legatum, ea sancientem audit quæ Bellævallenses et prior *Chaz* inter se jam pepigerant; *Perreciot, Et. des Pers.* t. III, p. 42. Anno 1185, Roserias se recipit Theobaldus, una cum Guidone de Cabilono et Guidone de Petra Fonte, Caritatis monachis, ibique subscribit litteris ab Humberto milite, in Roseriarum gratiam editis. Eumdem exhibent, anno 1189, litteræ Ludovici, Ferretensis comitis, Hagenoæ datæ, erga Bethaniam et Locum Crescentem benefici; Orig. comm. Bis., p. 165. Ludovicus Ferretensis tunc ad Hierosolymitanas oras iter facturus erat. Theobaldusne expeditionis hujus particeps fuit? Hanc hodierni scriptoris conjecturam Bellævallenses tabulæ minime tuentur; nam Theobaldo assistente, anno 1190, Bellævallensis abbas, cum Guidone et Gilberto de *Foleyns* paciscitur. Quem sub annum Sammarthani, e supra laudatis tabulis, eum decessisse memorant.

(Ch. LVIII, col. 55.) IV. Martinus reperitur, anno 1195, testis Bellævallensium et Widonis de Rocha de variis dissidiis componentium. Martino possessiones abbatiæ confirmat Henricus VI imperator, 16 Maii 1196 Quo etiam anno Martinus laudat sententiam pro Bellævallensibus latam adversus *Chambornay* fratres litigantibus. Idem, anno 1197, Amedei archiepiscopi cum Bellævallensibus de quibusdam prædiis transigentis testis est, una cum Vecilone, alias Wetolone, abbate Morimundi. Falsus unde noscitur indiculus abbatum Morimundi quem tomus IV exhibet, col. 817. Anno 1199 in Bellævallensibus similiter tabulis occurrit, litteris subscribens Lanfredi, Visuliensis vicecomitis, de Hugone, Anfulsi filio, cum monachis paciscente. Anno dein 1202 testis est Bellævalli datorum a Reginaldo de Treva.

V. C., quem Constantinum domesticæ tabulæ nuncupant, litteras edit, anno 1212, de Reginaldo *de Recoloine* erga Bellamvallem benefico, et, anno 1213, de *Littuyt*, uxore Pontii, Bellævalli plura conferente; *Droz*, t. X, p. 36, 101.

VI. Amedeus Caritati diu præfuit. Ab anno certe 1216, quo testis reperitur Hugonis *de Cycons* cum Bellavalle paciscentis; *Droz*, t. IX, p. 566. Eo dein præsente, anno 1220, abbati Bellævallis Guido de Mauriis obsequium promittit; ibid., t. X, p. 13. Rursus, anno 1222, in Bellævallensibus tabulis reperitur, initam pacem testans inter monachos et Guidonem *de Fondremans*. Anno 1224, Bellævalli ab Ulricho et Hugone *de Fronteygne* data, et, anno 1226, eidem domui a Tirrico, milite, vendita publicis litteris denuntiat; ibid., p. 107, 33. Postea, VI id. Februarii 1230, secundum recentem usum, Amedeo adstante, Nicolaus archipræsul quosdam *Gy* colonos emit. Quo etiam anno, una cum Stephano, S. Pauli priore, sopitam litem renuntiat inter Hugonem *de Cycons* et Bellævallenses monachos, ibid. t. X, p. 185, et ipse cum eodem priore de quibusdam juribus *Chaselot* exercendis paciscitur; ibid., t. VII, p. 633. Idem, Octobri mense 1231, rationem episcopalis administrationis a Nicolao memorato redditam sigillo suo firmat. (Ch. LXXXII, col. 76.) Nicolaum eumdem, anno 1232, cum Theobaldo, vice-comite Vesuntionensi, Fulconemque *Depierot* cum monachis Bellævallensibus, pacem fecisse declarat. Bellævalli similiter a Guidone Capellano data sigilli sui munimine roborat Amedeus anno 1233. Quo et anno ipse a Joanne, Burgundionum comite, confirmatum obtinet annuum salis vectigal a Pontio *Mangetorte* datum; e schedis Baluzian., arm. 5, fasc. 3, n. 6. Deinde, mense Julio 1234, litteris suis notam omnibus fecit concordiam inter Reginaldum *de Montboson* et archipræsulem Bisuntinum de rebus *Athalans* sitis; aliisque in eodem anno litteris testatus est Petrum de Alasia in Bellævallensium monachorum possessione oppigneratam rem ab ipsius patre confirmavisse. Amedeo præsente, anno 1235, Guillelmus Castellionensis et prior S. Pauli mutuis dissidiis finem imponunt; *Droz*, t. VII, p. 647. Eodem anno in Vincentianis tabulis occurrit testis S. Vincentio datorum a Theodorico *de Soyens*, et, in Corneolensibus, eo-

rum quæ Reginaldus Corneolo in parochia *Velesme* possidenda confert. Anno 1236, renuntiat Hugonem, filium Joannis, a patre vendita Bellævalli sancivisse; anno 1237, Pontium de *Fondremans* Bellævalli nonnulla pretio tradidisse, et Reginaldum *Malechard* Caro Loco ecclesiam, nec non pascua *Combeaufontaine;* anno 1238, quemdam Stephanum eidem domui contulisse quidquid *Chambornay* possidebat; anno 1239, Odonem *de Vandelaus* cum Bellævallensibus composuisse; anno 1240, Guillelmum de Vergeio a Stephano, Burgundionum comite, dimidium prædium *Longecort* accepisse; anno denique 1244, Guidonem *de Boul* Bellævalli obsequium spopondisse. Obitum Amedei Sammarthani in anno 1245 collocant; sed perperam, ut videtur. Anno enim 1249, Joannes, Burgundionum comes, ab Elisabetha, filia sua, Amedeo superstiti condonata refert; inter chartulas quas collegit domnus *Villevieille,* Burgund., t. IV.

VII. Guillelmus I, mense Maio 1249, prædiorum quorumdam permutationem inter Gratiæ Dei monachos et Amedeum de Monte Falconis initam declarat. Idem, anno 1255, nota facit jura quæ Stephanus *de Mailley* in territorio S. Benigni exercenda Corneoli canonicis concesserat; *Droz,* t. XIV, p. 598. Anno dein 1261, ratam pacem laudat inter Bellævallenses monachos et priorem S. Pauli; ibid., t. IX, p. 672. Mense Octobri 1264, Corneoli canonicis a Gerardo, ecclesiæ *Buce* rectore, tradita sancit, ibid., t. XIV, p. 531; et, mense Decembri, Iolandæ, matronæ, pro Bellævallensibus litteras eodem sigillo firmat; ibid., t. X, p. 12. Anno denique 1267, testis est initi fœderis inter Othonem, Burgundiæ comitem, et Lauram comitissam, de Joannis Burgundi bonis; ibid., t. XXIX, p. 118. Non igitur, ut Sammarthani referunt, anno 1258 Guillelmus occubuerat.

VIII. Theodoricus, quem perperam nonnulli Theobaldum nuncupant, sigillo suo munit, mense Januario 1268, secundum hodiernum calculum, litteras Guillelmi *de Frasne,* quædam prædia Corneolo sub conditione reditus annui tradentis: innotescit eo quoque anno, mense Martio, e chartula Jacobi, Frederici *de Cyteex* filii, pro Bellævallensibus; *Droz,* t. X, p. 1. Idem, anno 1271, Guidonæ de Castellione, cum Bellavalle paciscentis, litteris subscripsit; ibid., t. IX, p. 547. Frumenti modium, Vincentianis annuatim a Caritatis archimandrita tradendum, in censum annuum mutavit, cal. Octobris 1272; ex indice tabularii Vincentiani. Dein testis est, Maio 1273, Theobaldi *de Levoncort* vineæ cujusdam partem Odoni archiepiscopo tradentis; *Droz,* t. II, p. 91. Quo etiam anno litteras Othonis, Burgundiæ comitis, pro Corneolo laudat. Ipse, nonis Decembris 1275, chartam edit de Haimonino *de Oyseler,* semet

A Odoni archipræsuli clientelaris obsequii vinculo adhærere profitente. Anno dein 1276, notum facit Othonem *de Rayl* ab avis suis Bellævalli data confirmavisse. Quo etiam anno, Decembri mense, Joannem *de Larriaus* audit in Theobaldi de Novo Castro nomen jurantem; ibid., t. XXXVII, p. 547.

IX. Hugo I, Jovis die ante festum S. Laurentii 1286, Joannem *de Oyseler* ab Odone archipræsule sub conditione census quamdam domum accepisse testatur. Quo anno obiit, expleta præfectura 6 annorum et unius semestrii; e Casparo Jongelino.

B X. Otho ab anno 1286. Testis est, mense Martio 1294, Stephani *de Oyseler* prædium archiepiscopale *Augirey* feodaliter conducentis. Dein, mense Januario 1295, lege 1296, Bellævalli quosdam reditus ad abbatiam suam pertinentes vendit. Quo etiam anno 1296, Sabbati die post *Reminiscere,* testatur Joannem *de Lille douzes Vant* prædium *Roche* accepto pretio dimisisse.

XI. Joannes I, anno 1299, Reginaldo *de Salins,* abbati Gratiæ Dei, suadet ut, egenæ abbatiæ levamen, pecuniam mutuo accipiat; *Droz,* t. IX, p. 626. In chartula totam rem C enarrante visitator Gratiæ Dei Joannes nuncupatur. Quem obiisse feruntanno 1304: sed perperam, ut videtur. Veneris enim die post Nativitatem S. Joannis 1308, litteras obsignat Huetii, dicti *Corbet,* qui, cliens admissus a Joanne Cabilonensi, quinque ceræ libras ei quotannis offerendas promittit; *Perreciot, Ét. des Pers.,* t. III, p. 170.

XII. Hugo II decessit anno 1309; ex indice veteri quem Sammarthani prælo dedere.

XIII. Simon de variis rebus cum abbate S. Pauli transigit, anno 1320; *Droz,* t. VII, p. 633. Quem anno 1329 ad alteram vitam D transmigravisse tradunt.

XIV. Jacobus II *de Veseth,* anno 1336, exsecutor legitur testamenti quod Amatus *de Veseth,* germanus, condit. Ipsum Jacobum anno 1343 decessisse ferunt.

XV. Stephanus I de Nova Villa fato sublatus est anno 1359.

XVI. Joannes II *de Salins* abbatiam rexit annos 21, et obiit anno 1380; e Casparo Jongelino.

XVII. Stephanus II de Fretigneio eidem præfuit annos 19 et semestrium, moriturus anno 1399; ex eodem.

E XVIII. Stephanus III de Vallibus reperitur anno 1402, quo Perreneto *de Bourguignon* hæreditarias quasdam res confirmat; *Droz,* t. XII, p. 243. Obitum ejus anno 1410 adscribunt.

XIX. Stephanus IV *de Salins* obiit anno 1429.

XX. Guillelmus II *de Salins,* licentiatus in theologia, præsidere cœpit anno 1429, et de quibusdam juribus cum incolis *Frasne S. Mamay* transegit anno 1447; *Droz,* t. XII,

p. 280. Hic, completis in abbatiæ præsidatu A
triginta annis, decessit anno 1460.

XXI. Joannes III *de Maisières* e regestis officialis Bisuntini innotescit anno 1467. Qui obiit 7 Julii 1493, expleto regimine 33 annorum.

XXII. Joannes IV *Bousson*, alias de Nova Villa, vita fungitur 11 Maii 1496.

XXIII. Guillelmus III *de Chazerans*, patria Divionensis, chirographum accepit anno 1497, e quo suas eum bullas tunc persolvisse novimus; *Droz*, t. XII, p. 285. Obiit anno 1525.

XXIV. Ludovicus *de Vers* ex abbatiæ B
chartulis innotescit anno 1529. Eum 5 Decembris 1553 obiisse referunt, munusque postea per duos annos vacuum fuisse. Idem Ludovicus insimul Caritatis et Montis S. Mariæ abbas fuit, cumque *Droz*, Comm. de Pont., p. 187, sub annum 1549 Monti S. Mariæ præsidentem memorat.

XXV. Joannes V *de L'Aubespin* ab anno 1553. Reperitur anno 1568 in Burgundiæ comitiis. Obiit 11 Junii 1577.

XXVI. Claudius *de Grammont*, ex abbate Loci Crescentis, Burgundiæ comitiis interest 28 Junii 1585, et Joannem *Penouillet*, Gra- C
tiæ Dei abbatem, approbat 2 Junii 1605. Obiit 17 Junii 1609.

XXVII Joannes VI *de Watteville*, adjutor Claudio datur ab archiducibus 25 Octobris 1599. Dein ipse abbas et Lausannensis episcopus fuit.

XXVIII. Joannes VII Carolus, comes *de Schwartzemberg*, episcopo Lausannensi mortuo, nominatur abbas a Philippo rege 24 Octobris 1649 : qui, ut munus collatum adiit, 1 Decembris, Simonem Antonium *de Borey*, canonicum Bisuntinum, in abbatiam procuratorio nomine gubernandam deputa- D
vit.

Eo defuncto, Nicolaus Eleonorus *de Bouton de Chamilly* a Ludovico, Francorum rege, nominatur 18 Februarii 1668, idemque sub tempus *Castelrodrigo*, inferiori Germaniæ gubernandæ ab Hispanorum rege præfectus, eamdem abbatiam fratri marchionis *de Baden* confert. Dein vero, 1 Decembris, ipse *Castelrodrigo*, reginæ matris jussu, ad curiam Bisontinam scribit Josephum Arnolphinum *de Illescar*, Cisterciensem monachum, a Carolo II, Hispanorum rege, jam Caritatis abbatem creatum fuisse 3 Januarii, E
jubetque ut quivis alius arceatur. Prævaluit tunc per aliquot annos in Bisuntino tractu Hispanorum vis, ideoque

XXIX. Josephus Arnolphinus *de Illescar*, Caroli II cliens, munere potitus est. Obiit vero anno 1674, postquam anno 1671 Burgundiæ comitiis interfuerat.

XXX. Nicolaus Eleonorus *Bouton de Chamilly*, mutatis iterum fortunæ vicibus, in vacantem morte Josephi Arnolphini sedem a Ludovico, Gallorum rege, iterum transfertur 31 Januarii 1675. Idem ille Belli Loci abbas et Arbosii prior. Cui bullas Romana curia denegavit : nihilo tamen minus possidendam abbatiam adire ei per senatum Dolanum licuit, 26 Febuarii 1677. Bullis postea pontificiis ornatus est 24 Augusti 1691. Eo defuncto,

XXXI. Carolus Franciscus *d'Hallencourt de Dromesnil*, presbyter Laudunensis, abbatia donatur a Ludovico rege 1 Novembris 1706, et in possessionem deputatur 24 Decembris. Bullæ dein ad eumdem missæ 29 Julii 1707. Episcopus idem Augustodunensis ab anno 1710, dein Virdunensis ab anno 1721, et abbas Humolariarum in diœcesi Noviomensi. Obiit 16 Martii 1754.

XXXII. Elisabethus Theodorus *Le Tonnelier de Breteuil* ab anno 1754 usque ad annum 1781.

XXXIII. Raymundus *de Durfort*, archiepiscopus Bisuntinus, ab anno 1781 usque ad annum 1790.

ACCINCTUS.

Constantinus, Robertus aliique, segregis vitæ studio, in valle S. Joannis, quam molles *Ognon* undæ irrorant, anno circiter 1125 consistunt, eosque adjuvantibus *Thervay* toparchis, tuguriola ecclesiamque exstruunt S. Joanni Baptistæ sacram. Hanc Ansericus archipræsul ecclesiam consecrans memoratur v cal. Decembris 1128. Non tamen ab eo tempore abbatialem dignitatem locus sortitus est; nec Constantinus, principem, ut videtur, in pio cœtu sedem occupans, abbas nuncupatur, anno 1133, in Anserici diplomate singula quæ jam ei *Thervay* toparchæ dederant confirmantis. Anno tandem, ut opinantur, 1136, vel 1138, Reginaldus comes III, juxta Constantini Robertique casas, in agro ad monachos S. Eugendi Jurensis pertinente, abbatiam, Cisterciensibus monachis addicendam, exstruxit, quam Aceium Accinctumve ipsa vetustior ætas appellavit. Antiquam S. Eugendi possessionem confirmare videtur Fridini comitis chartula, anno Caroli Simplicis decimo septimo, Christi 909, vel 912, data. Quoad vero Reginaldi fundationem, hujus semper memores monachi illustris comitis imaginem majori portæ abbatialis basilicæ imposuerant, ut rem e Casparo Jongelino comperimus. Non ingloriam olim fuit Accincti nomen. Ex ea abbatia deducti monachi, anno 1180, conventualem ædem *Polisy* in Hungaria condiderunt. Damna vero labentibus annis passa est. Schismatis temporibus, ut domesticum refert Chartularium, sua monachi claustra deseruerunt, in exsilium deputati : ea insuper desæviente procella nonnullæ eisdem possessiones ablatæ sunt, quas postea recuperare difficil-

limum fuit. Anno dein 1478, Franci Accinctum occupaverunt, et, pro militari more, deprædati sunt. Anno igitur 1663, post alia aliaque bella, adeo desolata ea domus jacebat, ut unus tantummodo monachus fatiscentia tecta incoleret.

Indicem chartularum ad hanc abbatiam spectantium præbet codex Regius Numero 5683 signatus, in Maxima Parisiorum Bibliotheca.

ABBATUM SERIES.

I. Philippus primus abbas Accincti memoratur, idem qui, ut ferunt, Cariloensis antea monachus fuerat. Occurrit a Reginaldo comite confirmatum impetrans agrum quem a Narduino de Anssengis juxta castellum *Thervay* ipse acquisiverat; e Chartul. Acc., p. 5. Eidem Ado, abbas S. Eugendi, quidquid monachi Jurenses in Accincti territorio possederant libens concessit; supra, t. IV, col. 248. Ado, sicut dictum est, S. Eugendo præesse desiit anno 1147.

II. Lucas subscribit, anno 1151, litteris Gualterii, Stephaniensis decani, Rosariarum monachis agrum *Bruillout* condonantis; *Droz*, t. X, p. 402. Anno dein 1162, una enim cum Gualterio, Vesuntionensi electo, testis est Gisleberti, Visuliensis comitis, erga Locum Crescentem benefici. Lucam usque ad annum 1166 superstitem exstitisse quidam contendunt, sed mera, ut videtur, conjectura.

III. Petrus I, anno 1165, litteris subscribit quibus Guillelmus, Roberti filius, cum Roseriarum monachis paciscitur; *Droz*, t. X, p. 392. Cistercii frequens Bisuntinorum abbatum cœtus IV id. Novembris 1168; inter quos Petrus testis memoratur Roseriensi monasterio datorum a Guillelmo *de Tremelat;* ibid., p. 333. Anno deinde 1170, Stephanus, Burgundionum comes, Hierosolymitanum iter aggressurus, Petrum testem eligit rerum quas in possessionem ecclesiæ Bisuntinæ transfert; ibid., t. V, p. 552. Eumdem Accincto usque ad annum saltem 1172 præfuisse nonnulli asserunt. Certe sub ultimos vitæ suæ annos Petrus abbatiali munere semet abdicavit : occurrit enim anno 1181, ex abbate monachus, in chartula Lamberti *de Gendrey* de villa *Vauchanges* cum Accincti monachis paciscentis; *Droz*, t. XI, p. 32. Anno dein 1183 ab ipsis quorum curam dimiserat fratribus testis assumitur, adversus Guidonem de Pasmis coram Theodorico archipræsule locuturus; e Chart. Accincti.

IV. Odo, anno 1179, de quodam agro juxta *Fontenarlay* cum Montis Jovis fratribus transegit; e domestico Chartulario.

V. Servius, ut ferunt (ignoti Servius abbatis corruptum nomen videtur), componit, anno 1181, de villa *Vauchanges,* cum Lamberto *de Gendrey*.

VI. Guido, anno 1195, testis est Bellævallensium et Guidonis de Rocha paciscentium. Ch. LVIII, col. 55.

VII. Gualterius, anno 1209, subscribit compositioni inter Faverniacum et Carum Locum de diversis juribus initæ; e D. *Besson,* Comm. Hist. de Caro Loco, p. 103. Deinde reperitur anno 1214, dissidii judex quod inter monachos Caritatis et Cari Loci exortum erat; e Cari Loci Chartul., p. 84. Idem, anno 1218, Guillelmo *de Bresilley*, erga monachos benefico, sepulturam intra monasterii claustra concedit; *Droz*, t. XI, p. 68. Anno denique 1219 cum Girardo, Recoleni presbytero, de *Chevigney* decimis transigit; p. 135.

VIII. Petrus II, anno 1220, in litteris Margaritæ, Blesensis comitissæ legitur, eum quæ novissimi sui testamenti exsecutorem pronuntiat, eique 3500 libr. Blesensis monetæ condonat; ibid., p. 29.

IX. Ludovicus I, anno 1255; e Casparo Jongelino.

X. Joannes I, Aprili mense 1258, Stephanum *Sordoz* decimas quasdam Humberto, ecclesiæ *Champaigney* rectori, vendidisse testatur; *Droz*, t. XV, p. 338.

XI. Hugo testis est, anno 1270, Guidonis *de Malans* decimas dimittentis; *Droz*, t. XI, p. 129. Anno 1273, ipse Corneoli canonicis decimæ cujusdam partem sub reditus annui conditione confert; ibid., t. XIV, p. 677. Idem, anno 1275, Warnerio decem libras mutuo acceptas semet debere testatur; e domestico Chartulario.

XII. Girardus, Dolæ, Januario, ut ferunt, mense 1269, sigillo suo litteras firmat, quibus Joannes *de Rens* diversa nemora Othoni, Burgundionum comiti, acceptis ab eo quadringentis libris Turonensibus, titulo pignoris obligat; *Droz*, t. XVI, p. 301. Annum vero 1279 potius lege; nam idem Girardus occurrit Aprili et Maio mensibus 1280, in duobus minoris momenti chartulis, quas idem Drozianarum schedarum tomus exhibet, p. 410, 418. Herardum hunc Hugo *Du Temps* nuncupavit.

XIII. Joannes II aliquot juribus *Montmorey* colonos donat, Aprili mense 1293; *Droz*, t. XI, p. 105.

XIV. Warnerius postea reperitur. Huic, mense Maio 1303, Stephanus, *Gendrey* major, fidem promittit; *Droz*, t. XI, p. 63. Idem Warnerius, ejusdem anni mense Novembri, cum Joanne *Faivre* componit; p. 121. Dein, Novembri mense 1305, de juribus in prato *Bergier* exercendis litigans, arbitros eligit; p. 105. Quædam denique commutat anno 1307; p. 34.

XV. Stephanus I anno 1314 legitur in regestis officialis Bisuntini, idem qui, mense Decembri 1316, quasdam res Joanni *Belpois*

sub census conditione tradit; *Droz,* t. XI, p. 57. Aliæ vero chartulæ, datæ Maio Julioque mensibus 1316, ibid., p. 97, 114, abbatem tunc temporis Accincto præfectum fratrem *Besançon* nuncupant. Unde conjicimus *Besançon* gentilitium Stephani cognomen fuisse.

XVI. Jacobus I, anno 1317, quædam sub census ratione confert; ibid, p. 95.

XVII. Aimo a quibusdam ponitur anno 1320, sed e corrupta, ut videtur, schedula. Hic adnota mendis quam plurimis scatere Drozianam chartularum ad Accinctum spectantium abbreviationem.

XVIII. Reginaldus, annis 1326, 1327; ibid., p. 108. Eum gentilitio cognomine *Bonnaz* appellatum fuisse alia chartula referre videtur; ibid., p. 54. Reginaldus tamen *de Confracour* vocatur a J. B. Guillelmo, Hist. Dynast. Salin., t. I, p. 345, qui eum, sub annum 1327, a Guillelmo *de Pesmes* hanc provinciam accepisse memorat, ut testamentum ejus exsequendum curaret.

XIX. Humbertus *de Sermanges*, annis 1329, 1335, 1348, in tabulis domesticis reperitur; ibid., p. 54, 114, 116. Ejusdem meminerunt, anno 1335, regesta officialis Bisuntini.

XX. Nicolaus *de Sermanges*, Septembri mense 1359, illatis abbatiæ quibusdam damnis, apostolica ei quæ patronicantur decreta promulgat.

XXI. Amatus *de Rochefort* quædam prædia sub lege census confert mense Julio 1372; *Droz,* t. XI, p. 108. Occurrit dein annis 1380, 1383, 1399 plura tradens, aut emens.

XXII. Stephanus II *de Salins* e diversis chartulis innotescit sub annos 1405, 1408; *Droz,* t. XI, p. 69, 87.

XXIII. Joannes III *de Rouvre* ab anno 1410 usque ad annum 1419 pluribus pariter in instrumentis reperitur, quæ Drozianarum schedarum tomus XI nobis suppeditat.

XXIV. Joannes IV *Marchefoing,* annis 1423, 1425.

XXV. Petrus III *de Salins* in pluribus, sed minimi momenti, chartulis occurrit ab anno 1430 usque ad annum 1460.

XXVI. Jacobus II *Albert,* theologiæ doctor, ab anno 1462, usque ad annum, ut videtur, 1470.

XXVII. Jacobus III *de Balerne* ei successit, sed anno incerto. Anno 1478, Gallorum turmæ Sequaniam populantes Accinctum occupant, Jacobumque abbatem in Graiacenum castellum captivum ducunt; nec eum libertate donaverunt, priusquam quatuor et triginta nummos aureos a monachis, redemptionis pretium, acceperint.

XXVIII. Franciscus I Vincentius *de Vers,* alias *de Vaire,* abbatiali pedo donatur anno circiter 1478. Occurrit in variis schedulis annorum 1481, 1482, 1484, 1486, 1490. Anno 1491 contra Hugonem *de Rye* de variis reditibus litigavit. Anno denique 1495, omni re exhaustus, munere semet abdicavit; *Droz,* t. XI, p. 31. Quo dimisso, in abbatiam Theolocensem successit, ibique sepultus est anno 1504. In ejus funereo lapide scriptum est : *Hic jacet pauper cæcus, Franciscus Vincentius de Vario, qui tempore guerrarum Ludovici, regis Franciæ, abbatisando monasterium de Accio notabiliter decem et septem annos rexit in paupertate maxima, postea cessit et intus obiit die 7 mensis Septembris, anno Dom.* 1504.

XXIX. Jacobus IV *de Dijon* e cellario Cisterciensi abbas instituitur ab Alexandro papa VII cal. Maii 1495. Ejus nomen diversæ pactiones præbent.

XXX. Petrus IV, anno 1509.

XXXI. Laurentius *de Rancé* ab anno 1522 reperitur. Occurrit 24 Maii 1530, cum incolis vici *Taxenne* paciscens; *Droz,* t. XI, p. 50. Obiit anno 1545.

XXXII. Ludovicus II Philibertus *de Rye,* episcopus Gebennensis et abbas S. Claudii Jurensis, Accincto quoque circa annum 1550 præfectus memoratur.

XXXIII. Marcus *de Rye* S. Claudium et Accinctum post annum 1561, ut aiunt, rexit.

XXXIV. Claudius *de Beauffremont,* Trecensis episcopus, commendatarius Accincti et Longi Vadi abbas erat anno 1584 : quo etiam anno Balernæ præfecturam assecutus est. Decessit anno 1593, 24 Septembris.

XXXV. Franciscus II *de Rye,* qui jam prioris nomine domum *Dampierre sur Sallons* administrabat, litteris regiis Accincto donatur, Claudio mortuo, 8 Januarii 1594. Reperitur, 2 Martii 1598, in comitiis Burgundiæ. Eumdem Clemens papa VIII instituit 13 Aprilis 1599. Is quoque fuit abbas Perseniæ, decanus et archiepiscopus Bisuntinus : quo defuncto,

XXXVI. Petrus V Ernestus *de Mercey,* alias *de Merey,* nominatur abbas a Philippo IV 5 Septembris 1637, et, ut erat extraneus, civis admittitur 18 Junii 1640.

XXXVII. Petrus VI *Cornette* in gratiam sequentis abdicavit.

XXXVIII. Laurentius *Outhenin,* Cameracensis canonicus et Lotharingiæ duci ab eleemosynis, a Philippo rege Accincto donatur 15 Julii 1653, et in possidendam abbatiam deputatur 22 Maii 1654. Is domesticorum honorum reditus cum monachis suis partitus est, partitionem hanc senatu Dolano probante 26 Aprilis 1664; *Droz,* t. IX, p. 19. Burgundiæ dein comitiis, 4 Novembris 1671, interfuit. Quo mortuo, ejus nepos e fratre Laurentius *Outhenin,* canonicus Vesuntionensis, administrandorum abbatiæ redituum curam suscepit ex auctoritate curiæ Bisuntinæ, 26 Martii 1672.

XXXIX. Joannes V Franciscus *de Croy*, canonicus Insulensis, a Carolo II, Hispanorum rege, abbas nominatur 24 Junii 1672, et in possessionem a curia Bisuntina mittitur 9 Julii. Deinde ab Hispanis ad Francos Bisuntini tractus dominatu bellorum vicibus translato, Joannem eumdem Franciscum Ludovicus, Francorum rex, eodem beneficio pro jure suo donavit, 2 Septembris 1678. Quem etiam legitimum hujus beneficii possessorem summus Pontifex agnovit 24 Julii 1691. Eo recens mortuo,

XL. Philippus *de S André Vercel*, Parisiensis clericus, creatur abbas 12 Januarii 1725, ea tamen sub conditione ut N. *de La Mare* 1500 libr. quotannis persolvat. Idem in possidendam abbatiam, apostolicis litteris munitus, mittitur 26 Junii 1726.

XLI. N. *du Chaylar* ab anno 1766 usque ad annum 1779.

XLII. N. *Marnezia* ab anno 1779 usque ad annum 1790.

ROSERIÆ.

Anno circiter 1130, Humbertus III, Salinarius dynastes, locum Roserias appellatum, in vico Firmitate, qui scilicet Poliniaco parum distat, tam Pontio Bellævallis abbati, quam Anserico archipræsuli designavit, ubi ædificandæ abbatiæ consilium semet habuisse professus est. Qui, ut ejus vota adimplerent, Cistercienses quosdam ex abbatia Morimundensi monachos acciverunt, eisque tam locum ab Humberto Salinario piæ coloniæ addictum, quam instaurandorum ædificiorum curam contulerunt. Opere nondum consummato Humbertus obiit: filius autem ejus Gualcherus pari studio inceptam rem prosecutus est. Ipsi quoque vicini tractus toparchæ, præter Reginaldum III, Burgundionum comitem, Gualcheri in eo adjutores exstitere, Raymundus scilicet *de La Chatelaine*, Robertus *Vadans* præpositus, Simon *de Neublans*, Guillelmus filius Hugonis *de Thoire*, Bernardus *de Tramelay*, permultique alii. In ea vero Roseriarum fundatione diutius nos commorari oportet. Hodiernus enim scriptor, D. Desiderius *Monnier*, Humberti III Salinarii interitum anno circiter 1184 adscribit : quæ si temporis nota vera esset, omnia quæ supra retulimus falsa comprobarentur. Sed J. B. Guillelmus, Salinariorum Dynastarum Historia, part. I, cap. 7, D. Desiderii *Monnier* conjecturæ minime suffragatur. Humbertus insuper archipræsul Roserarium fundationem, VII id. Octobris 1135 (1) confirmans, inchoatæ domus auctorem Humbertum, Gualcheri patrem, aperte declarat, hunceque Gualcherum, tunc temporis paternæ dignitatis heredem, de adjunctis ab ipso Roseriarum dominio fundis gratulatur. Ipsissima ea sunt Humberti archiepiscopi verba, Ascelinum abbatem alloquentis : « Tibi et fratribus « tuis, vestrisque successoribus in posterum, « providentes, locum de Roseriis, sicut a « Walcherio, Humberti Salinensis filio, co« ram Renaldo comite multisque aliis viris no« bilibus, clericis ac laicis, Petro videlicet de « Treva decano S. Stephani, Hugone, can« tore S. Joannis, Manegaudo thesaurario, « Othone de Rocha, Stephano et Hugone fra« tribus *de Chevres*, et aliis quam plurimis no« bis traditus est, vobis et posteris vestris tra« dimus perenniter possidendum. Horum « siquidem testimonio iisdem Walcherius lo« cum ipsum cum appenditiis suis in manu « nostra misisse probatur, sicut pater ejus « Humbertus venerabili fratri nostro Pontio, « Speciosæ Vallis abbati, jam tum illum os« tenderat.., et in manu sanctæ memoriæ præ« decessoris nostri domini Anserici archiepi« scopi, sub testimonio ejus curiæ totius, « ipse posuerat. » Eo sane documento quidquid ad Roseriarum fundationem spectat plane dilucidatur.

Hujus domus possessiones non semel summus Pontifex recensuit, atque earumdem se vigilem patronum fore promisit. Memorentur inter alias Eugenii III, anno 1145, Alexandri III, annis 1177 et 1178, et Innocentii III, anno 1202, litteræ, quibus jam tunc opulentæ abbatiæ omnes fundos novimus.

His vero super fundis crebræ, decurrentibus annis, lites cum vicinis magnatibus, quæ permultis damnis monachorum rem afflixere. Majorem dein eisdem cladem attulerunt bella per quintum decimum sæculum ferventia. Anno 1663, septem monachis Roseriensis conventus constabat, quorum tres in ipsa commanebant abbatia, tres in seminario Dolano, septimus autem Accincti prioris munus implebat. Plura ad hanc abbatiam spectantia præbet D. *Rousset*, Dictionn. Geograph., t. III, p. 96. Ejusdem abbatiæ Chartularium consule inter Drozianas schedas, t. X.

SERIES ABBATUM.

I. Bernardus I non semel Roseriarum primus abbas in domesticis tabulis nuncupatur. Qui antea Charitatensium fratrum cellarius fuerat, ut legitur in chartula Guillelmi *de Chauvix* cum Roseriarum monachis de nonnullis rebus paciscentis; *Droz*, t. X, p. 463. Usque ad annum 1134 certe Roseriensis abbatiæ præfecturam tenuit : occurrit enim in litteris Humberti archipræsulis, jam collatos abbatiæ fundos recensentis; ibid., p. 321.

Guido Roseriarum abbas vocatur, in litteris quibus Humbertus Salinarius, « die qua « vellet ire Hierosolymam, » Bullionis eccle-

(1) Anno 1136 perperam in editione J. B. Guillelmi, Hist. Dynast. Salin., t. I, Instr., p. 40.

siam semet annuo salis reditu locupletavisse testatus est; Hist. Dyn. Salin., t. I, Instr., p. 42. Quamobrem J. B. Guillelmus, ibid., t. I, p. 83, Humbertum hunc Salinarium Humbertum III, Gualcheri II filium, reputans, præmemoratam donationem anno 1130 adscripsit, Guidonemque, Humberti testem, primum Roseriarum abbatem fuisse conjecit. Ea autem conjectura, quam plura Roseriarum diplomata refellunt, sufficienti probatione caret. Ad Bullionem enim ea spectans chartula Humberti III nomen minime præbet, ut jam D. A. *Rousset,* Dict. Geogr. Sequaniæ, t. VI, p. 352, animadvertit. Bullio enim, exigua Cisterciensis ordinis domus, non ante annum 1136 exsurgere cœpit. Quippe qui ejus fundamenta posuit Burchardus, abbas Balernæ, hujus abbatiæ regimen pridie cal. Junii 1136 aggressus est. Ad Humbertum igitur IV Salinarium dynastam, vel ad alium quemlibet Humbertum nomine, Salinarum incolam, donationem Bullioni factam pace nostra referas, eam dummodo temporibus adscribas Guidonis, ab anno circiter 1183 Roseriarum abbatis.

II. Ascelinus, anno 1135, confirmatas impetrat monasterii sui possessiones ab Humberto, Bisuntino archipræsule.

III. Ulrichus I a quibusdam memoratur sub annum 1137. De eo tamen dubitare per nos licet.

IV. Christianus in quam plurimis chartulis legitur; quibus vero chronicæ notæ desunt. Eum anno jam 1137 Roseriis præfuisse quidam referunt, sed conjectura potius quam certis ex indiciis. Attamen reperitur IV idus Ch. xxx, col. 33. Februarii 1142, secundum veterem calculum, testis Guidonis de Treva datam Bellævalli a Bernardo de Roseriis tertiam Cyriaci partem confirmantis. Idem, anno 1143, ab uxore Bigaudi, militis, plura accepit.

Ch. xxxii, col. 34. V. Humbertus I Christiano successit. Ad Humbertum scribens Eugenius papa III Roseriarum possessiones confirmat, anno 1145. Eodem anno, prædium Humbertus comparat a S. Joannis Augustodunensis abbatissa. Eidem, anno 1149, Gualcherus Salinarius tres mensuras salinarias, dictas *bulliones*, concedit; Hist. Dynast. Salin., a J. B. Guillelmo, t. I, Instr., p. 47. Quam donationem Eugenius papa sancit. Anno 1151, a canonicis S. Stephani Bisuntini nemus et agrum *Brouillout,* annoque 1153 a Bovone, clerico, quidquid is in hoc agro *Brouillout* antea possederat accipit. Anno 1155, Guido de Chalo Humberto nemus *Valdré* confert. Eodem anno ei Stephanus *de Mornay* jura in agro *Tilloray* exercenda condonat, annoque sequente, mense Martio, Eberardi *de Mornay* filia, ejusque mater, Jordana nomine, idem donum confirmant.

VI. Stephanus I, Sammarthanis ignotus, anno 1159, ab Alaide, abbatissa S. Joannis A Æduensis, Castellionensem agrum impetrat; e schedis *Droz,* t. X, p 408. Unde Alaidis abbatissæ nomen, quod prædecessores nostros fugerat, innotescit. Sub id temporis, ut videtur, Alais obiit : eodem enim anno 1159, præmemoratus Stephanus cum Arembnrgi, recente forsan S. Joannis abbatissa, fœdus iniit. Dubium quidem reliquerant antecessores nostri an Aremburgis S. Joannis aut S. Andochii Æduensis monialibus præfuisset. Eam S. Joannis abbatissam Roseriense chartularium comprobat. Eo etiam anno Theodoricus de Ewiriaco ab avis suis olim data B Roseriis Stephano nostro libens confirmavit. Anno dein 1160 cum monachis Laudunensibus Stephanus pepigit. Nec multo post abbatiale munus dimisit, et, resumpto fratrum habitu, Roseriense claustrum, ubi primas tenuerat, gregarius monachus incoluit. Temporibus enim Bernardi II, Roseriarum abbatis, Stephanus *quondam abbas* testis reperitur ad calcem litterarum quibus alter Bernardus, Bellævallensis congregationis rector, sopitam denuntiat litem inter Roserienses monachos et Hugonem, clericum, filium Aiwini; e schedis *Droz,* t. X, p. 462.

C VII. Joannes I occurrit anno 1162, cui Aymo Gutellus, Ledonensis præpositus, duos solidos annui reditus dono dat. Eodem anno de metis prædii Tornellensis cum Gualchero Salinario paciscitur; e schedis *Droz,* t. X, p. 419. Idem Joannes vineam quamdam juxta Grosonem sitam, anno 1163, a Petro, Grosonis sacerdote, impetravit; et, eodem, a Theobaldo, Gualcheri Salinarii coquo, duas villas pretio comparavit. Cum Joanne transegit, anno 1165, Guillelmus, filius Roberti, *Vadans* præpositi, inter quem et monachos de nemore *Brunens* crebra dissi- D dia. Anno 1166, Gerardum, majorem Templi magistrum, beneficum experitur. Anno dein 1167, in exteriori monachorum auditorio considens, Humbertum excipit, Ewiriaci sacerdotem, a quo plura Roseriis confirmantur quæ eidem monasterio antea dederat. Anno quoque incerto Joannes cum Gilino de quodam prædio composuit : cui compositioni testes adfuere Petrus Reginaldusque, fratres Joannis nuncupati.

VIII. Bernardus II ab anno 1168, quo Guillelmus, frater Bernardi *de Tramelay,* ei villam *Veccles* dono dedit; *Droz,* t. X, p. 466. E Eo anno, IV id. Novembris, in Cisterciensi claustro reperitur, ubi Guichardus, Lugdunensis archiepiscopus et sedis apostolicæ legatus, ipsi Bernardo a Guillelmo supra memorato collata denuntiat. Eidem, anno 1170, Stephanus, Burgundiæ comes, Hierosolymitanum iter aggressurus, Guichardum servum Ch. xliii, col. 41. condonat. In eumdem, anno 1171, Humbertus, præpositus Bledonensis, beneficum semet exhibet. Anno 1172, Bernardus a Jacobo, Caritatis abbate, reditus Grosone percipien-

dos accipit. Anno 1173, testis est Stephani, Burgundionum comitis, Bellævallensem rem augentis. Quo etiam anno, cum Roberto clerico et Warnerio, ejus fratri, de juribus controversis transigit, et a Ludovico, Ferretensi comite, rerum a Gualchero Salinario datarum confirmationem obtinet. In puteo Gualcheri prædicti Jordanus et ipse Salinarius medium quoddam prædium possidebat: quod sub idem tempus, monachum induens, Bernardo dedit. Eodem etiam anno, a Guidone, Dolensi milite, vectigalia quædam Bernardus accepit, et, anno 1175 pratum Fontis Theodorici ab Humberto, Hugonis de Grosone filio. Anno 1176, eidem Rogerius *de Monnet* vectigal quoddam contulit. Dein, VII cal. Maii 1177 et IV non. Julii 1178, Alexander papa III ad Bernardum scribens iteratis litteris possessiones juraque Roseriarum sancivit. Reperitur denique Bernardus anno 1179, ab Arbone de Arbosio mensuram quamdam vini, *carrisium* dictam, accipiens, quæ singulis annis monachis traderetur.

IX. Gualterius Bernardo, anno 1180, successerat. Ei sedenim postquam Robertus et Warnerius, clerici, ab Humberto patre Roseriis data confirmaverant, Theodoricus archipræsul, anno 1180, Roberti prædicti chartam aliis litteris sancivit. Eidem Gualterio, Odilo, Lislæ præpositus, mensuram quamdam vel frumenti, vel avenæ, annuatim præbendam, concessit, Robertusque *de Chandever,* miles, pascuum agrum, quem *Braddruions* nuncupabant, contulit.

Ch. LIII, col. 52. X. Guido I interest, anno 1183, judicio litis inter Bellævallenses monachos et præpositum villicumque vici *Noroy*. Eidem, anno 1184, Robertus, vici *Vadans* præpositus, quemdam pascuum agrum, in loco quem *Charbonères* dicebant situm, condonavit; *Droz,* t. X, p. 472. Quo etiam anno, cum Humberto *de Wers,* milite, contendit et transegit, ibid., p. 474, similiter pacturus, anno 1185, cum Humberto, filio Hugonis *de Arlai;* ibid., 476. Occurrit dein, anno 1187, Petrum Girardumque, Esengerii filios, ad ineundam secum concordiam impellens. Cui etiam, eodem anno, Gualcherus, Salinarius toparcha, omnes abbatiæ possessiones confirmavit; Hist. Dynast. Salinar., t. I, instr., p. 81. Anno denique 1188, Visulii, testis est Ludovici, Salverniæ comitis, sententiam edentis de quadam inter monachos Bellævallenses et Quonoschiæ colonos controversia; *Perreciot, Ét. des Pers.*, t. III. p. 44.

Adversus Guidonem Aimo *de Vaudrey* multa moverat. Hic enim miles, vel antiquata vel invalida contendens esse jura, quæ sibi Roserienses monachi in silvis ad dominium *Vaudrey* pertinentibus vindicabant, armatam turmam in abbatiæ possessiones ducit, ferro et incendio monachicas colonias vastat, ipsumque abbatem, verberibus cæsum, in carcerem conjicit. Quorum facinorum auctores Theodoricus archipræsul semet aversari testatus, eos e christianæ sodalitatis consortio segregatos renuntiat, episcopalemque sententiam Lucius papa III ratam habet, VIII cal. Decembris 1181. Acerbior vero in dies Aimonis animus, quem ictus ecclesiastici gladii minime terrebant. Inter eum igitur Guidonemque ulla sine intermissione decertatum est; quinimo, Guidone mortuo, appellationibus et cujusvis generis prolationibus *Vaudrey* toparchæ litem illam etiam tunc aluerunt, quæ circa annum 1191 finem habuit.

XI. Ulrichus II ab anno 1188 reperitur, quo de prædio *Maydun* cum *Meenai* accolis composuit; *Droz,* t. X, p. 488. Plura eidem, VII id. Decembris 1189, Rogerius *de Monnet* tradidit; Hist. Dynast. Salinar., t. I, instr., p. 75. Anno etiam eodem, Ludovici, Ferretensis comitis, testis fuit, qui, Hierosolymam proficiscens, in Bethaniæ nec non Loci Crescentis monachos beneficum semet exhibuit; Orig. Comm. Bisunt., p. 165. Charta Ferretensis comitis, quæ de his donationibus fidem facit, Hagenoæ data, quo permulti proceres crucem suscepturi convenerant; unde D. Augustus *Castan* conjecit ipsum Ulrichum expeditionis contra Turcas eo anno inchoatæ participem fuisse: sed in ea conjectura præmemoratus scriptor peccavisse videtur; anno enim sequente Ulrichus in Castro Bracone reperitur, ubi litteras accipit Gualcheri Salinarii monachorum possessiones confirmantis; Hist. Dynast. Salinar., t. I, instr., p. 82. Eo etiam anno, Villetam Ulrichus deveniens, Hugonem *de Montdidier* excipit Roseriarum ascetis quidquid in villa *Veccles* possidebat condonantem; *Droz,* t. X, p. 498.

XII. Guido II cum Petro de Grosone, Guillelmi villici filio, anno 1192 composuit; *Droz,* t. X, p. 496. Eo etiam anno, in viculo *Hunnens,* nunc *Ounans,* reperitur, coram Matisconensi comitissa Maura fœdus feriens cum Morestino Tolosano, qui nonnulla abbatiæ jura impugnaverat. In instrumento quod fœderis hujus fidem facit *Guido secundus* appellatur; Hist. Dynast. Salinar., t. I, instr., p. 75. Guidones inter Roseriarum abbates hic numero tertius esset, si Guidoni primo locus, anno 1130, ante Bernardum, jure fuisset adscriptus.

XIII. Guillelmus I anno 1193 occurrit, cui Gualcherus Salinarius concedit ut nunquam Salinariis dynastis monachorum aratris plaustrisve uti liceat; Hist. Dynast. Salin., t. I, instr., p. 85. Idem, anno 1194, Robertum de Grosone morbo laborantem excepit, pluraque Deo necnon monachis in spem recuperandæ sanitatis offerentem; *Droz,* t. X, p. 519. In eumdem iterum beneficus Gualcherus Salinarius, ei qui quamdam salis mensuram, anno 1196, dono dedit; Hist. Dynast. Salin.,

t. I, instr., p. 86. Guillelmum anno 1200 Roseriis præsidentem Chiffletius, apud Sammarthanos, memorat. Ejusdem, anno 1218, nomen præbent Christiani litteræ, a patre suo Bellævalli data confirmantis; *Droz*, t. IX, p. 643. Mense denique Aprili 1227, G., Roseriarum abbas, occurrit in pacto super quibusdam agris inter Bellamvallem et Balernam; ibid., p. 644. Non satis vero compertum habemus Guillelmum in hunc annum supervixisse.

Anno 1198, Maura, Viennensis comitissa, Hugonem *de Montdidier* cum Roseriarum monachis fœdus fecisse renuntiat : cujus fœderis consortes leguntur Guillelmus, Bellæ Vallis, et, infra, Lambertus, Roseriarum, abbates; Hist. Dynast. Salinar. t. I, instr., p. 76. Bellævallensis vero sub id tempus abbas minime Guillelmus, sed Herbertus erat. Seriem igitur tam Bellævallensium quam Roseriensium abbatum Mauræ charta æque perturbat. Animadverte vero in ea beneficio donatum abbatem post adlectum testem, præter usitatum morem, inscribi, et Lambertum ab Herberto parum differre. Unde conjicimus incogitantem librarium nominum subscriptorum ordinem commutavisse, et Guillelmum, Roseriarum, Herbertum aut Lambertum, Bellævallis, abbates, præmemoratæ donationis revera testes exstitisse.

XIV. Durandus I, cum domus ære alieno gravaretur, plura Cisterciensibus monachis vendit, 650 librarum Stephaniensium pretio, die post Assumptionem B. Mariæ 1229. Venditionem hane *vidimus* quoddam memorat, anno 1259. Unde Chiffletius inconsiderate Durandum inter Roseriarum abbates sub annum 1259 collocavit.

XV. A., anno 1231, a quibusdam memoratur. Non alius is forsan ac Durandus de quo supra, littera D in A librarii cujusdam allucinatione mutata.

XVI. Simon I, Sammarthanis incognitus, occurrit anno 1232, nota faciens quæ Joannes *de Chambornay* Bellævalli pro pignore tradidit; *Droz*, t. X, p. 183. Idem, anno 1234, publicis litteris testatus est Petrum de Alasia Bellævalli collatum ab ejus patre vadimonium confirmavisse. Anno denique 1236, Humbertum audivit Bellævalli ab ejus fratre data sancientem; *Droz*, t. IX, p. 659.

XVII. Humbertus II testis est, mense Maio 1248, pactorum inter Bellam Vallem et Guillelmum *de Cycon*. Idem, anno 1250, publicis litteris denuntiat Odonem de Rupheio Bellævalli mediam decimarum quas *Chambornay* possidebat partem dedisse, et cum Joanne, Burgundionum comite, quasdam res permutat; *Droz*, t. XVI, p. 93. Anno denique 1252, mense Martio, litteras obsignat Guillelmi *de Beaumont* semet Theobaldi de Novo Castro clientem agnoscentis.

XVIII. Durandus II post Humbertum a D. Desiderio *Monnier* recensetur, anno 1259, e spuria forsan, ad nos quæ non pervenit, chartula.

XIX. Si..., quem Simonem II Sammarthani nuncupant, occurrit anno 1261, a Bernardo, Aviethæ *de Vadans* filio, agri cujusdam arabilis mediam partem accipiens; *Droz*, t. X, p. 522.

XX. Albericus ab anno 1269, secundum Sammarthanos. Profitetur, mense Maio 1271, *Charnay* et *Chellerois* villas sub custodia castellani Braconensis esse constitutas; ex ind. chart. Dolensium. Idem, Octobri 1273, sigillo suo confirmat litteras de quadam domo a Guillelmo, Arbosiensi civi, Othoni vendita, et, Decembri, alias Petri, Arbosiensis pariter oppidani, litteras, de molendinis quæ Bonifacio et Bono Homini, fratris Longobardis, numerato pretio tradiderat; *Droz*, t. XVI, p. 324, 327.

XXI. Humbertus III litteras obsignat de venditis vinis Aliciæ, Burgundiæ comitissæ, Februario mense 1278; *Droz*, t. XVI, p. 383.

XXII. Bisuntius, vulgo *Besançon*, ab anno, ut ferunt, 1279. Ei, anno 1282, Guillelmus *de Rual* quatuordecim censuales denarios vendit, quos antea monachi prædicto viro persolvebant; *Droz*, t. X, p. 532.

XXIII. Stephanus II, annis 1299, 1306; e Sammarthanis.

XXIV. Bartholomæus, anno 1309; ex eisdem.

XXV. Petrus I, anno 1328; ex eisdem.

XXVI. Nicolaus, 1330; ex eisdem.

XXVII. Hugo I, *de Salins*, anno 1351; ex eisdem.

XXVIII. Stephanus III de S. Germano, anno 1352, Guillelmo *Pupillin* quædam sub conditione census tradit; *Droz*, t. X, p. 544. Idem, anno 1354, quindecim solidos Guillelmo *Roy*, presbytero, dat.

XXIX. Stephanus IV *de Vadans*, anno 1379; secundum Sammarthanos.

XXX. Stephanus V *d'Aumont* obiit VII id. Julii 1385; e serie quam D. Desiderius *Monnier* digessit.

XXXI. Joannes II *de Salins* annis 1395, 1404; ex eodem. Attamen hic D. *Rousset* seriem D. Desiderii *Monnier* emendat, et Hugonem I *Quantéal* anno 1400 Roseriis præfuisse contendit.

XXXII. Stephanus VI *d'Aumont* sub annos 1409, 1415, a D. Desiderio *Monnier* recensetur. Nulla nostris oculis subjecta chartula hujus Stephani meminit.

XXXIII. Simon III *de Vadans* annis 1424, 1427, 1428. Eo præsente, 28 Augusti 1427, Robertus *de Groson* matrimonium approbat ineundum inter Cæciliam, filiam suam, et Henricum *de Ceys*; Hist. Dynast. Salin., t. I, p. 193.

XXXIV. Joannes III *Le Galardon*, 1430.

XXXV. Hugo II *Quantéal,* Salinarius, ab

anno 1443 usque ad annum 1477, quo decessit anno, 26 Junii; ex ejus epitaphio.

XXXVI. Joannes IV *Quantéal*, ab anno 1477 usque ad annum 1484; e Sammarthanis. Hujus vero Joannis nomen D. Desiderius *Monnier*, non inconsulto sane, prætermisit.

XXXVII. Joannes V *Drol*, alias *Droz*, Salinarius, ab anno 1486 reperitur. Dein munere semet abdicavit, et Arbosium secessit.

XXXVIII. Claudius I *de Nantoz*, ab anno 1509. Obiit 10 Junii 1515. Eo defuncto, abbatiale munus insimul ambierunt Joannes de *Maisières*, theologiæ doctor, Parisiisque Cisterciensis gymnasii rector, et jam abbas Gratiæ Dei, Petrus *de La Baume*, abbas S. Eugendi Jurensis, et Simon, alias Ludovicus, *de Rye*, clericus, annos quatuordecim natus. Joannem, a Cisterciensi abbate præsentatum, monachi elegerunt: eum ideo Leo papa XII cal. Augusti 1515 instituit. Non autem ei munus adire protinus licuit.

XXXIX. Joannes VI *de Maisières* possessionem muneris aggreditur 10 Januarii 1517. Obiit 18 Augusti 1546.

XL. Marcus *Cussemenet*, abbas jam Bellævallis, Roseriis præest anno 1547.

XLI. Guillelmus II *de Poligny*, adita jam possessione 18 Novembris 1551, bullis a Julio papa donatur VII cal. Junii 1552; e Sammarthanis. Præfuit usque ad annum 1569. Is, anno 1567, adunatis domesticarum villarum colonis, eos, quos gladio cinxerat, Vesuntionem ipse duxit, Reformatorum copias debellandi cupidus.

Gerardus *de Rye* sub annum 1556 Roseriarum abbas dicitur tam a *Labbey de Billy* quam a D. Desiderio *Monnier*, qui eum Francisci *Bonvalot*, administrationem archiepiscopatus Bisuntini dimittentis, testem fuisse memorant. Id autem ab utroque falso dictum. Gerardus enim *de Rye*, eques, et abbas Roseriarum una Vesuntione reperiuntur anno 1556, Franciscumque *Bonvalot* revera munere ipsi quondam demandato semet abdicantem audiunt, ut supra rem enarravimus, col. 104: authentica vero hujus abdicationis instrumenta Gerardum equitem ab anonymo Roseriarum abbate distinguunt.

XLII. Claudius II *Marmier* comitiis Burgundiæ 8 Novembris 1574 interfuit.

XLIII. Philibertus *Charreton de Chassey*, filius Benedicti *Charreton* et Henricæ *d'Aens*, possidendam abbatiam ingreditur 7 Decembris 1581. Eidem, anno 1590, Montis S. Mariæ regimen demandatum, duasque abbatias una gubernandi jus concessum. Reperitur dein 4 Septembris 1610, cui sub id tempus bona Simonis *Faivre* adjudicata; ex ind. chart. Dolens. Obiit, in castello *Le Pin*, 12 Martii 1619.

Post Philibertum quidam N. *d'Arinthod* Roseriarum abbatibus annumerant, sed falso.

XLIV. Balduinus *Moreau*, patria Hannonius, Philiberti vices implere jubetur 25 Martii 1619, eique civitas conceditur 4 Decembris. Eum ideo provincialis proconsul sacramento semet obligantem audit 23 Februarii 1620, eique senatus Dolensis abbatiam occupandi potestatem facit 2 Martii. Romæ Balduinus obiit, anno 1621.

XLV. N. *Ruty* designatur abbas post Balduinum. Sed is quoque Romæ, anno 1622, nondum muneris possessionem consecutus, decessit.

XLVI. Antonius Franciscus *de Battefort* litteris pontificiis donatur 6 Augusti 1623, et in possessionem mittitur 20 Decembris. Eidem Vallis Clusæ prioratum adscribit Philippus IV, 12 Novembris 1639. Post eum abbatialis sedes diu vacua permansit.

XLVII. Petrus II, alias Franciscus, *Besançon* nominatur a Philippo rege 5 Septembris 1645, in possessionem mittendus 23 Martii 1649. Memoratur anno 1657, in Burgundiæ comitiis sedens, et, anno 1664, de horreo *Charnay* adversus Jacobum *Cussemenet*, *Avesche* rectorem, litigans. Decessit 21 Decembris 1668; ex ejus funereo monumento, quod poni curavit e fratre nepos Benedictus *Besançon*, Roseriarum prior. Tunc vero res in Bisuntino tractu civiles summopere perturbatæ, urbe metropolitana nuper a Francorum rege capta, nuperrime vero Hispanorum regi restituta. Audita Petri morte, Vesuntione constituta curia, quæ senatus Dolensis recens ab officio submoti partes implebat, cuidam Bisuntino canonico administrationem abbatiæ temporalem demandavit, 25 Decembris.

XLVIII. Eugenius Ernestus *de Beth de Leyden* deinde Roseriarum abbas creatur, 4 Maii 1669; qui etiam inter Montis S. Mariæ abbates recensetur. Ei vero diu muneris aditionem prohibuit Joannes *de Berkel*, quem Roseriarum pariter abbatem Maria Anna Austriaca nominaverat. Obiit Eugenius Ernestus 16 Septembris 1692.

XLIX. Petrus III *de la Chaise Beaupoirier*, clericus Parisiensis, Eugenio Ernesto mortuo, nominatur a Ludovico, Gallorum rege, 1 Novembris 1692, anno 1718 obiturus.

L. Claudius III Franciscus *Boisot*, Atrebatensis ecclesiæ supremus archidiaconus, creatur abbas a Ludovico rege, Petro nuper mortuo, 20 Martii 1718, et 10 Maii in possessionem mittitur. Bullæ tamen pontificiæ non ei collatæ sunt ante 20 Martii 1726. Obiit anno 1776.

LI. Geoffridus *d'Abbans*, canonicus S. Claudii, vix abbas Roseriarum creatus, hoc beneficio sponte cessit, Vallis Magnæ futurus abbas, in Agatensi diœcesi.

LII. Josephus Maria *Desmarets*, alias *des Miairais*, annis 1776, 1778.

LIII. Franciscus Maria Andreas Joachim *de Grimaldi* superstes erat anno 1790.

BETHANIA.

Anno circiter 1133, Aimo, *Faucogney* dynasta, locum in quo Cisterciensis domus Bethania condita est Gualchero, Morimundensi abbati, contulit, coram filiis suis Henrico, Othone atque Radulfo. Bethania igitur Morimundi filia. Nec adeo inclyta priscis temporibus, quæ scilicet tunc quoque Monasterium S. Mariæ appellabatur. Postea vero maximas clades experta est, adeo ut, anno 1663, unus tantum in vastatis claustris monachus appareret.

Chartularium Bethaniæ præbet tomus XI Drozianarum schedarum.

SERIES ABBATUM.

I. Albericus ab Innocentio papa II, ante scilicet 24 Septembris 1143, qua die prædictus papa decessit, exsurgentis abbatiæ possessiones confirmatas habuit; *Droz*, t. XI, p. 266. Idem, anno circiter 1147, fundationi Gratiæ Dei interfuit. (Ch. xxxv, col. 37.)

II. Stephanus stabilita abbatiæ bona ab Humberto archipræsule obtinet, v id. Februarii 1147, secundum recentiorem calculum.

III. Guillelmus I, anno circiter 1156, Lutræ pactum laudat initum inter Bellævallenses monachos et Gualcherum de Aurea Curte; *Droz*, t. IX, p. 234. Dein reperitur anno 1157, abbatiæ suæ possessiones a Frederico imperatore confirmatas impetrans. (Ch. xxxix, col. 39.) Anno 1162, adstante scilicet Gualterio, Vesuntionensi electo, Gislebertum, Visulii comitem, erga Locum Crescentem beneficum exstitisse testatur; ibid., t. XIII, p. 276. Elapsis aliquot annis, Eberardi archipræsulis diplomati subscribit, in quo Aymonis de Falconeio dona referuntur. Narduino, Loci Crescentis, et Sayfrido Luxovii abbatibus jura quædam inter se commutantibus, ante annum vero 1178, quo Bochardus Luxovio præfectus videtur, Guillelmus memoratæ commutationis testis fuit; *Droz*, t. XIII, p. 268. Anno dein 1179, de variis rebus cum eodem Bochardo, Luxovii abbate, transegit; *Droz*, t. XI, p. 154. Diuturnum fuit Guillelmi regimen. Eo sedenim præsente, Daniel, imperatoris legatus, sub annum 1183, initam pacem inter Bellævallenses monachos et priorem *Chaz* sancivit; *Perreciot, Ét. des Pers.*, t. III, p. 42. Denique ad Guillelmum, anno tamen incerto, scripsit Alexander papa III, possessiones abbatiæ recensens; *Droz*, t. XI, p. 297.

IV. Jacobus I, anno 1184, testis fuit Walonis, Clari Loci apud Nanceienses abbatis, fœdus quoddam supra memoratum pangente; t. XIII, col. 1375. Idem, anno 1187, Gregorii papæ VIII litteras accepit, quibus rata Bisuntinorum quorumdam optimatum dona; *Droz*, t. XI, p. 282. Idem Clementis papæ III coætaneus exstitit, a quo aliis litteris donatus est; ibid., p. 298.

V. Hugo anno 1194 ordinatus memoratur in chartula de duodecim nummis Stephaniensibus, quos Bethaniæ monachi Luxoviensibus anno 1195 commodavere; *Droz*, t. XI, p. 159. Anno 1196, Guidonis, Cisterciensis abbatis, mandato, inter Clari Fontis et Cari Loci monachos quoddam jurgium dirimit.

VI. L., anno 1200, a Romaricensi abbatissa quatuor *sedes salinarias* emit; *Droz*, t. XI, p. 162.

VII. Petrus I, anno 1203, testis est Reginaldi *de Goenans* cum Bellævallensibus componentis.

Petrum hunc nonnulli Pontium appellant, quem annis 1200, 1203, sedem occupavisse referunt. Quidam sane Pontius, anno incerto, a Reginaldo de Falconeio molendinum infra Novam Villam situm accepisse traditur; ibid., p. 301. Idemne vero Pontius et Petrus? Reginaldus certe de Falconeio sub initium decimi tertii sæculi vivebat.

VIII. Odo, anno 1208, subscribit litteris Amedei præsulis de Alardo, milite, cum Bellævallensibus paciscente.

IX. Droco memoratur anno 1210. Proferuntur quidem, anno 1209, litteræ Gasconetæ, matronæ, nonnullas decimas S. Stephano condonantis, cum sigillo *Druonis*, Bethaniensis archimandritæ; *Droz*, t. V, p. 571. Isne vero *Druo* Droco legendus? Non certum nobis est inter *Druonem* hunc Droconemve discrimen quoddam exstitisse.

X. H., quem Haimonem conjectura nuncupant, sigillo suo firmat, anno 1214, pactum inter Bellævallenses et Haimonem *de Espre*; *Droz*, t. X, p. 172.

XI. B., non alius forsan ab H. antecedente, litteras edit, anno 1216, de Leobardo de Bandivilla cum Bella Valle transigente; ibid., p. 144.

XII. Gerardus, mense Martio 1222, secundum veterem usum, cum Henrico Sultitio transegit; *Droz*, t. XI, p. 176. Idem, anno 1223, litteras obsignat Annæ, Guidonis de Monte Justino uxoris, erga S. Vincentium beneficæ. Anno dein 1225 adversus Haimonem *Maspoil* de decimis in ecclesia *Sanz* percipiendis sententiam obtinuit; ibid., p. 179. Nonnulla in eodem loco Walo sibi vindicaverat; quæ, anno 1226, ad Gerardum Bethaniæque monachos pertinere recognovit; ibid., p. 181. Occurrit Gerardus, anno 1232, nota faciens quæ Bellævallensibus Joannes de *Chambornay* pro pignore tradiderat; ibid., t. X, p. 183 : dein, anno 1233, data S. Vincentio ab Anna Bonadulci sigillo suo testans.

XIII. Guido I Basileæ reperitur 28 Octo-

bris 1243, ubi testis est Lutholdi, Basileensis episcopi, pactionem renuntiantis initam inter Cononem de *Ramstein* et Lucellense monasterium. Idem anno 1244, subscribit litteris Alardi de Falconeio plura Bellævalli conferentis; *Droz*, t. X, p. 180. Ipse, anno 1246, litteras edit, quibus notum facit ab Alardi præmemorati filia Matthæa Bellævalli tres homines traditos esse; id., t. IX, p. 437. Eodem quoque anno reperitur ad calcem litterarum quas G., Loci Crescentis abbas, edit. Usque ad annum 1254 Guido, alias Wido, superstes videtur; nam sub hunc annum W., Bethaniæ semet ferens abbatem, litteras edit de rebus Bellævalli datis ab Othone de Rupe; *Droz*, ibid., p. 232.

Ch. xc, col. 83.

XIV. Joannes I, mense Julio 1276, pactum renuntiat initum inter Bellævallenses et Joannam, Reginaldi viduam; *Droz*, t. IX, p. 494. Idem, anno 1277, testis est Richardi de Passavento erga Luxoviensem abbatem sacramento semet obligantis; ibid., t. VIII, p. 477.

XV. Matthæus, anno 1279, cum Luthrensi abbate transigit. Idem, anno 1286, litteras obsignat Pontii, militis, cum Petro *de Chonbay* componentis; ibid., t. IX, p. 215. Dein, mense Maio 1289, litteras Frederici imperatoris laudat pro Luthrensi monasterio; ibid., t. XIII, p. 340. In Bellævallensibus quoque tabulis reperitur Matthæus anno 1291, et in indice chartarum Dolensium anno 1296, Novembri mense, fundatum memorans anniversarium ab Amedeo de Falconeio. Verisimile denique nobis videtur Matthæum hunc non alium esse a quodam Martino, cujus, sub annum 1299, Hugo *Du Temps* meminit.

XVI. Guillelmus II anno 1304 memoratur.

XVII. Petrus II testis est, anno 1311, initæ cujusdam pactionis inter Luxovii abbatem et Berctholdum *de Brache*; *Droz*, t. VIII, p. 734.

XVIII. Joannes II annis 1316, 1318 recensetur.

XIX. Bisuntius, anno 1335.

XX. Petrus III, anno 1349, testis est compositæ litis inter Bellam Vallem et Gratiam Dei; *Droz*, t. X, p. 252. Gentilitio forsan nomine *Huard* appellatus est. Hugo enim *Du Temps*, e veteri, ut videtur, serie, hujus *Huard* sub annum 1350 meminit.

XXI. Guillelmus III *de Molans* ab anno 1354 reperitur in regestis officialis Bisuntini. Dein cum Jacobo *d'Aucelle*, anno 1357, pactionem facit. Eidem, anno 1358, Isabella *Quer* mancipia plura confert; *Droz*, t. XI, p. 228, 231.

XXII. Petrus IV, anno 1367.

XXIII. Richardus *de Beaufort*, anno 1371, adversus Henricum de *Sanoncourt* sententiam obtinuit; *Droz*, t. XI, p. 236. Anno 1377 idem memoratur abbas.

XXIV. Guichardus *Dormoy* cum vici *Adelans* incolis de tributariis operis transigit, anno 1388; ibid., p. 238. Eum quoque anno 1400 sedem tenuisse referunt.

XXV. Nicolaus I, anno 1401, cum Falconeii incolis litigabat, et, eodem anno, cum incolis vici *La Creuse*; *Droz*, t. XI, p. 243, 244. Sedebat etiam anno 1408.

XXVI. Joannes III *de Remiremont*, annis 1430, 1433.

XXVII. Jacobus II *de Neuvelle*, anno 1434, vel 1435, ex abbate Gratiæ Dei Bethaniæ fit abbas. Ejus diversæ præterea schedulæ meminerunt annis 1437, 1440.

XXVIII. Philibertus, annis 1446, 1456.

XXIX. Guillelmus IV *de Ribbel*, annis 1462, 1467; apud Hugonem *Du Temps*.

XXX. Joannes IV *de Salins*, 1481, 1488; ex eodem.

XXXI. Simon I Guido *des Varennes*, 1490, 1515; ex eodem.

XXXII. Joannes V *Corberey des Fontaines*, 1516, 1521; ex eodem.

XXXIII. Simon II *Dumay*, 1527, 1568; ex eodem.

XXXIV. Guido II *de Canoz* ab anno 1570. In tabulis officialis Bisuntini anno 1573 legitur. Superstes erat anno 1574.

XXXV. Casparus *Thomassin* ab anno 1575. Anno 1583, 9 Maii, Ludovicus *Jay de la Bathie* Claudium *Terric*, legum doctorem, juxta ecclesiam S. Antonio sacram occidit : qui ut coram judicibus constitit, suasorem tanti sceleris Casparum, Bethaniæ abbatem, nominavit; e Joannis Bonneti Chronico. Obiit Casparus anno 1590.

XXXVI. Gabriel, alias Daniel *de Montrichier*, Luxovii professus, Bethaniæ creatur abbas a Philippo rege 31 Octobris 1590, a Francisco *de Seraucour*, Morimundi abbate, confirmandus 18 Martii 1591, et, 26 ejusdem mensis, in possessionem abbatialium redituum a senatu Dolensi mittendus. Superstes erat anno 1610.

XXXVII. Simon III *Bailly*, presbyter, ab archiducibus creatur abbas 13 Junii 1611, eique reditus abbatiæ percipiendi potestas a senatu Dolensi conceditur 20 Octobris. Ejus vero breve regimen fuit : decessit enim anno 1615.

XXXVIII. Valentinus *Paret*, alias *Pastel*, patria Dolensis, abbatia donatur ab eisdem archiducibus 29 Octobris 1615, et in possessionem mittitur, senatus Dolensis decreto, 7 Januarii 1616. Philippus ei IV, 3 Octobris 1622, Nicolaum Franciscum *Duzin* adjutorem dat.

XXXIX. Nicolaus II Franciscus *Duzin*, ex antecedentis adjutore abbatialis muneris possessionem adit anno 1630, et anno 1638 obit.

XL. Marcus *de Valimbert* ab Hispanorum rege nominatur 14 Decembris 1641, eique, 1 Februarii 1642, administrandorum abbatiæ

bonorum senatus Dolensis potestatem facit. Munere postea libens semet abdicavit. Commendatariorum primus fuerat.

XLI. Antonius I Petrus *de Grammont*, antea *Champlitte* prior, a Philippo rege eligitur 8 Februarii 1650, et in abbatiam commendæ titulo possidendam mittitur 23 Maii, ea tamen sub conditione ut abbatialis mensæ reditus, per unius anni spatium, in seminarium Cisterciense transfundat. Apostolicæ ad eumdem missæ litteræ 6 Januarii 1658. Antonius Petrus in metropolitanam sedem deinde evectus est, et, elapsis aliquot annis, Bethaniæ regimen dimisit.

XLII. Franciscus Josephus *de Grammont* tunc a Ludovico rege ei suffectus est, 22 Martii 1678. Ea autem Francisci Josephi adlectio summo Pontifici displicuit, qui, 13 Junii 1679, Joannem-Baptistam *Beuque*, patria Dolensem, eodem beneficio donavit. Sententia vero postea mutata, Alexander papa VIII Franciscum Josephum legitimum beneficii possessorem agnovit, 1 Maii 1690. Idem decanus fuit Bisuntinus, abbas Montis Benedicti, prior Mortuæ Aquæ, etc., etc., et postremo Vesuntionensis archiepiscopus. In prioratu Mortuæ Aquæ ei subrogatus est Antonius Petrus *de Grammont*, e fratre nepos. Obiit 20 Augusti 1717.

XLIII. Felix Emmanuel *Doroz* Bethaniam post ejusdem decessum a Ludovico rege accepit, 20 Martii 1718.

XLIV. Maria Franciscus *Boquet de Courbouzon*, abbas jam Bullionis, Bethania litteris donatur regiis 28 Octobris 1725, pontificiis 2 Aprilis 1726, in possidendam abbatiam mittendus 22 Maii. Sedit usque ad annum 1742.

XLV. Constantinus Josephus *Le Seneschal de Carcado* per octo tantum menses præfecturam abbatiæ tenuit.

XLVI. Joannes Antonius *Tinseau* ab anno 1743. Hic, Vesuntione natus anno 1697, episcopus Bellicensis consecratus est anno 1745, et anno 1751 Nivernensis. Obiit anno 1781.

XLVII. N. *Tinseau* ab anno 1780. Superstes erat anno 1790.

CLARUS FONS.

Clarus Fons, Cisterciensis abbatia, juxta *Polaincourt*, fundatores habuit Juncivillæ toparchas, anno, ut videtur, 1132; quod sub tempus monachos Morimundenses locus in abbatiam convertendus excepit. In opes celeriter crescente ea domo, crevit et ascetarum numerus; quare, anno circiter 1152, colonia Clarum Fontem deserens Vallem Dulcem, in Lingonensi diœcesi, conditum ivit. Annorum vero series prosperas olim Clari Fontis ipsius res adeo mutavit, ut, anno 1663, unus tantum inter eversorum ædificiorum parietinas monachus degeret. Tunc annui abbatiæ reditus non 1600 libr. excedebant, quarum tertiam partem commendatarius abbas abducebat, reliqua pecunia in tectorum fatiscentium refectionem et monachi superstitis victum vestitumque abeunte.

ABBATES.

I. Lambertus, e Morimundensi, ut videtur, monacho Clari Fontis abbas fit anno 1132 : quo subscripsit anno, 17 Septembris, Anserici archipræsulis litteris de Faverniacensi abbatia Casæ Dei subjecta. Occurrit dein IV id. Februarii 1142, secundum veterem usum, testis Guidonis de Treva datam Bellævallensibus a Bernardo de Roseriis tertiam Cyriaci partem confirmantis; et, Juncivillæ, V cal. Maii 1145, Humberti archipræsulis Bellævalli Camborniacenam ecclesiam condonantis. Denique, V cal. Septembris 1152, memoratur Lambertus in litteris ejusdem Humberti pro Bethania; quo, ut ait Humbertus, arbitro, Bethaniæ monachi et Alardus Falconcii de variis dissidiis pacti sunt; *Droz*, t. XI, p. 145. Morimundum Lambertus anno 1154 accitus est, cujus abbatiæ gubernaculum, Reginaldo mortuo, tenuit. Cistercii dein idem abbas fuit.

(Ch. XXX, col. 33.) (Ch. XXXI, col. 34.)

II. Aliprandus una cum Guillelmo, abbate Bethaniæ, subscripsit, anno incerto, litteris Humberti archiepiscopi plura Bethaniæ data stabilientis. Bethaniensis autem abbas Guillelmus ab anno 1156 saltem fuit et Humbertus antistes anno 1162 obiit : unde compertum habemus Aliprandrum Lamberto successisse.

Perperam, ut videtur, Hugo *Du Temps* Bartholomæum anno 1156 et Ludovicum anno 1157 inter Clari Fontis abbates recensuit. De Bartholomæo infra mentio fiet : Ludovici vero nulla ad nos delata chartula meminit.

III. Henricus Cistercii reperitur IV id. Novembris 1168, litteris Guischardi, Lugdunensis archiepiscopi, subscribens, de rebus Roseriis a Guillelmo *de Tramelay* collatis. Idem, anno 1173, Stephani, Burgundionum comitis, testis est erga Bellam Vallem benefici. Stephanum eo die Clarus Fons hospitem excipiebat.

IV. Radulfus, VI id. Novembris 1202, litteras obsignat Philippi II, regis, Montegneium Caro Loco confirmantis. Spiræ tunc Radulfus apud imperatorem commorabatur. (Ch. LXIII, col. 60.)

V. Bartholomæus, anno 1216, litteras edit de Leobaldo de Bandivilla cum Bellævallensibus paciscente; *Droz*, t. X, p. 144. Idem ejusdem Leobaldi cum Bethania transigentis, anno 1220, diploma obsignat; ibid., t. XI, p. 173. Eum insuper San-Vincentianarum tabularum index præbet, unaque Amedeum archipræsulem, arbitros sedentes exorti jurgii

ob furnum a Bellævallensibus in vico *Anthoison* exstructum.

VI. Girardus I testis est, mense Martio 1222, Bethaniæ monachorum cum Henrico Sultitio paciscentium.

VII. R., anno 1228, pacto subscribit inter Carilocenses et Narduinum, militem.

VIII. H., quem Henricum quidam nuncupant, ratam habet, anno 1241, Vallis Dulcis custodiam Gallorum regi traditam; supra, t. IV, col. 840.

IX. Stephanus I anno 1253 memoratur.

X. Thomas, anno 1263.

XI. D., quem Durandum Hugo *Du Temps* appellat, laudat, mense Januario 1269, litteras Auberti, Vallis Dulcis abbatis; supra, t. IV, p. 840. Opinamur autem hunc D. abbatem non alium esse ac Nicolaum sequentem. Sequens enim Nicolaus *Davand,* forsan *Durand,* nominatur, in instrumento de promissa fide Luxoviensi abbati a Passaventi toparcha.

XII. Nicolaus I testis est, anno 1274, Richardi de Passavanto se fidum Luxoviensis abbatis clientem profitentis, *Droz,* t. VIII, p. 466, et anno 1275, agricolarum vicum *Figueville* incolentium, eidem patrono semet obnoxios agnoscentium; ibid., p. 627. Idem, anno 1276, Aubertum, Vallis Dulcis abbatem, cum Luxoviensi abbate Carolo paciscentem approbat; supra, t. IV, col. 841. Anno dein 1277, litteras laudat quibus Caseoli toparchæ quarumdam villarum ad Faverniacenses pertinentium se custodes renunciant; *Droz,* t. X, p. 621.

XIII. Girardus II, eodem anno 1277, testis adlectus reperitur a Passavanti toparcha Luxoviensi abbati obsequium clientelare promittente; ibid., t. VIII, p. 477.

XIV. Adamus, mense Julio 1293, *Parisot de Marguellon* audit idem obsequium eidem abbati spondentem; ibid., p. 471.

XV. Hugo I ab anno 1313 innotescit. Hic arbiter eligitur, mense Februario 1316, tam a Loci Crescentis abbate quam ab incolis vici *Geneix,* de variis juribus litigantibus: quam eodem mense litem judicio solvit; *Perreciot, État des Pers.,* t. III, p. 192, 195.

XVI. Petrus, anno, ut ferunt, 1324.

XVII. Arnulfus, anno 1346; e regestis officialis Bisuntini.

XVIII. Otho de Ormeto, anno 1377.

XIX. Girardus III *de Fontenay,* anno 1392 legitur.

XX. Joannes I, anno 1427.

XXI. Hugo II *de Chauvirey,* anno 1447.

XXII. N. *Ceurdargent,* anno 1469 numeratæ pecuniæ syngrapham a Jacobi *Roussel,* presbyteri, hæredibus accipit; *Droz,* t. XIII, p. 553.

XXIII. Stephanus II *Lequien,* anno 1478.

XXIV. Joannes II *Lequien,* anno 1524.

XXV. Joannes III *Lequien,* anno 1536, ex
A antecedentis, cujus forsan nepos erat, adjutore.

XXVI. Theobaldus *Ponsot,* anno 1578: cui adjutor datus Joannes *Ponsot* 17 Decembris 1583.

XXVII. Joannes IV *Ponsot,* alias *Poussot,* Theobaldo successit, et ipse munere semet abdicavit anno 1614.

XXVIII. Guillelmus *Bardot* e Clari Fontis monacho abbas ab archiducibus creatur 25 Martii 1614, et in possessionem muneris mittitur 17 Aprilis.

XXIX. Nicolaus II *Bardot* ultimus regu-
B larium fuit.

XXX. Laurentius Joannes *Brun* Nicolao defuncto a Philippo rege sufficitur 18 Februarii 1648; quo etiam anno, 20 Aprilis, ei munus adire per senatum Dolensem licet. Jam antea Laurentius Joannes decanus erat ecclesiæ Poliniacencis, et prior S. Laurentii de Rupe. Cur ad eum, Clari Fontis jamdudum ex auctoritate regis abbatem, adeo dilata bullarum missio, non compertum habemus. Hæ vero Alexandri papæ VII sigillum præbent diemque 23 Junii 1656.

XXXI. Philippus Carolus *de Nouveau,*
C post Laurentii Joannis decessum, abbas a Carolo II creatur 2 Augusti 1673, et in possidendam abbatiam mittitur 19 Decembris. Ea autem nominatio nullum effectum habuisse videtur.

XXXII. Stephanus III *Renoux,* clericus Parisiensis, in vacantem Laurentii Joannis morte sedem a Ludovico, Gallorum rege, traducitur 29 Martii 1675, et in possessionem mittitur ex auctoritate senatus Dolensis 26 Novembris. Obiit anno 1719.

XXXIII. Antonius Ignatius *de Camus de Filain* a rege nominatur 6 Novembris 1719.
D Ea autem nominatio vana sane permansit: iteratis enim litteris idem rex eumdem Clari Fontis abbatem creavit 24 Januarii 1724, eumque Innocentius XIII instituit 20 Julii ejusdem anni.

XXXIV. Bonaventura *Pourcheresse d'Avasnes,* decanus capituli Dolensis, creatus abbas anno 1748, anno 1768 obiit.

XXXV. Nicolaus III Michael *d'Osmont,* ab anno 1768 usque ad annum 1790.

GRATIA DEI.

E Non adeo procul a *Vercel,* in alta valle, quam, umbrosis montibus circumseptam, torrens *Andeux* vastatricibus undis sæpius obruit, a Cisterciensibus colonis erecta Gratiæ Dei tecta. Saltum hunc prorsus desertum *Vallem bubonum* veteres nuncupaverant; ab eo tempore quo Cistercienses hospites excepit *Rupes florida, Vallis florida,* posteaque *Vallis B. Mariæ Virginis* dictus est, et ab eis ædificata domus *Gratia Dei, Misericordia Dei,* appellata. Fundationis annus dubius

est. Humberti quidem archipræsulis diploma profertur, anno datum 1147, v non. Maii, in quo singulæ nuper exstructi cœnobii possessiones recensentur; antiquiorem vero fundationem multi reputant (1), et anno 1139 adscribendam. Aliunde comperimus quosdam Caritatis monachos hujus ecclesiæ conditores exstitisse, præcipuam Montis Falconis dynastis opem conferentibus. Parvum nomen hujus abbatiæ semper fuit, quæ non unam cladem experta est. Anno enim 1367, extraneorum militum caterva, quibus, sedatis Franciæ Angliæque dissidiis, jam stipendia nemo suppeditabat, totam Burgundiam perrans, Gratiam Dei occupavit, deprædatamque flammis exhausit. Periit in eo incendio quidquid sedulius veteres piæ domus incolæ posteris tradendum coacervaverant; periit ecclesiæ lauta supellex; perierunt membranaceæ chartæ, volumina, certa rerum gestarum documenta; ipsique monachi, e corruentibus tectis depulsi, exsules alio abierunt. Reduces memorantur anno 1383, et novis claustris tunc restituti. Aliud anno 1475 Gratiæ Dei excidium. Helveticæ sub id temporis Germanicæque cohortes monasterium rursus expugnavere, nonnullosque monachos, ceteris fugam arripientibus, trucidavere. Annum denique circa 1640, Hispanis Francisque per Burgundiæ saltus discurrentibus, tertia Gratiam Dei clades afflixit. Ea tunc domus egestas, ut quæ postremum ante bellum octo monachos alebat, a duobus tantum professis, præter unum novitium, sopito jamdudum Martis furore, anno scilicet 1663, habitaretur. Nec etiam prætereundum audax prædonum facinus qui, 28 Aprilis 1757, armati, imo etiam evaginatis gladiis, monasterium intraverunt, et in abbatem ipsum, necato famulo, violentas manus intulerunt.

Domesticarum chartarum, quæ tot e naufragiis incolumes servatæ fuerunt, indicem præbent Drozianæ schedæ, t. XIII. Nec parvam opem nobis obtulit Historia Gratiæ Dei a studiosissimo Bisuntinæ rei viro D. Richardo, *Dambelin*, ecclesiæ rectore, nuperrime conscripta.

SERIES ABBATUM.

I. Petrus I, cognomento *Gauthier*, Caritensium monachorum qui in *Valle bubonum* primi consiterunt dux memoratur, eorumque postmodum abbas. De eo tamen nihil certius ad nos pervenit.

Ch. XXXV, col. 36. II. Warnerius anno 1147 innotescit, e litteris Humberti archipræsulis consumma-

A tam Gratiæ Dei fundationem enarrantis.

III. Robertus I, anno 1156, Frederici imperatoris litteras accepit, quibus abbatiæ possessiones confirmatæ; Hist. Gratiæ Dei, a doctissimo viro Richardo conscripta, p. 260. Idem circa annum eumdem Luthræ reperitur, ubi pactum inter Bellævallenses monachos et Gualcherum de Aurea Curte initum laudat; *Droz*, t. IX, p. 234. Dein, anno 1163, testis est sopitæ litis inter Brochardum, Bellævallis abbatem, et Hugonem *de Merchal*, atque, anno 1167, dimissæ repetitionis in præposituram *Cirey* ab Amedeo, Montis Fal-

B conis toparcha.

IV. Guido I postea memoratur, in quem prædictus Amedeus beneficus fuit.

V. Constantinus occurrit in Roseriensi chartula, anno 1195.

VI. Humbertus vero I, XVII cal. Junii 1196, domesticas possessiones ab Henrico VI confirmatas impetrat; Hist. Gratiæ Dei, p. 263.

VII. Martinus ab anno 1210 usque ad annum 1220; ex abbatum indice veteri.

VIII. Hugo I, anno 1223, testis est Richardi, Montis Biligardi comitis, vicum *Da-*

C *late* Lucellensi monasterio condonantis; inter Monum. Episc. Basileensis., a D. J. *Trouillat* collecta, t. I, p. 489. In ea chartula post Hugonem occurrit Martinus, monachus Gratiæ Dei, non alius forsan ac Martinus supra memoratus, abdicata videlicet abbatis dignitate; nisi tamen veteris indicis auctor, in errorem lapsus, Martini præfecturæ nimis antiquam temporis notam adscripserit.

IX. Guido II, anno 1229; ex epistola Gabrielis Andreæ *Deleschaux*, quam exhibet Hist. Grat. Dei, p. 257. Idem, sub eumdem annum apud Sammarthanos. Is tamen non

D alius forsan a Guidone antecedente, hic cum mendosa temporis nota collocatus.

X. Humbertus II ante annum, ut videtur, 1241.

XI. J., quem Joannem I opinantur, anno 1248.

XII. Humbertus III plura cum Amedeo, Montis Falconis toparcha, commutavit, mense Maio 1249. Anno dein 1255, data Corneolo a filiis Roberti de Rubeo Monte litteris publicis renuntiat; *Droz*, t. XIV, p. 675. Idem denique anno 1257 non semel occur-rit in chartulis quas D. Richardus publici

E juris fecit, Hist. Grat. Dei, p. 264.

XIII. Joannes II, quem pia populi recordatio Beatorum societati aggregavit, e S. Dionysii juxta Parisios monacho hospes Claræevallis postea fuerat, dein abbas Igniaci et Claræevallis: abdicata tandem Claræevallis præfectura, ut Christophorus *Henriquez* tradit, Gratiam Dei sub annum 1262 secessit, ubi mox in vacantem Humberti morte sedem evectus est. De eo Menologium Cisterciense, 20 Aprilis.

(1) Id ipsa demonstrat Humberti charta, cujus epilogus post testium nomina positus non *fundationis*, ut aiunt, sed *confirmationis chartam* significat. Adde quod inter testes occurrit Albericus, abbas Bethaniæ, cujus in locum ante mensem Maium 1147, certis e documentis, Stephanus subrogatus fuerat.

XIV. Hugo II, anno 1264, testis est Othonis *de Vennes* Amedeo de Monte Falconis obsequium promittentis; *Droz*, t. XXX, p. 145. Idem anno 1271 Gratiæ Dei præsidens e Montis Falconis tabulario comperitur; ibid., p. 132.

XV. Petrus II, annis 1275, 1284, 1285, 1292, 1295, in eisdem Montis Falconis tabulis occurrit; *Droz*, t. XXX, p. 157, 208, 217, 220, 274.

XVI. Henricus I *de Liesle*, ære alieno oppressus, post breve regimen munere semet abdicavit.

XVII. Reginaldus I, dictus *de Salins*, adhibito Cisterciensium plurium abbatum consilio, ut scilicet tantis oneribus abbatiam sublevaret, pecuniam mutuo accepit a Jordano, Bellævallis abbate, Octobri mense 1299; *Droz*, t. IX, p. 626. Dein, Januario 1302, a Stephano *de Dampierre* nonnullas res emit, et, Decembri 1304, Joannem de Monte Falconis, anniversarium suum instituentem, beneficum experitur; Hist. Grat. Dei, p. 206.

XVIII. Guillelmus, Octobri mense 1309, debitum Montis Falconis toparchæ anniversarium renuntiat; ibid., p. 57. Anno denique 1349, Guillelmus, abbas Gratiæ Dei, cum Guidone, Bellævallis abbate, litigans, cum eo paciscitur; *Droz*, t. X, p. 252. Nimis diuturnum unius Guillelmi regimen reputans D. Richardus, personarum hic discrimen facit, interque duos Guillelmos quemdam ignoti nominis abbatem gubernaculo Gratiæ Dei præfuisse conjicit. Ea conjectura fortassis admittenda : nec tamen adeo infrequens unius abbatis administratio in quadraginta annos producta.

XIX. Reginaldus II *de Bouhans*, gubernaculum tenebat anno 1367, cum deprædatrices turmæ monasterium occupaverunt ignique tradiderunt. Exsules in aliam domum secessere monachi. Obiisse creditur Reginaldus anno 1382.

XX. Reginaldus III *de Gonsans* anno 1383 memoratur. De eo tamen nihil amplius.

XXI. Hugo III, mense Decembri 1396, centum libras Turonenses a Morimundi abbate mutuo datas accipit; *Droz*, t. X, p. 295. Reginaldus vero abbas occurrit, 3 Decembris 1397, erga S. Pauli abbatem se obligans, apud easdem Drozii schedas, t. VII, p. 588 : quædam igitur menda vel in tomum Drozii septimum, vel in decimum subrepsisse videtur, quæ dubiam sub id temporis abbatum seriem efficit.

XXII. Parisius ab anno 1411 usque ad annum 1416; ex indice veteri.

XXIII. Joannes III *de Rye*, filius Philiberti et Aliciæ *de Côtebrune*, usque ad annum, ut ferunt, 1428.

XXIV. Jacobus *de Neuville* abbas Gratiæ Dei postea fuit.

XXV. Stephanus I *de Chatenoy* occur-
A rit, 17 Augusti 1452, cum S. Joannis incolis componens.

XXVI. Hugo III *de Bremondans* ab anno 1463. Reperitur anno 1464 in chartula cujus *Droz* mentionem fecit, t. XIII, p. 152. Eo regente, anno 1475, iterum ab armatis militibus vastata domus et in solitudinem redacta. Quibus præda facta tandem abeuntibus, reduces monachi desolatam atque omni re exhaustam domum pro viribus reficere student. Eis Hugo usque ad annum 1492 præfuisse videtur.

XXVII. Nicolaus *Boudot* Hugoni successit,
B qui, retenta pensione, munere semet abdicavit 24 Junii 1499.

XXVIII. Petrus III *Marquis* ab anno 1499 usque ad annum 1512 in diversis, sed parvi momenti, schedulis memoratur.

XXIX. Joannes IV *de Maizières*, theologiæ doctor, sæpius occurrit ab anno 1513. Obiit 18 Augusti 1546. Laudatur qui domestica prædia juraque strenue tutatus est, et summam curam adhibuit ut monachi litteras colerent. Eo tamen abbate non parum a pristina disciplina desciverunt.

Eumdem D. Richardus Caritatis abbatem
C fuisse existimat et utriusque abbatiæ clavo simul præsedisse. Quam nos conjecturam improbamus. Inter Caritatis abbates Joannes quidam *de Mezières* jure ponitur; is vero anno 1493 vitæ finem attingebat, antequam Joannes alter, non idem, *de Mezières* Gratiæ Dei præficeretur. Qui natu posterior prioris forsan nepos e fratre fuit.

XXX. Robertus II *Cavaielley de Laurillon* 6 Februarii 1547 electus comperitur, et 1 Junii 1575 mortuus.

XXXI. Stephanus II *Pierrard*, decretorum doctor in gymnasio Dolensi, postea, mutata
D veste, monachus, Roberto successit anno 1575. Ex abbate Gratiæ Dei S. Vincentii præfecturam adipiscitur 10 Julii 1602.

XXXII. Joannes V *Penevoillet*, alias *Penouillet*, Stephano successurus litteras Alberti ducis obtinet 23 Februarii 1605. In eadem domo supprioris antea munus impleverat. Abbatem eum probavit Claudius *de Grammont*, Caritatis archimandrita, 2 Junii, ideoque eumdem, 22 Junii, senatus Dolensis abbatiale munus adire jussit. Difficillima tunc tempora, Francis Hispanisque in Burgundia dimicantibus. Qui nec Gratiæ Dei possessio-
E nibus pepercerunt. Decessit Joannes 9 Julii 1654.

XXXIII. Claudius I *Vyot*, filius Claudii et Paulæ *de Lafertey*, Cari Loci professus, Gratia Dei donatur a Philippo IV 11 Maii 1655, ab abbate Morimundi instituitur 12 Augusti, et in possidendam abbatiam a senatu Dolensi deputatur 23 ejusdem mensis. Anno 1672 munere semet abdicavit, retenta quingenarum librarum pensione, obiitque anno 1677.

XXXIV. Claudius II Franciscus *Jouffroy de Novillars*, canonicus in domo *Poligny*, a Ludovico XIV, Francorum rege, abbas Gratiæ Dei nominatur 22 Aprilis 1675, ea sub conditione ut Cisterciensem vestem induat. In possessionem mittitur 15 Junii, et a Morimundi abbate instituitur 19 Julii. Obiit 1 Januarii 1710.

XXXV. Ludovicus *Perdu* litteris regiis donatus est 19 Aprilis 1710, abbasque confirmatus a Morimundi abbate 15 Julii. Non parum is reficiendis claustris consuluit. Cum vero colendos agros nemoribus extricaret, acerbissimæ inter eum servandisque aquis B silvisque præfectos lites exarsere, quibus ut finem imponeret Morimundi archimandrita Ludovicum munus dimittere jussit anno 1719, retenta sexcentarum librarum pensione.

XXXVI. Henricus II *Aimey*, e Balernæ monacho et priore Cisterciensi litteris regiis abbas Gratiæ Dei renuntiatus est 23 Decembris 1719, et in possidendam abbatiam missus 5 Martii 1720. Obiit anno 1737.

XXXVII. Pontius *Jeunet* Henrico succedens, mox, anno 1738, Cisterciensis congregationis generalis in comitatu Burgundiæ vicarius electus est. Eum vitæ metam attigisse C putant anno 1745 desinente.

XXXVIII. Briccius Nicolaus *Mamiel*, theologiæ doctor, patria Metensis, a rege nominatur abbas 27 Martii 1746. Quædam prædonum turma in abbatiam irruit 28 Aprilis 1757, abbatem falcato gladio vulnerat, captumque morte minatur. Eo tamen periculo defunctus Briccius Nicolaus Gratiæ Dei præfuit usque ad diem 13 Junii 1766, quo mortuus est.

XXXIX. Gabriel Andreas *Deleschaux*, Ledo Salinario oriundus, a rege nominatur abbas 17 Augusti 1766. Munus abdicavit D anno 1788.

XL. Fredericus Leonardus *Rochet*, Cisterciensis professus, abbas adlectus a rege 21 Septembris 1788, superstes erat anno 1790.

BULLIO.

Burchardus, abbas Balernæ, novam condere domum studens, quam, Balernæ filiam, Cisterciensibus institutis subjiceret, obvios habuit Artaldum, Hugonem Stephanumque, *Cherencey* toparchas, qui ei locum obtule- E runt juxta fluvii *La Loue* ripas, nec procul a rupecula *Belière*, in quo propositam rem exsequeretur. Oblatum Burchardus prædium gratus accepit, eoque mox quosdam monachos Balerna deductos misit, a quibus exstructa sunt ædificia. Consummatam deinde ecclesiam Humbertus archipræsul rite consecravit. Inter alios exsurgentis abbatiæ benefactores Petrus *de Ceys*, Richardus *de Montfaucon* et Ogerus *de Chatillon* memo- A rantur. Bullione unus anno 1663 monachus; tres vero anno 1789.

ABBATES.

I. Wichardus, quem alii Ulrichum appellant, in charta fundationem enarrante legitur; *Droz*, t. XIII, p. 418.

II. Quintavallis a quibusdam memoratur sub annum 1158. De eo tamen per nos dubitare licebit.

III. Hugo I, anno 1173, Gerardum, Viennensem comitem, beneficum expertus, eadem ei funera promittit quam domestico cuilibet abbati; Hist. Dynast. Salin., t. I, Instr., p. 65. Idem testis est, anno 1183, sententiæ qua Theodoricus archiepiscopus litem dirimit inter monachos Accincti Guidonemque de Pasmis.

IV. Gualterius, anno 1197; e chartul. Clarævallis, inter schedas *de Gaignières*, num. 247.

V. Lambertus ponitur sub annum 1220.

VI. Radulfus Montem S. Mariæ se recipit mense Julio 1228, et de initiis hujus abbatiæ inquisitionem facit. Ch. LXXIV, col. 67.

VII. Aimericus, anno 1235, plura pactus est cum Hugone de *Chaux*, *Rens* toparcha. Ch. LXXXV, col. 78.

VIII. Petrus I ab Hugone *Du Temps* in anno 1264 collocatur; sed infelici, ut videbitur, conjectura. Aimerici forsan hic Petrus successor fuit et Henrici antecessor.

IX. Henricus, sequente die S. Pancratium 1262, beneficiarium quoddam prædium Lauræ comitissæ, acceptis quadraginta libris, oppignerat. Dein, anno 1271, litteras Kyburgensis comitis, anno datas 1241, laudat; J. E. *Kopp, Urkunden zur Geschichte der Eidgenossischen Bunde*, p. 101. Ejusdem aliæ chartulæ meminerunt anno 1273, et mense Martio 1274; *Droz*, t. XXVIII, p. 65, 275.

X. Gerardus testis est, anno 1276, Richardi *de Montbeliard* Odoni archiepiscopo ob injuriam illatam satisfacientis. Eodem quoque anno quasdam res cum Joanne Cabilonensi permutat; *Droz*, t XXVIII, p. 544.

XI. Hugo II cum Godofrido, Clarævallis abbate, reperitur, anno 1281, arbiter cujusdam litis inter Accinctum et Balernam; *Droz*, t. XI, p. 119.

XII. Stephanus *de Villers* testis est, Julio mense 1282, Petri *de Mellant* Joanni Cabilonensi diversa prædia vendentis; *Droz*, t. XXVIII, p. 448. Idem, sub mensem Maium 1286, procuratorem quemdam instituit; ibid., t. XXX, p. 230.

XIII. Guillelmus I mense Februario 1289, secundum veterem calculum, vallem *Migetes* Joanni Cabilonensi vendit. Idem, anno 1290, litteras quasdam Petri *de Thoraise* obsignat; *Droz*, t. XXIX, p. 147. Ch. CX, col. 99.

XIV. Bertrandus ab anno 1303 innotescit. Anno dein 1307 testis erat fœderis inter

Vesuntionenses oppidanos et Joannem Cabilonensem initi; ibid., t. XXVIII, p. 306.

Nullus igitur tribuitur locus huic Guillelmo quem Hugo *Du Temps* sub annum 1305 Bullioni præfuisse memorat.

XV. Jacobus I *de Gillois* ab eodem *Du Temps* in anno 1306 collocatur. Lege forsan annum 1316.

XVI. Balduinus *d'Arbois*, anno 1326.

XVII. Guillelmus II *de Mamirole*, anno 1349.

XVIII. Petrus II *de Gendrey*, anno 1363.

XIX. Edmundus *de Rochefort*, anno 1369.

XX. Guido I *de Longepreme*, anno 1374.

XXI. Joannes I *de Venière*, anno 1383.

XXII. Allardus, anno 1400.

XXIII. Joannes II *de Saffloz*, anno 1408.

XXIV. Joannes III *de Salins*, anno 1414.

XXV. Joannes IV *de Cendrecour* anno 1438 obiit.

XXVI. Joannes V *de Montigny* anno 1460 memoratur.

XXVII. Guillelmus III *Chifflet* anno 1479.

XXVIII. Joannes VI *de Dijon*, a clero Burgundiæ legatus, totius provinciæ comitiis interfuit anno 1484.

XXIX. Hugo II *de Savoie*, anno 1492.

XXX. Antonius *de Vy*, anno 1496.

XXXI. Nicolaus I *Peyret*, anno 1510. Qui, anno 1512, in abbatialem Albæ Ripæ sedem traductus est.

XXXII. Vincentius *Le Merlet*, alias *Marlet*, prior idem Vallis Caulium, in ecclesia Lingonensi, civilis principis delectu fit abbas Bullionis. Obiit 10 Julii 1545; ex ejus epitaphio, apud Casparum Jongelinum.

XXXIII. Joannes VII *Malyon*, antecedentis primum adjutor, abbas eodem mortuo evasit, decessurus ipse 24 Januarii 1547; ex ejus epitaphio supra laudato, t. IV, col. 744. Is quoque Vallis Caulium prior post Vincentium fuerat.

XXXIV. Guido II *de Cavoz* obiit anno 1555.

XXXV. Humbertus *de Cavoz*, interfuit annis 1568, 1574, 8 Novembris, Burgundiæ comitiis. Anno igitur 1570 decessisse perperam memoratur.

XXXVI. Petrus III *Galet* obiit, ut ferunt, anno 1583.

XXXVII. Jacobus II *de Montrichard* Burgundiæ comitiis 28 Junii 1585 interest. Eo præsente, Vesuntione, 23 Julii 1595, Petrus *de Scey* testamentum suum dictat; Hist. Dynast. Salin., t. I, p. 204. Idem, 2 Martii 1598, in comitiis Burgundiæ reperitur. Obiit anno, ut videtur, 1604.

XXXVIII. Petrus IV *de Montrichard*, Jacobo mortuo, ab archiducibus abbas creatus est 18 Decembris 1604, et, ut erat extraneus, civitate donatus 11 Februarii 1605. Eodem anno, 22 Martii, senatus eum Dolensis in abbatiam possidendam misit.

A XXXIX. Nicolaus II *Boutechoux de la Vilette* Petro defuncto ab archiducibus sufficitur 22 Aprilis 1611, et a Claræ vallis abbate instituitur 20 Julii, in possessionem mittendus 9 Septembris. Eo mortuo,

XL. Ludovicus I *Delatour*, Balmæ monachus, ab infante Isabella nominatur abbas 18, vel 28 Aprilis 1626, et a Cisterciensi archimandrita instituitur 12 Augusti 1632. Abbas idem fit Bellævallis 20 Novembris 1633. Eo abeunte, aliquot per annos abbatialis sedes vacua permansit.

XLI. Joannes-Baptista *Bailly*, ultimus re-B gularium, regiis litteris donatur 14 Decembris 1641. Reperitur in comitiis Burgundiæ sedens anno 1657.

XLII. Claudius *de Lizola* a Carolo II, Hispaniæ rege, creatur abbas 9 Januarii 1668, Joanne-Baptista nuper mortuo. Mox autem Ludovicus, Francorum rex, Philippum Paulum *Laborey de Salans* eodem beneficio donat, 9 Februarii. Deinde, recedentibus Vesuntione Francis, Clemens IX Claudium instituit 20 Septembris. Is vero, anno 1679, munus dimisit.

XLIII. Franciscus I *Marlet* a Ludovico, C Francorum rege, abbatiali pedo donatur 1 Aprilis 1679. Exsul decessit anno 1690.

XLIV. Franciscus II *de Riccard*, clericus Parisiensis, idem munus accipit 1 Octobris 1690. Quod dimisit anno 1720, ea tamen sub conditione ut ipsi 1300 libr. annuatim persolverentur.

XLV. Maria Franciscus *Boquet de Courbouzon*, clericus Bisuntinus, Francisco abdicante, nominatur a rege, 3 Maii 1720. Bethaniæ dein abbas creatus 28 Octobris 1725, Bullionem dimisit.

XLVI. Ludovicus II Albertus *de Lezay* D *Marnesia*, antecedente abdicante, creatur abbas a rege 16 Maii 1726, et in possessionem mittitur 1 Julii. Ipse quoque munus dimisit, factus abbas Bellævallis. Tunc

XLVII. Petrus V *Pelissier*, Forojuliensis presbyter, a rege munere donatur 8 Augusti 1731, instituendus a summo Pontifice 16 Decembris.

XLVIII. N. *Morin*, reginæ capellanus, obiit 13 Aprilis 1773.

XLIX. N. *de Muly*, Oratorii superior generalis, creatur abbas 20 Aprilis 1773.

L. N. *de Vault* ab anno 1778 usque ad E annum 1790.

MONS S. MARIÆ.

Delatum est ad nos optimæ fidei instrumentum de hujus monasterii initiis. In eum scilicet locum, quem olim Furnum Montis nuncupabant, quidam eremitæ, laicos semet usque profitentes, secesserant, asperioris, ut videtur, vitæ consectatione. Quibus ut placuit rectorem sibi imponere, clarum

asperis moribus virum Girardum, Montis A Benedicti quondam abbatem, dein Lacus Jurensis, abdicata dignitate, canonicum, acciverunt, eique animarum suarum curam demandaverunt, archiepiscopo Bisuntino rem comprobante. Non tamen ab eo tempore erecta abbatia, laicique sodales in canonicos monachosve regulæ cuilibet obtemperantes conversi. Girardus vero pii cœtus tantummodo spirituale regimen, re et nomine capellanus, susceperat. Quo defuncto, idem munus Petro, Lacus Jurensis canonico, delegatum. Is, ut erat professione Præmonstratensis, multa molitus est ut Furni Montis B incolas ad suam vivendi normam componeret. His autem liberiora canonicorum instituta respuentibus, Petrus capellæ ipsi commissæ tutela se abdicavit, eique suffectus est Stephanus, Bullionis novitius. Denique, anno 1199, Cisterciensem regulam fratres exoptaverunt, eorumque votis annuens Gualcherus, Salinarius toparcha, a Claræ-vallis abbate poposcit, ut in eo loco institueretur abbatia, Claræ-vallis filia. Hæc præbent Gualcheri litteræ, quas J. B. Guillelmus, Hist. Dynast. Salinar., t. I, instr., p. 92, integras edidit : « Præsenti pagina omnibus innote- C « scat me domum de Monte S. Mariæ, cum « ejusdem pertinentibus et possessionibus « universis, assensu fratrum in eodem loco « commorantium, domni Claræ-vallis libere « contulisse.... Inhibeo autem ne aliquis « infra unam grandem leucam circa domum « Montis S. Mariæ, ex parte Juniæ, aut ex « parte Mutuæ, vel etiam ex parte *Chargebien*, exertare præsumat aliquatenus aut « cernire, quia omnia quæ infra metas has « continentur ad jus et dominium prædictæ « domus volo jure perpetuo pertinere. » Hanc fundationem, anno sequente, Vesun- D tionensis archipræsul Amedeus approbavit. Opem et subsidium sane primis Montis S. Mariæ incolis Lacus Jurensis canonici ministraverant. Quare, mutata in Cisterciensem abbatiam domo, ipsum in quo ædificata fuerat locum repetiverunt, annis 1228, 1230; sed, orata sæpius causa, materiam litis dimittere coacti sunt. Asperrimus tamen locus in quo sua eremitæ tecta posuerant, atque aditu difficillimus. Ideo, anno 1243, ex ea solitudine recedentes monachi leguntur. Ne tamen omnes alio, et forsan extra Bisuntinæ diœcesis terminos, pedes ferrent, eis ampliores E capitulum Bisuntinum reditus contulit, ut rem docent nos Alexandri decani litteræ; *Droz*, Comm. de Pont., p. 239. Decem, anno 1663, monachi in claustris Montis S. Mariæ reperiuntur. Indicem chartarum ad hanc abbatiam spectantium suppeditat tomus Drozianarum schedarum undecimus.

ABBATES.

I. Henricus, anno 1200, testis est Gualcheri Salinarii ecclesiam *Nod* Monti Benedicti confirmantis; *Droz*, Comm. de Pont., p. 227. Ejus obitum sub annum 1232 Albericus, Trium Fontium monachus, his verbis memorat : « Obiit apud Altam Cumbam « Dom. Henricus, quondam Magnæ Troiæ « antistes. » Litteras apprime didicerat Henricus, qui præclarum reliquit doctrinæ suæ monumentum, libellum scilicet *Verbi Gratia* dictum, olim in armario Claræ-vallensi, nunc in Trecensi, sub num. 953, asservatum. De Henrico consule Hist. Franc. Litter., t. XIII, p. 576.

II. Stephanus, ut ferunt, Henrico successit.

III. Hugo testatur, anno 1224, Odonem *de Frelois* Accincti monachis quidquid in ecclesia *Peintre* possidebat contulisse; *Droz*, t. XI, p. 127.

IV. Petrus, anno 1243, ab Hugone, Stephani *de Pontarlier* filio, plura accipit; ibid., t. XI, p. 372. Idem, eo anno, litteras edit de sedata lite inter Henricum Jurensem et canonicos Montis Benedicti; Comm. de Pont., p. 236. Eidem, eo quoque anno, Alexander, Bisuntinus decanus, plures decimas, pluresque alios reditus adscribit; ibid., p. 238.

V. Joannes I de Balmis Petro successit, secundum Casparum Jongelinum.

VI. Odo, anno 1261, testis est colonorum et toparchæ vici *S. Albin* fœdere mutuo semet obligantium; *Perreciot*, *État des Pers.*, t. III, p. 70.

VII. Nicolaus, Aprili mense 1263, vel 1264, pactionis testis est inter Petrum *de Ceys* et comitissam Lauram initæ; *Droz*, t. XXVIII, p. 326. Idem, anno 1266, litteris publicis renuntiat Petrum *de Fraigne* Joanni Cabilonensi obsequium promisisse; ibid. p. 131.

VIII. Jacobus I, quem dicunt *de Mièges*, anno 1270, mense Novembri, litteras obsignat quibus *Bertoz de Joigne* Lauræ comitissæ quædam vendit; ibid., p. 411. Anno dein 1271 Kiburnensis comitis diploma anno datum 1241 laudat; apud J. E. Koppium, *Urkunden zur Geschichte der Eidgenossischen Bunde*, p. 101. Eodem, ipse litteras edit de filiis Petri *de Rivière* medium furnum Guillelmo de Balma, clerico, vendentium. Eo quoque præsente, anno 1273, Haymo *de Rivière* cum prædicto Guillelmo pactus est; *Droz*, t. XXIX, p. 15. Junio mense 1274, sigillo suo munit litteras quibus Lauræ comitissæ ab Humberto *de Fraigne* promissa fides; ibid., t. XXVIII, p. 108. Eo quoque anno testis est Joannis, vici *Fraigne* præpositi, eidem Lauræ furnum vendentis; ibid., p. 333. Ejusdem denique Jacobi mi-

nimi quidem momenti chartæ nomen præbent, annis 1277, 1281, 1282, 1287, usque ad Januarium mensem 1288, quo testis fuit Othonis *de Bannens* Joanni Cabilonensi quædam jura, accepto pretio, conferentis; ibid., p. 382.

IX. Girardus, Januario mense 1289, testis est Girardi *de Fraigne* Joannis Cabilonensis clientem se profitentis; ibid., p. 295.

X. Jacobus II, Februario mense 1296, secundum hodiernam computandi rationem, sigillum suum apponit novissimo Henrici *de Joux* testamento; Hist. Dynast. Salin., t. I, p. 316. Idem, Aprili mense 1298, Guillelmum *de Chantenoy* Joanni Cabilonensi obsequium spopondisse testatur; *Droz,* t. XXVIII, p. 285. Plures dein anno 1299 litteras obsignat, quas singulatim memorare operæ pretium non est; ibid., p. 379 et t. XXIX, p. 13. Ipse denique, mense Junio 1305, domum Salinis sitam Chantelenæ, Salinariæ matronæ, in perpetuum tradit; t. XI, p. 446.

XI. Guillelmus I testis est, anno 1307, Joannis Cabilonensis Bisuntinorumque civium semet invicem fœderis pacto obligantium. Idem, anno 1309, pratum B. Mariæ ad se pertinere probat. Guillelmo quoque præsente, eodem anno, Odo de *Ranz* Joanni Cabilonensi obsequium promittit; *Droz,* t. XXVIII, p. 15. Hic ex abbate Montis S. Mariæ Claræyallis abbas fuit secundum Sammarthanos. Antecessores vero nostri Guillelmum tunc temporis Claræyallis abbatem Balernæ simul et Caroloco, minime Monti S. Mariæ, antea præfuisse asseruerunt.

XII. Pontius, anno 1311, a Joanne Cabilonensi diversorum jurium confirmationem obtinet; *Droz,* t. XI, p. 408.

XIII. Guillelmus II *de Noseroy*, ab anno 1332. Idem, anno 1340, reditus emit a Guidone, filio Joannis: quo etiam anno exsecutor testamenti legitur quod Joannes *de Molpré,* miles, recens condiderat. Guillelmo dein, anno 1344, Girardus de Monte Falconis concedit ut in prædiis suæ ditionis agros domosve pretio comparet; e chart. caps., num. 1798, in Max. Paris. Biblioth. Guillelmo *de Noseroy* abbatiam S. Mariæ sacram procurante, Parisiis degebat Guillelmus de Orgeleto, ejusdem abbatiæ monachus, qui Summam Sermonum quamdam collegit, in bibliotheca Trecensi, sub num. 1424, nunc asservatam.

XIV. Bernardus; e Sammarthanis et Casparo Jongelino.

XV. Jacobus III de Riparia; ex eisdem.

XVI. Aimo *de Valz*, anno 1357, immunitates villæ *Champtave* a Joanne *de Champagny,* Salinario præposito, confirmatas impetrat; *Droz,* t. XI. p. 427. Reperitur idem annis 1365, 1370.

XVII. Guillelmus III de *Loule* occurrit A 6 Februarii 1380, instituendum in ecclesia S. Theoduli presbyterum præsentans; *Droz,* t. XI, p. 471.

XVIII. Joannes II *de Pontarlier,* ex abbate Montis Benedicti, anno 1390; e regestis officialis Bisuntini. Anno 1398 tertiam partem prati quod pratum Præpositi nuncupabant, in vico *Champagny*, emit. Superstes memotur anno 1406.

XIX. Joannes III *de Levier;* e Sammarthanis.

XX. Joannes IV *Bonnet;* ex eisdem.

XXI. Guillelmus IV *de Mouthier,* Septem- B bri mense 1439, cum Stephano *Grand,* Salinario oppidano, transigit; *Droz,* t. XI, p. 449.

XXII. Daniel *de Chaucin*, anno 1449, e quodam *vidimus;* ibid., t. XI, p. 358. Superstes erat anno 1470.

XXIII. Antonius *de Berghes* ex abbate Montis S. Mariæ S. Trudonis abbas fit anno 1483.

XXIV. Joannes V *de Fraisne*, annis 1485, 1486, 1491, 1505, in domesticis tabulis reperitur.

XXV. Fiacrius de *Jougne;* e Casparo Jon- C gelino.

XXVI. Ludovicus I *de Vers*, anno 1517, litteras Margaritæ, Austriæ archiducissæ, accipit; *Droz,* t. XI, p. 401. Vixit, e serie quam Drozius digessit, Comment. de Pont., p. 187, usque ad annum saltem 1549. Caritatis idem insimul abbas fuit.

XXVII. Guillelmus V *de Vantravers* ab anno 1555. Is annis 1568, 1574, Burgundiæ comitiis interfuit. Muneris implendi consortem Guillelmus, 5 Aprilis 1583, Simonem *Froissard,* protonotarium, poposcit, ejusque petitionem Guillelmus *de Mandre,* abbas D Theoloci, necnon abbatis Cisterciensis vicarius generalis, ratam habuit. Simon igitur adjutoris officio, senatu Dolensi consentiente, fungi cœpit 6 Martii 1584. Dein vero, nempe 28 Junii 1588, Guillelmo etiam postulante, adjutor alius ei datur, Philibertus scilicet *Charreton*, jam Roseriarum abbas, qui mox defuncto Guillelmo succedit. Miratorii quoque Guillelmus abbas fuerat.

XXVIII. Philibertus *Charreton de Chassey* ex auctoritate Sixti papæ V abbas Montis S. Mariæ fit 4 Junii 1590; dein, annuente senatu Dolensi, possessionem adit, 17 No- E vembris ejusdem anni. Permiserat papa ut duas abbatias idem simulque regeret. Adjutor ei datus, 3 Januarii 1606, Joannes *Charreton de Chassey*, e fratre nepos, ea tamen sub conditione ut monachicam vestem is indueret. Quam vero conditionem Joannes fallens a munere remotus est archiducum sententia 9 Junii 1616. Obiit Philibertus 12 Martii 1619.

XXIX. Gabriel *Durand,* Cari Loci antea prior, Philiberto defuncto ab archiducibus

sufficitur 20 Augusti 1619, et in possessionem mittitur 18 Octobris. Per eum Joanni *Caffot* licet, anno 1621, metallicum lapidem in loco *Rochejean* dicto, e terræ visceribus eruere; *Droz*, t. XI, p. 469. Eodem quoque anno cum abbate Montis Benedicti transigit. Gabriele vero mortuo, nominatur a Philippo IV

XXX. Ignatius Franciscus Paulus *de Bette de Leyden*, 11 Decembris 1658. Ad eumdem exstant Alexandri VII bullæ, datæ 14 Septembris 1662. Inter Burgundiæ cives dein Ignatius admissus est, 13 Decembris, et possidendam abbatiam ingredi ei per senatum Dolensem licuit 12 Januarii 1663. Munere dein semet abdicavit, eique subrogatus est

XXXI. Eugenius Ernestus *de Bette de Leyden*, clericus Mechliniensis, litteris Ludovici regis donatus 12 Octobris 1677, et in possessionem missus 11 Februarii 1678. Idem quoque Roseriarum abbas.

XXXII. Ludovicus II *Duban de la Feuillée*, clericus Lingonensis, Eugenio Ernesto defuncto sufficitur à Ludovico rege 1 Novembris 1692.

XXXIII. Joannes VI Claudius *Boisot*, clericus Vesuntionensis, post Ludovici mortem, litteris regiis donatur 1 Novembris 1699. Eumdem Clemens papa XI instituit 7 Decembris 1700.

XXXIV. N. *Farjonel d'Hauterive*, doctor Sorbonnicus, nominatur anno 1768. Superstes erat anno 1784.

XXXV. N. *de Bourgevin Violart de Montigny* ab anno 1785 usque ad annum 1790.

OUNANS.

Ounans viculum, non procul a Poliniaco, veteres Ulnorum, scilicet Alnorum, villam dixerunt, ob frequentiam alnorum eo loco consitarum: *Hunnens* quoque, *Umnens*, *Ulnans*, priscis in chartis idem locus appellatur. Ibi Gualcherus III Salinarius abbatiam, ut ferunt, exstruxit, Tartique monialibus tradidit, in qua coloniam Cisterciensem instituerent. Quamvis autem id confidenter plerique Sequanicæ historiæ scriptores enarrent, rem nonnihil dubitationis habere confitemur. Gualcherus enim præmemoratus anno circiter 1132 decessit, et hunc sub annum Tartensis abbatia, vixdum perfectis ædificiis, eas quæ primæ recentia tecta subierunt moniales excipiebat, e Juliacensi parthenone deductas. Anno tamen, ut videtur, 1147, Humbertus archipræsul abbatiæ *Ounans* dictæ fundationem, et jam collata Cisterciensibus puellis prædia, confirmabat. Easdem, annis 1238, 1243, Joannes Cabilonensis, non tantum fundis, sed etiam aliis reditibus auxit. Anno dein 1245, v idus Octobris, Innocentius IV, Lugduni tunc moram faciens, ejusdem domus possessiones stabilivit, et eam archiepiscopi Vesuntionensis jurisdictioni minime subjectam pronuntiavit. Memorantur quoque dona a toparchis vicorum castrorumve *Vadans*, *Vaudrey*, *Santans*, *Oiselay*, necnon ab Alicia, Matthæaque, Burgundiæ comitissis, *Ounans* monialibus collata. Æmulo igitur studio quibuslibet eas commodis vicini proceres instruebant. Cum vero præceps Lupa torrens abbatiæ muros tumescentibus aquis continuo exederet, abbatialis ecclesia quinto decimo sæculo ruinam fecit. Quare, 22 Martii 1449, Vesuntionensis archipræsul occurrit, singulos Sequaniæ incolas admonens, ut puellis *Ounans* auxilium ferant, parietinas eversi templi suscitandas jam curantibus. Tot eisdem postea tantaque Lupinæ aquæ damna attulerunt, ut in eo ubi sedem olim posuerant loco consistere nequiverint. Illis igitur, 20 Aprilis 1520, castri *Clairvans* toparcha quemdam agrum concessit, ab omni impetu fluvii tutum, in quo nova claustra ædificaverunt, ab eis tamen quæ primum incoluerant parum distantia. Denique, sub annum 1595, quo scilicet tempore puellis *Ounans* Calvinianæ sectæ sequaces excidii minas intendebant, Dolum devenerunt, eaque in urbe a Margarita *Aignelot*, Guidonis *Mairot* vidua, exceptæ, ibi usque ad finem postremi sæculi fixam sedem habuerunt. Corcellenses virgines eis anno 1608 unitæ sunt; Collongienses pariter, 22 Martii 1622. Dolensis monasterii januæ nondum clausæ fuerant usque ad annum 1615. Nicolaus vero *Boucherat*, Cisterciensis abbas, abbatissæ intercessione posthabita, sub hoc tempus prohibuit ne virgines quas regebat foras exirent. Eligendas in triennium abbatissas anno 1652 monialium conventus optavit: quod ratum habuit Philippus rex eo anno, 6 Julii. Anno 1663 sexdecim erant in ea domo moniales, et quinque sorores eis ancillarem operam ministrantes.

Abbatissarum seriem accuratissime conditam, non tamen integram, vulgavit D. A. *Rousset*; Dictionn. Geogr., t. V, p. 10. Ea nobis quam maxime opportunum auxilium contulit. Servat Dolensis oppidi bibliotheca Historiam hujus abbatiæ ab Adriana Theresa *Dussillet*, abbatissa, scriptam.

ABBATISSÆ.

I. Elisabetha, anno 1200; e domestica serie quam Hugo *Du Temps* edidit.

II. Odilia post Elisabetham; ex eadem.

III. Petrina I, anno 1247.

IV. Petronilla anno 1287 memoratur, sed eadem forsan ac sequens fuit.

V. Petrina enim II, rustice *Parrache*, sub annum 1287 a D. A. *Rousset* in authentico diplomate reperta est.

VI. Eva, alias Eudona, annis 1316, 1327.

VII. Margarita I *de Gouhenans* ab anno A 1327 usque ad annum 1347.

Hugo *Du Temps* Simonam *de Scey* anno 1338, et Guidonam *de Vaudrey* anno 1343 recensuit. Hæ autem, secundum D. A. *Rousset,* moniales fuerunt, minime abbatissæ.

VIII. Margarita II *de Rochefort*, anno 1350.

IX. Alicia *du Vernoy*, anno 1354.

X. Petrina III *du Vernoy*, anno 1359, apud Hugonem *Du Temps*. Hanc tamen D. A. *Rousset* prætermisit.

XI. Eudona *de Vaudrey*, 1394, 1400.

XII. Margarita III *de Villeneuve*, 1425, B 1440.

XIII. Catharina *d'Harcourt*, 1462.

XIV. Margarita IV *d'Oiselay*, 1472.

XV. Joanna I *de La Rochette*, 1492.

XVI. Ludovica *de L'Aule*.

Ea defuncta, moniales Joannam *de Vaudrey* abbatissam elegere. Cisterciensis vero abbas Guidonam *de Faulquier* eodem munere donavit. Cui eum moniales domus aditum prohiberent, lis inter duas æmulas protinus orta est. Civilis quidem judex secundum Joannam, inquisitione facta, sententiam edidit, 16 Octobris 1511. C

XVII. Joanna II *de Vaudrey* ab anno 1511 usque ad annum 1513. Ea munere semet abdicavisse videtur.

XVIII. Guidona *de Faulquier* ab anno 1513 reperitur. Ea, 20 Aprilis 1520, locum emit in quo, fatiscentibus prioris domus fundamentis, posterior ædificata est. Obiit anno 1533.

XIX. Claudia I *de Faulquier*, ab anno 1533; quæ anno 1551 decessit.

XX. Joanna III *de Montrond*, 1551-1562.

XXI. Philiberta *de Vichy*, 1562-1577.

XXII. Francisca *de Latour*, Montiniaci D professa, ab Hispanorum rege abbatissa creatur 27 Septembris 1577.

XXIII. Stephana *de Lanthenac*, Castri Caronis professa, a monialibus postulanda Philippi II regis litteris commendatur 21 Martii 1586. Ea præsidente Dolum moniales secesserunt. Obiit 23 Octobris 1620.

XXIV. Anna I *de Crosey*, alias *de Crecy*, e priorissa abbatissa ab archiducibus nominatur 1 Martii 1621, et a Cistercii abbate instituitur 6 Septembris; quæ decessit 17 Martii 1650. Post ejus mortem incipit series abbatissarum in triennium electarum, qua- E rum paucas investigatio nostra assecuta est.

XXV. Blancha *de Clermont* anno 1680 a Ludovico, Gallorum rege, abbatissa creatur. Possessionem vero non adiit.

XXVI. Anna I Bonaventura *de Marenches*, anno 1752.

XXVII. Claudia II *Mairot de Valay*.

XXVIII. Claudia III Benigna *de Vayte*.

BATTENTUM.

Battentum, Cisterciensium monialium parthenonem, Ansericus archipræsul, nonnullorum e sententia, condidit. Id autem omni probatione caret. Anno 1227 ea fundatio adscribenda videtur; cujus Joannes archiepiscopus particeps exstitit, ut rem nos docet instrumentum infra typis mandandum. Ex Ch. LXXIII, col. 66. ejusdem Joannis litteris satis constat Cisterciensem hanc domum extra Vesuntionis mœnia, juxta fontem Battenti, primo conditam fuisse : sed, 21 Junii 1599, moniales hunc locum, permutatione facta, deseruerunt, atque in ipsam urbem semet receperunt; apud Dunodium, Hist. Eccl. Bis., t. II, p. 325. Anno 1663, Vesuntione fixam sedem habens ea congregatio septem monialibus, præter abbatissam, constabat; quæ exiguis tantum reditibus fruebantur.

De Battenti abbatissis paucæ chartulæ fidem faciunt. Quas fere omnes tantum ex indice domestico, ab Hugone *Du Temps* edito, novimus.

QUÆDAM ABBATISSÆ.

Guillelma nobis innotescit anno 1292, vacante Romana sede per mortem Nicolai I; quo tempore semet ab Odone, archiepiscopo, ob illata abbatiæ damna, 136 libras accepisse testata est.

Guidona *de Ruffey* reperitur anno 1313 in regestis officialis Bisuntini.

Sequentes eo ordine, sed sine ulla temporis nota Hugo *Du Temps* recensuit :

Isabellam *Donzay*, Joannam *de Châlon*, Guillelmam *de Châlon*, Margaritam *de Neufchatel*, Aliciam *de Visemont*, Agnetem *d'Amagney*, Aliciam *d'Andelot*, Joannam *Donzay*, Claudiam *de Vaugrenans*, Joannam *d'Andelot*, Franciscam *d'Andelot*, Claudiam alteram *de Vaugrenans*, Agnetem *Leblanc*, Annam *de La Jonchère*, Catharinam *de Beaujeu*, Margaritam *de Bar*, Girardam *de Vuillafans*.

His de abbatissis nil aliud comperimus, nec etiam certi sumus eas nos ordinate disposuisse. Post Girardam vero ex authenticis instrumentis nobis notæ sunt :

Anna *de Montfort*, quæ anno 1599 munere semet abdicavit.

Claudia *Lullier*, quæ ab archiducibus instituitur, peracta Annæ cessione, 19 Januarii 1600, et in possessionem a senatu mittitur 12 Julii. Antoniam *de Montrichard* adjutricem Claudiæ dat abbas Cisterciensis, 9 Novembris 1626.

Francisca *de Villemot* Claudiæ successisse videtur.

Anna Francisca *d'Oursans* Franciscæ *de Villemot*.

Margarita *de Crosey*, antea priorissa, post

Annæ Franciscæ mortem abbatissa instituitur a Ludovico XIV, 24 Octobris 1697.

Helena Angelica *de Grammont* Margaritæ vices excepit, 1 Aprilis 1701.

Christiana *de Changin*.

Joanna Gabrielis *de Scey*, filia Joannis Claudii, et Albertinæ *de Blicterswick*.

Margarita *Dagay de Myon* instituitur 7 Januarii 1775 ab Andrea *Deleschaux*, abbate Gratiæ Dei.

CORNEOLUS.

Corneolus primo prioratus fuit, quem exstruxit Raimbaldus, S. Pauli canonicus. Nuper quidem reformata, Garlando rei auctore, S. Pauli domus. Cujus ad exemplar Corneolus exsurgens semet composuit, et pari modo S. Augustini regulam admisit. Anno 1131 ea fundatio adscribitur, et sub id temporis Raimbaldus Corneoli prior reperitur ab ipso archipræsule Anserico constitutus. Idem Ansericus jam datas canonicis possessiones anno 1133 recensuit; *Droz*, t. XIV, p. 407. Id tamen circa tempus, incomperta mutandi consilii causa, Raimbaldus prioratum suum Gualtero, S. Martini Laudunensis abbati, tradidit; quam traditionem Ansericus, anno 1134 incipiente, solemni diplomate sancivit. Exinde Præmonstratensia S. Norberti instituta Corneolum intromissa sunt. Floruit ea quondam domus, et Belli Campi mater fuit, in Montibiligardensi comitatu. Usque ad annum 1653 Graiacenum gymnasium Corneolenses canonici rexerunt. Magnum vero eis damnum bella tunc ferventia attulere : quare in abbatia vastata octo tantum fratres anno 1663 numerantur. Anno 1708, fatiscentibus quæ catenus incoluerant ædificiis, Corneolenses ex agro paludoso in paulo excelsiorem locum, unde Graiacenum castellum prospicitur, se suaque contulerunt.

Ch. xxv, col. 28.

Corneoli chartularium præbet Drozianarum schedarum tomus XIV.

ABBATUM SERIES.

I. Wachelmus anno 1143 reperitur, cujus ex auctoritate Præmonstratensis abbatia Fons Andreæ, in Novi Castri comitatu, sub Corneolensis abbatis imperio constituitur.

Ch. xxxiii, col. 35.

II. Martinus, anno 1146, abbatiæ suæ possessiones confirmatas ab Humberto archiepiscopo obtinet. Idem, anno incerto, cuidam chartæ ad rem Theolocensis abbatiæ spectanti subscribit; *Droz*, t. XII, p. 152. Obiisse fertur Martinus 28 Februarii 1147.

III. Ticelinus, alias Enselinus, Ecelinus, innotescit, anno 1153, e litteris Humberti archipræsulis diversa a diversis data sancientis; ibid., t. XIV, p. 424. Idem, anno circiter 1156, Luthræ reperitur, ubi pactum approbat initum inter Bellævallenses monachos et Gualcherum de Aurea Curte. Dein, 19 Septembris 1165, litteris Frederici I in gratiam Castri Caroli subscribit. Anno denique 1169, inter eumdem et *Vgit* colonos, de quorumdam agrorum limitibus litigantes, Herbertus archiepiscopus pacem facit. Quo etiam anno in ejusdem Herberti litteris reperitur, non pauca Corneolo data recensentis; ibid., p. 400.

Ch. xlii, col. 40.

IV. Petrus, anno incerto, testis est Stephani erga Roserienses benefici; ibid., t. X, p. 383.

V. Gervasius occurrit anno 1188, cui Theodoricus archipræsul singulas abbatiæ possessiones confirmat; ibid., t. XIV, p. 447. Eidem, anno 1195, Otho, Burgundionum comes, ejusdem fere tenoris litteras tradit; ibid., p. 454. Testis jam fuerat, anno 1192, ejusdem Othonis viculum S. Benignum custodiendum suscipientis; ibid., p. 593. In eo, ut videtur, dominus papa confidebat, quem scilicet, anno 1196, judicem litis elegit inter Bellævallenses monachos et fratres *Chambornay* incolentes. Eo quoque præsente, anno 1200, Amedeus archipræsul Montis Benedicti possessiones recognovit. Gervasio denique, anno 1210, uxor Othonis comitis a marito suo Corneolo jam concessa confirmavit; ibid., p. 597. Falso igitur memoratur 5 Septembris 1199 defunctus.

Post Gervasium *Du Temps* Martinum II et Bisuntium ponit : de quibus valde dubitamus, præsertim cum admodum inordinata sit apud *Du Temps* primorum Corneoli abbatum series.

VI. Radulfus testis est, anno 1225, Guillelmi de Aspero Monte erga Accinctum benefici; *Droz*, t. XI, p. 125.

VII. Guillelmus I litteras edidit, anno 1232, de Eberardo canonico, cui demandata ecclesiæ *Augire* cura; e schedis Drozianis, t. II, p. 535.

VIII. Pontius I, vulgari sermone *Poinz*, Aprili mense 1253, testis est Guillelmi archiepiscopi vineam Giaci sitam ementis. Idem, anno 1256, litteras Jacobi *de Bucey*, furnum *Bucey* exstructum ad archiepiscopum Bisuntinum pertinere profitentis, sigillo suo munivit, et Beatricis imperatricis pro Romano Monasterio diploma laudavit; *Droz*, t. XVI, p. 63. Anno denique 1261, secundum recentem calculum, nempe Februario mense, litteras Guidonis, Aimonis filii, quibus Hugoni, Burgundionum comiti, præfectura vici *Chaucey* adscribitur, obsignat; ibid., p. 174.

IX. Hugo occurrit mense Septembri 1263, testis Guillelmi *de Sornay*, Hugoni, Burgundionum comiti, vineam quamdam vendentis; *Droz*, t. XVI, p. 202. Idem, mense Februario 1264, forsan 1265, litteras edit de Aimone *Le Pariset heminagium* Graiaci, vel præstationem e quacumque hemina fru-

menti, Hugoni, Burgundionum comiti, vendente; ibid., p. 216. Augusto mense 1266, recens fundatam Graiaci capellam declarat; ibid., p. 247. Dein, mense Januario 1267, a Guillelmo de *Frasne* plura accipit; ibid., t. XIV, p. 604. Eodem anno, mense Martio, testis est Bellævalli datorum a Jacobo, filio Frederici *de Cyteex;* ibid., t. X, p. 1. Quam vero ob causam, nec multo post, ex officio suo dejectus fuerit, et excommunicationis flagello perculsus, ignotum prorsus nobis est.

X. Guido I, dictus Peregrinus, Hugoni depulso tam a Præmonstratensi abbate quam ab archiepiscopo Bisuntino sufficitur. Mox B autem alia mens archiepiscopo, qui scilicet, proprio motu, Guidonem submovit et Hugonem antecedentem revocavit. Quare decanus Laudunensis, cui conservandorum Corneoli privilegiorum cura, acerbissimis archiepiscopum objurgationibus impetens, excommunicationem ipsi minatus est, anno 1270. Secundum Guidonem ea dissidia finem habuere. Is enim, mense Martio 1272, testis est Sybillæ erga Accinctum beneficæ; *Droz*, t. XI, p. 60. Dein reperitur, anno 1274, cum Odone archipræsule de patronatu ecclesiæ *Velesme* litigans : quos inter Guillelmus, S. Marci pres- C byter cardinalis, id sub tempus pacem facit; ibid., t. XIV, p. 579. Eodem anno, testis est Stephani *de Roignons* Montis Biligardi dynastæ, quosdam agros vendentis; ibid., t. XXX, p. 154. Nec multo post, nempe III cal. Decembris 1275, cum Odone præmemorato nonnullas res permutat. Nonis quoque ejusdem mensis, coram eo Haimoninus de *Oyseler* semet Odoni clientelaris obsequii vinculo adhærere profitetur. Anno denique 1280, cum Theoloci archimandrita de decimis *Chargey* paciscitur; ibid., t. XIV, p. 705. Guidonis non parvum in sua congregatione no- D men. Ideo, 20 Februarii 1282, Martinus enim papa IV Ægidio, monasterii Præmonstratensis regimen dimittenti, honorificis litteris subrogavit. Præmemoratas Martini papæ litteras collectanea D. *La Porte du Theil* ad nos detulere.

XI. Joannes I anno 1282 incipiente, secundum recentem usum, Odoni archiepiscopo semet fidum fore jurat; *Droz*, t. I, p. 210. Non diu vero munus implevit. Joannem ante Guidonem *Du Temps* falso collocavit.

XII. Reginaldus I, alias Radulfus, reperi- E tur, anno 1283, in litteris Odonis archiepiscopi Stephanum de *Velesme* Corneolo decimas vendidisse testantis; *Droz*, t. XIV, p. 684. Ipse Reginaldus ad notitiam omnium defert, anno 1286, Joannem de *Oyseler* quamdam domum ab Odone archipræsule sub conditione census accepisse, et sigillo suo confirmat litteras Gualcheri de *Commercy* Joanni Cabilonensi obsequium promittentis; ibid., t. XXVIII, p. 167. Eidem, eo anno, A in generale Præmonstratensis ordinis capitulum se recipienti cubiculum speciale Præmonstratensis abbas publicis, ut videtur, litteris assignat; ibid., t. XIV, p. 525. Reperitur, anno 1288, cum Fratribus Minoribus Grayacum incolentibus de nummis e quodam cœmeterio colligendis paciscens. Coram eodem, x cal. Aprilis 1290, Petrus, gener Joannis de Giaco, agnovit quoddam pratum, *La Chaux* dictum, ad ecclesiam Bisuntinam pertinere. Ipse, anno 1293, cum Hugone, Grayacenæ ecclesiæ rectore, hujus ecclesiæ oblationes partitur; ibid., p. 542. Anno 1298, Odoni archiepiscopo rectorem ecclesiæ *Bucey* præsentat, et octavam partem decimarum *Eschevannes* percipiendarum emit; ibid., p. 592, 593. Reginaldum officialis Bisuntini regesta usque ad annum 1308 memorant. Ch. CIX, col. 98.

XIII. Guillelmus II, anno 1314, Vitali rectorem ecclesiæ *Cresancey* præsentat; *Droz*, t. XIV, p. 589. Idem, die Lunæ post Circumcisionem 1316, archipræsuli Bisuntino fidem promittit; ibid., t. I, p. 58. In regestis officialis Bisuntini anno etiam 1317 reperitur.

XIV. Guido II *de Faverney*, die Dominica in qua cantant *Oculi*, anno 1319, archiepiscopo Bisuntino obsequium spondet. Missus, anno 1324, in Lacus Jurensis monasterium a Præmonstratensi abbate, ad eumdem abbatem scribit 4 Decembris, hanc domum renuntians omni re exhaustam semet vidisse.

XV. Joannes II *de Fondremans* ab archiepiscopo Bisuntino consecratur Adventus feria die 1328, deinque in Odonis, Burgundionum ducis, clientelam recipitur anno 1332; ibid., t. XIV, p. 427. Occurrit idem in variis schedulis, annis 1340, 1348. Obiit, ut ferunt, 15 Maii 1352.

XVI. Odo decessit 31 Maii 1353, electioni suæ vix superstes.

XVII. Reginaldus II *de Mathey*, alias de *Cugney*, patronatum ecclesiæ *Batterans* Stephano presbytero in quinque annos, sub conditione numerandæ pecuniæ, concedit; ibid., t. XIV, p. 587. Obitum ejus 7 Octobris 1360 referunt.

XVIII. Guido III *de Fraisans* occurrit ab anno 1364, in indice chartarum Dolensium. Idem, anno 1365, cum Guidone *de Lavoncourt* quædam permutat, *Droz*, t. II, p. 106, et cum Joanne *d'Igney*, anno 1368; ibid., t. XIV, p. 622. Anno dein 1378, cum ecclesiæ Grayacenæ rectore de partitione oblationum et capellarum ejusdem ecclesiæ patronatu componit; ibid., p. 545. Divione reperitur 11 Maii 1381, apostolos papamque appellans, quem Bisuntinus archiepiscopus ante suum forum vocaverat. Litis quidem origo parva res : sed, privilegia Præmonstratensis ordinis afferens, Guido jurisdictionem, ut aiebant, ordinarii detrectabat. Inter se tamen Gyaci composuere, die Veneris post

Quasimodo 1382; ibid., p. 731. Obiit Guido A 23 Januarii 1385.

XIX. Pontius II *de Perny*, die Veneris ante Exaltationem Crucis 1393, ecclesia Grayacena Corneolo nuper unita potitur; ibid., p. 564.

XX. Pontius III *de Pierre à Joue*, de Petra Jovis, ab anno, ut memorant, 1404. Pontius certe Corneolensis abbas anno 1406 Theobaldum archipræsulem adiit, poscens ut ecclesiæ Sarnaii Baiique conjungerentur; ibid., p. 648.

XXI. Gervasius, anno 1412.

XXII. Girardus I *d'Arc*, obiturus 14 Mar- B tii 1426.

XXIII. Jacobus I *de Beljeux*, anno 1437.

XXIV. Girardus II *Lanternier* ab anno 1438 usque ad annum 1460.

XXV. Joannes III *Jouffroy*, Vesuntionensis patria, ab anno 1460 usque ad annum 1479.

XXVI. Joannes IV *Pernost* ecclesiæ Gyaei præficiendum pastorem præsentat 5 Septembris 1488. Munere privatus est 18 Julii 1489.

XXVII. Joannes V *Marmier*, ab anno 1491 usque ad annum 1514. Ei Philippus rex, C anno 1505, portorium a pontem *S. Beroing* transeuntibus dandum concessit; *Droz*, t. XIV, p. 644. Grayaci deinde reperitur 12 Januarii 1513, matrimonii testis quod Joannes *Boutechoux*, miles, cum Antonia *Marmier* contrahit; Hist. Dynast. Salinar., t. II, p. 52.

XXVIII. Joannes VI *Matthieu*, Grayacenus, usque ad annum 1546.

XXIX. Antonius I *Perchet*, pariter Grayacenus, ab anno 1547 usque ad annum 1576.

XXX. Sulpicius *Aibert*, alias *Hebert*, munere semet abdicavit anno 1583 et se- D quente decessit.

XXXI. Arnulphus *Jeannet*, alias *Jeunet*, a Sulpitio adjutor exoptatus fuerat, cumque Philippus rex muneris consortem Sulpicio concesserat 6 Aprilis 1583. Mox autem obiit Sulpicius, fratresque, 21 et 23 Junii 1584, postulaverunt ut Arnulfo munus abbatiale traderetur. Arnulfo postea decedente,

XXXII. Franciscus I *Boule*, alias *Bolle*, Corneoli canonicus, ab archiducibus Alberto et Isabella nominatur abbas 19 Aprilis 1604, et in possidendam abbatiam mittitur 7 Julii, a fratribus postulandus 16 Augusti. Obiit 10 E Julii 1607.

XXXIII. Nicolaus *Vernerey*, Salinarius presbyter, Francisco successor ab archiducibus datur 10 Januarii 1608, decessurus anno 1626. Burgundiæ comitiis 28 Octobris 1625 interfuerat.

XXXIV. Franciscus II *Oudeau*, Grayacenus, obiit anno 1627.

XXXV. Claudius I *Barberot* obiit eodem anno.

XXXVI. Hieronymus *Leblanc* ab Isabella infante commendatur 10 Decembris 1627 et ab abbate S. Martini Laudunensis instituitur 30 Aprilis 1628. Venditis anno 1631, a comite Montis Biligardi, Belli Campi possessionibus, rem ante Dolensem senatum fert Hieronymus, ea de venditione querens, sententiamque obtinet. Decessit anno 1641.

XXXVII. Franciscus III *de La Fosse*, litteris donatus est regiis 4 Decembris 1641 et in possidendam abbatiam missus 6 Julii 1643. Quo anno, 7 Decembris, ab abbate S. Martini Laudunensis confirmatus est. Munus dimisit anno 1660.

XXXVIII. Claudius II *Mitaine*, vel *Mitenne*, 1661, 1662.

XXXIX. Fredericus *de Brissau*, alias *de Biseau*, vel etiam *de Binant*, Bonæ Spei professus, Claudio mortuo a Philippo IV eligendus designatur 6 Januarii 1664, et a canonicis eligitur 8 Aprilis. Adjutorem ei dedit Carolus, Hispanorum rex, Claudium Ludovicum *Colombet*, 16 Januarii 1674. Sequania vero in Gallorum ditionem eo tempore traducta, Claudii Ludovici nominatio nullum effectum habuit. Is non multo post canonicum exuit, militiæ nomen daturus; Hist. Dynast. Salin., t. II, p. 96.

XL. Guillelmus III Laurentius *de Wisemal*, clericus Lugdunensis, a Ludovico rege nominatur 24 Februarii 1680, et a Michaele *Colbert*, ordinis generali præfecto, 10 Martii. Obiit anno 1717.

XLI. Claudius III *du Sauzay*, doctor Sorbonnicus, patria Claromontanus, a fratribus eligitur 14 Maii 1718, et a Præmonstratensis ordinis superiori confirmatur 19 Junii. Eum jam rex eligendum commendaverat 20 Martii.

XLII. Henricus Josephus *de La Bruyère*, e priore Gaudii Vallis, Claudio mortuo, abbas creatur regiis litteris 28 Septembris 1725, ea tamen sub conditione ut Carolo Antonio *de Chaban*, equiti, duo millia librarum quotannis, pensionis nomine, persolvat. Henricum Josephum deinde fratres eligunt 19 Februarii 1726, eumque Præmonstratensis abbas 6 Martii confirmat : quare in possidendam abbatiam a senatu 8 Maii mittitur. Sedit Henricus Josephus usque ad annum 1756.

XLIII. Jacobus II Tranquillus *de Belloy* obiit anno 1773.

XLIV. Antonius II *Querenet* nominatur 17 Aprilis 1773.

LEDO SALINARIUS.

Parum nota sunt hujus parthenonis exordia. Conjecit quidem Dunodius Ledonem Salinarium satis frequens Claristarum examen non multo post ipsius S. Claræ tempora excepisse. Hoc vero tantum nobis indubium videtur, Ledonensem scilicet con-

ventum ante decimi tertii sæculi exitum A exstitisse. Quod satis superque comprobat abbatissarum series infra describenda. Multas ea domus clades passa est. Anno circiter 1356, incendium pristina puellarum tecta diruit. Nec eadem refecerunt, sed in vicinum locum sedem transtulerunt. Tunc enim Philippus II, Viennensis comes, pascuum quemdam agrum, a castro *Pymont* parum distantem, eis dono dedit, in quo novam abbatiam exstruerent; atque paulo post, nempe 20 Martii 1357, secundum hodiernam computationem, a Petro de Arbosio, qui Franciscanorum Fratrum in eo tractu visitator B erat, prædictis puellis potestas facta est se suaque in recentiora ædificia transferendi. Aliud incendium, anno 1448, claustra ecclesiamque vastavit. Tum legitur Catharina *de Durtal*, abbatissa, hujus excidii vestigia delere studens. Tertio, 17 Julii 1536, propemodum integram abbatiam ignis exhausit. Quarto, 6 Octobris 1595, armata caterva, virginibus in fugam actis, domum occupavit, et admotis tædis non ædificia tantum, sed quamcumque deprædatores puellarum supellectilem spreverant, eodem incendio sustulit. His in flammis perierunt vetera Ledonensis con- C ventus diplomata. Protinus vero ædificandis novis claustris operam contulit superstes abbatissa. Quinta denique clades Ledonensem abatiam afflixit 26 Junii 1637, in urbem irruentibus Gallorum copiis.

Ab hujus parthenonis aditu ignobiles jam olim arcebantur puellæ. De qua re sermo fuit, anno 1629, in Burgundici tractus comitiis, et ne privilegium hoc antiquaretur præcautum est. Circa finem ultimi sæculi plura Gallorum rex in Ledonensis monasterii incrementum decusque decrevit. Ipse Vesuntionensis archipræsul, qui Ledonis D sorores protegendas, earum votis annuens, susceperat, Goliensis, quod suppresserat, monasterii possessiones redituque eis adscripsit, 30 Martii 1773. Anno postea 1787, 8 Februarii, regium decretum Gigniacensem sodalitatem dissipavit, et ad eam pertinentes fundos inter Ledonis et Migettæ virgines partitum est. Anno denique sequente, 16 Martii, inter alia statuit rex ut duodecim honorariis canonicis, minime quidem clausis, Ledonense capitulum augeretur. Sed jam audiebatur non adeo longinqui fulminis sonitus, quod non tantum Ledonensem, sed E et quoscumque alios in Gallia virorum puellarumque conventus percussit stravitque.

Abbatissarum Ledonensium seriem Drozius digessit et Academiæ Vesuntionensi notam fecit. Quam inter ejus schedas seriem reperies, t. XIII. Multa quoque ad easdem abbatissas spectantia memoravit D. A. *Rousset*, Dict. Geogr., t. III, p. 609.

ABBATISSARUM SERIES.

I. Alicia *de Vienne*, Philippi filia, memoratur anno 1294, quibusdam rebus ab ipso patre donata : anno eadem 1302, Balmensi conventui tradit quidquid in territorio S. Lautheni possidebat; *Droz*, t. XIII, p. 98. Joannam denique, Francorum reginam, anno 1304 beneficam experitur.

II. Guidona *de Rigney*, 20 Julii 1318, confirmatos obtinet a Philippo, Gallorum rege, et Joanna de Burgundia, reditus quosdam jam a comitissa Matthæa, Othonis vidua, monialibus assignatos.

III. Beatrix *de Bellevesvre*, 1336, 1342.

IV. Margarita I *de Ste Croix*, 1349.

V. Joanna I *de Vienne* ab anno 1353 occurrit. Eadem anno 1360 reperitur in regestis officialis Bisuntini. Ea regente, combusta abbatia. Aliam vero domum ædificari curavit, in agro quodam pascuo quem ei Philippus II de Vienna dono dederat.

VI. Joanna II *de Rochefort*, 1369; e Droziana serie.

VII. Joanna III *de Chilley*, 1392; ex eadem.

VIII. Joanna IV *de Beaufort*, 1397; ex eadem.

IX. Isabella I *de Quingey*, 1407-1415; ex eadem.

X. Margarita II *d'Andelot* ab anno, ut ferunt, 1421. Jusserat, anno 1297, Reginaldus de Burgundia ut Ledonis Salinarii lanii omnes ab ipsis occisorum boum, quin imo vaccarum vitulorumque, linguas monialibus traderent. Cum autem tributum hoc prædicti lanii prægrave haberent, seque ab eo pendendo variis fraudibus abstinerent, adversus eos, anno 1424, Margarita pro jure suo litigavit.

XI. Joanna V *de Chilley* eo anno 1424, Margaritæ nuper suffecta, lanios excepit ad obsequium reductos.

XII. Margarita III *de Quingey*, anno 1436, agrum sub conditione census tradit.

XIII. Catharina *de Durtal*, ab anno, ut videtur, 1443. Vastatam incendio, anno 1448, abbatiam Catharina restituit.

XIV. N. *de La Moutonnière*, usque ad annum 1470; e D. *Rousset*, Dict. Geogr., t. III, p. 610.

XV. Claudia I *de Montjouvent* nominatur 1 Novembris 1492, anno 1516 obitura.

XVI. Jacoba *de Montjouvent*, 1516-1534; e Droziana serie.

XVII. Claudia II *de Tervant*, 1549-1559; ex eadem.

XVIII. Isabella II *de Nance*, 1560-1565; ex eadem.

XIX. Petrina *d'Arestel*, 1566-1567; ex eadem.

XX. Joanna VI *de Mauffans de Pymorin*, 1568-1582.

XXI. Claudia III *de Romanet*, 1582-1594.

XXII. Ludovica I *de La Villette*, Claudia mortua, a Philippo rege abbatiali munere donatur 17 Novembris 1596, et a monialibus postulatur 5 Martii 1597, in abbatiam possidendam ex autoritate Dolensis senatus mox deputanda, 11 Martii. Obiit anno 1616.

XXIII. Anna I *de Bessey*, post mortem Ludovicæ, ab archiducibus nominatur, 12, vel 22 Maii 1616, et in possessionem mittitur 7 Junii.

XXIV. Antonia I *de Ronchaux* Annæ defunctæ ab Isabella infante sufficitur 2 Decembris 1630, in possessionem mittenda 3 Februarii 1631. Obiit Decembri mense 1645. Anno 1637, irruentibus Gallorum copiis, fugam Antonia arripuerat.

XXV. Anna II Suzanna *de Moustier*, filia Deicoli *de Moustier* et Antidiæ *de Pra*, munere donatur sub Januarium mensem 1647, anno 1652 moritura.

XXVI. Antonia II *de Poligny*, Suzanna defuncta, nominatur a Philippo IV, 7 Septembris 1652. In possessionem vero non deputata fuit ante 27 Maii 1656. Ea ecclesiam novam ædificavit, claustra, abbatialemque domum, obiitque anno 1674.

XXVII. Gabrielis Ludovica *de Pra-Peseux* Antoniæ mortuæ sufficitur a Ludovico, Francorum rege, 10 Decembris 1674, in possessionem mittenda 21 Martii 1675. Eam deinde Fratrum Minorum provincialis 29 Maii instituit. Gabrielide postulante, 31 Maii 1718, rex Ludovicam Casparinam *de Pra de Ballessaux* adjutricem ei dedit. Obiit Gabrielis Ludovica 6 Junii 1725.

XXVIII. Ludovica II Casparina de *Pra de Ballessaux*, ex adjutrice abbatissa, 26 Maii 1731 decessit.

XXIX. Joanna VII Margarita de *Belot de Villette*, antecedente mortua, litteris regiis in abbatiam administrandam adsciscitur 1 Octobris 1731. Obiit 2 Decembris 1762.

XXX. Margarita IV Francisca *de Boutechoux de Montigny* nominatur 26 Decembris 1762, et possessionem adit 8 Februarii 1763. Ea regente, nullus disciplinæ cultus. Adjutricem habuit N. *de Bussy*, apud regios ministros acceptissimam, de qua consule Annuar. Jurens. præfect. Ephemeridem, ann. 1845, p. 125.

XXXI. N. *de Chavannes* anno 1784 conventum regebat, usque ad annum 1790 superstes.

MONTINIACUM.

Vicus Montiniacum, non adeo procul Visulio situs, Claristarum monialium agmen excepit, anno circiter 1286. Sub hunc scilicet annum Helvisa, Visuliensis vice-comitissa, filia Simonis de Juncivilla et Beatricis Burgundæ, quemdam agrum et quam plurimas decimas sponte dimisit, abbatiam hanc ædificari jubens. Eamdem, anno 1296, fundationem Otho Burgundionum dux, Helvisæ nepos, confirmavit. Anno 1663, una tantum in claustris puella superstes erat. Sub finem postremi sæculi, abbatissa et canonicæ Montiniacum incolentes provinciali Fratrum Minorum, cui provinciæ S. Bonaventuræ administratio deputata, submissæ videntur.

Cunctarum abbatissarum nomina nobis assequi non licuit.

QUÆDAM ABBATISSÆ.

Joanna *de Faucogney*, anno 1354.

N. *de Beaujeu*, anno 1367; e regestis officialis Bisuntini.

Margarita *de Franmont*, vel *de Grammont*, anno 1494.

Claudia *de Vesoul*, Stephani filia et Joannæ *de Falerans*, anno incerto; Hist. Dynast. Salinar., t. I, p. 110.

Catharina *de la Rochelle*, alias *de la Rochette*.

Philippa *d'Avanne*, Catharina mortua, litteris regiis donatur 4 Martii 1584, confirmaturque 20 Maii ab Antonio *Chaprel*, vicario provinciali Minorum : nec multo post ex auctoritate senatus Dolensis, 5 Julii, licet ut munus adeat. Ea vero, anno 1598, munere semet abdicavit, et Anna *de Rochetaillée*, Palmensis monialis, quod Philippa dimiserat munus impetrat a Philippo II, Hispanorum rege, 12 Septembris 1598. Ea vero, ut videtur, abdicatio nullum effectum sortita est. Anno enim 1604, 19 Aprilis, vacantem Philippæ interitu præfecturam ab archiducibus accipit

Barbara *de Cul*.

Anna Francisca *de Cul*, 1612.

Beatrix *de Præcipiano*, 1620, 1624, 1625.

Anna *de S. Maurice* a Philippo rege nominatur 20 Junii 1652, et, 30 Augusti, ex auctoritate senatus Dolensis, in abbatiam intromittitur.

Helena *de Vismal de la Sauge* abbatissa creatur ab eodem rege 6 Augusti 1653, eique munus adire licet 18 Novembris 1654. Cui adjutrix datur, 13 Augusti 1664, Claudia Ludovica *de Ronchaux*. Reperitur Helena, usque ad annum 1673.

Claudia Ludovica *de Ronchaux* anno 1675 abbatiæ præsidebat. Moritur anno 1699.

Francisca *de Cul du Magny* ex abbatiæ professa abbatissa nominatur a Ludovico rege 24 Aprilis 1699. Obit anno 1711.

Claudia Antonia *de Rigault de Tilleret*, ex abbatiæ moniali abbatissa creatur a Ludovico rege 31 Octobris 1711, et in possessionem mittitur 28 Januarii 1712. Ne autem diu munere fungeretur mors prohibuit. Qua defuncta,

Theresa Carola *de Petremand d'Amondans*, abbatiæ antea monialis, ex ejusdem regis auctoritate abbatissa fit 13 Aprilis 1718. Munus dein dimisit. A

Maria Anna Gabrielis *de Monnier*, antecedente abdicante, abbatissa renuntiatur a rege 15 Junii 1724.

Anna Catharina *d'Ormesson*, anno 1767.

Maria Carola *de Tricornot du Trembloy* nominatur anno 1769.

MIGETTA.

B Inter S. Annam et *Mont-Mahou* montes sita vallis prima Migettæ fundamina anno circiter 1321 excepit. In eodem loco sepulta fuerat, Decembri mense 1309, Margarita, uxor Joannis Cabilonensis inclyta, elapsisque duodecim post mortem annis, ejus filius Hugo Cabilonensis abbatiam ibi condere cœpit a monialibus S. Claræ instituta servantibus incolendam. Quam domum prædictæ puellæ ingressæ sunt mense Maio 1325, ut rem ex epitaphio ipsius Margaritæ novimus. Dona deinde plura a Burgundis dynastis accepere; quos inter Joannes, Joannis Cabilonensis nothus, capellam ibi anno 1399 condidit. C An ab origine cunctis hujusce parthenonis incolis ex instituto nobilitas veterrima non satis liquet. Compertum tamen habemus rem ita postea cessisse. Vitæ communis eas cito tædium subiit, quæ privatas exstruxerunt domos, præbendasque instituerunt. Anno 1663, octodecim Migettæ moniales recensentur. Eas dein, 28 Januarii 1730, regium decretum Fratrum Minorum moderatori obnoxias esse jussit. Eodem decreto præcepit rex ut in abbatiam sex moniales peculiari præbenda donatæ exciperentur, duodecimque, ut vocabantur, *impartitæ*, quæ D omnes generis claritate conspicuæ essent.

ABBATISSARUM SERIES.

I. Guillelma *de Châlon*, alias *d'Abbans*, abbatiæ clavo præsidebat anno 1345.

Assequi non liquit nomen abbatissæ, quæ Guillelmæ subrogata est.

II. Maria *de Besançon* reperitur, 10 Junii 1375, in litteris Guidonæ *de Boujaille*, quæ tunc Migettæ monachicæ vitæ tirocinia ponebat.

III. Guidona *de Boujaille* abbatiam regebat 8 Octobris 1394.

IV. Alicia *de Salins*, anno 1399. De ea B. Guillelmus, Hist. Dynast. Salin., t. II, p. 81.

V. Joanna I *de Longeville*, anno 1409; Hist. Dynast. Salin., t. I, p. 58.

VI. Petrina I *de Vercel*, anno 1437.

VII. Petrina II *de Pierrefontaine*, anno 1440.

VIII. Joanna II *d'Usie*, anno 1469.

IX. Antonia *de Poupet*, anno 1491.

X. Joanna III *de Montrichard*, anno 1499.

XI. Joanna IV *de Chantrans*, anno 1519.

XII. Joanna V *du Louverot*, anno 1528.

XIII. Claudia *de Lambrey* ab anno, ut videtur, 1553. Occurrit quidem, 8 Aprilis 1570, sententiam obtinens adversus incolas vici *Geraye*. Anno 1585 decessit.

XIV. Germana *de Grammont* a Philippo, Hispanorum rege, nominatur abbatissa 23 Junii 1585. Eam deinde 31 Julii moniales postulaverunt, et eodem die munus adiit. Anno 1587 in domesticis tabulis legitur.

XV. Isabella *de Scey*, filia Claudii *de Scey* et Margaritæ *de Chauvirey*, anno 1591 reperitur; quæ munere semet abdicavit anno 1597.

XVI. Joanna VI *de Poligny*, Castri Carnonis antea monialis, litteris regiis Migettæ donatur 12 Julii 1597, et in abbatiam possidendam a senatu Dolensi mittitur 1 Julii 1598.

XVII. Magdalena *de Cointet de Chateauvert*, quæ adjutrix antecedentis fuerat, abbatissa fit ex auctoritate infantis Isabellæ. Obiit anno 1644.

XVIII. Margarita *de Præcipiano* litteras regias accepit 14 Novembris 1644.

XIX. Emmanuellis Helena *de Montrichard*, antecedentis adjutrix a die 7 Februarii 1679, eidem in abbatiali munere successit, quod anno 1697 dimisit.

XX. Francisca Prospera *de Montrichard*, Helena abdicante, abbatissa litteris regiis creatur 25 Maii 1697. Nicolaa Carola *de Montrichard* adjutrix ei datur 8 aut 28 Junii 1720.

XXI. Nicolaa Carola *de Montrichard*, ab anno 1734.

XXII. Carola Gabrielis Scholastica *de Franchet de Rans* nominatur anno 1765.

ECCLESIA LAUSANNENSIS.

Urbs olim non tantum Valdensis agri præcipua, sed etiam, ut ait Cornelius Tacitus, Hist., lib. I, c. 68, Helveticæ gentis caput, Aventicum, juxta lacum Aventicensem, vel Muratensem, vulgari sermone *Avenches* appellata. Aventici meminit insuper Antoninus Augustus, viam describens quæ Mediolanum Moguntiaco jungebat : per eamdem quoque urbem, e Tabula Peutingeriana, alterum ductum iter Augusta Prætoria Arialbinum : iter denique tertium, ut in eadem tabula legitur, per asperos montes et infidos saltus, ipso Aventico Vesuntionem. Nunc etiam apparent publicorum ædificiorum vestigia, quæ civibus frequentem, opum divitem, in eo loco civitatem exstitisse testantur, a Vitelliana quidem legione vastatam, utpote quæ Vitellii jam imperium esse tardius cognovisset, postea vero a Vespasiano e jacentibus parietibus suscitatam et splendidis monumentis auctam. Ea igitur, nisi primos divini verbi præcones excepit, eo missos ex Italia Galliave, qui gentem Helveticam christianæ fidei dogmata docerent, sedes tamen episcopalis multo ante Lausannam fuit. Quamobrem ipsum Lausannense Chartularium de viginti duobus Aventicensibus episcopis, in ecclesia S. Symphoriano sacra sepultis, fidem facit. Sed horum nomina pleraque desiderantur. Chronicon quidem Valdense, eorumdem seriem ab anno circiter 300 inchoans, quemdam Henricum, Ericumve, ecclesiæ Aventicensi tunc temporis præfuisse contendit : apud hodiernos vero scriptores nulla Valdensis hujus Chronici auctoritas, quod mere fictitiis conditum narratiunculis satis superque comprobatur. Nec minus caute legendi Sammarthani, qui referunt S. Beatum apud Aventicenses, quibus fidem christianam tradiderat, episcopale munus implevisse. Id enim jurato teste caret. Cujus enim in eo loco verba Sammarthani usurpant Franc. Guillimannus, De Reb. Helvet. lib. 1, c. 15, Beatum S. Petri discipulum refert, ab ipso Petro, apostolorum principe, ultimam orbis Britanniam peragrante, ad Helvetios deputatum : quod nulla sane fide dignum videbitur. Quæ autem vel quanta fuerit Aventicensis urbis antiquitas, ei certe ante finem quarti sæculi magna clades illata, ut rem Ammianus Marcellinus memorat, de populis Alpes Penninas incolentibus sic disserens, c. xv : « Habent et Aventicum, desertam quidem civitatem, sed non ignobilem quondam, ut ædificia semiruta nunc quoque demonstrant. » Tantam ibi ruinam sane gens Allemannorum barbara fecerat. Sæviores deinde, ut ferunt, Hunni, circa medium quintum sæculum, ne semirutis quidem tectis pepercere. Ob id, ut refert Ruchatius, urbe videlicet prorsus eversa, Prothasius Mariusque minime Aventici, sed Aventicensium episcopi dicendi.

Alia de sedis Lausannensis institutione dubia. Eam quidem nonnulli ipsi Mario, sub finem sexti sæculi, tribuunt, multi vero Mario paulo recentiorem opinantur. Posteriorem sententiam amplecti nobis præplacet, quos scilicet conjecturas alienas transcribere parum juvat, nec ignota pudet ignorandi. Pauca enim super Aventicensi, vel Lausannensi, ecclesia ante principium noni sæculi memorantur pro certis ponenda. Tunc vero Lausanna præclara civitas evaserat, et quam situs amœnitas, propinquitas Lemani lacus, et continua civiumque rerumque incrementa præpollentem inter alias agri Valdensis urbes effecerant, eamdem ab incerto tempore elegerant episcopi, aliquantisper, ut ferunt, vagi, in qua fixam demum sedem haberent, ac ubi satis latæ diœcesi præessent, quæ, præter Aventicum Lausannamque, dernam quoque, Solodorum et Friburgum, inclyta validorum oppidorum nomina, complectebatur.

Primus igitur episcopo Lausannensi locus inter Vesuntionensis archiepiscopi suffraganeos. Qui jure pallii gaudebat, ideoque archiepiscopi consecrandi privilegio. Idem quoque ab anno 1011 comes Valdensis agri dictus est, postea inter Imperii Germanici principes adscribendus. Posteriorem hanc dignitatem falsum corruptumve diploma Joanni quidem *de Cossonay*, anno 1273, collatam fuisse memorat : anno certe 1299, Guillelmum episcopum principem non semel appellant Alberti Cæsaris litteræ, quæ inter Commentationes et Documenta ad Helvetiam Romanam spectantia leguntur, t. VII, p. 74, 75; nec etiam improbatur eorum sententia qui hoc titulo episcopum Lausannensem jam antea insignitum fuisse asserunt. Alia quoque penes eum optimaque jura. Sic in pluribus olim editis consuetudinum Lausannensium recognitionibus reperimus : « tota villa Lausannensis, tam civitas quam burgum, « est dos et alodium B. Mariæ et ecclesiæ Lausannensis. » Ille cui dotis hujus procurandæ negotium, supremum habebat, sicut palam est, tam in civitate quam in suburbiis, super cujuslibet conditionis civibus imperium : ad quod disturbandum totis viribus enisi sunt, cum, post multos annos, erectis in spem assequendæ libertatis primorum inter oppidanos ingeniis, sæcularem ab ecclesiastica potestatem disjungere decreverunt. De civilibus aliis juribus, quibus

episcopus Lausannensis quondam usus est, consule præsertim Chartularium Lausannense, pag. 426.

Ecclesia Lausannæ cathedralis B. Mariæ sacra. In ea, anno 1228, sicut ex ipso Chartulario comperimus, triginta canonici, quorum decem ad minus sacerdotes, decem diaconi, decem subdiaconi. Capitularium princeps præpositus : post eum primi sedebant thesaurarius et cantor. Novem jam eo tempore decanatus, quos anno 1522 superstites reperimus, totam diœcesim in æquas partes dividebant, Lausanna scilicet, Aventicum, Solodorum, Vivecius, Novum Castrum, Ultra-Venipiam, Ogo, Friburgum et Berna. Ecclesiæ parochiales anno 1522, in his decanatibus tricenæ; collegiatæ septem, S. Ursus Solodorensis (1), B. Maria Novicastrensis (2), Sanctimeriensis (3), S. Mauricius Amsoldingensis (4), Thiernensis, Capellensis, S. Vincentius Bernensis (5).

Lausannensis ecclesiæ fortuna, nonnullis quanquam damnis ætate progrediente afflicta, integra tamen propemodum steterat, cum, anno 1536, Bernenses cives, reformatam, ut aiebant, religionem amplexi, Valdensem agrum, Sabaudiæ duci bellum inferentes, occupavere. Multi jam erant inter Lausannenses hæreticarum novitatum studiosi, qui Bernensibus ad episcopalem auctoritatem profligandam intentissimis faverunt. Ab illis igitur abrogatum est non modo Lausannæ, sed etiam in plerisque Lausannensis diœcesis urbibus, ecclesiæ Romanæ regimen, et episcopalis sedes Friburgum translata : a quo tempore Friburgensis tantum pagus, adjecta quadam Solodorensis parte, et vicis *Echallens, Cressier, Landeron, Jogne, Longueville,* imminutum Lausannensis episcopi dominium constituit.

Inter recentes scriptores qui Lausannensium episcoporum seriem digessere imprimis memorandi sunt Abraham Ruchatius, Emmanuel *de Lenzburg,* auctor Lausannæ cujusdam Christianæ typis nondum vulgatæ, Marcus Antonius *Pelis,* et D. Joannes *Grémaud, Mémorial de Fribourg,* t. III. Præcipuam vero nobis operam suppeditaverunt historiam eorumdem auctiorem condere satagentibus vetus Chronicon a Conone præposito servatum, conditum ab eodem Lausannensis ecclesiæ Chartularium, inter Comment. et Docum. ad Helvet. Rom. spectantia, t. VI, multæque non minoris momenti chartæ quas harum Commentationum tomus VII exhibet. Persolvantur denique quam maximæ grates D. Egberto Frederico *de Mulinen,* cujus recens opus, Helvetiam Sacram titulo, diligentissima veritatis indagatio summopere commendat.

(1) Præpositorum Solodorensium seriem præbet Helvetia Sacra D. Egberti Frederici *de Mulinen,* p. 59.
(2) Ibid., p. 51, præpositos Novicastrenses quære.
(3) Ibid., p. 43, præpositos S. Imerii.
(4) Ibid., p. 29, Amsoldingenses.
(5) Ibid., p. 34, Bernenses.

EPISCOPI LAUSANNENSES

I. S. Prothasius.

Decimo tertio sæculo decurrente, senex quidam, Matthæus nomine, Cononi, Lausannensi præposito, viginti duorum Aventicensium episcoporum terrenas exuvias in ecclesia S. Symphoriano sacra quondam tumulatas fuisse retulit; e Chartul. Lausann., p. 32. Quæcumque vero sit huic Matthæo tribuenda fides, eos certe qui, vacuis fastis supplere conantes, Aventicensium episcoporum seriem vel ab Henrico, vel a Beato, inchoaverunt lima recentiorum scriptorum censoria momordit. Nec sincerius forsan quod de Salutari quodam narratur, primo, ut ferunt, Aventicensium, submotis Henrico Beatoque, episcopo. Primum hunc inter veteris civitatis præsules locum popularis recordationis auctoritas S. Prothasio confert, Venetia oriundo, cujus meminit his verbis Hugo Flaviniacensis, apud D. Pertzium, t. III, p. 150 : « Felix, quem dicunt Grammelenum, et uxor sua Ermendrudis, construxerunt monasterium in loco « Balmensi, in honore sanctæ Dei genitricis « Mariæ, anno quarto decimo Clodovæi regis, laudante Prothasio, Aventicensi, vel

A « Lausannensi, episcopo. » Annus Clodovæi regnantis quartus decimus Christi videtur 494. Eamdem Balmensis monasterii fundationem eidem anno Lausannense Chartularium adscribit. De qua tamen temporis nota dubitare licet. Quidam ideo ex hodiernis chronographis Prothasium sub medium septimum sæculum vixisse contendunt. Id autem minime probant, meram tantum conjecturam dubiæ rei præponentes. Anno 1234, Bonifacius episcopus capitulumque Lausannense sacrum S. Prothasio diem instituerunt, VIII
B id. Novembris celebrandum.

II. Chilmegisilus.

E quodam libro B. Mariæ Lausannensis auctor Episcopalis Chronici hoc de S. Chilmegisilo testimonium excerpsit : « Anno undecimo Clotarii regis et tempore Chilmegisili, Aventicensis, vel Lausannensis, « episcopi, Ermendrudis construxit monasterium Balmense, anno Dom. 532. » Istæ autem chronicæ notæ inter se minime conveniunt. Inchoato scilicet a Suessionensi Clotarii I regno, undecimus hujus regis annus

Christi reperitur 522; a Burgundico, Christi 545. Animadverte præterea quod eamdem monasterii Balmensis fundationem Hugo, Flaviniacensis monachus, temporibus Clodovæi jam adscripsit. Imo nonnulli, Lausannensis Chartularii chronologiam prorsus evertentes, Chilmegisilum circa annum Christi 666 vixisse asseruerunt, Clotario III regnante. Sed ea conjectura valido indiget argumento. Sepultus perhibetur Chilmegisilus in ecclesia B. Thyrso quondam, postea B. Mario, sacra.

Post Chilmegisilum, Sammarthanos sequens, Abraham Ruchatius Superium quemdam adducit, quem sub annum 538 Arvernensi concilio interfuisse refert. Habitum autem est hoc anno 535 Arvernense concilium, nec quis in eo Superius Aventicensis præsul sedem obtinuit, Sperius vero, Hesperiusve, sicut Sirmondi Concilia testantur, t. I, p. 241, Metensis revera tunc temporis episcopus; de quo vide supra, t. XIII, col. 687.

Guidonem insuper Martinumque, circa annos 560 et 570, inter Lausannenses episcopos, Chronico Valdensi nimium, ut videtur, confidens, Abraham Ruchatius et Emmanuel *de Lenzburg* recensent. Non sane displiceret continuam Aventicensium episcoporum qui sexto sæculo floruerunt seriem hic describere : ne tamen ficta pro veris incertave pro certis habeamus, cum authenticis consignata monumentis testimonia deficiant, recusamus.

III. S. Marius.

Prætermissis æque Superio, Guidone Martinoque, post Chilmegisilum S. Marium vetus Episcoporum Lausannensium Chronicon nuncupat, eumdemque, in Æduensi territorio natum et genere nobilem, ecclesiam Aventicensem sub annum Christi 581 regendam suscepisse contendit. De Mario indubia quædam, plura vel ex argumentis posita quæ tenuem tantummodo dubitationem relinquunt, vel traditione transmissa certioribus historiæ testimoniis minime repugnanti. Anno scilicet
585 585 secundum Matisconense concilium habitum est, tam congregatorum episcoporum frequentia quam editorum ab his decretorum pondere percelebre : cui Marius noster, *episcopus ecclesiæ Aventicæ*, sicut ex authenticis codicibus Sirmondus rem tradidit, subscripsisse comperitur; Conc. Galliæ, t. I, p. 389. Quod si, prout quidam asserunt, Aventico Lausannam sedem episcopalem transtulerit, ea sane translatio post Matisconensis concilii tempora consummata est, cum semet ipse Marius Aventicensem episcopum tunc profiteatur. Quas Lausannensium Episcoporum Chronicon temporis notas exhibet parum confidenter accipe. Marium enim memorat Paterniacenam ecclesiam *in proprio solo* condidisse, eamque VIII cal. Julii, indict. V, episcopatus vero sui anno quarto decimo, regnante Guntramno rege, dedicavisse. Marii scilicet episcopum agentis annus decimus quartus annus est Christi 595 : Guntramnus vero anno 593 decesserat. Indictionis insuper tertius decimus annus, minime quintus, anno 595 respondet. Nec certior anni quo decurrente Marius decesserit e sæpe laudato Chronico fides : eodem enim anno Marium obiisse hujus chronici scriptor contendit, transactis in episcopali cathedra viginti annis et mensibus octo, Guntramnumque regem, ab annis sex et viginti regnantem. Guntramnus autem anno 561 rex esse cœpit, Marius anno 581 episcopus : Guntramnus igitur eo teste sub annum 587 vitæ metam attigit, Marius sub annum 601. Pone chronographum Guntramni regnum ab ea populorum partitione, quæ anno 567 inter Guntramnum ejusque fratres sancita est, inchoavisse; magnum utique superest inter annos 593 et 601 intervallum. Quare Marii episcopum induentis exuentisve tempora non minus incerta sunt. Una tamen discordantium harum notarum castigata, Marioque sub annum 573 Prothasii vices, conjecturæ cujusdam auxilio, suscipiente, reliqua plane inter se congruunt : anno enim 587, indictionis revera quinto, et Guntramno regnante, Paterniacum Marius erigit, et una cum eodem Guntramno, ab annis viginti episcopus, anno 593 obit. Ejus laudes pristinum hoc epitaphium celebrat :

Mors infesta ruens, quamvis ex lege parentis,
 Moribus instructus (1) nulla nocere potest.
Hoc ergo Marii tumulantur membra sepulchro,
 Summi pontificis, cui fuit alma fides.
Clericus officio, primævis tonsus ab annis,
 Militia exacta dux gregis egit oves.
Nobilitas generis radians et origo refulgens,
 De fructu meriti nobiliora tenet.
Ecclesiæ ornatus vasis fabricando sacratis,
 Et manibus propriis prædia justa colens;
Justitiæ cultor, civium fidissima virtus,
 Norma sacerdotum pontificumque decus;
Cura propinquorum, justo bonus arbiter actu;
 Promptus in obsequiis, corpore casto, Dei;
Humanis dapibus fixo moderamine fultus,
 Pascendo inopes se bene pavit ope;
Jejunando cibans alios, sibi parcus edendo,
 Horrea composuit quomodo pastor abit;
Pervigil in studiis Domini, exorando fidelis,
 Nunc habet inde requiem unde caro fessa fuit (2).
Quem pietate patrem, dulcedinis arma tuentem,
 Amissis terris, credimus esse polis.

Ex hoc epitaphio præter alia comperi Marium propriis manibus vasa quædam sacra fabricavisse, agrosque suos exaravisse : quod

(1) Melius *instructo*.
(2) Insolenti quadam licentia fortasse poeta versum hunc sic mensus est :

Nunc habet ind requiem und caro fessa fuit.

antiquitatem prorsus redolet. Imo Rivetius eumdem inter Gallos scribendi peritos annumeravit, Hist. Galliæ Litt., t. III. Franciscus enim Chiffletius, repertis maximi momenti Annalibus, qui, ab anno 455 usque ad annum 581 progredientes, Marii episcopi nomen præscriptum exhibebant, non dubitavit quin Marius Aventicensis noster, seu Lausannensis episcopus, horum annalium auctor esset. Quos igitur, ejus nomine confidenter insignitos, e pervetusto Chiffletii codice primus publici juris fecit Andreas Quercetanus, Script. Hist. Franc. t. I, p. 210, dein Buquetius iterum edidit, Rerum Gallic. Script. t. II, p. 12. Eosdem etiam reperies tomo XIII Comm. et Docum. ad Helvet. Rom. spectantium. Nostro quoque Mario Rivetius Vitam S. Sigismundi, Burgundionum regis, quam legere licet in Bollandiana farragine, 1 Maii, tribuit. De Mario insuper consule doctissimi viri *de Zurlauben* egregiam commentationem, Hist. Acad. Inscript., t. XXXIV. p. 138. Eo teste, Morbacense quoddam necrologium Marium inter beatos intercessores recensuit.

IV. Arricus.

Post Marium Episcoporum Lausannensium Chronicon magnam lacunam præbet. Cui supplere nonnulli, inter quos Joannes Stumpffius, Chronic. Helvetiorum, conati sunt, Magnerium scilicet in anno 605, Egnolfum in anno 620 collocantes : falsa vero, ut videtur, interpolatione, cum Magnerii Eginolfique nomina infra sint et eo ipso ordine ponenda, sicut jam Abraham Ruchatius congruenter animadvertit. Occurrit vero, Clodovæi II temporibus, Arricus, Ericiusve quidam Aventicensis, vel Lausannensis, episcopus, in eo Cabilonensi concilio sedens quod anno 650 communis sententia adscribit, Cointius anno 644, quodque antecessores nostri, rursus investigata re, inter annos 646 et 648 habitum asseruerunt.

Quidam Paulum, anno 650, et Hartmannum, anno 671, inter Lausannenses episcopos recensent. De his vero nullum antiquitatis testimonium. Nec aliud quidquam de Alexandro Alphonsoque, quos Valdense Chronicon memorat, certius comperitur.

V. Udalricus.

Udalricum temporibus Caroli, forsan Magni, episcopum Lausannensem exstitisse Episcoporum Lausannensium Chronicon memorat. Eumdem Sammarthani, ad fidem Raderi, Bavar. Sanct., t. II, patre natum referunt Hildebrando, Andechsensi dynasta, matre autem Imma Sueva. Hic igitur Hildegardam, Caroli Magni uxorem, sororem habuit. Certe Sangallensis monachus eo de Udalrico mentionem fecit, Hildegardæ revera A germano, quem, ut refert, Carolus rex ecclesiasticis plurimis beneficiis donavit; Rer. Gall. Script., t. V, p. 111. Eum vero minime Sangallensis monachus Lausannensibus episcopis annumerat. De claraâ igitur quam Udalrico nostro tribuerunt stirpe dubitare licet. Nec minus dubitationis habet quod insuper de eodem narratur, sedente scilicet in eo concilio quod anno 794 Francofurti habitum est. Nec enim Sirmondus, Concil. t. II, nec Labbæus, t. VII, acta Francofurti sub hunc annum copiose referentes, Udalrici nostri alteriusve aliquo modo meminere. Anno vero B 774 Laureshamensis ecclesiæ dedicationi episcopus quidam Waldricus, Udalricusve, interfuisse dicitur, quem Cointius Lausannensem fuisse conjecit. Huic Cointii conjecturæ Mabillonius, Annal., t. II, p. 228, assentire videtur; nec eam nos improbamus.

VI. Fredarius.

Occurrit Fredarius, quem male Fredericum quidam appellant, v cal. Augusti 814, a Ludovico Pio Balmetam cellulam, Scepedingum (Ch. 1, col. 125.) villam, quasdamque alias possessiones obti- C nens. Quem Lausannense chartularium anno 825 obiisse tradit.

Ludovicus rex, anno 822, quemdam Heiminum in Bisuntinum tractum delegavit, qui in ea Galliarum parte missi dominici munus impleret. Hunc scilicet Heiminum Lausannensem episcopum fuisse nonnulli conjecerunt. Falsam vero eorum conjecturam certiora de Fredario testimonia demonstrant.

In Chartulario præterea Lausannensi legitur, sub annum 817 : « Pascalis episcopus « susceptus est. » Unde quemdam Pascalem, aliunde prorsus ignotum, recentes nonnulli D scriptores, inter quos Sammarthani Ruchatiusque, Lausannensibus episcopis annumeravere. Attentius vero rem consideranti manifestum est hic agi de Pascali papa, qui revera S. Petri cathedram sub annum 817 conscendit.

VII. David.

E Chronico Lausannensi : « David episcopus Lausannensis ordinatus est anno Domini 827; » et infra : « David, episcopus « Lausannensis, interfectus est anno Domini E « 850. » Eumdem ante Hartmannum Lausannensem cathedram tenuisse satis demonstrat diploma mox referendum de jurgiis inter Leodandum Fredelonemque presbyteros compositis; in quo scilicet Leodandus antecessorem suum Heldolfum (1) coram Davide eamdem

(1) Ex eo quod male intellexit diplomate Georgius Guilelmus Zapfius Heldolfum uti Davidis antecessorem Lausannensibus episcopis annumeravit, atque inde occasionem sumpsit Ruchatium, qui Heldolfum hunc omiserat, reprehendendi. Nævum hunc in Zapfianis annotationibus ostendere

causam jam oravisse contendit. Non improbanda igitur Buqnetii aliorumque sententia, qui Davidem episcopum, in concilio *Ingelheim*
840 congregato sub annum 840 sedentem, ecclesiæ Lausannensi præfuisse contenderunt; Rer. Gallic. Script., t. VII, p. 278, 281, et tom. VIII, p. 367. Davidis de violenta nece sic Conon præpositus fidem facit : « Audivi « a Conone, sacerdote de *Anes*, quod David « episcopus interfectus fuit a domino de *Tegerfelt*, quod est juxta *Rifelt*, et suis, in « villa de *Anes*, juxta rivum qui currit per « villam, juxta quemdam grossum lapidem « in quo sanguis apparuit per multos annos : « et quidam homines dicti episcopi ipsum « prodiderunt; unde et villa unde ipsi erant « adhuc vocatur *Treitun*. » Prolixioribus verbis de eodem interitu fidem facit Davidis epitaphium :

Hoc tumulo tegitur, crudeli morte peremptus,
Antistes quondam Lausannæ nomine David,
Qui proprium perimens hominem jugulatur et ipse.
Nam pacis studio dum neutri fœdera servat,
Occurrunt sibimet, stipantibus undique turmis,
Impulsu rapido et nimio fervente tumultu,
Confligunt gladiis pariterque in morte evertunt...

Cetera, legere si lubet, in Chartulario Lausannensi reperies, p. 34.

VIII. Hartmannus.

Colligendis antea præpositus eleemosynis in domo cui pristinum Mons Jovis nomen, Hartmannus Lausannensis episcopus ordinatus est anno 850, secundum auctorem Annalium Flaviniacensium; Monum. Germ., t. III, p. 150. Lausannense vero Chronicon ejusdem ordinationem II non. Martii 851 peractam memorat. Reperitur, v cal. Aprilis
856 856, villam Escarlingum dictam se recipiens, ut capellam in honorem S. Mariæ ædificatam consecret : quem tunc adiit Leodandus, presbyter, Fredelonem, presbyterum, ad judicem provocans. Pacem inter eos Hartmannus fecit; e Chartul. Lausann., p. 203. Anno
868 dein 868, in villa Curtilia commorans, decimas S. Eusebii beneficiario jure possidendas tradit; ibid. Postquam vero Hartmannus episcopatum per annos octo et viginti tenuerat, obiit, ut videtur, XVIII cal. Maii; anno 878, ex Annal. Flaviniac. Epitaphium ejus, quod antiquitatem sapit, e Chartulario Lausannensi transcribendum :

Hoc jacet in tumulo Arnanni corpus fidelis,
Qui fuit antistes clemens Lausonnis in urbe;
Artibus omnigenis conversus, pectore largus,
Doctor doctilegus, doctorum dogmate doctus,
Clemens et castus, solers et valde modestus.
Destructis omnibus his locis, hicque mutavit

operæ sane pretium est. Vide Zapfium, Monum. Anecd., t. I, p. 10.

In melius, ut vos videtis in visibus vestris.
Ergo vigens tumulum quicumque aspexeris illum,
Funde preces Domino pro hoc antistite summo.
Donet ei Dominus requiem sine fine perennem,
Et lux perpetui splendoris fulgeat ipsi,
Altipotens Dominus, qui mundum continet omnem.

IX. Hieronymus.

De eo sic Episcoporum Lausannensium Chronicon : « Hieronymus episcopus fuit « ordinatus anno ab Incarn. Dom. 881, ter« tio anno post decessum Harmanni præde« cessoris sui, et tenuit episcopatum 12 an« nis. » Cur vero sedes Lausannensis, Hartmanno mortuo, tamdiu vacua remanserit e litteris Joannis papæ VIII comperimus. In (Ch. II, col. 125.) duas scilicet partes civitas discesserat, et, duobus æmulis episcopatum sibi vindicantibus, Theodorico metropolitæ summus Pontifex prohibuerat, VI id. Junii 878, ne alterutrum consecraret. Interim ferventibus ultra modum animis, omnia in pejus ruere. Hieronymus tamen, in quem, ut videtur, plura suffragia convenerant, a comprovincialibus episcopis, annuente papa, deinde consecratus est, et episcopum ideo se ferens Mantalensi conventui interfuit, in quo regis nomen Bosoni ab Arelatensis regni episcopis proceribusque delatum est, idibus Octobris 879; Rer. Gallic. Script., t. IX, 879
p. 305. Deinde Romam se recepit, coque postulante Leo papa ad Carolum regem scripsit, 20 Junii 880, eum exorans quatenus, æmulo submoto, integra Lausannensis episcopatus possessio Hieronymo tribueretur. Biennium igitur jam transierat ab Hartmanni decessu, necdum ecclesia Lausannensis tamdiu exoptata pace fruebatur : anno tandem 881, secundum Leonis papæ decreta Lausannense dissidium compositum est, et Hieronymus ecclesiæ suæ curam, non jam interpellatus infularum possessor, suscepit; Rer. Gall. Script., t. IX, p. 190. Anno *Caroli imperatoris regnantis* primo, Germaniæ regnum videlicet occupantis, II cal. Martii, anno, ut conjicere fas est, Christi 882, Wal- 882
drammus presbyter Hieronymo et ecclesiæ B. Mariæ Lausannensi prædia dono dedit in pago Valdensi, fine Graniacensi, villarique Francomero sita; Chartul. Lausan., p. 342. Anno, ut videtur, 885, XV cal. Martii, Carolus, anno Italici regni quinto, Francici tertio, ind. III (1), Vodelgiso cuidam, Radulfi marchionis fidissimo clienti, satis amplam agrorum copiam in eodem comitatu pagove Valdensi concessit : qui Vodelgisus eosdem agros Hieronymo contulit XII cal. Januarii, anno regnantis in Burgundia ejusdem Radulfi primo, Christi scilicet 888. Anno certius 886, Caroli imperantis sexto, VIII id. Augusti,

(1) Consule Elementa Palæographiæ a D. Natali *de Wailly*, t. I, p. 273.

Reginaldus quidam ecclesiam S. Prothasio sa-
cram villamque Draciacum, ipsi a Carolo im-
peratore datas, in Hieronymi Lausannensis-
que ecclesiæ possessionem transtulit; Chart.
Laus., p. 275 (1). Denique, IV non. Septem-
bris 890, anno scilicet Radulfi regnantis ter-
tio, Hieronymo sedem Lausannensem tenenti
Manasses comes agros condonavit in villa
Mustiniaco sitos; ibid., p. 283. Alia ejusdem
Manassis in gratiam ejusdem Hieronymi quo-
rumdam prædiorum donatio annum VI Ra-
dulfi præbet, V cal. Maii; ibid., p. 285. Lege
potius annum IV, Christi 891. Anno quippe
892 892 Hieronymus decessit, tam ex Annalibus
Flaviniacensibus, quam e Chartulario Lau-
sannensi, postquam in episcopali sede duo-
decim annos exegerat. Falsa igitur conjectura
Sammarthani Hieronymum per biennium
tantummodo ecclesiæ Lausannensi præfuisse
contenderunt.

X. Boso.

Hieronymo nondum mortuo, Ragemfre-
dus, ecclesiæ Lausannensis archidiaconus,
qui, summa, ut videtur, auctoritate præpol-
lebat, episcopale munus affectavit, et cleri
suffragia sibi conciliavit. Postquam vero Ra-
dulfus rex Hieronymi interitum certis ex
nuntiis cognovit, Lausannam, una cum Ve-
suntionensi archiepiscopo et episcopo Basi-
leensi, venit, ut Lausannensem clerum doce-
ret nemini licere novum pastorem inconsulto
rege constituere. Præsente igitur rege, Lau-
sannensis tota civitas, ut ei placeret, Bosonem
diaconum, « litteris peritum, moribus poli-
« tum, e sublimi prosapia propagatum »,
subrogandum Hieronymo successorem semet
exoptare conclamavit, Ragemfredumque re-
pulit, in quem, ut tunc ait, emendicata aut
etiam vi extorta suffragia convenerant. Ipse
Ragemfredus electionem tot vocibus repro-
batam dimissam habere, Bosonemque rex,
sibi amicissimum, in vacuam sedem tradu-
cere. Consecratus est Boso Solodori II non.
895 Decembris 892. Is est cui, 27 Januarii 895,
Radulfus rex solemnes litteras concessit, præ-
Ch. V, col. 127. cipiens ut pontificis Lausannensis electio se-
cundum vota cleri populique libera foret (2).
Jam quidem in episcopatu Lausannensi inva-
A luerat mos ut clerus populusque, aditis suf-
fragiis, episcopum eligerent : id autem ex
ancipiti jure factum, eumque frequentibus
rixis. A Radulfi decreto certior constantior-
que peragendarum electionum norma. Pe-
nes clerum civesque pastoris electio præ-
sentatioque fuere : penes regem præsentati
confirmatio. Eodem anno 895, Bosoni eccle- Ch. VI,
siæque Lausannensi Gerlandus comes quin- col. 128.
que colonias dono dedit, in territorio
Runingorum sitas. Anno dein 900, quæcum- 900
que Reginaldus antea, Vodelgisus, Manasses
Gerlandusque, alias Galindus, ecclesiæ Lau-
B sannensi dederant, Bosoni Radulfus rex con-
firmavit; e Lausann. Chartul. Sequente, III
id. Novembris, cum Turimberto comite Boso
quasdam res permutavit; ibid. Concessit, Ch. VII,
anno, ut videtur, 905, quasdam decimas ca- col. 129.
pellæ S. Petro sacræ. Anno 907, cum Radul- 907
fus rex Corciaci commoraretur, causis au-
diendis operam adhibens, coram eo stetit
Boso, et silvæ Vennis contiguæ usum ad
ecclesiam B. Mariæ pertinere contendit :
quæ lis judicio Dei, secundum Bosonis vindi-
cationem, soluta est; e Chart. Laus. Eidem,
VIII cal. Maii 912, anno scilicet Radulfi vice- 912
C simo quinto (1), Austerius prædia Combrami
sita concessit (2). Narrant duo veterum an-
nalium conditores, unus sub annum 912,
alter sub annum 923, Bosonem in villa Ran-
soldingi, vulgo *Ressudens*, comprehensum
fuisse. Hi vero hujus comprehensionis cau-
sam non detegentes, conjecturis ansam præ-
bent. Unde recentiores quidam scriptores
opinati sunt, acerrimo tunc temporis inter
Burgundiæ et Germaniæ reges fervente bello,
Bosonem, pro Burgundo pugnantem, in ma-
nus hostilis turmæ incidisse. Ut ut ea se res
habuit, certe Boso Lausannensem episcopa-
D tum per annos quinque et triginta tenuit,
annoque 927 decessit. 927

XI. Libo.

« Libo ordinatus est anno ab Incarn. Dom.
« 927, et tenuit episcopatum quinque an-
« nis; » e Chartul. Lausannensi. Ex alio
ejusdem Chartularii loco sequentia quoque
desumenda : « Lausonensi ecclesia proprio
« pastore viduata, et nimium multis tribu-
« lationibus afflicta, unanimes omnes elege-
« runt sibi rectorem virum nobilem et pru-
E « dentem, divinis cultibus insistentem,
« nomine Libonem, ipsius ecclesiæ natum,
« et cum ipsa ecclesia bene conversatum...
« Hunc autem electum supra nominatum do-

(1) Animadverte quod in *notitia* Reginaldi *vestitoria*, quæ post ejusdem donationem, idibus Augusti, edita est, Radulfi *comitis*, donationem ratam habentis, nomen occurrit. Comes igitur tunc temporis Radulfus, ipso profitente, minime Burgundiæ rex. Regnum quidem Radulfi Burgundicum anno 888 incœpisse hodierni cuncti scriptores jure contendunt. Ex eo vero quod initium hujus regni quidam Lausannensis Chartularii locus anno 885 perperam adscribit, conjecit recens hujus Chartularii adnotator id apud Lausannensis ecclesiæ notarios usitatum fuisse, ut Radulfi regnantis annos ab eo anno 885 computarent. Hanc conjecturam *notitia* Reginaldi *vestitoria* refellit.

(2) Datæ sunt ab ipso Radulfo hæ litteræ anno 895, ipsius regnantis octavo, ind. XIII : quæ prorsus inter se concordantes notæ satis demonstrant Burgundicum Radulfi regnum anno 888 initium habuisse.

(1) Dubius est, secundum D. Nat. *de Wailly*, Elem. Paleog. t. I, p. 357, annus quo Radulfus rex decesserit, quibusdam scriptoribus Octobrem mensem anni 911, alii eumdem mensem anni 912 proponentibus. Ex Austerii charta constare videtur Radulfum regem mense Aprili 912 superstitem exstitisse.

(2) Animadverte Bosonem ab Austerio *Aventicensem, seu Lausannensem episcopum* appellari; Chart. Lausan. p. 344.

« mini Ruodulfi regis, ipsius regni dominatoris, conspectibus præsentaverunt, et sibi « episcopum postulaverunt. » Quorum votis annuens Radulfus rex *Liboni episcopatum commisit et canonice ordinari præcepit*, ut ipsissimis verbis Chartularium refert, adstantibus inter alios Hugone, Guidone, Anselmo, Engelscaco, comitibus, Berengario archiepiscopo Vesuntionensi et Elisacharo Bellicensi episcopo (1). Nihil igitur res dubitationis habere videtur. Anno deinde Radulfi regis decimo septimo, Christi 928, aut 929, a Vitali, presbytero, quosdam agros Libo accepit, eidemque eorumdem fructus *præstariis* litteris concessit; e Chart. Laus., p. 232. Libonis meminit anno 943 Christina, matrona, quæ, ut ejus mortui animæ succurreret, bona quædam *Chally* sita ecclesiæ Lausannensi tradidit; ibid., p. 98.

XII. Bero.

De Berone, alias Beroldo, hæc Drozius ex antiquis tabulis collegit : « Beroldus ordina- « tus est episcopus anno ab Incarnatione « Dom. 932, tempore Leonis papæ et Beren- « garii III imperatoris, et tenuit episcopatum « sexdecim annos; *Droz*, t. XLIII, p. 69. » Leo vero papa S. Petri cathedram sub Januarium mensem 936 conscendit, et Berengarius imperator, minime tertius, sed primus, sub mensem Martium 924 occisus ceciderat. Non una igitur menda deprehenditur in tabulis a Drozio transcriptis. Chartularium tamen Lausannense Beronis ordinationem,
932 nullo alio sermonis ornatu, bis anno 932 adscribit, eumdemque pariter per sexdecim annos ecclesiæ Lausannensi præfuisse memorat. Cui testimonio Dunodius, et, inter hodiernos scriptores, D. Richardus confidenter adhæsere. Nec eis contradicemus. Nulla quidem alia de Berone in Lausannensibus fastis
943 mentio. Occurrit tamen, x cal. Julii 943, Conradi regis comes Viennensem pagum invisentis; cujus eo die litteris subscripsit pro monasterio Cluniacensi; Rer. Gall. Script., t. IX, p. 697. Quidam, inter quos Buquetius, Beronem Burchardum alio nomine appellant, eumdemque ex episcopo Lausannensi archiepiscopum Lugdunensem creatum fuisse contendunt. Ea autem conjectura, cui nullus veterum scriptorum suffragatur, prorsus reji-
Ch. VIII, col. 131. eienda est. Berthæ reginæ diploma pro monasterio Paterniacensi, quod *Burchardi*, ulla sine mentione sedis *episcopi*, nomen præbet, anno editum est 960, nec Burchardus, Lugdunensis ab anno 949 archiepiscopus, usque ad hunc annum 960 supervixerat. Qua igitur ratione Bertha regina, filii sui memor in archiepiscopali cathedra defuncti, eum episcopum, sicut opinantur, *Lausannensem*, designavisset? Difficultates difficultatibus intricare ludus inanis. Inter Beronem Burchardumque, quisquis hic fuerit Burchardus, ne quidem nominis vicinitas exstitit.

XIII. Maginarius.

Magnerius, Mainerius, Maginariusve, vacantem cathedram anno 947 conscendisse memoratur. Ei quidem, anno 949, Salerius 949
Racheriusque nonnulla *Ecublens* sita vendiderunt. Anno vero 964, III non. Februarii, 964
quas tam *Ecublens*, quam in villa Dallingis et in villa Tolochina, possessiones Maginarius habebat canonicis S. Mariæ Lausannensis transtulit; e Chart. Laus., p. 94 (1). Quo et anno, alia quædam inter Albonam et Venopiam, in villa *Ittinges*, nunc *Ittens*, permutatione facta comparavit; ibid., p. 3. Sequente, eidem Ricardus agros dedit in fine Graniacensi, in villa scilicet *Lucens;* ibid., p. 4. Qui annum 947 Maginarii sedem Lausannensem occupantis primum fuisse referunt, iidem fasti Maginarium per unum et viginti annos pontificias infulas gessisse contendunt : anno igitur 968, horum pro fide, interiit.

Occurrit Gothescalcus, Lausannensis episcopus, anno 948, vel 949, in concilio Trenorchiensi sedens; supra, t. IV, col. 374. Unde conjecerunt Sammarthani Maginarium duobus nominibus insignitum fuisse, et ea quæ de Gothescalco narrantur ad Maginarium esse referenda. Huic Sammarthanorum sententiæ adhærere difficillimum; namque decimo decurrente sæculo eumdem virum, præsertim ecclesiastico fungentem officio, duobus nominibus vocare minime mos erat. Vellavensis, Aniciensisve, tunc temporis Gothescalcus quidam episcopus e multis instrumentis comperitur. Is-ne falso scriptus est ab oscitante librario Lausannensis? Vel Trenorchiensis acta concilii, vel Chronicon Lausannense, Maginarii episcopatum ab anno 947 inchoans, falsi arguere necesse est. Nisi tamen hoc Trenorchiense concilium anno 944, sicut Petrus a S. Juliano proposuit, adscribere congruum sit. Sic enim Gothescalcus Maginarii antecessor in ecclesia Lausannensi fortasse fuisset.

XIV. Eginolfus.

« Eginolfus episcopus Lausannensis ordi- DE KYBURG.
« natus est anno 968; » e Lausann. Chro-

(1) Tattonis insuper cujusdam episcopi Chartularium nomen præbet, quem antecessores nostri, t. XIII, col. 1178, Dadonem, Virdunensem episcopum, esse conjiciunt. Sed in ea conjectura peccant. Dado enim, ut ipsi tradunt, anno 923 vivere desiit.

(1) Non inter se, ut ait, convenientes hujus diplomatis notas castigans Drozius, donationem canonicis B. Mariæ factam anno 961 adscribit; inter sch. Drozianas, t. XLIV, p. 80.

nico. Pater ei quidam comes Kyburgensis, cujus nomen nos fugit. Anno Conradi regnantis trecesimo, Christi, secundum Lausan-
968 nense Chronicon, 968, Eginolfo Tieboldus Salicusque prædium in villa Cuzziaco situm concedunt. Idem memoratur episcopus anno 969, vel 970, in pactione quadam inter
Ch. ix, col. 132. Auspertum presbyterum ecclesiamque Lausannensem. In eumdem quidam Romanus, anno, ut videtur, 972, beneficum se præbuit, ecclesiæ Lausannensi quatuor agros tradens, in Everdunensi territorio villaque Ranciis appellata; ex eod. Chartul., p. 5. Eo quoque anno, VIII cal. Novembris, ipse in possessionem ecclesiæ Lausannensis Eginolfus casas, vineas, pascuos agros, rivosque transtulit, quæ scilicet in Everdunensi præmemorato tractu, in villa olim dicta *Chivrusie*, postea *Chevressy*, a Reccone quodam acceperat; ex eod.
975 Chart., p. 130. Annis dein 974, 975, tam a Ricando et ejus uxore Eldria, quam a Saliero, res plures impetravit, quarum nonnullæ in pago Valdensi, aliæ in Ausorensi valle sitæ memorantur; ibid., p. 4, 5. Eginolfum
982 denique anno 982 reperimus Roma redeuntem et apud monachos S. Galli aliquantisper commorantem, quibus, semet in eorum monasterio pueritiæ, imo et adolescentiæ dies
Ch. x, col. 133. transegisse referens, insignia largitatis suæ monumenta tradit, et ălia quædam ab eisdem accipit.

XV. Henricus I.

DE LENZBURG. Eligitur Henricus anno 985, secundum Chartularium Lausannense. Quo etiam anno archiepiscopo Bisuntino semet fidum fore spondet. Eum recentiores plerique scriptores e nobili gente *Lenzburg* oriundum contendunt, Udalrici comitis filium. Udalricum vero, Lenzburgensem comitem, alterius Henrici, Lausannensis episcopi, patrem Neugartius asserit. De qua re fusius infra, sub annum 1039. Refert Episcoporum Chronicon nostrum hunc Henricum annos quinque et triginta episcopali munere functum esse. Id pro vero accipimus. Non tamen confidentius quam æquum est eumdem, ad fidem ejusdem Chronici, credimus a Leone summo Pontifice pallium accepisse: tunc enim Romanam sedem minime Leo, anno 965 defunctus, occupabat. Lausannensis præsul Henricus, anno circiter 990, Cluniaci reperitur, ubi eo præsente S. Odilo consecratur abbas. Ejus deinde precibus obsequens, anno 998, ab avis
Ch. xi, col. 134. suis ablatum quondam Bosoni prædium, nomine Wilram, Radulfus III ecclesiæ B. Mariæ restituit. Eodem quoque anno, in prioratum Bevacensem Henricus accitur, et hanc domum rite consecrat; Monum. Hist. Novi Castri, p. 2. Legitur postea quidam Henricus, Lausannensis, ut conjicere licet, episcopus, anno 1000, in duobus Radulfi regis III

A diplomatibus, quorum unum, ad Grandem Vallem spectans, edidit D. J. *Trouillat*, Monum. Episcop. Basil., t. I, p. 140, alterum, quo S. Thomæ Argentinensis possessiones firmantur, reperies apud Schœpflinum, Alsat. Diplom., t. II, p. 144. Anno certius 1007 1007
synodo Francofurtensi interfuit; apud D. Pertzium, Mon. Germ., t. IV, p. 796. Anno dein 1008, vel 1009, nempe XV cal. Februarii, obtinuit noster Henricus a Radulfo rege, ut ipsi et B. Mariæ Lausannensi ecclesia *Evonant* mediaque pars circumjacentis villæ, Ch. xii, col. 135.
quas olim episcopus Lausannensis possessio-
B nes habuerat, restituerentur. Amicissimus enim hic erat Radulfo regi: quare non ab eo tantum ablata impetravit, sed etiam nova et amplissima jura. Ea sane inter Radulfianas donationes solemnior, cujus ipse comitatus Valdensis materia. Ad id scilicet temporis huic præfuerat territorio civilis comes, Transjurani regis satis conspicuus cliens. Statuit vero Radulfus, VIII cal. Septembris 1011, ut 1011
ipse Lausannensis præsul Valdensis quoque Ch. xiii,
comes diceretur, et iisdem vectigalibus, juri- col. 136.
bus privilegiisque frueretur, quibus antea militaris præfectus. Paucis disseruit de hoc
C diplomate Ruchatius, idque indictionis annum V notarii culpa præbens, falsitatis suspectum pronuntiavit. Sincerum quidem est, ut rem hodiernus annotator comprobavit. Radulfi vero decretum partim irritum fuit: nunquam enim Lausannensis præsul integram comitatus Valdensis possessionem assecutus est; nihilominus tamen ab illo tempore semet episcopum una comitemque Lausannensem litteris publicis est professus. Ultimus laicorum Valdensis agri comitum Lambertus de Grandisono anno 1010 nominatur. Super eo comitatu consulendus D. Frederi-
D cus *de Gingins*, Comm. et Docum. ad Helvet. Rom. spectant. t. I, p. 76. Occurrit deinde Henricus, anno 1017, in insigni Radulfi diplomate pro monasterio Agaunensi; supra, t. XII, Instr., col. 428. Nec minus Henrico gratus erga Radulfum regem animus, quam strenuus in obeundis pro rege tuendo periculis. Postquam enim Lausannensis agri magnates in Radulfum rebelles excommunicationis flagello percusserat, hi, seditione facta, captum episcopum interfecerunt, anno 1018, secundum Chartularium 1018
Lausannense; 1019, secundum Episcoporum
E Chronicon. Henrici in honorem condita plura epitaphia; e quibus hoc infra transcribendum ejus vitam breviter enarrat:

Omne sequens esse quod primum tendit ad esse
Esse petit simplex, esse novando duplex.
Sic pater Henricus, patris omnipotentis amicus,
Ψυχὴν dando polo, reddidit ossa solo.
Cujus præteritam qui vult cognoscere vitam
Percurret breviter carminis hujus iter.
Condidit hanc sedem, post sedem condidit ædem,
Quasque vides alias condidit ecclesias.

Addidit et clerum, clero quoque commoda rerum;
Per varias species quod probat ista dies.
Omni poscenti voto subvenit aventi,
Tandem nec vacuum reddidit exiguum;
Commissumque gregem, commissam de grege legem,
Ut doctor docuit, ut docilis tenuit;
Virtutis cultor, vitii sævissimus ultor
Omnibus hostibilis, Melchisedech similis;
Per Christum tutus, Christum per cuncta secutus,
Quod primum tenuit posterius docuit.
Sed mens pravorum, menti non æqua bonorum,
Mortis adesse reum testificatur eum;
A quorum turbis, turbatis mœnibus urbis,
Quæritur et capitur, pellitur et trahitur.
Dum quarto pyrgo nupsisset spicea virgo (1),
Suscepit tumulus quem canit hic titulus:
Pro cujus voto dic, lector, pectore toto:
Det tibi perpetuam Perpetuus veniam.

Hæc insuper nos carmina docent Henricum ecclesiam Lausannensis urbis cathedralem incœpisse. Non tamen tantum opus eo vivente consummatum est. Addit Ruchatius eumdem Lausannæ ecclesias quatuor alias condidisse. Id autem minus compertum habemus. Ruchatianæ conjecturæ fortasse materiam præbuit quod retulit Cono præpositus: « Hoc solum de eo audivi, quod in quin« que ecclesiis Lausannensibus, scilicet in « ecclesia B. Petri, B. Pauli, B. Stephani, « B. Laurentii, B. Thyrsi, quæ nunc dicitur « B. Marii, fecit sepeliri unum de bonis amicis « suis, et super quemlibet posuit unum ma« gnum lapidem, et se præcepit sepeliri in ec« clesia cathedrali. »

Nonnulli inter Henricum Hugonemque hunc Gothescalcum collocant, qui, anno, ut ferunt, 989, concilio Trenorchiensi interfuit. Habitum autem hoc anno 944, vel anno 949, concilium Trenorchiense, cujus supra mentionem fecimus.

XVI. Hugo.

DE BOURGOGNE. 1019 Hugo, Radulfi III regis filius, Henrico suffectus est anno 1019, et, eodem anno, archiepiscopo Bisuntino obsequium his verbis promisit: « Ego Hugo, Lausannensis jam « ordinatus episcopus, et filius Radulfi regis « uniens, spondeo, voveo, promitto sacræ Ve« suntionensi diœcesi, sicut fecere antecesso« res mei, subjectam subjectionem et fide« lissimam obeditionem. » Eum dein Christianus Urstisius Basileensis ecclesiæ consecrationi interfuisse memorat: dies tamen hujus consecrationis dubius, quibusdam ad hunc ipsum annum 1019, nonnullis ad annum 1021 rem referentibus. Munificus erga Lausannensem ecclesiam Hugo legitur, cui villas A *Riaz*, Albam Aquam, rustice *Albeuve*, et *Crans*, in episcopatu Gebennensi, dono dedit. Quantivis tamen pretii fuerint hæ villæ, major sane fuit ob majus beneficium Lausannensis ecclesiæ civitatisque in Hugonem episcopum gratitudo. Cum enim, Radulfo rege mortuo, quam maximis tota Burgundia ferveret discordiis, archiepiscopi Bisuntinus Viennensisque eorumque suffraganei, Hugone suadente, Rotundum Montem, propter Lausannam, convenerunt, ibique inducias publice renuntiaverunt ex ipsius Dei auctoritate factas; e Chartul. B Lausann., p. 38. Obiit autem Hugo anno 1037, II cal. Septembris, hora diei prima, 1037 et in ecclesiæ Lausannensis adyto, juxta Radulfum patrem, sepultus est.

XVII. Henricus II.

Henricum hunc Episcoporum Chronicon, Stumpffius Ruchatiusque prætermisere. Ejus tamen de episcopatu minime dubitare licet. Quippe, sub mensem Julium 1039, a Wipone 1039 memoratur corpus Conradi imperatoris nuper C defuncti ab urbe dicta Trajectu in Frisia Coloniam Agrippinam usque prosequens; apud D. Pertzium, Monum. Germ., t. XI, p. 274. Idem insuper Henricus, e Bisuntinis scriniis, litteras Hugonis archiepiscopi pro S. Paulo 26 Martii 1044 confirmavit. Hunc 1044 igitur Henricum episcopis Lausannensibus confidenter adscribimus. Ejus vero de genere, minus quidem noto, paucis disserendum. Plerique, ut retulimus, priorem Henricum Udalrici *de Lenzburg* filium dixere; Neugartius vero, Cod. Dipl. Alemann., t. II, p. 25, posteriorem. Udalricus sane quidam *de* D *Lenzburg* anno 1036 occurrit, v. id. Februarii, de Henrico filio suo loquens, apud Tschudium, Chron. Helv., t, I, p. 13. Hic vero Udalricus Henricum filium jam eo anno 1036 defunctum apertis verbis declarat. Anno igitur 1039 Lausannensem cathedram non regebat. Quare Udalrici, comitis Lenzburgensis, charta, qua, sub annum 1036, concordantibus ceteris temporum notis, Arnulfo e fratre nepoti, post Henrici filii sui obitum, Beronensis ecclesiæ præfecturam confert, ad posteriorem inter Lausannenses episcopos Henricum minime spectat.

E

XVIII. Burchardus.

Bucconis, Burchardive, *Bargen* et *Oltingen* D'OLTINGEN. (propter confluentes aquas fluviorum Aræ et Sanæ) comitis, filius Burchardus, Lausannensis jam episcopus anno 1039, a Ruchatio, Henricum prætermittente, memoratur. Hanc autem doctissimi viri mendam castiga. Recens enim episcopus Burchardus archiepiscopo Bisuntino obsequium anno 1073 promitte- 1073

(1) Quod de mense Julio Augustove interpretari forsan licet. Eumdem vero 16 Januarii decessisse referunt, e necrologio Beronensi, apud Neugartium, Codex Diplom. Alem., t. II, p. 25: XVII *cal. Februarii, Henricus episcopus Lausannensis.*

bat. Anno dein sequente, v cal. Novembris, Aventici reperitur, ubi in ejus præsentia Bucco comes paterque, pessimi cujusdam facinoris in ecclesia *Rode* patrati reus, B. Mariæ Lausannensi, pœnitentis animi pignus, vineam quamdam tradit, in territorio Villiacensi sitam; e Chartul. Lausann., p. 209. Romanorum tunc rex erat Henricus IV, summo Pontifici infestissimus. Quin Burchardo licuerit regiam deserere causam pontificiamque amplecti nobis sane dubium est: sed Gregorio VII, qui non modo regum potentiam contundere, sed etiam cleri mores corrigere satagebat, eo libentius adversatus est, quod ipse, vitæ genere miles potius quam gregis ecclesiastici pastor, evaginatorum armorum strepitu gaudebat, imo uxorem duxe-
1076 rat, ut ait auctor Chartularii Lausannensis, legitimam. Wormatiam, anno 1076, episcopos suæ ditionis Henricus accivit: quo in conventu, post multum atque acerbissimum in Romani Pontificis imbecillam audaciam sermonem, scripta missaque est ad eum, hæreditate S. Petri, solis tamen verbis, exutum, plena conviciis epistola et quam maximi tumultus prænuntia. Wormatiensi Burchardus colloquio interfuit, litterisque ibi confectis sigillum suum apposuit, quas legere est in Luginii Spicilegio Ecclesiastico, t. I, p. 143. Ideo a Gregorio VII, haud secus ac alii ejusdem rebellionis consortes episcopi, excommunicationis virga cæsus est, sicut Lambertus refert, de Rebus Germanicis, apud Pistorium, t. I, p. 234. Non is tamen erat Burchardus quem apostolica sententia a Cæsareis partibus deterreret: contra Lausannensis episcopatus administratione omnino neglecta, imo venditis, ut nummos, belli nervos, compararet, undecim Lausannensis ecclesiæ villis, Henrico magna, ut videbatur, molituro propius accessit, ejusque gressus quocumque comitatus est. Regi vero non adeo propositi tenax animus. Qui paulo post jam collectas copias dimisit, et, postquam Gregorium minis flectere incassum tentaverat, ipse, quacumque conditione pontificii flagelli novos ictus declinare prædestinans, excommunicatos episcopos, quorum antea consiliis usus erat, e castris suis egredi jussit, circa finem Octobris 1076. Refert Bertholdus Constantiensis in suis Annalibus, quos D. Pertzius edidit, Burchardum postea una cum Henrico Canusium semet recepisse, sub Januarium mensem 1077, et compositi inter regem summumque Pontificem dissidii non tantum testem, sed etiam participem exstitisse; dein, Junio mense, postquam adversus Gregorium papam iterum Henricus vexilla moverat, Burchardum in Galliam reducem Burgundiæ castella, quæ Suevorum dux Radulfus, a magnatibus Germaniæ recens creatus imperator, imparibus copiis muniverat, ferro incendioque vastavisse. Non parva igi-

A tur in eum Gregorii VII iracundia, qui adeo bellicosum maritumque præsulem ægre ferebat. Henricus vero eidem, inter Cæsareos aulicos præcipuo, amicissimus. Ideo, anno 1079, Burchardum nonnulla damna pas- 1079
sum amplis beneficiis auxit, urbibus scili- Ch. xiv,
cet, agris, ceterisque possessionibus, quas col. 136.
Radulfus, Suevorum dux, inter Juram Montemque Jovis antea sua sub ditione tenuerat. Deinde regem, Burchardumque regi addictissimum utique clientem una Spiræ reperimus, 7 Decembris 1080, qua in urbe, 1080
suadente inter alios Burchardo, Basileensi
B ecclesiæ comitatum *Herkingen* Henricus condonat; e Monum. Basileens. Episcopat., t. I, p. 203. Anno 1082, testis est ejusdem Henrici Burchardus, Cononi comiti castrum Arconciacum tradentis; *Droz*, t. XLIII, p. 52. Anno 1085, Moguntino concilio interest, ibique 1085
Guibertum anti-papam, uniendæ per speciem ecclesiæ, summo studio fovet; e Venerici Vercellensis Apol. Henrici IV. Anno 1086, Spiræ, Henrico suadet ut ecclesiæ Spirensi præposituram *Naumbourg* concedat. Eodem anno, Metis, eumdem hortatur ut in Theodoricum, Virdunensem episcopum, munifi-
C ciacum se præbeat; supra, t. XIII, Instr.; col. 563 (1). Aquisgranum rex Burchardusque semet anno 1087 contulerant, cum regio præsul 1087
decreto subscripsit pro ecclesia S. Servatii Trajectensis; Hist. Frederici II Diplom., t. IV, p. 413. In urbe *Vevey*, 13 Septembris ejusdem anni, Burchardi suasu, idem rex Lustriacenum prioratum abbatiæ Saviniacensi restituit, atque ipse Lausannensis episcopus, ut regii beneficii aliquo modo consors esset, monachis Lustriacenis quamdam sui juris feminam, nomine Giselam, in perpetuum possidendam tradidit; e Chartul. Savin., t. I,
D p. 426. Animadvertendum illud est, nempe in Cæsareo pro Saviniacensibus diplomate Burchardum cancellarium Italiæ appellari. Anno denique 1089 Henricum in Thuringia 1089
bellantem secutus, sacramque imperatoris lanceam, quam Labarum vocabant, in media armatorum copia Gleichen castellum oppugnantium ferens, Burchardus lethali vulnere confossus cecidit. Ejus his verbis necem Bernoldus memorat: « Lausannensis non tam « episcopus quam Antichristus, dum fortiter « vult agere, occiditur. » De eadem consulendi Annales Wirziburgenses, apud D. Per-
E tzium, t. II, p. 246, et Annalista Saxo, necnon Ekkehardi Chronicon, apud eumdem, t. VI, p. 507; qui in hoc consentiunt, Burchardum scilicet die præcedente natalem Christi diem occubuisse. Anniversarium tamen ejus Lausannensis ecclesia x cal. Januarii celebrare consuevit; e Necrol. Lausann. Tale Burchar-

(1) Cave ne, male lecto diplomate, Leimarum conjicias, non Burchardum, ecclesiæ Lausannensi tunc præfectum fuisse. Leimarus archiepiscopus Hammanburgensis erat.

A di epitaphium nobis detulit auctor Lausannensis Chartularii:

Burchardus vita præsul migravit ab ista,
  Quem Deus angelicis associet famulis.
Hunc in Saxoniam rex secum duxit, ut illam
  Vinceret, at rediit victus, et hic cecidit.
Non fuit ornatus, quia non fuit hic tumulatus;
  Si foret hic tumulus, plus caneret titulus.

Idem auctor Cononem de *Oltingen* strenui quidem, sed nimium sane ferocis episcopi, fratrem fuisse posteris tradidit. Nec siluit de ipsius Burchardi uxore, quæ, eo teste, altare S. Nicolao sacrum erexit, ecclesiamque S. Petro sacram apud *Marsens,* juxta Curtiliam.

XIX. Lambertus.

DE GRANDSON. Lambertumne, ut quidam ferunt, libera Lausannensis capituli suffragia episcopali munere donaverunt? Certius est eum, ut rem ab Alexandro papa III, Lausannensis ecclesiæ jura confirmante, comperimus, a pseudo-Pontifice Guiberto, utpote fidum Cæsaris clientem, consecratum fuisse. Unam tantum reperire licuit chartulam Lamberti sigillo munitam, in qua scilicet, Romano Monasterio ancillam nomine Litburgam condonans, fratres suos Ulricum, Philippum, Cononemque posteris notos facit; Docum. et Comment. ad Helvet. Rom. spect., t. I, p. 161. Ab auctore Chartularii Lausannensis vituperatur iniquus ecclesiasticarum possessionum ad privatos amicos delator. Non diuturnus igitur ejus episcopatus fuit. A quibusdam memoratur in solitudinem, dimisso munere, sponte secedens; ab aliis vi quadam Cæsareæ factionis, quæ Burgundionem eum aversabatur, aut, quod non probabilius videtur, Urbani papæ II sententia, qui consecratum a Guiberto præsulem minime ferre poterat (1), expulsus; sunt etiam eumdem qui gladio ab inimicis confossum, aut ab ipso Satana raptum, tradunt. Nec dubium videtur quin Lausannensis ecclesiæ res pessime dispensaverit. Ch. xxii, col. 144. Conradus enim imperator, anno 1145, possessiones hujus ecclesiæ confirmans, edicto prohibuit notabili ne quis abalienatas a Lamberto possessiones retinere auderet.

XX. Conon.

DE FENIS De Conone, Ulrichi *de Fenis* filio, quem diversi auctores Cononem *de Neuchatel*, aut *de Hasenbourg,* nullo discrimine vocant, sic Lausannensium episcoporum Chronicon: « Cono fuit electus Lausannæ post Lamber- « tum. Sed quoto anno ab Incarn., vel « quamdiu vixit non legi. Sed ipse fundavit « in patrimonio suo abbatiam Erlacensem; « et, dum faceret ecclesiam, sublatus fuit « de medio: et Borcardus, frater suus, epis- « copus Basiliensis, qui faciebat castrum de « *Cerlie*, perfecit ecclesiam pro fratre suo. « Inveni autem in Calendario Lausannensi: « *O. Cono, electus noster,* xiv *cal. Januarii, et fuit sepultus in abbatia Erlacensi* « *ante Crucifixum.* » Hactenus Lausannense Chronicon: quædam vero alia de Conone subjicienda. *Electus* in prælaudato Calendario nuncupatur: nondum igitur consecra- B tus obiit. Unde colligere licet aut eum sedem Lausannensem per breve tempus tenuisse, aut, dum acerrima inter duos æmulos lis esset de S. Petri cathedra, eumdem neutri morem gessisse. Ut ut ea se res habuit, Ruchatio-ne confidendum, qui Cononem ab anno 1090 Lausannensis ecclesiæ præsidatum tenuisse contendit? Anno quidem circiter 1090 adscribitur insigne diploma de S. Albani Basileensis fundatione, quod Cononis, Lausannensis episcopi, meminit; Monum. Basil. Episc., t. II, p. 5. Is autem annus 1090, conjectura tantum appositus, C valde dubius est. Nec alia de Conone mentio usque ad annum 1098, quo litteris subscripsit Hupoldi, Basileensis vice-domini, erga S. Albani monachos egregie munifici; ibid., p. 10. Nobis certius est Ruchatium Cononis decessum anno 1100 falso assignavisse: nempe anno 1103 solemnes fratris sui Burchardi pro eodem S. Albano litteras testimonii sui munimine firmavit; ibid., t. I, p. 218. Nec eum quidem, ut aliis placuit, in hoc ipso anno 1103 obiisse putamus. Cononis enim successor Gerardus non ante annum 1107 Bisuntino metropolitæ se fidum fore ju- D ravit. Non semel Herilacenses chartulæ Cononis nomen exhibent. Sic, anno 1220, Ulrichus, Novi Castri dominus, Cononem memorat, domus Herilacensis primum et præcipuum fundatorem, ei in ipsa fundatione Menzinowam curiam contulisse; Mon. Hist. Novi Castri, t. I, p. 62.

XXI. Gerardus I.

DE FAUCIGNY. De Gerardi, quem et Geroldum appellant, temporibus eadem quæ apud Cononem, præpositum, dubia. Aliquam vero rei lucem af- E ferunt Vesuntionenses tabulæ, a Drozio transcriptæ, ubi Gerardus, Geroldusve, Lausannensis, et Radulfus, Basileensis, episcopi, in præsentia Guidonis, Viennensis archiepiscopi, obsequium ecclesiæ Chrysopolitanæ promisisse memorantur. Ecclesiam autem Vesuntionensem Guido, Viennensis archipræsul, anno 1107 procuravit. Notior Gerardi prosa- 1107 pia, quem Conon *d'Estevayer* Guillelmi Sapientis de Fucinia filium asserit. Eumdem e præposito Gebennensis ecclesiæ Lausannen-

(1) Hanc qui Lamberti exsilio causam assignant Guibertum anti-papam anno 1092 decessisse referunt. Quod prorsus falsum est.

sem factum præsulem comperimus. Transe- A
Ch. xv. col. 137. git Gerardus, 13 Decembris 1111, Lausannæ
tunc temporis commorans, cum Pontio, Sa-
viniacensi abbate, de quibusdam juribus quæ
Lustriacensis prioratus sibi vindicabat. Anno
1115 dein 1115, ab Henrico imperatore litteras
accepit, quibus ei mandatum ut mutationem
rerum in ecclesia Bisuntina a Guidone, se-
dis apostolicæ legato, peractam, minime ap-
probaret; Chiffl., Hist. Trenorch., p. 374.
Quo etiam anno solemnes Gerardus edidit
litteras de fundatione Rubei Montis, Clunia-
censis S. Nicolao sacri prioratus, quem Guil-
lelmus, Gruieriæ comes, anno 1080 juxta B
Rotundum Montem exstruxerat, et amplis
possessionibus donaverat; inter Docum. ad
hist. Bernens. spect. quæ recens edidit D.
Carolus *Zeerleder*. Reperitur dein Gerardus
1117 anno 1117, in Cæsareo diplomate quo Tigu-
riensis præpositure privilegia confirmata;
apud Hottingerum, *Helv. Kircheng.* Re-
fert Hesso Scholasticus, apud D. Pertzium,
t. XII, p. 424, Lausannensem episcopum,
Octobri mense 1119, Argentoratensi, inter
regem et Catalaunensem episcopum, collo-
quio, de juribus tam ad Cæsarem quam ad
S. Petrum spectantibus, interfuisse. Eo certe C
anno, Gregorium de S. Angelo, cardinalem,
Pontiumque, Cluniacensem abbatem, sedis
apostolicæ legatos, secutus, cum eis Basileæ
moram aliquam faciebat 1 Aprilis, atque in
ædibus S. Albano sacris litem inter Basileen-
sem episcopum fratresque S. Blasii dirime-
bat; apud Lunigium, Spicil. Eccles., t. III,
p. 139. Alia quoque de Gerardi episcopatu
testimonia apud Hergottum, Geneal. Habsb.,
prob., t. II, p. 145, ubi legitur, 28 Decem-
1124 bris 1124, Henrici V imperatoris diplomati
subscribens pro monasterio Engelbergensi,
et, p. 139, Argentinæ, 8 Januarii 1125, ejus- D
dem Henrici litteris in gratiam Rusteni,
S. Blasii abbatis, adversus Basileensem epis-
copum litigantis. Cancellarius in his litteris
Gerardus nominatur : cancellarius forsan
Italiæ, sicut Burchardus fuerat. Anno deni-
1127 que 1127, Lacum Jurensem recens conditum
Walthero, S. Martini Laudunensis abbati,
necnon Præmonstratensis ordinis vicario ge-
nerali, submisit. Obiit vero calendis Julii,
anno incerto, et in Lustriaceno capitulo
sepultus est.

XXII. Guido I.

DE MERLEX. Guidonem de Marlaniaco, natione Bur-
gundum, e canonico Vesuntionensi in Lau-
1130 sannensem cathedram anno 1130 evectum
fuisse spectatæ fidei scriptores asserunt. Con-
sule Memor. Friburg.; 1855, p. 355. Eum
Innocentius papa II instituit pallioque pro
Ch. xvi, col. 137. more donavit. Occurrit anno 1134, solemni-
bus litteris Guidoni, Cari Loci apud Sequa-
nos abbati, potestatem faciens abbatiam Al-
tæcrestensem ædificandi: dein, anno 1135, 1135
alteri Guidoni, Paterniaci priori, hujus mo-
nasterii bona confirmans, et, anno 1136 Hu-
milis Montis, anno 1137 Altæ Ripæ fundatio- Ch. xvii, col. 138.
nem recentem approbans. Edidit insuper
Zapfius, Mon. Anecd., p. 91, episcopales
alias pro Alta Ripa in dies crescente litteras,
quas anno 1139, Guido, Aventici tunc mo- 1139
ram aliquam faciens, notario suo conscriben-
das commendavit. Proprii insuper erant
Guidoni, paterni scilicet, agri, juxta Lau-
sannam, in loco Bella Warda dicto; quos Ch. xviii, col. 139.
abbati Lacus Jurensis, 8 Martii, ut videtur,
1140, concessit, ea conditione ut ibi abba-
tiam quamdam hic institueret. Eodem anno,
VI cal. Novembris, litteris Humberti metro-
politæ de fundis privilegiisque S. Vincentii
Bisuntini subscripsit. Anno dein 1141 repe- 1141
ritur jam collata Lacui Jurensi bona recen-
sens, Comment. et Doc. ad Helvet. Rom.
spect., t. I, pr. part., p. 176, et Arducio, Ge- Ch. xix, col. 140.
bennensi episcopo, permittens ut cen-
sus nonnullos Rivorii monialibus conferat.
Quo etiam anno in Altæcrestenses monachos
beneficus fuit; ibid., t. XII, sec. part., p. 4.
Anno 1142, 21 Januarii, data jam Cistercien- Ch. xx, col. 141.
sibus Telæ monachis bona singulatim recen-
set. Eo quoque anno, Vivesii degens, amplis
litteris omnes Altæ Ripæ possessiones descri-
bit. Sequente, VI cal. Martii, litteras edit ad
fundationem Fontis Andreæ spectantes. Deni- Ch. xxi, col. 143.
que, anno, ut videtur, 1144, « propter enor-
« mitates et incontinentiam suam, » ut re-
fert Chartularium Lausannense, sede expul-
sus est. Prolixiorem hujus expulsionis enar-
rationem desideramus. Nonnullis quidem ea
placuit conjectura, Guidonem scilicet, epis-
copali munere privatum, in abbatiam Fon-
tem Andreæ dictam, cujus fundationem nu-
per probaverat, se recepisse, primumque hu-
jus domus abbatem fuisse. Quidam sane
Guido Fontis Andreæ primus abbas exstitit :
minime tamen vero simile videtur episcopo
propter incontinentiam ejecto instituendæ
cujuslibet abbatiæ grave negotium demanda-
tum fuisse.

XXIII. Amedeus.

Amedeo pater Amedeus *de Clermont-Ton-* DE CLERMONT DE HAUTERIVE.
nerre, Hauterive toparcha, mater Petronilla,
Guidonis, comitis *Albon*, soror: qui natus
E in castro dicto Chasta, prope S. Antonium,
in Delphinatu, vir non tantum genere, sed
etiam moribus doctrinaque conspicuus, pri-
mum monachicam vestem apud Claravallen-
ses induerat, deinde Altæ Cumbæ abbas fue-
rat. Ut vero, Guidone depulso, ad Lausan-
nensis ecclesiæ fastigium evectus est, con-
secratusque, sicut Sammarthani referunt,
21 Januarii 1145, a Conrado II, imperatore, 1145
litteras poposcit quibus ecclesiæ suæ confir-
matas possessiones haberet. Has ei Conradus

litteras, eo anno 1145, Wormatiæ tunc resi-
Ch. XXII, col. 144. dens, animo libenti concessit. Anno dein 1147 Amedeus reperitur, Telæ possessiones
Ch. XXIII, col. 145. recensens (1). Anno 1148, XVII kal. Januarii, sub tectis Romani Monasterii eo die moram aliquam faciens, ipse Amedeus publico instrumento renuntiat Lausannensem ecclesiam de lite desistere, quam a longo tempore ob nonnullas ecclesias Romani Monasterii
1150 incolis impegerat; e Rom. Monast. Chartul. Anno 1150, in gratiam Agaunensis monasterii litteras edit. Tam apud Fredericum I quam apud Conradum II acceptissimus Amedeus exstitit. Eum igitur postquam ad cancellarii munus accedere Fredericus jusserat, non unius per occidentalem Germaniam itineris comitem habuit. Ambo scilicet Spiræ reperiuntur 17 Januarii 1153, qua in urbe Fredericus Gebennensis ecclesiæ possessiones recenset; *Spon*, Hist. Gebenn., prob., num. 2. Vesuntione dein, 15 Februarii ejusdem anni, litteris Frederici pro monasterio Paterniacensi, cujus *advocatiam* Oudelhardus *de Viviers* sibi vindicabat, Amedeus sigillum suum apponit; apud Schœpflinum. Als. Dipl., t. I,
1154 p. 240. Denique Wormatiæ, anno 1154, Amedeus ejusdem Frederici diploma in gratiam Tricastinensis ecclesiæ obsignat; supra, t. I, Inst., col. 221. Lausannam tamen sub eumdem annum redux comperitur, ibique tam
Ch. XXV, col. 147. Telensi conventui, quam Mannoni abbati Altæcrestensi, a quam plurimis Lausannensis agri proceribus collatas possessiones confirmans; e Chartul. Altæcrest. In episcopali eadem urbe Amedeus, anno, ut videtur, sequente, inter conventus S. Claudii Lacusque Jurensis, de possessione loci quem eremita Pontius incoluerat, litem solvit; *Droz*, Comm. de Pont., p. 211. Advocatus, defensorve, tunc Lausannensis ecclesiæ Gebennensis comes erat; qui, ipsi commissæ defensionis inducto nomine, castellum urbi vicinum munivit armatoque milite complevit. Quod sane Amedeus tolerare minime poterat. Congregata igitur civium turba, castellum oppugnavit, funditusque captum evertit. Dein ad Bertholdum, Zaringiæ ducem rectoremque Burgundiæ conversus, Lausannensis ei civitatis tutelam demandavit. Beretholdus igitur anno 1157 occurrit erga Lausannensem ecclesiam coram Amedeo præsule se jurejurando solemniter obligans; apud Schœpflinum, Hist. Zaring. Bad., t. V, p. 105: eodem, ut videtur, die, prædictus Beretholdus, Amedeo præsente, tam Altæ Cristæ quam Altæ Ripæ ascetas quibuscumque vectigalibus in dominio suo immunes pronuntiavit. Lausannæ com-

(1) Waltherus, Lausannensis episcopus, legitur anno 1146, Spiræ subscribens litteris Conradi regis in gratiam Trevirensis ecclesiæ, apud Lunigium, Spicilegium Ecclesiast., t. II, p. 211. Ea hujus Waltheri mentio, ut satis apparet, quemdam episcopum designat in alia quam Lausannensi cathedra sedentem.

A morabatur 27 Augusti 1157, præclarus Tarentasiensis ecclesiæ præsul Petrus, qui, sub hanc diem, Amedeo quoque præsente, inter abbates S. Mauritii et Altæ Cristæ, de Ch. XXVII, col. 149.
tertia parte prædii *Castellens*, judicio contentionem diremit. Obiit vero Amedeus episcopus in palatio Lausannensi, 26 Augusti 1159, si Chartulario fides, quod ejus anniversarium VI cal. Septembris memorat. Ejus vero nomen Cisterciense Martyrologium 20 Septembris præbet. Denique Sammarthani eum 27 Septembris decessisse referunt, e Martyrologio ecclesiæ Gallicanæ. Cum ja-
B ceret in extremis, circumstante cleri populique corona, omnes palam absolvit quos ab ecclesiæ communione excluserat, præter Humbertum quemdam, Albonæ toparcham, cui, ob illata episcopali rei damna, coram supremo judice diem dixit. In laudem B. Mariæ Virginis Homilias Amedeus octo scripserat, ab auctoribus Bibliothecæ Maximæ Patrum in lucem delatas, t. XX, col. 1262. Tanti in aula principum nominis erat, ut Humberto III, Sabaudiæ principi, tutor adscriptus memoretur: tanta quoque ejus apud clerum commendatio, ut eum e vivis subla-
C tum Cistercienses inter beatos intercessores ex eorum gremio deductos annumeraverint; apud Guichenon., Hist. Sebus., t. IV, p. 39.

XXIV. Landricus.

E decano S. Joannis, in ecclesia Bisuntina, DEDURNAC.
Landricus Lausannensis episcopus ab Humberto metropolita consecratur, anno 1160, adstantibus Ardueio Gebennensi et Guillelmo Bellicensi episcopis; apud Chiffletium, Vesunt., p. 244. Eo anno, sane ut Bisuntinos quibus valedicebat monachos sui memores
D efficeret, Petro, S. Vincentii abbati, ecclesiam S. Stephani, Lausannæ sitam, dono dedit. In episcopali civitate reperitur anno 1162, ubi eo præsente Amedeus, Gebennensis comes, Altæ Cristæ rem auget. Quo etiam anno Landricus Pontio, Altæ Ripæ abbati, plures donationes confirmat; e Monum. Novi Castri, p. 15. Nec aliter, anno 1165, Lausannæ, ab Amedeo, prædecessore suo, Altæcrestensibus monachis data novo diplomate munit. Eisdem, anno 1166, ecclesiam *Compengie* confert, decimasque in villa *Sales* percipiendas, necnon agros juxta
E *Palesieux* sitos iteratis litteris, ex episcopali auctoritate, adscribit; e Chartulario domestico. Anno 1168, postquam in Agaunense monasterium se receperat, aliquam ibi moram, sub mensem Aprilem, faciens, huic monasterio ecclesiam S. Albini in *Vulli* dono dat. Unde redux Lacui Jurensi collatas res a Walcherio *de Blonay* approbat. Landricum reperimus anno 1173 Altæ Ripæ ecclesiam S. Petro sacram condonantem, et, anno 1174, collata Telæ bona confirmantem; e Tel.

Chart, p. 23: postea, in eadem episcopali ci-
1176 vitate, 12 Novembris 1176, Borcardo, Agau-
nensium abbati, supra memoratam S. Albini
ecclesiam iterum adscribentem; Monum.
Novi Castri, p. 19: deinde, Bellelagiæ,
Ch. xxxiii, col. 155. 25 Maii 1177, Fonti Andreæ nonnullas deci-
mas adscribentem. Quo etiam anno recens
Telæ datos fundos recenset; e Telensi Char-
tul., p. 27, 31. De eo postea chartæ silent.
Tunc enim temporis eum quidam dissolu-
tioris liberalitatis, nimiæ in rebus gerendis
imperitiæ, imo et turpis vitæ reum accusa-
verunt. Quare ad Alexandrum papam viam
fecit, ut oblatas criminationes depelleret.
Captus vero fuit inter eundum a Cæsareis
militibus, qui, duce Frederico, acerrimas ad-
versus summum Pontificem tunc inimicitias
exercebant. Nec multo post Landricus, rerum,
ut ferunt, componendarum studio, munere
1178 semet abdicavit, circa medium annum 1178.
Caute igitur legendi Sammarthani Ruchatius-
que, qui, spreto chartarum authentico testi-
monio, Landrici abdicationem in anno 1174
collocant. Lausannensium Episcoporum
Chronicon verius est, a cujus auctore perno-
vemdecim annos sedem tenuisse memoratur.
Depositis Landricus infulis Lausannæ vixit,
moriensque VII id. Decembris, anno incerto,
in ecclesia cathedrali sepultus est. Unde
conjicere licet eum potius Cæsari quam do-
mino papæ displicuisse, atque de falsis, aut
saltem acerbatis, criminibus postulatum
fuisse. In eo quod ad ejus imperitiam et se-
gnitiam spectat sæpe laudatum Chronicon ac-
cusationem his verbis sane refellit: « Multa
« bona fecit ecclesiæ, et ædificavit castrum
« de *Loucens*... et fecit murum in civitate
« Lausannensi super *Covalou*, et fecit mu-
« rum et turrim in castro de Curtilia, et fe-
« cit castrum de *Poedour*, et turrim in ripa
« Lausannensi... »

XXV. Rogerius.

Rata Landrici abdicatione, Lausannensis ecclesiæ præsidatu summus Pontifex Rogerium, quo subdiacono utebatur et in metropoli Bisuntina legato, proprio motu donavit. Eum episcoporum Chronicon Vici Pisani apud Tuscos e nobili domo natum asserit. Nonnulli quidem inter recentiores scriptores eumdem vel in Italia genitum, vel Italis ab infantia magistris, eum qui liberales artes docerent, traditum, e clara apud Helvetios gente oriundum contendunt, Novicastrensi videlicet, aut Aventicensi. Quælibet tamen eorum conjectura justo levior videtur. Nec eadem diversorum auctorum sententia quoad annum Rogerii Lausannensem episcopatum inchoantis. Minime tamen dubia res est. Anno scilicet 1180, Hugo Petrusque *Ferrel*, Agaunenses monachos quibusdam prædiis augentes, hoc donum factum memorant
anno Frederici imperantis vicesimo octavo,
Rogerii episcopalem cathedram occupantis
tertio; Comment. et Doc. ad Helv. Rom.
spect., t. V, p. 218: unde satis compertum
habemus Rogerii episcopatum aliquanto
post 4 Martii 1178 initium habuisse. Non
tamen post 22 Novembris ejusdem anni,
namque Richardus de S. Martino, capituli
Lausannensis reditibus addens jura *Esserti-
nes* exercenda, hoc donum, X cal. Decembris
factum, ipse anno Christi 1180 adscribit,
Rogerii tertio; e Chartul. Laus., p. 116. Ma-
gnum anno 1179, circa mensem, ut conjici- 1179
tur, Octobrem, inter Rogerium ipsumque
Fredericum imperatorem dissidium Argenti-
nensis conventus componere studuit. Rega-
lium scilicet jurium, cuilibet Lausannensem
cathedram conscendenti episcopo tradendo-
rum, imperator dimissam potestatem in Berc-
tholdum, Zaringiæ ducem, transtulerat: de
qua translatione Rogerius vehementer ques-
tus est, ad ecclesiæ Lausannensis dignitatem
pertinere affirmans, ut ipsa Cæsaris manus
horum jurium in possessionem electum præ-
sulem induceret. Cum sententiæ dilationem
Fredericus postularet, ne, ut aiebat, Berc-
tholdo absente tanta causa judicaretur, epis- Ch. xxxiv, col. 155.
copi ipsique sedentes in conventu proceres
rei moram interponere noluerunt. Incom-
pertum tamen habemus an, dicta causa, Fre-
dericus hanc Cæsareæ prærogativæ abaliena-
tionem irritam firmioremve fecerit. Henrici,
Argentinensis episcopi, quæ de conventu præ-
memorato fidem faciunt litteræ, alia jam prop-
ter aliam rem inter Bercthold um ducem Roge-
riumque præsulem exorta dissidia obiter in-
nuunt. Bercltholdus sane, postquam ut advo-
catus Lausannensis ecclesiæ juramentum fece-
rat, hujus negligens ruptorve in episcopalem
auctoritatem aliquo modo involaverat. Post-
modum enim, scilicet 17 Octobris, Alexan-
der papa III, Lausannensis ecclesiæ privile-
gia, scriptis ad Rogerium litteris, recensens, Ch. xxxv, col. 156.
de singulis quæ jurejurando Bercltholdus pro-
miserat imprimis instat. Hæc quoque nos do-
cet bulla Alexandrum Rogerio pallii usum in
quibusdam duntaxat festis concessisse. Lau-
sannensibus infulis etsi redimitus Rogerius
legati apostolici munus in Bisuntina metro-
poli exsequi minime destitit. Sic, anno 1180, 1180
eo nomine, Bellævallensibus monachis quæ-
cumque temporibus Herberti schismatici
acceperant, aut pretio comparaverant, bona
confirmavit. Eodem anno ecclesiam S. Martini,
in viculo Criseiaco, fratribus Fontis Andreæ,
et Willhelmo, S. Mauricii Agaunensis abbati,
S. Albino sacrum altare, in quo prioratum
conderet, dono dedit; Monum. Novi Castri,
p. 22, 24. Eodem, cum Ulricho, Novi Castri
comite, de beneficiariis quibusdam juribus
transegit; ibid., p. 23. Eodem denique sin-
gulas Altæ Cristæ possessiones confirmavit.
Anno 1182, 6 Junii, Friburgi Rogerius re- 1182

Ch. xxxvii, col. 158. peritur, ubi, consecrata recentis hujus oppidi basilica, oppidanis pro jure suo concedit, ut in monasteriis vicinis, Alta Ripa scilicet, Humili Monte et Paterniaco, tumulentur. Eo quoque anno, 18 Augusti, Telensis monasterii fundos recenset et in monachorum possessione peculiari decreto stabilit.
1184 Lausannæ postea, anno 1184, litteras edit de Vallensi prioratu, Monti Benedicti ab abbate S. Mauricii tradito; *Droz,* Comment. de Pontarlo, p. 219. Quo etiam anno, plura Telæ possessionibus adjuncta renuntiat incrementa. Non autem 26 Augusti 1186 in episcopali civitate commorabatur : tunc enim urbem *Mulhausen*, Frederici I comes, devenerat, ubi Lacus Jurensis fundos eum recognovisse testabatur. Bercth°ldo IV, Zaringiæ duci, hoc anno 1186 successit filius Bertholdus V, elatior etiam animo et tam episcopo quam proceribus Lausannensis tractus, nullis terminis circumscriptæ dominationis studio, infestissimus. Anno igitur 1190, Rogerio, ut ferunt, conjurationis auctore, Transjuranæ Burgundiæ optimates adversus Zaringum vexilla movere. Beretholdus vero, ex improviso irruens, horum copias fudit. Lausannæ commorabatur Rogerius xi cal. Junii 1190, qua die curiæ præsidens episcopali Telæ factas a Guidone Guillelmoque *de Gumoens* donationes approbavit. Occurrit
1193 deinde, 1 Aprilis 1193, monialibus Rivoriæ quoddam nemus condonans; nec multo post, anno circiter 1194, abbati Fontis Andreæ ab Hugone de Grandissone data confirmans; e Monum. Novi Castri, p. 34. Aprili mense
1199 1199, factum renuntiat pactum inter Telæ monachos et Richardi de Monte Biligardi ministros; e Telæ Chartul., p. 53. Anno
1200 1200, Joanni *de Cossonay* ducentas libras pignore accepto commodat, sigilloque suo pactum inter Gruieriæ comitem Petrum Lausannensesque canonicos initum munit;
Ch. xxxix, col. 159. e Chartul. Laus., p. 206. Lausannæ, cal. Julii 1201, Altæ Ripæ jura confirmat. In eadem urbe, anno 1207, Compengiaci sacerdotem et Altæcrestenses monachos mutuis dissidiis finem imposuisse renuntiat; e Chartul.
1209 Altæcr., p. 49. Anno 1209, similis tenoris litteras edit de contentione inter incolas Fontis Andreæ et canonicos Novi Castri sopita; e Monum. Novi Castri, p. 44. Novi Castri eodem anno commorans, sub idem forsan temporis, data Fonti Andreæ jura a Novi Castri præposito Bercthol°do confirmat; ibid., p. 45. Anno 1210 Alionis carthusiæ ab Humberto de Monte collata sancit; Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. XII, prim. part., p. 7. Eo quoque anno, xv cal. Novembris, succentoriam in ecclesia Lausannensi instituit; e Chart. Lausan., p. 399. Anno denique 1212, 7 Januarii, secundum recentem calculum, senio confectus morboque laborans Rogerius episcopatum, in me-

A dio capitulo Lausannensi, inter manus Altæcrestensis abbatis priorisque S. Marii, ad hoc a summo Pontifice delegatorum, libens dimisit, ac sigillum suum, necnon domus suæ claves, Cononi præposito tradidit, præcipiens ut ei episcopales quilibet ministri, usque eo donec electio nova perageretur, obsequenti animo parerent. Hanc scilicet abdicationem anno 1212, consentiente chartarum testimonio, ipse adscribens, Conon Rogerium episcopatum per septem et triginta annos tenuisse non semel contendit; Chartul. Lausann., p. 45, 502. Falsus autem in eo depre-
B henditur annorum computator. Idem verius, p. 470, eumdem per quinque et triginta tantum annos episcopum fuisse narrat. Infulas reponens Rogerius partem quamdam episcopalium redituum, præter præbendam suam canonicalem, receperat, unde, ut ait Conon, honorifice viveret atque episcopalis sepulturæ sumptus suggereret. Capitulum ei insuper Lausannense domum quamdam concessit, in qua annos octo tresque menses (1), simplex imminutione dignitatis canonicus, transegit, moriensque, III non. Martii 1220, ante altare S. Joannis Baptistæ sepultus est. Ejus tamen
C anniversaria dies, in ecclesia Lausannensi, vi id. Martii celebrata; e Chart., p. 633. Plura alia quæ ad ejus episcopalem administrationem spectant exhibet hoc sæpe laudatum Chartularium, p. 500, 501, 502.

XXVI. Berctholdus.

Eodem Januario mense 1212, in octava Epiphaniæ, feria sexta, congregati canonici suffragiis suis Beretholdum in vacantem cathedram extulerunt. Ulrichi III, Novi Castri comitis, is Berctholdus filius erat, Radul- DE NEUF-CHATEL.
D phi III frater; qui thesaurarius antea Lausannensis, ipse in possessionem thesaurariæ tunc vacantis Guillelmum *de Escublens* episcopum agens, anno 1213, induxit; e Chart. 1213
Lausann., p. 425. Hic paucis refellendi qui Berchtoldum eumdem Basileensem præpositum Lausannensemque thesaurarium exstitisse contenderunt. Basileensis enim præpositus Bercth°ldus Ulrichi III frater erat, ideoque Bercth°ldi, Lausannensis thesaurarii, avunculus. Tres quidem illos ex eadem stirpe deductos viros insimul exhibet Herilacense Ch. xli, col. 160.
diploma, anno datum 1209, quod infra typis
E mandabimus. Obiit Radulfus III, Novicastrensis comes, hoc anno 1213; cui successit in principatu Ulrichus IV. Novum Castrum se receperat Beretholdus, sane fratrem suum, recens comitem, invisurus, cum, Aprili mense 1214, ejus litteris subscripsit immu- 1214
nitates certaque jura civibus Novi Castri concedentis; e Monum. Novi Castri, p. 55. Quo

(1) E. Chartul. Lausann. p. 45. In eodem Chartul., p. 502, ibi per annos 13 et menses 2 vixisse falso memoratur.

in castro, sub idem temporis, ipse litteras
edidit de rebus Telensi monasterio ab Ulri-
cho comite confirmatis; e Chartul. Tel.,
p. 57. Lausannam vero redux erat nonis Maii,
quam sub diem, eo præsente, imo in ejus
camera, Jordanus *de Belmunt* cum canonicis
Lausannensibus de diversis rebus pactus est;
e Chartul. Laus., p. 122. Rursus tamen Novi
Castri, IV id. Novembris, Cononem de Novo
Castro testatus est quamdam vineam Fonti
Andreæ dedisse; Mon. Novi-Castri, p. 57.
1215 Anno 1215, V id. Junii, compositionem Lau-
sannæ sancit inter canonicos et domum *Es-
tue* initam; e Chart. Lausan., p. 259: ibi-
dem, Octobri mense, testis est Cononis,
præpositi, Falconisque Bernardi transigen-
tium; ibid., p. 325. Quo etiam anno, Lacus
Jurensis abbati ipse diversos agros concedit,
Altæ Ripæ possessiones confirmat, et inter
Vivesii decanum monachosque Altæcresten-
ses pacem facit; e Chartul. Altæcrest., p. 52,
Occurrit dein Berctholdus, anno 1216,
XV cal. Augusti, testis Cononis *de Gumnens*,
qui Petrum, Martini *Warens* incolæ filium,
sibi vindicans, eum Lausannensibus canoni-
cis accepto pretio tradit (1); ibid., p. 450.
Nec multo post, IX cal. Octobris, inter capi-
tulum Radulfumque de Fruentia, cantorem,
factam pactionem approbat; ibid., p. 400.
Eo quoque anno Berctholdus quam Roge-
rius prædecessor monetam cudi fecerat in-
terdixit novamque interdictæ suffecit; ibid.,
p. 443. Prætermittere non licet qua sub hunc
annum clade ecclesia Lausannæ cathedralis
afflicta sit. Incendium enim tecta plumbea,
laminis vitreis munitas fenestras, campanas
alte sonantes, necnon eximiam divini cultus
supellectilem, pallia scilicet serica, pretio-
sasque cortinas, in quibus historiæ veteris
novique Testamenti depictæ conspicieban-
tur, ignis infestus concremavit. De hoc in-
cendio fidem facit Petri, Gratianopolitani
præsulis, mandatum, quo ecclesiæ suæ fide-
les rogat uti Lausannensibus opem ferant;
inter Drozii sch., t. XLIV, p. 135. Denique
eumdem annum præbent memorandæ Ber-
ctholdi litteræ de Gualthero, filio Petri *de*
Ch. XLII, col. 161. *Blonay*, qui, signo crucis accepto, Favar-
giis percipiendas decimas, quas spreto jure
sibi diu vindicaverat, Altæ Ripæ monachis
restituit. Datæ hæ litteræ in vico *Murat*.
Lausannæ vero commoratus est Berctholdus
1217 per totum annum 1217, ut Chartularium
sæpe laudatum rem non semel testatur. In
eadem etiam urbe degebat II non. Martii
1218, qua die Cononem præpositum appro-
bavit de variis decimis cum capitulo pacis-
centem; ibid., p. 460. Herilacum vero de-
venerat V id. Aprilis, qua die litteras Ber-
ctholdi, Novi Castri comitis, in gratiam He-
rilacensis monasterii obsignavit. Lustriaci

(1) Eamdem rem idem Chartularium, p. 102, sub annum 1217 enarrat.

A dein, una cum Guillelmo, thesaurario, repe-
ritur 29 Aprilis, ubi litteras edit de com-
posita inter Altæcrescentes monachos et
Guillelmum *de Palésieux* controversia; e
Chartul. Altæcresc., p. 55. Lausannam, ut
videtur, redux, 25 Julii, litteras edebat de
rebus Telæ ab Henrico *de Gumoens* confir-
matis; e Telæ Chartul., p. 58. Dein ad Frede-
ricum imperatorem se convertit, cujus,
13 et 14 Septembris, in urbe Ulma, testis
fuit plura diplomata dictantis, quæ Hist.
Diplom. Fred. II præbet, t. I, p. 559, 563.
Anno vero 1219, 3 Junii, postquam e Cæsa- 1219
B reo comitatu discesserat, Berctholdus Altæ
Ripæ commorabatur, ubi litteras edebat de
Guillelmo *de Cottens*, a quo nonnulla prædia
Altæ Ripæ restituta; e Droz. sch., t. XLIV,
p. 137. Eo anno, VI non. Augusti, rursus
Lausannæ diu famosum incendium exarsit,
quod fere totam urbem, domum episcopa-
lem, campaniliaque S. Mariæ necnon S. Pauli,
funditus eruit. Post tantam cladem, VII cal.
Decembris, Berctholdus Lausannæ memo-
ratur, inter capitulum Othonemque *de Cor-
celles* pacem faciens. Eodem anno, chartæ
Jacobi de Albona, erga Carthusianos Alionis
C benefici, sigillum suum apponit; Comm. et
Doc. ad Helv. Rom. spect., t. XII, p. 34.
Eodem quoque, in castro *Montagnie*, fini-
tam renuntiat controversiam inter Altæ Ripæ
monachos et Cononem de Pratellis, super
integra Chavariæ possessione; e Droz. sched.,
t. XLIV, p. 138. Diutina jam inter Lausan-
nensem episcopum Lausannensisque ecclesiæ
advocatum, Zaringiæ ducem, dissidia. Qui,
Bercltholdus etiam nomine, non modo debi-
tum episcopo obsequium detrectaverat, sed
etiam ecclesiam, cujus custos dicebatur, per-
multis damnis afflixerat. Eo mortuo, prædic-
D tam advocatiam Bercltholdus præsul recupe-
ravit, litterisque illico publicis, XI cal. Fe- Ch. XLIII, col. 161.
bruarii 1220, renuntiavit se nunquam eam
beneficiario titulo traditurum. Occurrit
dein Bercltholdus, 10 Aprilis, cum Lausan-
nensi capitulo paciscens de bonis quorum
Rogerius, post abdicationem suam, usum
sibi seposuerat; e Chartul. Laus., p. 470.
Ejusdem Bercltholdi meminit Honorius
papa III, 9 Martii, ejus intercessione referens
compositam fuisse litem inter Herilacen-
sem abbatem et Bercltholdum, Novi Castri
comitem; Monum. Basil. Episc., t. I, p. 479.
E Tunc in eo erat Lausannensis præsul ut Hie-
rosolymitanas ad oras tenderet; sed votum
implere non valuit: eum enim mors in hu-
jus itineris procinctu sustulit, III id. Julii
1220.

XXVII. Gerardus II.

Bercltholdo mortuo, clerus Lausannensis DE ROUGE-MONT.
Gerardum de Rubeo Monte, Theobaldi co-
mitis filium, decanum tunc temporis S. Ste-

phani Bisuntini, episcopatu concorditer donavit, IX cal. Augusti 1220. In Chartulario Lausannensi, p. 428, memoratur Gerardus, cui Cono, præpositus, episcopalis muneris jura nota facit. Ejusdem S. Vincentii Bisuntini tabellæ, mense Novembri 1220, meminere : quod sub tempus San-Vincentiani monasterii pecoribus liberam in territorio vici *Montagney* pabulationem adjudicavit. Tunc vero, metropolitana sede vacante, Gerardus, qui nondum consecrationem adeptus erat, Bisuntinorum canonicorum votis exoptatur. Quibus Honorius papa III annuit,
1221 III cal. Februarii 1221 ; nec multo post, die scilicet 26 Martii, Trecensis et Lingonensis episcopi, in urbe Firmitate super Albam, Gerardum metropolitana cathedra potiturum a cura Lausannensis ecclesiæ prorsus absolutum pronuntiaverunt.

XXVIII. Guillelmus I.

D'ESCUBLENS. Petri *d'Escublens* filius, Lausannensis præsul e thesaurario Guillelmus aditis suffragiis eligitur, XVI cal. Maii 1221. In Lausannensi capitulo sedens primum reperitur XII cal. Junii, qua die Guillelmus *de Cuinsins* obsequium Cononi præposito, ob acceptum ab eo beneficiarium prædium, pro more spopondit; e Chartul. Laus., p. 262. Nec multo post, XIII cal. Julii, in ecclesia cathedrali, Guillelmus Petrum de Roveria excepit possessiones quasdam et quædam jura Lausannensibus canonicis conferentem; ibid. Eidem jus monetam in officina Novi Castri cudendi, pro centum tribusque libris Lausannensibus, pignori obligat Ulrichus, Novi Castri comes, II id. Julii; e Monum. Novi Castri, p. 63. Ea quæ referunt chartulæ Guillelmum concordes *electum* appellant : *episcopus* vero scribitur II cal. Septembris ejusdem anni; Chart. Laus., p. 480. Non prætermittenda forsan contentio quam cum ipso capitulo sub id temporis Guillelmus habuit, domum cujusdam Azonis sine prole defuncti ad se pertinere asserens : eam vero domum, cal. Aprilis 1222, capitulo, amota litis materia, cessit; quam canonici protinus magistro Joanni, physico, id est medico, dono dedere. Anno 1223, Cononi præposito, in augmentum beneficii, Guillelmus quemdam Lausannensis civitatis civem, omni vectigali immunem, tradit. Eo quoque anno, 5 Decembris, Burchardum de Chebri, apud quem se receperat, renuntiat Guillelmus de quodam jurgio cum monachis Altæ Ripæ pactum fuisse;
1224 *Droz*, t. XLIV, p. 141, Rursus anno 1224, XIII cal. Novembris, cum Novi Castri comite de moneta transigit. Monetam scilicet Novi Castri Rogerius quondam, invitis canonicis necnon civibus Lausannensibus, in Novicastrensis comitis jus traduxerat : postea ipse, ut supra diximus, Guillelmus hanc obliga-

A tam ab Ulricho pignori monetam, numerato pretio, receperat : ejusdem denique perpetuam possessionem, pretio centum et quinque marcarum argenti, recuperavit; Monum. Novi Castri, p. 66. Lausannense Chartularium, p. 509, mandati meminit quo Guillelmus, VIII cal. Novembris, patratam hanc recuperationem renuntians, excommunicationis minas in eos profert qui jus idem deinceps abalienarent. Bernæ dein Guillelmus reperitur 28 Decembris, ubi tribus Henrici regis diplomatibus subscribit, tam pro Libaldo *de Bauffremont*, quam pro ecclesia
B Tullensi, necnon de abrogatione civilium communitatum in vallibus *Hausburg* institutarum; Hist. Diplom. Frederici II, t. II, p. 493, 820. Lausannam vero redux erat XI cal. Martii 1225, qua die litteras edit de 1225
Guillelmo, Gebennensi comite, controversas quasdam possessiones Altæ Ripæ restituente; *Droz*, t. XLIV, p. 142. Per reliquam anni 1225 partem Guillelmus sæpe Lausannensi capitulo præsidens memoratur. Sic, eo præsente, 15 Augusti, Radulfus de *Oruns* capitularem rem auget, et, I Novembris, Guichardus *de Chastellonet* Joannem quemdam, vici
C *Chastellonet* incolam, in canonicorum mancipio esse recognoscit; e Chartul. Lausann., p. 358, 242. Anno 1226, secundum hodiernam computationem, nempe II nonas Februarii, in capitulo Lausannensi statutum est, Guillelmo præsidente, de canonicis ad disciplinam observandam sequibus; ibid., p. 519. Solemnius est pactum quod eodem anno, XIII cal. Julii, in nemore *Biert* ultra *Preverenges*, cum Aimone, *Faucigny* toparcha, de Lausannensi advocatia fecit. Ibi enim, adstantibus quamplurimis tam e clero quam ex ordine militari præstantibus viris,
D advocatiam Lausannensem, a comitibus *Kyburg* toparchis *Faucigny* venditam, Aimo præmemoratus, acceptis trecentis et triginta marcis argenti, episcopo Lausannensi restituit, et, die Dominica sequente, congregatis in ecclesia B. Mariæ civibus, e medio surrexit Guillelmus, vocemque intendens diras imprecatus est pœnas cuicumque recuperatum jus iterum dimitteret; ibid., p. 523. Habemus prætera Guillelmi litteras, quibus, XIV cal. Augusti, præmemoratas tam monetæ Novicastrensis quam Lausannensis advocatiæ emptiones æqualibus et posteris no- Ch. XLVI, col. 163.
E tas esse jubet. Anno 1227, III non. Julii, Guillelmus Lacui Jurensi a Jordano de Bello Monte datas res confirmat : dein, XIV cal. Octobris, pactum inter Radulfum de Gruieria capitulumque Lausannense initum renuntiat; ibid., p. 172. Anno postea 1228, I Novembris, Lacui Jurensi collata tam a Nanthelmo *de Cossonay* quam a quibusdam aliis recenset. Nec adeo multo post, scilicet X cal. Aprilis 1229, hora noctis fere tertia, 1229
Guillelmus decessit.

Paucis ab ejus interitu elapsis diebus, congregatum Lausannense capitulum suffragiorum urnam adiit; in partes vero duas vota discessere, quarum una Thomam de Sabaudia, Valentinensem archidiaconum, prætulit, altera clericum quemdam indigenam extraneumve, cujus nomen posteris a nemine traditum est. Nec quis hoc dissidium componere valuit. Anno etiam 1230, die Veneris ante Ramos Palmarum, Gebennensi præposito, comitis Sabaudiæ filio, Thomæque supradicti germano, administrationem vacantis cathedræ tam spiritualem quam temporalem, donec episcopatus intermissio finem faceret, Conon, præpositus Lausannensis, annuente capitulo, committebat. Anno tandem 1231 Gregorius papa IX Bonifacium sequentem motu proprio Lausannensibus infulis ornavit. Thomas postea de Sabaudia archiepiscopatum Lugdunensem assequi conatus est; sed ibi quoque repulsam passus est; e Chronico Alberici, apud Rer. Gall. Script. t. XXI, p. 606. Denique anno 1237, Joannæ, Flandrensis comitissæ, conjux factus est.

XXIX. BONIFACIUS.

Bonifacius ille, cui summus Pontifex ecclesiam Lausannensem, discordibus canonicorum suffragiis, procurandam commisit, Bruxellensis patria, scholasticus erat Coloniensis, apprime, pro tempore suo, litteris tam profanis quam sacris eruditus; quippe qui Lutetiæ primum artes, deinde theologiam docuerat. Misit capitulum Coloniam duos ad Bonifacium legatos, a quibus in episcopalis civitatis mœnia adductus clero populoque
1231 semet solemniter exhibuit v id. Martii 1231. Exiguam vero moram ibi fecit, ad Romanorum regem Henricum migrare eique debitum obsequium promittere festinans. Ejus scilicet in comitatu Wormatiæ reperitur 30 Aprilis, ut rem comperimus e regio diplomate quod D. *Huillard-Bréholles* edidit, Hist. Dipl. Fred. II, t. III, p. 454. Apud suos tamen
1232 Bonifacius redux erat anno 1232, quo notum fecit Ulricum, filium Aymonis, Altæ Ripæ quoddam prædium dedisse; *Droz*, t. XLIV, p. 149. Mos antiquus erat, in legem labentibus annis inductus, ut episcopi Lausannenses in ipsa ecclesia Lausannensi canonici essent. Bonifacium igitur, ut eos primum inviserat, capitulari cœtui aggregare canonici voluerant: noluerat vero Bonifacius, ad se nihilominus asserens pertinere jus adscriptam cuilibet canonico præbendam accipiendi.
1233 Unde quædam dissidia. Anno vero 1233, XVII cal. Junii, archiepiscopo præsente Bisuntino, suum Bonifacius ad capituli sui vota consilium accommodavit, et ipse solemni ritu canonicus effectus est; e Chartul. Laus.,
1234 p. 588. Eum anno 1234, mense Junio, A magnum opus suscipientem habemus. Cum enim S. Prothasii colonos crebris aggressionibus lacum transfretantes Sabaudi impeterent, statuit Bonifacius, consentiente capitulo, ut sparsa per agros colonia in locum ripæ contiguum, quem Lisum vocabant, congregaretur, ibique validis munimentorum propugnaculis ab hostium incursibus defenderetur. Sub idem tempus decretum est ut festum B. Prothasii confessoris VIII id. Novembris ecclesia Lausannensis celebraret. De his in Chartulario plura, p. 270. Eo quoque anno Fratres Prædicatores Lausannæ, in loco dicto B *Perabot*, ligneam capellam exstruxerunt, ad quam ingens fuit populi concursus. Nec id taciti canonici tulerunt, quorum Fratres Prædicatores consensum minime postulaverant. Bonifacius vero dolentium querelas in levi habuit. Idem occurrit, VI id. Junii 1235, litteras edens de controversia inter Radulfum 1235
de Rota et monachos Altæ Ripæ sopita; *Droz*, t. XLIV, p. 158. Eodem anno, 18 Julii, his quæ præcesserant non minus calamitosum incendium totam fere civitatem funditus evertit. Conon præpositus, quæ scilicet miserrima ipse vidit, omnes Lausannæ eccle- C sias, præter ædem B. Laurentio sacram, ea die combustas, et octoginta cives fatiscentium tectorum ruina oppressos fuisse memorat. Anno 1236, Bonifacius Paganum de *Sarvion* 1236
quemdam servum Altæ Cristæ dedisse renuntiat; e. Chartul. Altæcrest., p. 63. Sed postea de eo chartæ silent. Fastidio scilicet episcopalis officii Romam tetendit et a summo Pontifice poposcit ut sibi munus dimittere liceret. Diu rem summus Pontifex negavit: ejus denique constanti querela victus permisit, idibus Julii 1239, ut adeo grave jam senes- 1239
cens onus deponeret. Tunc Lausannam Bo- D nifacius rediit circa mensem Septembrem, et litteris ad canonicos missis, e quibus eum Ch. XLIV, col. 165.
comperimus maximis tunc molestiis affectum, ecclesiæ suæ valedixit. Dein Cameram, Cisterciense Mechliniensis diœcesis monasterium, secessit, ibique ultimos vitæ suæ dies transegit. Obiisse fertur 19 Februarii 1258, vel 1259. Beatorum albo Cistercienses eum monachi postea adscripserunt; quod per Clementem XI papam cis licuit, anno 1702. De eo consule Bollandianam farraginem, 19 Februarii.

E
XXX. Joannes I.

Quæ jam multis ab annis inter Lausan- DE COSSONAY.
nenses canonicos dissidia fervebant, tunc, admoto stimulo, increverunt. Gregorius primum papa jusserat ut novum canonici pastorem tres intra menses, adhibito Bisuntini metropolitæ et episcopi Lingonensis consilio, concorditer eligerent. Lausannensi vero civitate magnopere tumultuante, non tutus ad eam accessus: quare, III cal. Decembris 1239,

alias Gregorius scripsit litteras, præcipiens A
ut electio in mensem unum procrastinata
in quadam urbe perageretur, quem Bisunti-
nus et Lingonensis præsules designarent. Lin-
gonensis quidem canonicis Vesuntionem pro-
posuit : postea vero, sententia mutata, tam
Lingonensis quam Bisuntinus canonicis diem
in urbe Autri dixerunt, diem scilicet Martis
proximam post Ramos Palmarum 1240. Tunc
pars canonicorum, inter quos præcipui Co-
non præpositus, Guillelmus thesaurarius,
prior S. Marii, scholasticus Lausannensis,
præpositique Solodorensis et Novicastrensis,
Vesuntionem, ut præstitutum secundo locum B
nescientes, sub diem præfixam legatos mise-
runt, a quibus, absentibus ipsis papæ vica-
riis, episcopus Lausannensis electus est Phi-
lippus, Metensis primicerius, Sabaudiæ comi-
tis frater. Interea vero, sub eamdem diem,
Autri, Bisuntinus et Lingonensis episcopi, al-
tera Lausannensium canonicorum parte per
suos legatos circumstante et annuente, eadem
cathedra Joannem, Lausannensem cantorem,
donaverunt. Huic enim Joanni Burgundi
optimates favebant, et maxime super alios
Joannes Cabilonensis, cujus neptim Humber-
tus *de Cossonay*, Joannis germanus, uxorem C
duxerat. Unde major animorum æstus, et ci-
vilis procellæ incrementum. Tunc enim, ut
nuntius Lausannam venit Joannem, canto-
rem, Autri electum fuisse referens, Aimo de
Fuciniaco, vernaculo sermone *de Fauci-
gny*, Sabaudæ factionis dux apud Lausan-
nenses, civitatem cum valida militum turma,
ipsa Paschali die, ingredi; cujus ad exem-
plum Joannes electus, ipse non inermem pa-
rentum amicorumque copiam congregare,
cumque eo præsidio planam urbem occupare.
Gladiis nondum evaginatis, tædæ tamen cir-
cumferuntur, et non tantum intra sed etiam D
extra Lausannam ardent domus, et cum ma-
gna formidine, ira majori, utrinque prospi-
citur flagrantium tectorum fulgor, corruen-
tium tabulatorum sonitus exauditur. Imo
Berna et aliis quibusdam ex urbibus auxi-
lium Joanni laturi subitarii milites adveniunt,
Petrusque aliunde Sabaudus fratri suo sex
millia armatorum mittit. Frequentiora igitur
incendia, pejores deprædationes, vexillisque
ex utraque parte admotis, in media urbe con-
flictus cædesque. Ea debacchante procella,
summus Pontifex, VI idus Junii, electionem
ab ipsis apostolicæ cathedræ legatis factam E
abrogat, et Athenacensi abbati hanc provin-
ciam dat ut in Lausannensem sedem Philip-
pum, ablegatis Joannis fautoribus, manu
ducat. Quod ipse Athenacensis abbas, scriptis
ad Lausannenses canonicos litteris, mandatum
omnibus notum facit pridie cal. Septembris.
Summi vero Pontificis clientem Lausannensis
plebs aversabatur, Sabaudis infesta. Totam
igitur abbas operam perdidit. Joannes, licet
a summo Pontifice necnon potenti Sabaudæ
domus clientela repulsus, Lausannensem ca-
thedram occupat. Mense tandem Julio, inter
æmulorum episcoporum patronos pactum
est, ut, quasi fiduciario jure, donec decreto-
ria de tanta lite sententia ederetur, Joannes
ecclesiam Lausannensem procuraret. Mox
autem ad arma iterum curritur, sed Joanne
sedem episcopalem retinente. Sic, calendis
Augusti 1242, ecclesiam vici Vizis capitulo
conferens occurrit, Chartul. Laus., p. 667,
et, ibidem, p. 318, initam inter idem capi-
tulum Nicolaumque *de Chavornai*, canoni-
cum, pactionem approbans. Nec aliter, anno
1243, episcopale sigillum apponit litteris
Raymundi *de Cumignie* erga Carthusianos
Alionis benefici; ex Alionis Chartul., p. 126.
Quo etiam anno, 27 Decembris, Herilacensi
conventui quædam a Berctholdo de Novo
Castro data confirmat; Monum. Novi Castri,
p. 102. Nec de Philippo, cui sane Lausannam
ingredi non licuit, posterior mentio. Nihilo-
minus, per tres circiter annos, inter Sabaudiæ
comites electumque Lausannensem acerrime
decertatum est; cum vero Aquiani, anno 1244,
utraque pars ad conditiones pacis accessit,
de castris acquirendis aut dimittendis inter
Amedeum comitem Joannemque electum Ch. II, col. 167.
sermo fuit, minime de Lausannensis cathedræ
possessione. Singula memorat prædictæ pa-
cis instrumentum, quæ, maximi licet mo-
menti, improspera, ut videtur, fortuna Joanni
derelinquere suadet : nomine tamen ecclesiæ
Lausannensis paciscentem eum ipse Sabau-
diæ comes excipit, et pro legitime traditis ea
semet habere profitetur quæ tantum *electus*
Lausannensis Joannes tradit.

Noster ab anno circiter 1245 Joannes, in 1245
quem sane summus Pontifex se tandem con-
verterat, jam non *electus*, sed *episcopus*, con-
secrationem, ut videtur, adeptus, appellatur.
Episcopum enim semet ipse ferens legitur eo
anno 1245, Aprili mense, in charta de con-
firmatis Altæ Ripæ possessionibus; *Droz*,
t. XLIV, p. 173. Deinde, 10 Junii 1246, eo- 1246
dem titulo insignitus occurrit in instrumento
quod testem eum præbet obsequii archiepis-
copo Vesuntionensi ab Humberto *de Cosso-
nay* promissi. Hoc instrumentum inter Bi-
suntina infra reperies. Vesuntione tunc Joan-
nes moram aliquam faciebat. Eodem anno,
litteras edit de Guidone Fabro in Altam Cris-
tam benefico; e Chartul. Altæcrest, p. 73. Ex
eodem, 27 Novembris 1248, præsentatum a 1248
monachis Altæ Cristæ curionem Villæ Novæ
instituit; p. 80. Postea, IV non. Junii 1249,
jubet ut canonicus Rivoriæ præfectus non
deinceps prior, sed magister appelletur. Anno
sequente, Joannem suffraganeum amicumque
Vesuntionensis metropolita Vesuntionem ar-
cessit, eoque præsente, 5 Septembris, cor-
pora SS. Ferreoli et Ferrucii in novam capsam
transfert. Anno 1251, XVII cal. Maii, Solodo-
rum, una cum multis, iisdem et præcipuis

Lausannensibus clericis, Joannes se recipit, sigillumque suum apponit dictis testium antiquam Solodorensis ecclesiæ fundationem ejusque privilegia permaxima describentium; apud Ægid. Tschud., Chronic. Helv., t. I,
1253 p. 147. Anno 1253, in octava Paschæ, Joannes præsul Aimoque de Fuciniaco annosis jam dissidiis finem dedere, iterumque Lausannensis ecclesia duplicis hujus electionis, quæ civilia arma miscuerat, sumptus tolerare coacta, non mediocre damnum passa est. Joannes enim triginta millia solidorum Ai-
Ch. LI, col. 169. moni solutorum se promisit, cunctosque Lausannensis episcopatus reditus eidem, donec prædicta pecuniæ summa numeraretur, pro pignore tradidit. Occurrit deinde Joannes,
1254 anno 1254, litteras edens de Guillelmo *de Gumoens* erga Telam munifico; e Chartul. Tel., p. 66. Anno 1256, die qua *Lætare* cantatur, monachos Altæ Ripæ renuntiat, acceptis ab Humberto *de Fernag* quinque et quadraginta libris Lausannensibus, semel in 366
Ch. LIII, col. 171. pauperes, annis singulis, pa ne et caseo alendos obligavisse. Eodem anno, VI cal. Augusti, ecclesiam Villæ Novæ sitam Altæcrestensibus monachis confirmat; e Chart. Altæcrest., p. 88. Ex eodem Chartulario, p. 90, nota facit, 9 Septembris, dona eidem abbatiæ a Petro Radulfoque de Rubra collata, pariterque, Orbam postquam se receperat, 9 Decembris 1257, Fonti Andreæ a Theodorico de Pontherousa data pro sua auctoritate sancit; Monum. Novi Castri, p. 117. Aliæ, nec tamen majoris momenti, confirmationes Joannis nomen annosque 1258, 1259 præbent. Anno
1260 vero 1260, 10 Augusti, aliud quid gravius suscepit, dum negotiis Petri de Sabaudia non tantum intendens, sed etiam peculiaria haud
Ch. LIV, col. 171. imperite curans, cum præ memorato Petro, quem sibi conciliare summopere studebat, jurisdictionem in urbe Lausanna exercendam æque partitus est. Anno dein 1261 Fonti Andreæ a Radulfo de Novo Castro collata sigillo suo Joannes firmat; Mon. Novi Castri, p. 124. Ex eisdem, p. 125, ei Reginaldus *de Vaulmarcus* obsequium promittit, 13 Januarii 1262, et ipse, mense Maio, quædam Altæ Ripæ donat. Nec forsan prætereundum eum, Augusto 1264, eidem abbatiæ agrum ad viam faciendam vendidisse;
1265 *Droz,* t. XLIV, p, 202. Martio 1265, cum Ulricho *de Tutzemberg* aliisque de diversis decimis litigans, permittit ut hæ diu controversæ decimæ Altæ Cristæ tradantur; e Chartul. Altæcr., p. 97. Id singulare sub annum 1267 Ruchatius enarrat, capitulo scilicet Lausannensi, claustrum ecclesiæ majoris ædificanti, Joannem adjutorem venisse, eique mediam cujuslibet pecuniæ in Lausannensi diœcesi mendicatæ partem dedisse. Joannem Lausannæ comperimus commemorantem 14 Augusti hujus anni, e litteris quibus prædia ab Ulricho de Novo Castro de Lausannensium episcoporum beneficio occupata recenset; Mon. Nov. Castri, t. I, p. 137. Anno 1269, mense Februario, fundationem Filiæ Dei Joannes approbat. Ch. LV, col. 172.
Mense Aprili 1270, litteras edit publicas de quibusdam juribus ad præpositum Novi Castri pertinentibus; ibid., p. 146: dein, Augusto, prohibet ne Ulrichus Amedeusque de Novo Castro prædia quæ episcopi Lausannensis munere tenent eorumdem accepto pretio vendant; ibid., p. 147. Chillione vero, die Jovis post Conceptionem B. Mariæ 1271, 1271
rei arbitris Aimone, episcopo Gebennensi, et Hugone *de Palaisieux*, Valdensis agri baillivo, cum Philippo de Sabaudia solemne mutuæ defensionis fœdus pangit; Comment. et Docum. ad Helv. Rom. spect., t. VII, p. 57. Ex hoc inter multa documento nosce quam potens armatorum copia fuerit hic episcopus, quocum ipse Sabaudiæ comes bellicam societatem inire adeo exoptaverat. Anno 1272, pactionem Joannes approbat 1272
quam Altæ Ripæ monachi incolæque vici S. Symphoriani inter se fecerant, et ipse, desinente, ut videtur, Februario mense 1273, secundum hodiernam computationem, in Altam Ripam se beneficum exhibet; *Droz,* t. XLIV, p. 238. Joannem Ruchatius circa finem anni 1275 decessisse contendit, sed eidem ipse Guillelmum anno jam 1271 subrogatum fuisse. In quibus temporum notis non una menda. Joannes enim ante finem anni 1273 obierat, nec Lausannensem Guillelmus cathedram ante Joannis obitum obtinuit. Anno quidem 1275 adscribit Gerbertus, de Radulfo Suevico, app., p. 138, insigne diploma quo Radulfus Joannem, Lausannensem præsulem, sacri imperii principibus annumerat. Recentiores autem critici hoc Radulfi diploma vel corruptum, vel prorsus fictitium, jure arbitrati sunt.

XXXI. Guillelmus II.

Non procul Ebroduno castellum olim fuit, DE CHAMPVENT.
Champvent appellatum, Berthæ, ut aiebant, reginæ jussu erectum, quod nobili apud Lausannenses genti nomen suum commodavit. Ex ea gente deductus Guillelmus ab anno 1273 1273
reperitur; quo inter alios judice composita lis, mense Decembri, inter Guillelmum de Sarrata Joannemque Lacus Jurensis abbatem; Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. I, p. 176. Dein, mense Februario 1274, quam- 1274
dam inter Jacobum de *Monrichier* prioremque Romani Monasterii compositionem sigillo suo confirmat; ibid., t. III, p. 489. Magnus Lausannæ, XIV cal. Novembris, tam cardinalium et episcoporum, quam civilium optimatum numerus; quam in urbem insimul Gregorius X et Radulfus imperator venerant, de variis ecclesiæ imperiique negotiis collocuturi. Ea die, præsente Cæsareo comitatu, Gregorius

ecclesiam cathedralem post tot excidia renatam consecravit, et, sequente, teste inter alios præsules Guillelmo Lausannensi, Radulfus debitum summo Pontifici obsequium spopondit; ibid., t. VII, p. 63. Occurrit deinde Guil-
1277 lelmus, anno 1277, cum Petro Aubertoque *de Brenles*, necnon Joanne clerico, Petri filio, de civitatis *Brenles* advocatia transigens; ibid., p. 69. Majus, anno 1282, Lausannæ hospitium consentiente Guillelmo conditum est. Quo etiam anno, in vico *Belfaux*, cum Elisabetha, vidua Cononis *de Bubenberg*, de patronatu Balmensis ecclesiæ pactus est; apud Neugartium, Cod. Dipl. Aleman., t. II, p. 356. Tunc vero inter episcopum civesque Lausannenses magnum dissidium exarsit. Hi enim, libertatis civilis studio, cœtus frequentes facere, semet in solvenda vectigalia obligare, quæ scilicet in communem usum referrent, imo custodibus armatis urbis portas tueri. Guillelmus autem talibus civitatem artibus in civium imperium paulatim concedere cernens, rebellionis reos tam excommunicationis flagello quam sævo bellorum apparatu se profligaturum minitatur. Nec multo post utrinque pugnatum est. Ea, non tamen sine intermissione, prœlia in annum 1288 producta sunt. Tunc Radulfus imperator, Friburgum deveniens, conditiones pacis, civibus graves, imposuit, episcopalemque auctoritatem restituit. Interea Guillelmus,
1283 circa Pentecosten 1283, in Ochiensi castro commorans, agricolis vicum *Villete* incolentibus, quos sibi fideles expertus erat, certas immunitates concedebat; ibid., p. 73. Nec de eo, sub annos sequentes, Lausannenses tabulæ silent; sed debellandis civium aggressionibus intentus, nihil, ut videtur, novi in ecclesiæ Lausannensis incrementum suscepit.
1292 Occurrit, Decembri mense 1292, inter Joannem *de Cossonay* Joannemque de Sarrata pacem faciens, et, 23 Aprilis 1293, inter Joannem *d'Arberg* et Friburgensem advocatum; Monum. Novi Castri, p. 242. Armorum enim strepitu tunc Lausannensis ager totus fervebat. Ipse Guillelmus, composita civium Lausannensium seditione, cum Ludovico de Sabaudia, penes quem Valdensis pagi principatus, ab anno 1295 usque ad annum 1297 bellum gessit, cui Joannis tandem Cabilonensis industria diutius procrastinatum finem dedit.
1299 Annus 1299 præbet Alberti regis diploma, quo Ludovico de Sabaudia jubet ut Lausannensibus nummis fere consimiles nummos, in Guillelmi, Lausannensis episcopi, præjudicium, cudere desistat; Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. VII, p. 75. Cum eodem denique Ludoviro Guillelmus, die Martis
1300 post SS. apostolos Petrum et Paulum 1300, ex Amedei Sabaudi arbitratu, novissimum fœdus pepigit, ibid., t. V, p. 233, et ab eo tam villam *Forel* quam nemus *Jorat* aliasque possessiones pretio comparavit; ibid., t. VII, p. 78. In eo fœdere neuter sane stetisset: Ludovicus vero de Sabaudia Amedeum fratrem in Italiam pergentem illico secutus est; nec multo post, nempe sub Decembrem mensem, turbulentissimus Guillelmi episcopatus finem, ut ferunt, fecit.

Guillelmo nonnulli quemdam Joannem anno 1301 successisse narrant et eodem anno occubuisse. Cum autem hujus Joannis authentica nulla chartula meminerit, per Ruchatium nosque licet de ejus episcopatu dubitare.

XXXII. Gerardus III.

Electus ad Cæsarem accessit Gerardus de *Wuippens*, et ab eo regalium jurium possessionem obtinuit v cal. Januarii 1302. Pauca ad ejus administrationem spectantia Lausannenses tabulæ posteris tradidisse videntur. Lausannæ tamen, 14 Augusti 1305, litteras edidit de ecclesia *Melton* Loco Dei a Radulfo de Novo Castro tradita : de qua traditione ampliores ipse litteras scripsit cal. Junii 1306; inter Drozianas schedas, t. XLIV, p. 271. Inter eum quoque Lausannensesque oppidanos magnæ contentiones exstitere, quas Aimo, Gebennensis præsul, sententia diluit mense Januario 1305, statuens ut rebelles oppidani damna Gerardo illata numeratis nummis compensarent. Anno 1310 ineunte, Gerardus in Basileensem cathedram apostolicis litteris traducitur. 1310

DE WUIPPENS. Ch. LVI, col. 172. Ch. LVII, col. 173.

XXXIII. Otho.

Otho, canonicus Lausannensis, Guillelmi cujus supra meminimus germanus, Gerardo successit, qui sedem per paucos annos tenuit. Mense Novembri 1310, ei, licet absenti, Petrus, Gruieriæ comes, obsequium promisit. Obiit vero mense Maio 1312. 1312

DE CHAMPVENT.

XXXIV. Petrus I.

Mortuo Othone, sedes Lausannensis aliquantisper vacua permansit. Ei tamen suffectus reperitur, circa mensem Novembrem 1313, Petrus, Petri *d'Oron* filius, antea Lausannensis thesaurarius, cui, 22 Januarii 1314, Richardus de S. Martino, Novicastrensis decanus, debitum obsequium promisit; e Monum. Novi Castri, p. 316. Eodem anno Petrus, ut episcopale ærarium, quod bella propemodum exhauserant, compleret, insolitum civitati Lausannensi tributum imposuit. Vixdum enim infulis donatus Ludovicum II de Sabaudia, penes quem Valdensis territorii possessio, hostem expertus est. Cui, ipsi Lausannæ excidium minanti, ut viam intercluderet, primo Petrus a Guillelmo, Gebennensi comite, auxilium poposcit. Prævaluerunt tamen Ludovici vires, turrique *Gauze* necnon castello *Villarzel* expugnatis, agro 1314

D'ORON.

Lausannensi ubique jam cumulatos ei ners exhibente, diutius resistere Petrus, ut ipse memorat, non valens, ad Amedeum, Sabaudiæ comitem, denique se convertit, quocum, 18 Octobris 1316, fœdus insigne pepigit. Hujus fœderis ex instrumento comperimus mediam partem fructuum quos jurisdictio temporalis tam Lausannæ quam Lustriaci quotannis suppeditabat, exceptis quibusdam juribus, Amedeo traditam fuisse, sub ea tantum conditione ut, afflictis Petri rebus succurrens, imminentes Ludovici copias depelleret; Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. VII, p. 87. Circa eumdem annum, intercedentibus Othone, Grandissonis comite, Guigone Alamandi, Valbonnesio toparcha, et Joanne, Montis Jovis præposito, opportunumque insuper terrorem Sabaudorum vexillorum accessu ferente, Ludovicus ipse ad ineundam pacem devenit: quæ tamen non utroque sigillo prius confirmata est, quam Lausannensis episcopus desideranda iterum jura dimisit. Afflicta tot damnis ecclesia, canonici Lausannenses, quos Petrus maximis, ut videtur, oneribus presserat, summum Pontificem provocaverunt, se multas ob causas ad extremam inediam redactos asserentes; *Droz*, t. XLIV, p. 306. Obiit Petrus Martio vel Aprili mense
1323 1323.

XXXV. Joannes II.

DE ROSSILLON. Sedem Lausannensem, teste Ruchatio, Joannes ab anno tantum 1324 occupavit. Ne vero inter eum Petrumque alium per unius anni curriculum præsulem exstitisse conjicias; in litteris enim Joannis papæ, quarum infra mentio fiet, Petrus Joannis proximus prædecessor memoratur. Occurrit Joannes in
1326 publicis litteris, calendis Maii 1326, testans Joannem de Albo Castro patronatum ecclesiæ *Oubernwyle* præposito monasterii *Ternschatton* tradidisse; *Droz*, t. XLIV, p. 329. Ab aliquo tamen, ut videtur, tempore Joannes cum Guillelmo, *Montenach* toparcha, bellum gerebat, quem auctoritati Lausannensis episcopi non satis obsequentem expertus erat. Inter eos vero Eduardus, Sabaudiæ comes, 30 Novembris 1327, pactas inducias renun-
1329 tiavit. Anno 1329, x cal. Octobris, ad Joannem missæ Joannis papæ XXII litteræ, quæ non modo Lausannensis ecclesiæ penuriam, verum etiam versam in morem plebis erga episcopalem auctoritatem irreverentiam satis superque testantur. Postquam enim, postulationi præsulis annuens, summus Pontifex Melduneusem ecclesiam, in agro Valdensi, Lausannensis episcopi mensæ univerat, ea fuit plebis Meldunensis de imminuta ecclesiæ suæ dignitate querela, ut, ipsius præsulis ad
Ch. LIX, col. 176. vota, summus Pontifex ratam nuper unionem cassam illico fecerit. Anno sequente, die Lunæ ante festum B. Michaelis, Joannes hanc ecclesiæ Ansoltingensis capitulo potestatem fecit ut quinque in ea canonici, ad residentiam continuam adscripti, præbendis etiam sacerdotalibus fruerentur; *Droz*, t. XLIV, p. 339. Bellum tunc inter Lausannensem episcopum et *Montagny* toparcham, Henricum *de Villarzel*, Jacobum *de Chatenayes*, ac nonnullos alios Lausannensis diœcesis proceres: cujus occasione belli litigatum est in vico *Morges*, anno 1331, coram Ludovici de Sa- 1331
baudia recuperatoribus, inter Joannem præsulem et Henricum Jacobumque prædictos, damnorum ipsis illatorum compensationem postulantes: in ea vero causa cecidere; Comm. et Docum. ad Helvet. Rom. spect., t. VII, p. 102. Jam fervebat hoc bellum Petri antecedentis temporibus: nec sedatum fuit ante 11 Septembris 1335, statuentibus tunc rei arbitris ut castri *Lucens* præpositura, quam *majoriam* dicebant, sub certis conditionibus Henrico *de Villarzel* ejusque hæredibus in perpetuum traderetur; ibid., p. 106. Bella igitur ubique, incendia, deprædationes, et induciis ex intervallo pactis, de damnis mutuis lites. Imo nec a veneficiis temperatum. Legitur enim Joannes,
3 Martii 1336, quosdam Lacus Jurensis ca- 1336
nonicos, abbatem qui suum tollere veneno aggressi erant, quosque in episcopalem car- Ch. LXI, col. 178.
cerem deduci jusserat, Aimoni deinceps de Sarrata, Lacus Jurensis custodi, Præmonstratensium jurium reverentia restituens, Præmonstratensi videlicet abbati transmittendos. Anno postea 1337, 2 Septembris, sopitam idem Joannes renuntiat contentionem quam cum monachis Altæ Ripæ de quibusdam vectigalibus in viculo *Villarbrancars* percipiendis habuerat; *Droz*, t. XLIV, p. 364. Inter Petrum Gruieriæ comitem, Joannemque præsulem bellum quoque exarsit; cui
pax anno 1338 proclamata finem fecit. Pro- 1338
tinus autem contra Bernenses Joannes vexilla sua movit; nempe anno 1339, *Laupen* castrum obsidens reperitur. Obiit 15 Februarii
1341, postquam anno jam 1332 Humbertum 1341
Rollandumque *de Rossillon*, e fratre nepotes, hæredes suos instituerat.

Nullus ergo locus Guidoni *de Prangins* quem Sammarthani sub annum 1330 inter Lausannenses episcopos recensent. Infra de eo Guidone, anno scilicet 1375, mentio fiet.

XXXVI. Joannes III.

Joannes, nobilis Monasteriensis, e præpo- DE BERTRANDIS.
sito Auriensi Lausannensis episcopus fit anno 1341, archiepiscopus Tarentasiensis nominandus 3 Decembris 1342. De eo supra, t. XII, col. 710. Perpauca ejus in Lausannensibus tabulis vestigia.

XXXVII. Gotofredus.

DE LUCINGES. Joanne in Tarentasiensem metropolim translato, Lausannensis cathedra aliquantisper vacua reperitur. Electus vero fuit Gotofredus *de Lucinges* in Sabaudia, antea Lau-
1343 sannensis cantor, circa medium annum 1343. Qui administrandam diœcesim Joanni de Lysiaco, procuratorio nomine, tradidit, et ipse Avenionem juxta Clementem papam VI se recepit. Vixdum recesserat, cum, die Jovis ante festum B. Mariæ Magdalenæ, prænominatus procurator, non tantum frequentissimum numerum, sed etiam pessimas tabellionum in Lausannensi diœcesi constitutorum consuetudines palam vituperans, eos, ut cleri plebisque votis obtemperaret, omnes muneribus depulit; Comm. et Docum. ad
1344 Helv. Rom. spect., t. VII, p. 120. Anno 1344, 25 Junii, Avenione præsulem agens Gotofredus, nondum tamen consecratus, ad eumdem procuratorem scripsit, ei mandans ut factam olim cum Ludovico de Sabaudia temporalis jurisdictionis partitionem confirmaret; quod ille mandatum 19 Februarii exsecutus est; ibid., p. 125. Procurator dein ejus specialis Bartholomæus de Hospitali alı Hugone, Vesuntionensi metropolita, die Jovis ante festum B. Mariæ Magdalenæ 1345, confirmationem obtinuit sententiæ jam latæ in quoscumque tam advocatiam quam monetam Lausannenses, mere episcopalia, ut sæpe dictum est, privilegia, sibi vindicare studentes; *Droz*, t. XLIV, p. 427. In eo Vesuntionensis metropolitæ diplomate Gotofredus *episcopus* nuncupatur: ergo tunc temporis consecrationem adeptus erat canonicam, quam ei summus Pontifex diu conferre distulerat. Hujus autem dilationis causa nos fugit. Eodem tempore Gotofredi *episcopi* vicarius generalis reperitur Jacobus *de Billens*, decanus Sedunensis, Hugonem *Wegon* ecclesiæ Friburgensi regendæ præponens; Collect. Dipl. Friburg., t. III, p. 89. Obiit Gotofredus
1346 circa finem anni 1346.

XXXVIII. Franciscus.

DE MONTFAUCON. Francisci, quod Ruchatius ignotum reliquerat, a Bernardo Emmanuele *de Lenzburg* genus didicimus. Ambiguum tamen est an e domo *Montfalcon* Beugesiana, vel *Montfaucon* Burgunda ortus sit. Electus est, ut ferunt, anno 1347 incipiente. Anno certe 1348 a Girardo de Monte Falconis, Burgundo, obsequii professionem accepit, ob castellum *Bottens*, quod Montis Falconis dynastis Gotofredus antecedens beneficiario jure possidendum contulerat. Franciscum Amedeus, Sabaudiæ comes, *carissimum consilium et amicum* vocat, in pacto quod
1349 cum eo fecit, 30 Januarii 1349, de jurisdictione in duobus vicis, Macello scilicet Vetere et *Bothonens*, urbi *Vevey* contiguis, exercenda; Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. VII, p. 136. Eadem die, præmemoratus Amedeus episcopales colonos, Lustriacum et S. Symphorianum habitantes, omni vectigali in urbe *Vevey* persolvendo exemit; ibid., p. 142. Occurrit dein Franciscus, 2 Martii 1350, secundum recentem calculum, Burchardum Joannemque Aventicenses 1350
clientelare obsequium pollicentes excipiens; ibid., p. 145. Quem, interjectis aliquot annis, nempe sub Septembrem mensem 1354, 1354
decessisse ferunt.

XXXIX. Aimo I.

Aimonem, antea Lausannensem canonicum, episcopum anno 1356 ineunte electum DE COSSONAY.
fuisse Ruchatius asserit, postquam Lausannensis cathedra per unum circiter annum vacua permanserat. Alii eumdem Aimonem ab anno 1353 sedem tenuisse contendunt; sed male probant, cum in testimonium sententiæ suæ litteras ad majoriam Lustriacenam spectantes adducant, quæ scilicet anno 1351 editæ fuerunt. Is tamen jam 19 Januarii 1356 1356
episcopum agebat. Eodem anno, 27 Augusti, cum Amedeo de Sabaudia pactum fecit memoratu dignum. Imperator enim Amedeo jus concesserat cognoscendi de omnibus judiciis superioris appellationibus, quas, in civilibus causis, vel mixtis, Lausannensis diœcesis incolæ forsan essent interposituri. Cæsaream igitur Aimo concessionem, ut officium ejus erat, approbavit; id vero ab Amedeo poposcit, scilicet ut episcopalia privilegia, necnon jura Lausannensis ecclesiæ, civilisque, ut ait, *capituli*, in urbe Lausanna instituti, minime, ea occasione data, minuerentur; Comment. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. VII, p. 149. Quod expressis verbis Amedeus illico promisit, 2 Septembris. Ochiense castrum incolebat Ch. LXIII col. 179.
Aimo 21 Decembris 1357, quod sub tempus cum Joanne, Lustriaci majore, de pluribus rebus ad jurisdictionem spectantibus pactus est; ibid., p. 167. Ingrata Aimoni appellationum cognoscendarum a Cæsare ad Sabaudum comitem translatio: paulo post igitur judicialem comitis præfectum de læsis tam ecclesiæ quam civium juribus postulavit: ei vero ipse Amedeus satisfecit, 22 Julii 1358; 1358
ibid., p. 176. Anno, ut videtur, secundum hodiernam computationem, 1360, nempe 21 Martii, in Ochiensi castro, sicut consueverat, degens Aimo, incolis urbis *Culliez*, in valle Lustriacena, mercatorium unum singula hebdomade diem concessit, eisdemque permisit ut hanc urbem *Culliez* muris fossisque cingerent; ibid., p. 180. Eodem anno, 9 Junii, cum Radulfo, Lustriaci priore, de jurisdictione transegit; ibid., p. 182. Alia sub annum 1363 inter Amedei comitis recu- 1363
peratores et Aimonem controversia de juri-

bus in vicis Vetere Macello et *Bothonens* ad episcopum Lausannensem pertinentibus; quæ ipsi recuperatores, 15 Aprilis, testibus auditis, minime perfringenda recognoverunt; ibid., p. 192. Transegit Aimo, 26 Maii 1365, cum Joanne Franciscoque *de Orons*, germanis, de præfectura, *majoria* dicta, urbis *Corsier*, privilegiisque ad hanc præfecturam spectantibus; ibid., p. 194. Eodem anno, II non. Maii, ab imperatore Carolo IV, tunc Lausannæ moram aliquam faciente, confirmationem impetraverat Cæsareorum in gratiam Lausannensis ecclesiæ diplomatum, quæ scilicet anno 1011 Radulfus III, anno 1070 Henricus IV et anno 1145 Conradus II ediderant; ibid., p. 200. Nec multo post, XI cal. Julii, in eadem Lausanna urbe, ejusdem Caroli litteris subscripsit pro Sedunensi capitulo, quas antecessores nostri supra typis commisere; t. XII, Instr., col. 435. Princeps imperii Lausannensisque civitatis proconsul, potius quam pastor ecclesiastici gregis piæque congregationis custos, hactenus Aimo nostris oculis subjectus est. Nec mirum, cum temporalis rei cura, quarto decimo sæculo decurrente, in tota fere Ecclesia, præcipue vero in hac Galliæ christianæ parte, omnibus episcopalis dignitatis officiis pondere gravior habita sit. Cetera igitur quæ super Aimone narranda jam dictis constabunt. Sic, 12 Augusti 1365, postquam in militare concilium non tantum S. Mariæ canonicos, verum etiam quam plurimos, ut ipse profitetur, delectos in *communitate civitatis* oppidanos, congregaverat, tributarium edit decretum, jubens ut, ad reparanda augendaque Lausannæ munimenta, Lausannensis plebs vectigalia quædam nova solvat; ibid.,
1368 p. 203. Nec aliter, 3 Maii 1368, placitum, ut aiebant, generale Lausannæ coegit, in eoque solemnem fecit omnium Lausannensium consuetudinum recensionem; ibid., p. 208. Anno
1373 denique 1373, 29 Junii, capitulo Noviocastrensi potestatem dat unam quaque hebdomade missam in capella B. Mariæ sacra, juxta civitatis portam, celebrandi; e Mon. Novi Castri, p. 985. Obiit Aimo anno 1375 incipiente.

XL. Guido II.

DE PRANGINS. E Lausannensis ecclesiæ præposito præsul ejusdem fit Guido 10 Aprilis 1375, protinusque resarciendis Lustriaci munimentis operam confert. Eo quoque episcopalem jurisdictionem auspicante, editum est Cæsareum decretum, quod exoptatissimæ pacis omen multis visum est : Carolus enim IV,
1376 XIII cal. Martii 1376, cassam fecit, utpote Lansannensis episcopi privilegiis multipliciter derogantem, cognoscendarum appellationum ab ipso ad Sabaudiæ comitem translationem. Imperatoris tamen in urbe Lausanna partes implere Amedeus non destitit, nullumque fere diem intermisit quin cum Guidone de controversis juribus litigaret. Ipsi quoque canonici Lausannenses, quos Clemens papa VII episcopali, imo metropolitana jurisdictione exemerat, quotidianas edere querelas Guidonique multas ærumnas afferre. Clemens vero, XIII cal. Decembris 1388, his 1388
dissidiis finem allaturus, immunitates a se ipso Lausannensibus canonicis concessas abrogavit; Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. VII, p. 266. Ultimum occurrit Guido, 21 Maii 1394, de quibusdam censi- 1394
bus cum monialibus Bellæ Vallis paciscens. Nec multo post, nempe 11 Junii, interiit.

Eo mortuo, Bonifacius papa IX quemdam Joannem, ordini S. Dominici aggregatum, episcopatu Lausannensi donavit. Bonifacii vero, quem Roma sibi prout unicum S. Petri successorem præfecerat, Lausannensis clerus auctoritatem detrectaverat, et Avenionensi papæ morem gerere consueverat. Viam igitur prædicto Joanni intercludentes Guillelmum sequentem, patria Sabaudum, aditis suffragiis, canonici Lausannenses elegerunt, 22 Augusti 1394. Ne Lausannam intraret prohibitus Joannes Basileæ aliquantisper commoratus est : qua in urbe, anno 1398, ecclesiam S. Martino sacram dedicavit, Lausannensem episcopum utique se ferens.

XLI. Guillelmus III.

Electus, ut dictum est, Guillelmus solemni DE MENTHONAY.
juramento Lausannenses immunitates recognovit 21 Septembris 1394; ibid., p. 269. Nec multo post, 23 Octobris, ipsi Petrus de Compesio, senescallus Lausannensis, fidem promisit; ibid., p. 273. Eodem quoque modo erga eumdem, 4 Februarii 1396, Joannes *de Villarzel, Lucens* major, semet obligavit; ibid., p. 278. Dein, 29 Martii, Joannem de Quanturio officinæ suæ monetariæ in unum annum præficiens, certis limitibus ejus officia juraque determinavit; *Droz*, t. XLIV,
p. 592. Anno 1398, 5 Junii, postquam in au- 1398
lam suam, ut ait, sæcularem canonicos nonnullos, multos vicinarum ecclesiarum rectores, plures e præcipuis oppidanis per præconem acciverat, ea circumstante corona Guillelmus prohibuit ne mercatores œnopolæque Lausannenses vina emerent venderentque extra fines *ballivatus* Lausannensis concinnata, meretricesque nuptas innuptasve, quæ circa B. Mariæ sacram basilicam frequentiores erant, in vicum dictum *Columbier* transtulit; Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. VII, p. 280. Eodem anno, regalia Guillelmo jura Wenceslaus imperator, 22 Junii, concessit, et Amedeus ei, comes Sabaudiæ, 20 Decembris, obsequium clientelare promisit; ibid., p. 287, 289. Anno deinde 1399 1399
Guillelmus commissarios instituit, qui de

nonnullis Friburgi civibus, hæreseos reis,
inquisitionem facerent; Collect. Dipl. Fri-
burg., t. V, p. 144. Congregata iterum,
Guillelmo præsidente, curia Lausannensis
episcopi sæcularis 21 Decembris 1405, plura
statuit de incendiis compescendis, amplian-
dis Lausannæ compitis, etc. etc.; Comm. et
Docum., p. 487. Anno sequente, 8 Julii,
castrum episcopale *Lucens* tunc Guillelmus
incolens, a quodam e famulis suis, quem
Menolet, tonsorem, Chronicon Meldunense
appellat, gladio percussus est, et protinus
occubuit.

XLII. Guillelmus IV.

DE CHALLANT. Antonium *de Challant* e S. Michaelis de
Clusa abbate Lausannensem episcopum ali-
quantisper fuisse quidam conjecere, metro-
poli Tarentasiensi anno 1404 præficiendum.
Hanc autem conjecturam falsitatis arguunt
prælaudata diplomata, quibus Guillelmus *de
Menthonay* Lausannensem sedem usque ad
medium annum 1406 occupans aperte com-
probatur. Guillelmo vero *de Menthonay*, ut
rem tradit Ruchatius, successor datus est, 10
1406 Octobris 1406, Guillelmus *de Challant*, frater
Antonii, patria Augustanus, idem qui sedis
apostolicæ camerarius et Sabaudiæ cancella-
rius exstitit. Posteriorem hunc Guillelmum
reperimus, 11 Aprilis 1408, secundum ho-
diernum calculum, eum Joanne Cabilonensi
fœdus facientem; *Droz*, t. XXI, p. 22, et
1415 XLIV, p. 624. Anno quidem 1415 eum Joan-
nes papa XXIII ex ecclesia Lausannensi in
Morinensem transtulit: alienigenæ vero Aqui-
taniæ dux pertinaciter obstitit, canonicique
Morinenses Ludovicum de Lusceli Burgo sibi,
nullam Guillelmi intercedentis curam haben-
tes, præfecerunt. Lausannensem igitur sedem
1417 hic retinere coactus est. Anno 1417, Martinus
papa V, e Constantiensi concilio rediens, Lau-
sannam ingressus est: qua in urbe commo-
rans, prædecessorum suorum litteras abroga-
vit, quibus permultæ diœcesis Lausannensis
ecclesiæ episcopali visitatione exemptæ fue-
rant. Misit illico Guillelmus clericos eas qui
lustrarent, præcipue cum fama esset per-
multos sacerdotes, omni veluti fræno solutos,
impure vivere. Nec pervagatus sermo falsus
1418 erat. Anno 1418, 26 Junii, per Guillelmum
licuit ut Lustriacenses oppidani hospitium
exstruerent. Anno 1419, 1 Decembris, Judæis
Guillelmus potestatem fecit per tres annos
urbem Lausannam incolendi, ibique sub pe-
culiari lege secure vivendi: quod eisdem jus
idem 15 Maii 1422, 12 Novembris 1426 et
8 Januarii 1430 prorogavit, ut authentica per-
gamena testantur; Comment. et Doc. ad Helv.
Rom. spect., t. VII, p. 500. Eodem anno 1419
Guillelmus capellam SS. Innocentibus sacram
condidit, presbyterisque in ea constitutis
opulentos reditus assignavit. Eodem denique

A Martinus papa ejus in Morinensem cathedram
translationem, quæ prorsus irrita fuerat, cas-
sam fecit, eumque in sede Lausannensi re-
manere jussit. Vide supra, t. X, col. 1564,
1565. Reperimus eum, 24 Junii 1424, in cœtu 1424
arbitrorum quibus ea data provincia ut inter
Amedeum VIII, Sabaudiæ ducem, et Ludovi-
cum Cabilonensem fœdus perpetuum ferirent.
Memoratur anno 1428 coram officiali Geben-
nensi, cui rei investigationem Papa com-
miserat, causam suam orare coactus, post-
quam Lausannensem civem, conculcato ci-
vitatis privilegio, ad suum forum venire
B compulerat, et e societate christiana segre-
gaverat; ibid., p. 514. Quis fuerit hujus dis-
sidii exitus nos fugit. Inde vero, ut conjicimus,
anno 1430, electi Guillelmi, sicut charta tra-
dit, vicesimo tertio, occasionem nacti sunt
tres civitatis Lausannensis *status*, Guillelmo
præsidente, ordinandis litibus certiores mo-
dos assignandi; ibid., p. 516. Novissimum
voluntatis suæ testamentum Guillelmus edidit
12 Martii 1431, episcopali mensæ mille cen- 1431
tum et triginta libras legans, et maritandis
pauperibus puellis alias libras mille. Nec
multo post obiit.

C Eo mortuo, per multorum mensium seriem
sedes vacua permansit. Ei quidem Basileense
concilium Ludovicum *de La Palud*, Trenor-
chii abbatem, successorem dedit. Hic vero, cui
reipsa Lausannensi velut episcopo de adeundo
papa mandatum dedit Basileensis synodus
anno 1432, apud Lunigium, Spicil. Eccles.,
t. I, p. 669, a Lausannensi capitulo repulsam
passus est, utpote spreto canonicorum jure
delectus. Qui, tarde quidem convenientes,
sequentem sibi præfecere.

XLIII. Joannes IV.

D Anno Eugenii papæ IV quarto decimo, ind. DE PRANGINS.
XII, 2 Martii, anno scilicet 1434 ineunte, Joan-
nes *de Prangins*, e Lausannensis ecclesiæ
cantore præsul a concanonicis electus, urbem
Lausannam solemniter ingressus est, et pro
more in servandas tuendasque tam cleri quam
plebis immunitates semet obligavit; *Droz*,
t. XLIV, p. 645. Pauca ad ejus administra-
tionem spectantia memorantur. Anno 1437, 1437
22 Novembris, nemus *les Grangettes*, in vico
Faoug, sub conditione census contulit: quæ
licet exigui momenti collatio non semel lau-
E data est, ut episcopi Lausannensis in vicum
Faoug jura comprobans; Comm. et Doc. ad
Helv. Rom. spect., t. VII, p. 537. Nihil au-
tem amplius super eo traditum. Anno
1439, relicta sede Lausannensi, in Augusten- 1439
sem translatus est; supra, t. XII, col. 817.
Gravis hic corrigatur Ruchatii menda, hanc
Joannis translationem anno circiter 1448 ad-
scribentis.

Ecclesiam Lausannensem Joanne dimit-
tente, canonici, testantibus Sammarthanis,

Antonium *de Pré*, cantorem, episcopali munere donaverunt. Ea tamen electio irrita permansit.

XLIV. Georgius.

DE SALUCES. Ex Augustensi episcopo, permutatione cum Joanne facta, Georgius Lausannensem cathedram assequitur anno 1439, et solito se juramento, 10 Aprilis 1440, erga Lausannenses oppidanos obligat. Dein Solodorum se recepit, quam urbem primum post assumptum episcopatum 20 Junii ingressus est. Georgii in vicum *Faoug* jura anno 1442 recognita sunt, 18 Februarii. Anno 1451, nundinarum in vico *Lucens* celebrandarum diem commutat; *Droz*, t. XLIII, p. 395. Anno dein 1453, 17 Maii, cum capitulo suo de jurisdictione paciscitur; Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. VII, p. 545. In instrumento hujus pacti vices Georgii gerens occurrit, in eo quod ad spiritualem administrationem spectat, Franciscus de Fuste, eximius theologiæ professor et episcopus Granatensis. Eodem anno, 2 Junii, officialis fori, rursus Lausannæ constituendi, modum et legitimam potestatem describit; ibid., p. 563. Eodem 10 Augusti, Georgii vices gerens Franciscus de Fuste ecclesias vicorum *Anez* et Championis visitabat; *Droz*, t. XLIV, p. 677. Testamentum suum dictavit Georgius 15 Octobris 1461, ecclesiis, hospitiis, pauperibusque Lausannensis diœcesis munificentiæ suæ pignora relinquens, et 4, vel 5 Novembris obiit.

1451

1461

XLV. Guillelmus V.

DE VARAX. Guillelmus, filius Stephani, equitis, ex episcopo Bellicensi Lausannensis fit 18 Aprilis 1462, et Lausannam solemniter ingreditur 18 Julii, decessurus ineunte anno 1466.

XLVI. Joannes V.

DE MICHAELIS. Dum vacantem sedem procurabat Raymundus *de Rue*, Anconitanus episcopus, proprio motu Paulus papa II Joannem *de Michaelis*, Vercelli præpositum et Amedei Sabaudi cancellarium, Lausannensem episcopum creavit. Tunc ei viam intercludere Sabaudiæ dux conatus est, præ ceteris germanum suum Franciscum ponens, quem etiam atque etiam domino papæ commendaverat. Cur autem a tanto commendatus patrono cliens a Paulo II repulsam tulerit ipsæ pontificiæ litteræ palam declarant. Ab initio scilicet pontificatus sui consilium Paulus II ceperat, nullum ad dignitatem episcopalem clericum promovendi qui non vicesimum septimum ætatis annum implevisset, et nondum Franciscus de Sabaudia tot annos vixerat. Inter duos æmulos scissa, ut videtur, urbe, ad cives Lausannenses scripsit Paulus II, 18 Novembris 1466, jubens ut Joanni auxilium adversus Sabaudam factionem præberent. Obiit vero Joannes, ut aiunt, 28 Decembris 1468, ne Lausannam ingrederetur eousque prohibitus.

Ch. LXIV, col. 180. 1466

Circa idem tempus Lausannenses episcopi memorantur Arnoldus de Koxio et Radulfus de Novo Castro II, quorum nulla ad nos delata chartula nomina præbet, æmuli Joannis forsan fuerunt, quibus seu capitulum, seu Lausannensis agri quidam proceres, pontificio electo infensi, favebant. Eos tamen Ruchatius, quem nemo nimii erga summum Pontificem studii insimulabit, æque prætermisit.

XLVII. Julianus.

DE LA ROVERE. Qui Joannem viventem pertinaciter arcuerant Lausannenses canonici, minime parati erant ad hunc excipiendum Joannis mortui successorem quem summus Pontifex eorum inconsultu cathedra donaret. Ideo Paulus papa II, postquam eos in eo animorum habitu stare compertum habuit, vacuam minime sedem implevit, sed Bartholomæo, episcopo Nicæensi, hanc tantum provinciam dedit, ut res episcopatus Lausannensis procuraret. Bartholomæus hic, 15 Decembris 1469, reperitur monetariorum Lausannensium privilegia confirmans. 1469 Anno denique 1472, Sixtus papa IV, vel magis Lausannensis cleri obsequio confidens, vel projectam auctoritatem audaci facto restituere studens, vacantem episcopatum Juliano, nepoti suo, tradidit; qui, multis jam aliis beneficiis dives, administrandam Lausannensem diœcesim Burchardo *Stoer*, *Amsoldingen* priori, commisit. Ut erat Burchardus apud Bernenses proceres acceptissimus, Bernensis quidem civitas electioni quam summus Pontifex fecerat semet adhærere renuntiavit: Burchardo vero non secus ac Juliano Lausanna morem gerere recusavit, usquedum, 12 Maii 1474, imminente civili bello, Bernensium procerum clientem, qui Juliani absentis vices impleret, invita, sed territa, tandem excepit. 1474 Tunc Julianus Burchardum, quo non jam opus habebat, dimisit, eique Dominicum de Boceriis, episcopum Sagonensem, suffecit. Dominicus hic, Juliani partibus fungens, in conventu Friburgensi 25 Julii 1476 sedebat. Romanorum autem rege de spretis tandiu Lausannæ votis querente, Sixtus papa Julianum in ecclesiam Constantiensem apud Normannos, 15 Julii 1476, transtulit. 1476

XLVIII. Benedictus.

DE MONTFERRAND. Benedictus Constantiensis erat episcopus, in Rothomagensi provincia, cum Sixto papæ placuit eum, quem ab ecclesia Constantiensi pertinaciter Francorum rex arcebat, in Lau-

sannensem cathedram traducere, 23 Julii 1476. Lausannam ingrediens Benedictus me-
1480 moratur 3 Aprilis 1477. Anno 1480, cum civitatis procuratoribus de juribus tam ad episcopatum quam ad civitatem pertinentibus litigans, ea de re cum eisdem transegit 18 Decembris; Comm. et Docum. ad Helv. Rom. spect., t. VII, p. 602. Mox tamen eum Lausannenses cives, cum magno colligatorum instrumentorum apparatu, coram Sabaudorum duce de læsis juribus et consuetudinibus provocaverunt, eumdemque, 28 Septembris
1482 1482, ducales consiliarii sontem per desertos vadimonii dies judicaverunt. Vicarius Benedicti tam in spiritualibus quam in temporalibus erat anno 1485 Joannes Ballistarii, præpositus Bernensis, qui, eo nomine, 7 Julii, ecclesiam B. Mariæ *de Anes* ecclesiæ collegiatæ S. Vincentii Bernensis univit; *Droz*, t. XLIV, p. 715. Benedicto, 21 Maii 1489, Carolus VIII, Francorum rex, in suorum consiliariorum cœtu sedem concessit, ejus doctrinam laudibus prosequens, necnon gratum se ferens officiorum quæ in Ludovicum XI quondam contulerat; ibid., p. 720. Obiit Benedictus 8 Maii 1491. Lustriaci quoque et Gigniaci prior commendatarius fuerat.

XLIX Aimo.

DE MONTFALCON.

Filius Guillelmi de Monte Falconis in Beugesia, Aimo, e monacho S. Ramberti in Sabaudia, multorum jam conventuum prior evaserat, abbas Altæ Cristæ, necnon consiliarius Sabaudiæ ducalis, cum Lausannensem cathedram conscendere jussus est. Urbem 9 Julii 1491 ingreditur, episcopali
1497 munere potiturus. Anno dein 1497, 13 Aprilis, in silvis *Jorat*, juxta *Montpreveires*, ad Carmelitanas puellas excipiendas domum instituit S. Catharinæ sacram. Sequente, postquam Lausannense capitulum plures hæreticos diversis pœnis afflixerat, lis inde orta est inter canonicos episcopumque pœnarum ab hæreticis repetendarum jus ad se pertinere asserentem. Quo etiam anno inter Bernenses Friburgensesque cives Aimo pacem fecit. Anno dein 1507, de magicis incantamentis postulati sunt coram eo non pauci Fratres Prædicatores Bernæ degentes: quorum quatuor damnati sunt vivique combusti. Amedeo VI, Sabaudiæ comiti, Maximilianus imperator Cæsarei vicarii munus in episcopatibus Sedunensi, Lausannensi Gebennensique rursus anno 1503 concesserat: Aimo
1510 vero, Lausannensis præsul, 2 Decembris 1510, ad imperatorem Brisaci commorantem se recepit, ab eoque, obedientia pro more jurata, tam Lausannæ quam Lausannensis territorii vicariam obtinuit; Comm. et Docum. ad Helvet. Rom. spect., t. VII, p. 680. Ma-
1514 gnum fervebat, anno 1514, inter Aimonem capitulumque Lausannense dissidium. Aimo

A scilicet de instauranda B. Mariæ sacra basilica, anno circiter 1500, cogitans, præcipuam templi portam, et, in ipsis penetralibus, marmorea nonnulla ædificia destruxerat, quæ deinde secundum artis recentioris regulas reficeret; sed a quindecim annis opus interruptum pendebat, episcopatus reditibus in alios sumptus ab ipso Aimone impensis. Eum igitur canonici Lausannenses ad dominum papam provocaverunt; qui, 21 Februarii 1514, acerbe severam in Aimonem ad Sedunensem et Bellicensem antistites epistolam scripsit, hanc eis provinciam dans ut in Lau- Ch. LXV, col. 181.
B sannensis collegæ privatas possessiones manus injicerent, atque inde collectos nummos in ædis dirutæ restitutionem conferrent. Obiit Aimo 10 Augusti 1517. 1517

Perperam igitur Sammarthani Andream Angelumque, sub annos 1513 et 1516, episcopis Lausannensibus annumeravere.

L. Sebastianus.

Antecedentis e fratre nepos Sebastianus, ejusdemque *cum futura successione* jam a Leone X creatus adjutor, ut in apostolica de DE MONTFALCON.
C restitutione B. Mariæ epistola legitur, ei defuncto protinus subrogatus est, nempe 18 Augusti 1517. Episcopatum auspicanti grave negotium componendum erat. Lausannenses enim oppidani, ad Sabaudiæ ducem, ecclesiasticæ jurisdictionis odio, conversi, hunc ipsis assignatum ab imperatore patronum asseruerant, et, cum ejus assensu, sibi jura quædam nova prorsus vindicaverant, non sine denuntiata majoris libertatis spe. De ea re jam Aimonis temporibus multus sermo fuerat: Sebastianus vero coram congregatis tribus Lausannensis civitatis ordinibus cau-
D sam ipse suam oravit, oppidanosque diu rebelles ad obsequium redegit, 10 Octobris 1518; Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., 1518
t. VII, p. 686. Mox autem eadem iterum dissidia exarserunt: de quibus Bernæ, Friburgi et Solodori legati plures sententias ediderunt 8 Novembris 1525, ibid., p. 717, et 29 Maii 1533; ibid., p. 746. Occurrit deinde Sebastianus, 20 Augusti 1535, magistro Mau- 1535
ritio, lignario fabro, tam domum episcopalem quam episcopalia castella reficienda committens; *Droz*, t. XLIV, p. 816. Sed non tantum saxea episcopalis potestatis funda-
E menta tunc in Lausannensi diœcesi ruinam faciebant: Bernenses enim ab aliquot annis cives a Romana ecclesia ad Reformationem desciverant; quorum exemplum, anno 1530, Moratenses erant secuti: jamque ipsi Lausannenses ad eamdem renuntiandam defectionem se comparabant, cum, anno 1536, 1536
Bernensium contra Sabaudiæ ducem bellantium exercitus Lausannam occupavit, et Sebastianum, qui cum Sabaudo dynasta fœdus fecerat, in fugam egit. Nec multo post ma-

gna pars Lausannensis diœcesis ad Reformatorum partes transiit. Exsul Nicææ apud Sardos decessit Sebastianus anno 1560. A

Recensendi postea Lausannenses episcopi Friburgi sedem habuere; eorum nullus Lausannam Reformationi addictam deinceps incoluit. De quibus pauca sane subjicienda, namque, etiamsi præcedentibus dignitate pares, auctoritate minores semper exstiterunt, facta de bonis temporalibus, imo de spirituali dominio, non medioeri decessione.

LI. Claudius I Ludovicus.

ALLARDET. Claudius Ludovicus *Allardet* e canonico Gebennensi et abbate Filiaci a Pio papa V, Philiberto Emmanuele de Sabaudia præsen- B
1560 tante, nominatur anno 1560 Lausannensis episcopus. Nunquam vero Lausannensem diœcesim episcopum agens invisit.

LII. Antonius.

DE CORREVOD. Lausannensis episcopus fit Antonius anno 1561, vel 1562, idem qui abbas S. Pauli Bisuntini, prior Novævillæ in Bressia, necnon præpositus S. Anatolii Salinarii. Obiit 24 Fe- C
1598 bruarii 1598, et in ecclesia S. Pauli sepultus est. Testamentum suum 1 Decembris 1596 condiderat. Vicario generali usus est Claudio *Duvillard*, præposito Friburgensi.

LIII. Joannes VI.

DOROZ. Episcopus erat Nicopolitanus et Faverniaci abbas, juris etiam canonici professor, vice-cancellarius Dolanæ academiæ et ordinis Cluniacensis vicarius generalis Joannes *Doroz*, latine Dorothæus, cum eum,
1600 10 Aprilis 1600, motu proprio Clemens papa D
Lausannensem episcopum creavit. Obiit VII cal. Septembris 1607 et Vesuntione sepultus est, in æde S. Stephano sacra.

LIV. Joannes VII.

DE WATTEVILLE. Nicolai, domini *de Versoix*, filius Joannes, abbas jam Caritatis in diœcesi Bisuntina, episcopus efficitur, eum Sabaudiæ duce præsentante, 21 Novembris, ut ferunt, 1607. Hic Arbosii, 18 Aprilis 1618, a Ferdinando
1618 *de Rye*, archiepiscopo, consecratus est, teste Chiffletio, Vesunt., p. 327. Ipse dein in ecclesia Sedunensi, mense Decembri 1642, E
Adrianum Sedunensem episcopum consecravit; supra, t. XIX, col. 758. Obiit anno 1649.

LV. Jodocus.

KNAB. Jam præpositus S. Leodegarii Lucernensis, Jodocus a Junio mense 1652 usque ad
4 Octobris 1658 Lausannensis episcopus 1658
quoque fuit. Utrumque munus simul administravit.

LVI. Joannes-Baptista I.

Gente nobilissimus Joannes-Baptista, e DE STRAMBINO.
Franciscano monacho episcopalem dignitatem 26 Junii 1662 adipiscitur, 28 Junii 1684 decessurus.

LVII. Petrus II.

Nominatur Petrus 20 Decembris 1688, qui DE MONTENACH.
deinde 6 Julii 1707 obit. S. Nicolai Friburgensis idem præpositus fuerat a 28 Junii 1679.

LVIII. Jacobus.

Melitensis congregationis presbyter con- DUDING.
ventualis Jacobus Melitæ fixam sedem utique habuit, quanquam Lausannensis præsul 1 Augusti 1707 nominatus. Decessit 20 Novembris 1716. 1716

LIX. Claudius II Antonius.

Antecedentis e fratre nepos Claudius An- DUDING.
tonius nominatur Lausannensis antistes 23 Decembris 1716; qui, anno 1734, in Capucinorum Friburgensium ecclesia, Joannem Jacobum episcopum Seduuensem consecrat. Obiit, ut quidam ferunt, anno 1744; ut alii, 16 Junii 1745. Vicario generali usus est usque ad diem 25 Aprilis 1735 Joanne Carolo *Glutz-Ruchti*, Solodorensi præposito.

LX. Josephus I Hubertus.

Patria Josephus Hubertus Friburgensis, et DE BOCCARD.
rector ecclesiæ B. Mariæ sacræ in Friburgensi civitate, episcopatum assequitur 9 Martii 1746, decessurus 29 Augusti 1758. 1758

LXI. Josephus II Nicolaus.

Patria quoque Friburgensis, præsul no- DE MONTENACH.
minatur Josephus Nicolaus 22 Novembris 1758, moriturque 5 Maii 1782. 1782

LXII. Bernardus Emmanuel.

Friburgi natus erat Bernardus Emmanuel DE LENZBURG.
29 Novembris 1723. Dein e cellario Altæ Ripæ abbas factus erat. Lausannensis vero præsul a Pio VI creatur 2 Novembris 1782, idem qui anno 1790 superstes reperitur, 14 Septembris 1795 decessurus.

PRÆPOSITI LAUSANNENSES.

Summam ab antiquis temporibus in capitulo dignitatem præpositi majoris ecclesiæ obtinuisse videntur: eorum tamen nomina chartarum ad calcem rara. Opportunum vero nobis auxilium præbuit in ea serie describenda obsequiosissimus et doctissimus vir D. C. *Du Mont*, cui demandata Lausannensis armarii cura.

I. Arembertus occurrit anno 892. Hic scilicet tunc temporis, clero stipatus Lausannensi, electioni Bosonis episcopi, cujus, ut videtur, suasor exstiterat, interfuit; e Chartul. Laus., p. 56. Idem, anno 895, in eo diplomate (Ch. vi, col. 128.) reperitur quo Gerlandus comes quinque colonias, in pago Runingorum sitas, ecclesiæ Lausannensi concessit.

(Ch. vii, col. 130.) II. Possessor, anno 905, litteris subscribit quibus præmemoratus Boso nonnullis decimis altare S. Petro sacrum donat.

III. Wagulfus, anno circiter 919, ab Ingalmario et Bornone, in Modernaco villa, confirmationem accipit rerum quas Aimo archidiaconus, Ingalmarii Bornonisque avunculus, jam antea capitulo Lausannensi contulerat; e Chartul. Laus., p. 84.

IV. Emmo, anno 928, vel 929, in litteris ad Vitalis, presbyteri, donationem spectantibus reperitur; ibid., p. 232.

V. Turumbertus, anno 961, vel 964, a Maginario præsule translatas capitulo possessiones accipit; ibid., p. 96. Idem, anno 969, (Ch. ix, col 132.) vel 971, in instrumento pactionis inter Auspertum presbyterum et ecclesiam Lausannensem initæ memoratur.

Post Turumbertum amplam nostra Lausannensium præpositorum series lacunam præbet. Quid vero causæ sit cur ab eo tempore, per duorum circiter sæculorum spatium, de præpositis majoris ecclesiæ tot diplomata sileant, prorsus incompertum habemus.

VI. Arducius *de Faucigny* in Chartulario Lausannensi bis legitur, p. 413, 428, præposituram annos octoginta tenuisse. Obiit autem anno 1185, Gebennensis episcopus et præpositus etiam tunc Lausannensis, nam duo munera simul implevisse non semel perhibetur. Præposituram igitur anno 1105 assecutus est. Mirandum id sane, munus scilicet adeo insigne puero cui nondum renati dentes commissum fuisse. Falsum igitur videbitur Cononis, qui Chartularium Lausannense scripsit, testimonium, aut saltem a librario quodam oscitante corruptum. In eo tamen apud omnes adhuc scriptores, tam Spondanum, Hist. Gebenn., t. I, p. 48, quam D. Fredericum *de Gingins*, Præfat. Chart. Lausan., p. 15, opinionem veridici sermonis habuit. Nulla quidem nobis cognita chartula de Arducio Lausannensi præposito ante annum 1140 fidem facit. Tunc, episcopus una præpositusque, Guidonis præsulis testis reperitur (Ch. xviii, col. 140.) Bellam Vuardam Lacui Jurensi condonantis. Anno dein 1154, Arducio præsente, Amedeus, Lausannensis episcopus, in Altæ Cristæ monachos munificum se præbet. Ipse, anno 1168, Arducius solemni diplomate canonicos (Ch. xxx, col. 155.) regulares in ecclesia S. Mario sacra instituit. Anno denique 1182 ad eum scribens Lucius papa III singula capituli Lausannensis jura recenset; Comm. et Doc. ad Helvet. Rom. spect., t. VII, p. 27.

In prælaudato Chartularii loco, p. 413, egregia episcopi Lausannensis jura recognovisse memorantur Arducius præpositus in præsentia Amedei episcopi, in præsentia Landrici Giroldus Carbo, Guillelmus *de Orsenens* in præsentia Rogerii. Quamobrem non satis cautus auctor, qui hujusce Chartularii indicem onomasticum digessit, Giroldum Carbonem Guillelmumque *de Orsenens* Lausannensibus præpositis annumeravit. Giroldus vero Carbo, post annum 1202, Rogerio episcopatum et Conone præposituram occupantibus, canonicus etiam tunc in Chartulario Lausannensi non semel legitur. Guillelmus pariter *de Orsenens* Rogerii temporibus canonicus tantum, minime præpositus erat, id eodem Chartulario testante, p. 412. Absentis igitur Arducii, cui Gebennensis diœcesis administrandæ non parva cura, Giroldus Carbo Guillelmusque *de Orsenens*, canonici, locum sane tenuerunt; eorum vero neuter præpositus exstitit.

VII. Nanthelmus *d'Escublens* Lausannensis canonicus erat anno 1182, quo decurrente litteris Rogerii præsulis subscripsit (Ch. xxxvii, col. 158.) quas infra typis mandabimus. Dein præpositus in Chartulario legitur, anno tamen prætermisso, p. 299. Eumdem anno 1198 Sedunensem cathedram conscendisse antecessores nostri referunt, t. XII, col. 742. Sic ejus meminit necrologium Lausannense: IV *id. Maii, pro Nanthelmo* d'Escublens, *Sedunensi episcopo et præposito nostro.*

VIII. Landricus de Monte, Sedunensis post Nanthelmum episcopus, ab antecessoribus nostris præpositus quoque Lausannensis usque ad annum 1206 dicitur. Hujus quidem dicti falsitatem Conon ipse præpositus aperte manifestat, hoc sibi munus anno 1202 collatum fuisse referens. Ea nostra esset conjectura, Landricum scilicet inter annos 1198 et 1202 præposituram Lausannensem tenuisse, nisi tamen Nanthelmus huic una præposituræ episcopatuique Se-

dunensi usque ad hunc annum 1202 præsedisse comprobaretur.

IX. Conon *d'Estevayer,* quem Cunonem et Conradum quoque appellant, e clara apud Lausannenses domo ortus, postquam in ecclesia Lausannensi canonicus ab ineunte adolescentia fuerat, præposituram anno 1202 assequitur; Chartul., p. 424. Ei etiam tunc juveni, anno 1211, Rogerius præsul, episcopali munere semet abdicans, administrandæ diœcesis curam ad tempus transfert. Unde comperitur quanta jam Cononis fuerit apud Lausannensem clerum auctoritas. Ejus quidem electionem, ut pote, sicut Romæ renuntiatum, spretis canonibus peractam, Honorius papa III minime gratam habuerat. Nunc enim primum ex apographorum farragine, quæ Roma detulit doctissimus vir D. *La Porte du Theil,* hæ typis mandentur Honorii III litteræ ad priorem S. Pauli cantoremque S. Joannis Bisuntinorum, idibus Martii 1218 scriptæ: « Dilectus filius J., canonicus Lausannensis ecclesiæ, pro se ac quibusdam aliis canonicis suis, nobis insinuando monstravit quod capitulum ejusdem ecclesiæ, pro modico reputantes beneficia ecclesiastica indignis conferre personis, C. clericum in præpositum assumpserunt, qui, cum ratione præposituræ, secundum statuta canonica et loci consuetudinem approbatam, deberet in presbyterum promoveri, diminutione proprii corporis repugnante, cum sit monoculus et alias indignus, non potest ecclesiæ in ordine debito ministrare; R. quoque clericum, natum de adulterio, cantorem eidem ecclesiæ præfecerunt in ipsius ecclesiæ dedecus et jacturam. Quare nobis exstitit supplicatum, ut, qui decorem domus Domini tenemur diligere cum propheta, eidem ecclesiæ paterna sollicitudine providentes, prædictos præpositum et cantorem faceremus ab eisdem dignitatibus amoveri, et cum, ex eo quod præfatum capitulum indignos ad dignitates elegere scienter, potestate se privaverint eligendi, dignaremur eidem ecclesiæ de personis idoneis providere. Quia vero nobis non constitit de præmissis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus, vocatis qui fuerint evocandi et inquisita super his et cognita veritate, quod canonicum fuerit appellatione postposita statuatis... » Minime sane verisimile est Cononis delatores cum coelitem luscumve falso, ad Honorium scribentes, dixisse. Novimus tamen eorum delationem nullum effectum sortitam esse. Præposituram enim Conon, his licet adversantibus, retinuit, atque ab eo tempore ejus nomen quam plurima diplomata præbent. Cunctis scilicet ecclesiæ Lausannensis negotiis impigram manum adhibuit, et episcopatum occupantibus Beretholdo, Gerardo, Guillelmo, Bonifacio, nemo plus Conone potuit fecitque. Nihil tamen magis, post episcopatus Lausannensis perantiquum jam naufragium, Cononis præpositi memoriam posteris commendabit, quam ea Lausannensium diplomatum silva ab eo diligentissime composita, et, Lausannensis Chartularii titulo, recens, doctissimi viri D. Frederici *de Gingins* curis, typis mandata. Obiit Conon, aut munere semet abdicavit, paulo post annum 1242.

X. Aimo I, Amedeusve, *de Genève,* ab anno circiter 1244. Reperitur, 11 non. Aprilis 1250, cum Jordano *Barnot* super quodam agro componens; Chart. Lausann. p. 307. Idem Diensis episcopus fuit.

XI. Robertus *de Genève,* Guillelmi comitis filius, præpositura Lausannensi in gratiam sequentis semet abdicabat, anno 1270, Gebennensis episcopus futurus.

XII. Aimo II *du Quart,* Aimonis supra memorati nepos, e Lugdunensis ecclesiæ cantore præposituram Lausannensem, eam Roberto dimittente, assecutus est. Reperitur anno 1300, exsecutor testamenti quod Guillelmus, Lausannensis episcopus, condiderat; Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. V, p. 484. Anno vero 1304 ipse Gebennensis episcopus factus est.

XIII. Guillelmus I *de Bonvillars* ab anno 1317 usque ad annum 1323 reperitur.

XIV. Guillelmus II *d'Estavayer,* annis 1330, 1339.

XV. Radulfus *de Rossillon,* ab anno 1340 usque ad annum 1359.

XVI. Guido *de Prangins,* doctor legum, anno 1360, Aimoni episcopo suadet ut cum Lustriacensi priore de jurisdictione componat; Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. VII, p. 184. Interest dein generalibus Lausannensis pagi comitiis, 3 Maii 1368. Anno 1372, sententiam edit contra Franciscum *d'Orons, Attalans* dominum; ibid., p. 254. Anno 1373, 9 Junii, Novi Castri, Guidone præsente, uxor Ludovici de Novo Castro ejusque filiæ de Ludovici mortui hæreditate componunt; Mon. Novi Castri, p. 975. Anno denique 1375 Lausannensis episcopus Guido factus est.

XVII. Stephanus *Galoppin* ab anno 1375 usque ad annum 1393; ex Hebdom. Solodori Diario, 1830, p. 111, 117.

XVIII. Guillelmus III *de Bogie,* 1394, 1397.

XIX. Joannes I *de Bettens,* ab anno 1398 usque ad annum 1404.

XX. Joannes II *Cristin* anno 1412 reperitur.

XXI. Henricus de Rupe, doctor legum, ab anno 1413 usque ad annum 1443 in diversis chartulis legitur.

XXII. Martinus *Le Franc,* sedis apostolicæ protonotarius, reperitur præposituram Lausannensem occupans anno 1453, in instru-

mento compositionis de jurisdictione inter A episcopum et canonicos. Idem, 16 Octobris 1458, arbitralem sententiam edit de dissidiis inter Guillelmum de Sarrata et Nicolaum, Lacus Jurensis abbatem, intercedentibus. Idem Felici papæ V et Nicolao V a secretis fuit, necnon abbas S. Petri Novaliciensis apud Segusanos. Litteris apprime excultus Martinus nonnulla scripsit, inter quæ memorare operæ pretium est *Le Champion des Dames*, librum non semel Parisiis, anno, verbi gratia, 1530, typis vulgatum, et *l'Estrif de Fortune et de Vertu*, carminum prosæque concinnitate conspicuum opus, B quod Lugduni circa annum 1476 et Parisiis annis 1505, 1519 editum est.

XXIII. Franciscus I *de Viry*, canonicus Gebennensis, ab anno 1503 reperitur. Qui, abdicata, ut videtur præpositura, Genevæ obiit 19 Maii 1521.

XXIV. Nicolaus I *de Diesbach*, patria Bernensis, anno 1506 memoratur. Hunc quoque præposituram Lausannensem dimisisse conjicimus.

XXV. Ulrichus *Stoer*, Bernensis, anno 1512.

XXVI. Nicolaus II *de Watteville*, protonotarius apostolicus, canonicus Lausannensis et Constantiensis, abbas Telæ, prior *Montpreveyres*, præposituram Lausannensem anno 1517 occupabat. Bernensis quoque præpositus erat anno 1523; apud D. Egb. *de Mulinen*, Helvet. Sacra, t. I, p. 84.

XXVII. Claudius *d'Estavayer*, idem qui abbas Altæ Cumbæ et Lacus Jurensis, prior Romani Monasterii, necnon Bellicensis episcopus fuit. Obiit 28 Decembris 1524.

XXVIII. Franciscus II *de Lutry*, usque ad annum 1536; præpositorum ultimus.

VETERA LAUSANNENSIS ECCLESIÆ MONASTERIA.

Multa quondam erant in Lausannensi diœcesi monasteria. Horum vero quædam C antiquitas jam suppresserat, cum cetera pleraque sub annum 1536, hæreseos Calvinianæ sequaces eadem ruina sustulerunt. Quæ priscis temporibus finem fecere eo ordine recenseantur :

I S. Thyrsus. Olim in urbe Lausanna S. Thyrso sacra fuit ædes, quam abbatialem Chartularium appellat. Postea vero S. Thyrsi nomine nuncupata abbatia in prioratum desiit, a canonicis regularibus habitatum, cui B. Marii, in prædicta ecclesia sepulti, nomen addictum est. Super institutione canonicorum in ecclesia S. Marii Arducii præpositi D diploma legendum, quod sub annum 1168 (Ch. xxx, col. 151.) infra typis mandabimus. De prioribus B. Marii frequens in tabulis Lausannensibus mentio. Quorum seriem apud Helvetiam Sacram D. Egb. Fred. *de Mulinen* reperies, p. 164.

II S. Paulus. In urbe pariter S. Paulus abbatia primo fuit, quam moniales incolebant. Sæculo vero tertio decimo decurrente jam puellis orba ecclesia parochialis erat; e Chartul. Laus., p. 9.

III S. Stephanus. S. Stephani quoque, in eadem urbe, præmemoratum Chartularium meminit. His in tectis olim monachi exsti- E tere, abbati, ut videtur, subjecti : parochialis dein ecclesia ædes S. Stephano sacra fuit.

IV Romanum Monasterium. Antiqua fama est Romanum, vel, ut quidem aiunt, Romani Monasterium, a S. Romano, quinto sæculo decurrente, conditum fuisse. Quod his verbis Chronicon S. Claudii, sub undecimum sæculum scriptum, memorat : « Quartum quoque « cœnobium sancti (S. Romanus et S. Lupi- « cinus) leguntur fundasse, Romanum Mo- « nasterium, infra pagum Lausannensem, « et monachos in numero magno ibi ordi- « nasse. » Gregorius autem papa, anno 1002, Romani Monasterii fundationem, quod inter possessiones Cluniacensis abbatiæ confirmat, Clodovæo II regi tribuit et a Stephano papa dedicatum fuisse contendit. Alia denique est recentiorum quorumdam scriptorum conjectura, qui scilicet monasterium supra Novisaram fluviolum in Saltu Jurensi, a Ramneleno, Waldeleni filio et S. Columbani sequaci, exstructum, sicut Jonas refert, Rer. Gall. Script. t. III, p. 478, in eodem loco ac jam diruta S. Romani tuguriola exstitisse asserunt. Hanc inter alios conjecturam nobis commendaverunt auctores Vitar. SS. Sequanor., t. I, p. 210. Quæ nec confidenter excipienda, nec leviter rejicienda videtur. Addit Jonas Siagrium abbatem monasterio supra Novisaram ab ipso Ramneleno præfectum esse. Siagrius igitur instaurati primus abbas Romani Monasterii fuisset. Ut ut ea se res habuit, Romanum Monasterium, anno circiter 929, in prioratum conversum est Cluniaco subjectum; cujus priores ab illo tempore usque ad annum 1536 ordine nuper recensuit D. Fredericus *de Charrière;* Comment. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. III. Anno siquidem 1536, ea domus, Bernensium in potestatem traducta, sæcularibus tradita est. Ibi Conradus Salicus anno 1038, Clemens papa II anno 1047, et Leo IX anno 1049, moram aliquam fecerant; ibi S. Vincentius Ferrierius anno 1417 ad populum sacram concionem habuerat, et, anno 1501, Margarita Austriaca, Maximiliani Cæsaris filia, cum Philiberto, Sabaudiæ duce, nupserat.

Memoranda nunc Lausanuensis diœcesis monasteria quæ, sub decimum sextum sæculum, Bernensibus agro Valdensi potitis, suppressa sunt. Inter quæ abbatiæ Benedictinæ duæ tantum, Herilacum scilicet et Paterniacum.

V HERILACUM. Hæc potens olim notissimaque domus, S. Benedicti regulæ subjecta, a veteribus quoque scriptoribus Superior Insula et S. Joannes appellatur : a recentibus, teutonice, *Erlach*; gallice vero, *S. Jean de Cerlier*. Juxta Biennensem lacum, in agro vinearum feraci, ad fines Bernensis tractus comitatusque Novicastrensis sitam incepit Conon de *Fenis*, episcopus Lausanuensis, circa annum 1103, consummavit Burchardus, Basileensis episcopus, Cononis germanus, ac in perfectam domum monachos S. Blasii in Hercinia silva Benedictinos adduxit. Ea nunc Bernensis pagi pars amœna divesque, comitibus Novi Castri tunc erat submissa, ideoque Conon in suo patrimonio Herilacum condidisse refertur. Duo postea e Novicastrensis gentis trunco rami fronduerunt, comites scilicet *Neubourg-Neubourg* et *Neubourg-Nidaw*, qui custodiam Herilacensis abbatiæ inito fœdere inter se partiti sunt. Denique, annis 1386, 1395, jurium ad hanc custodiam spectantium pars urbi Bernensi adscripta est. Herilacensis conventus privilegia fundosque recognoverunt, anno 1185 Lucius papa III, anno 1197 Cœlestinus III, anno 1221 Honorius III, anno 1233 Gregorius IX, anno 1418 Martinus V. Anno vero 1528 in sæcularem domum desiit, sub præpositi in sexennium electi regimine.

Ch. LXI, col. 177.

Anonymam Commentationem de ea abbatia præbet Archivum Soc. hist. Friburg., fascic. 3, p. 331.

SERIES ABBATUM.

I. Ekkehardus abbas Herilacensis sub annum incertum memoratur a Gerberto, Hist. Silv. Nigr., t. I, p. 248.

II. Egelolphus anno pariter incerto Herilaci abbas fuit; cujus, anno 1185, meminit Lucius papa III, abbatiæ possessiones confirmans; Mon. Novi Castri, p. 27.

III. Albertus Egelolpho successisse videtur; e supra memoratis Lucii III litteris.

IV. Cono testis est, anno 1182, Ulrichi de Novo Castro et Auroræ abbatis de quibusdam agris componentium; ibid., p. 26. Anno 1185, super ecclesia *Diesse* cum Fontis Andreæ abbate ipse transigit. Eo quoque anno, VI non. Octobris, missæ ad eum Lucii papæ litteræ quarum jam mentionem fecimus. Anno 1187, Conon, etiam tunc abbas Herilaci, monialium conventui Montem Salsuginis incolentium utcumque præerat; quod apertis verbis declarat diploma de pacto inter Montis Salsuginis et S. Blasii monasteria, apud

A Neugartium, Cod. Dipl. Alem., t. II, p. 112.

V. Otho I, quem Oddonem Addonemve quædam diplomata appellant, testis est, anno 1191, Ulrichi de Novo Castro jura nonnulla abbati Fontis Andreæ concedentis; Mon. Nov. Castr., p. 31. Idem, anno 1192, litteris Radulfi Ulrichique de Novo Castro subscribit de sopita inter Fontem Andreæ et Altam Ripam discordia; ibid., p. 33. Anno dein circiter 1195, cum abbate Bellelagiæ quædam commutat; ibid., p. 35. Anno denique 1200, testis est Petri Radulfique, Gruieriæ comitum, de quibusdam rebus cum
B Lausannensibus canonicis paciscentium; e Chartul. Lausann., p. 205.

VI. Nicolaus I, anno 1208, Radulfo, Auroræ abbati, prædium quoddam vendit; Mon. Novi Castri, p. 1139. Idem a Rogerio, episcopo Lausannensi, litteras accepit, quibus ei impositum onus sacerdotes ecclesiis vicorum Diessis et Herilaci præpositos congruenter alendi; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 440.

VII. Petrus I, inter annos 1212 et 1220, cum incolis vicorum *Arens, Marens, Curnaul*, et cet., qui sibi jura ad monachos pertinentia vindicabant, litigat; Monum. Nov.
C Castr., p. 48. Idem, x cal. Julii 1225, ab Ulricho, Novi Castri comite, decimam vici *Galles* accipit; ibid., p. 70. Componit, circa 1230, cum *Diesse* incolis de impensis in instaurandam hujus loci ecclesiam agendis; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 515. Nominatur anno 1231 in charta qua Berctholdus de Novo Castro Herilaci rem auget; Mon. Nov. Castri, p. 81. Anno 1234, testis est ejusdem Berctholdi semet in nominibus episcopi Basileensis esse profitentis; Mon. Nov. Castri, t. I, p. 541. Quo etiam anno, 5 Decembris,
D ab Othone, Berctholdo, Henrico et Ulricho Novicastrensibus, integram in vico *Muntschemier* colligendam decimam ipse accipit; ibid., p. 540. Anno denique 1235, quibusdam reditibus ab Ulricho de *Ulvingen* donatur; ibid., p. 542. Anno vero circiter 1239 munere semet abdicavit. Legitur enim tam *quondam abbas* quam *Philippi prædecessor*, VI id. Junii 1242, 19 Januarii 1243, imo ipso anno 1246, in diversis diplomatibus quibus sub id tempus superstes subscripsit, inter Mon. Nov. Castr., p. 98, 99, 104. Perperam igitur cautissimus vir D. *Trouillat* Petrum etiam tunc abbatem cum Tuanuensis ecclesiæ rec-
E tore anno circiter 1250 transegisse memorat; Monum. Basil. Episc., t. I, p. 586.

VIII. Philippus, VI id. Junii 1242, a Radulfo de Novo Castro piscinam *Vannel* emit; Mon. Novi Castri, p. 98.

IX. Aimo I, anno 1246, jura quædam a Fontis Andreæ abbate dimissa impetrat; Mon. Nov. Castr., p. 103. Quo etiam anno testis est Petri de Turre in Fontem Andreæ benefici; ibid., p. 104. Anno denique 1251, XVII cal. Maii, Solodori reperitur, ubi si-

gillo suo firmat dicta testium Solodorensis ecclesiæ jura describentium; apud Ægid. Tschud., Chronic. Helv., t. I.

X. Radulfus I, *Toggenburg* comitis filius, anno 1255. De quo consulendus D. Egb. Fred. *de Mulinen*, Helv. Sacra.

XI. Aimo II ab anno 1257. Is anno 1260 Radulfum de Novo Castro urbi *Neureux* immunitates concessisse testatur; Mon. Nov. Castri, p. 123. De eodem usque ad annum 1264 documenta nobis certa tradita sunt.

XII. Joannes I, ab anno 1273. Testis est, anno 1275, initæ compositionis inter Petrum *Tischot* et Auroræ abbatem; Mon. Nov. Castr., p. 157. Eodem præsente, III cal. Januarii 1276, Ulrichus Guillelmusque de Turre cum præposito Forestensis capellæ paciscuntur; *Droz*, t. XLIII, p. 89. Joannis quoque meminerunt aliæ chartulæ annos 1280, 1281 præbentes.

XIII. Otho II, 12 Martii 1293, secundum recentem calculum, sigillum suum ministrat Hermanno de Byello vineam quamdam Bellelagiæ vendenti; Mon. Episc. Basil., t. II, p. 522.

XIV. Radulfus II ab anno 1300 memoratur. Ejusdem annis 1301, 1303, nomen occurrit in chartulis quas D. J. *Trouillat* publici juris fecit; Mon. Episc. Bas., t. III, p. 678, 681.

XV. Nicolaus II, ab anno 1309. Ei, anno 1310, Radulfus de Novo Castro possessiones abbatiæ confirmat; Mon. Novi Castri, p. 306. Anno 1315, laudat litteras Diethelmi *de Wothusen* Radulfo Novicastrensi fidem spondentis; *Droz*, t. XLIV, p. 290. Ejusdem aliæ chartulæ usque ad annum 1228 meminere. Obiit anno 1232.

Frequens usque ad illud tempus contentio fuerat inter comites Novi Castri comitesque Nidovæ, de jure quod eorum alterutri in Herilacensis abbatis electione competebat. Ideo, mortuo Nicolao, Radulfus de Novo Castro (Ch. LXI. col. 177.) Radulfusque alter de Nidova pactum inter se fecerunt, 2 Junii 1332, decernentes ut Novicastrensis Nidovensisque dynastæ per vices electionis peragendæ rem ordinarent.

XVI. Ulrichus *de Falkenstein*, comitis *Falkenstein* filius, ab anno 1340 reperitur. Anno 1343, 18 Septembris, cum Ludovico de Novo Castro de diversis prædiis paciscitur; Mon. Novi Castri, p. 519. Testis est anno 1350, 17 Januarii, Ludovici Novicastrensis immunitates vici *Landiron* augentis, Mon. Novi Castri, p. 629, et, anno 1357, Novicastrensis pariter comitis in Locum Dei benefici; *Droz*, t. XLIV, p. 487. Anno certe 1362 superstes erat.

XVII. Ludovicus *de Vuillafens*, patria Sequanus, memoratur ab anno 1367 usque ad annum 1380.

XVIII. Joannes II *de Neuchatel*, nothus Ludovici comitis filius, ab anno 1394 usque ad annum 1410.

A XIX. Joannes III de Verneto ab anno 1413 usque ad annum 1418.

XX. Leonardus *de Cléron*, Sequanus, innotescit ab anno 1421. Anno 1440 superstes erat..

XXI. Antonius Mistralis, annis 1448, 1449.

XXII. Franciscus *de Villarzel* ab anno 1451. Anno 1480, arbiter electus magni inter episcopum oppidanosque Lausannenses de jurisdictione dissidii, rem 18 Decembris componit; Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. VII, p. 602. Obiit vero 26 Novem-
B bris 1482. Idem S. *Petersingel* et *Ruggisberg* prior fuerat.

XXIII. Petrus II *de Senarclens* e S. *Petersinsel* priore abbas Herilacensis fit anno 1482. De quo usque ad annum 1493 authentica testimonia nobis tradita sunt.

XXIV. Radulfus III de Benedictis, ab anno 1509 usque ad annum 1528. Idem erat prior tam Cluniacensis prioratus *Perroix*, quam *Corcelles* in Novicastrensi pago.

Paterniacum. Benedictina Paterniacum, VI
teutonice *Peterlingen*, olim abbatia fuit, in paludosa valle quam Brolius fluvius irro-
C rat, non adeo procul Aventico. Suum nomen locus accepisse videtur a quodam Paterno, civi Romano, cujus epigrammata nonnulla a Levadio collecta nobile genus satis declarant. Paterniacenam vero ecclesiam Marius, Aventicensis præsul, condidit; abbatiam Bertha regina, anno 960, vel, ut aliis placet, 962, (Ch. VIII. col. 130.) quæ scilicet monachos eo accitos sub regula S. Benedicti et Cluniacensis congregationis tutela constituit. Eamdem fundationem confirmaverunt Otho II annis 973 et 983, Otho III annis 986 et 997, Henricus II anno 1003, Conradus II anno 1024. Sub id tempus, anno
D scilicet 1033, Conradus imperator, Paterniaci moram solemnem faciens, ibi, tam a majoribus quam a minoribus regni, Burgundiæ rex salutatus est, ut Wippo refert, Vit. Conr. Sal., apud Pistorium, t. III, p. 438. Dein, haud secus ac omnes congregationi Cluniàcensi subjectæ domus, Paterniacum, priscæ dignitatis imminutione, in prioratum conversum est. Non tamen pauciores ab eo tempore domus fundi reditusque, minorve monachorum numerus. Prioratus enim ædificia longe lateque producta triginta circiter olim incolebant ascetæ. Ea vero fortuna non sem-
E per stetit : quippe sub annum 1398 duodecim tantum in eisdem claustris recensebantur. Primus Paterniaci custos Zaringiæ dux fuit. Postea eadem custodia ad Sabaudiæ comites traducta est, quos deprædatores potius quam patronos monachi experti sunt. Anno denique 1536, dissipatis monachis, sæculares clerici Paterniacum ingressi sunt, divitisque etiam tunc domus reditus inter se Berna, Friburgum et *Peterlingen* urbes partitæ sunt.

ABBATES.

I. S. Maiolus, Cluniacensis abbas, Paterniacenos etiam inter abbates primus recensetur. Ei quidem, anno, ut ferunt, 960, Bertha regina abbatiam a se fundatam tradidit. Ejusdem, annis 973 et 983, precibus obsequens Otho II, imperator, Berthæ fundationem confirmavit; Alsat. Dipl., t. I, p. 124, 132. Exstant denique Othonis III ad eumdem Maiolum litteræ ad eumdem finem spectantes; ibid., p. 133. Obiit S. Maiolus 11 Maii 994.

Ch. VIII, col. 130.

II. Ogdilus, Oddo, vel, ut quidam pace nostra conjiciunt, S. Odilo, Cluniacensis abbas, Paterniacum eodem titulo quoque rexit. Ad eum Othonis III, anno 997, missæ litteræ; ibid., p. 140. Bevacensem eidem prioratum Radulfus miles anno 998 confert; Mon. Novi Castri, p. 2. Anno 1003 litteras ab Henrico II rege accipit, quibus abbatiæ Paterniacenæ possessiones confirmatæ; Ægid. Tschud., Chronic. Helvet., t. I, p. 2. Postea, pro Bevacensibus monachis Ogdilus agens, anno 1005, cum supra memorato Radulfo quædam permutat; ibid., p. 3. Eidem denique, v id. Septembris 1024, vel, ut quidam opinantur, 1027, Conradus II Paterniaceni conventus jura possessionesque confirmat. Obiit 1 Januarii 1049.

III. Hugo, Cluniacensis quoque abbas, ab Henrico imperatore, inter annos 1049 et 1056, Vallem Transversam accepit; Mon. Novi Castri, p. 6.

Hic desinit series abbatum. Quorum deinde munus priores sequentes impleverunt:

PRIORES.

I. Geoffridus primus est Paterniaci priorum cujus nomen ad nos pervenit. Sub annos circiter 1067, 1087, eum collocant.

II. Guigo, vel Guido, annis 1111, 1135, 1137, 1148 recensetur. Ei, anno 1135, Guido *de Merlen*, Lausannensis episcopus, abbatiæ in prioratum conversæ possessiones confirmavit.

III. Guillencus, ab anno 1149 usque ad annum 1162.

IV. Petrus I, ab anno 1173 usque ad annum 1178.

V. Theobaldus, ab anno 1181 usque ad annum 1198.

VI. Hugo *de Grandson*, ab anno 1213. Anno 1226, in nemore ultra *Preverenges*, testis fuit concordiæ inter Lausannensem episcopum Aimonemque *de Faucigny* initæ; e Chartul. Laus., p. 523. Idem, anno 1232, testatur Richardum *de Corbères* cum Lausannensi capitulo transegisse; ibid., p. 312. Hugonis nomen authentica documenta usque ad annum 1238 præbent.

VII. Stephanus, anno 1240.

VIII. Reginaldus, anno 1249.

IX. Guillelmus I *de Rossillon*, ab anno 1250 usque ad annum 1268.

X. Gualtherus, ab anno 1269 usque ad annum 1291.

XI. Petrus II, ab anno 1295 usque ad annum 1313.

XII. Nicolaus *de Villarzel* ab anno 1314 memoratur. Obiit anno 1325.

XIII. Bernardus de Genebreda, eo anno 1325.

XIV. Aimo *de Montagny*, Joannis frater, S. Joannis Hierosolymitani in urbe Lausannensi præceptoris, ab anno 1327. Hic, anno 1336, litteras obsignat Henzmanni *d'Eptingen* hæreditaria domus *Mackenberg* bona abjicientis; Collect. Dipl. Frib., t. II, p. 157.

XV. Petrus III Mistralis, patria Paterniacenus, ab anno 1342 usque ad annum 1354.

XVI. Guillelmus II *de Cossonay* ab anno 1343 usque ad annum 1369. Prior idem *Baulmes* et *Perroix* fuit.

XVII. Henricus de Siviriaco, patria Sabaudus, 1370, 1371. Idem Maurianensis, dein Ruthenensis episcopus fuit.

XVIII. Artaldus *Allamand*, 1372, 1373.

XIX. Petrus IV *Vincent*, Poliniaci natus, apud Sequanos, inter annos 1377 et 1386 memoratur.

XX. Petrus V *d'Estevayer*, inter annos 1389 et 1399.

XXI. Joannes I *de Montmayeur*, inter annos 1401 et 1421.

XXII. Joannes III *de Balniole*, anno incerto; qui prior quoque Rubei Montis fuit.

XXIII. Joannes III *de La Palud*, 1424, 1445.

XXIV. Amedeus de Sabaudia, postquam dimissa reipublicæ cura ecclesiasticæ militiæ nomen dederat, summus Pontifex a concilio Basileensi electus erat anno 1439. Is quoque, anno 1446, Paterniaci prior commendatarius legitur, ac vicariis generalibus utens Jacobo de Provana, priore S. Sulpicii prope Morgiam, et Joanne *de Grilly*, Villarii Monachorum priore. Obiit anno 1451. Amedei temporibus Paterniacum frequentius abbatia quam prioratus appellatur. Incompertum tamen habemus an primam huic domo dignitatem publicæ litteræ restituerint.

XXV. Girardus *Banquetaz* anno 1455 a D. Egberto Fred. *de Mulinen* recensetur; quem potius tamen prioris ignoti vicarium, quam priorem abbatemve fuisse conjicimus.

XXVI. Joannes IV Ludovicus de Sabaudia, Amedei nepos, episcopus Gebennensis, multisque aliis beneficiis dives, commendatarius quoque Paterniaci prior legitur annis 1464, 1468, 1474; qui obiit 4 Julii 1482. Vicario usus est Othone *d'Iverdun*.

XXVII. Franciscus de Sabaudia, Joannis Ludovici frater, archiepiscopus Ausciensis,

Paterniacenum prioratum quam plurimis A abbatiis, præposituris et prioratibus commendatario nomine conjunctum habens memoratur annis 1484, 1488. Anno 1490 decessit.

XXVIII. Joannes V *Balistier* prior commendatarius hoc anno 1490 a D. Egb. Fred. *de Mulinen* dicitur.

XXIX. Claudius *Marchand* ab anno 1493 usque ad annum 1526 prior claustralis occurrit, idem qui inter priores Rubei Montis recensetur. Claudius hic forsan reipsa monachorum rem administravit, quorum sub idem tempus nomine tantum Joannes *Balistier* rector erat. B Joannes *de la Forest,* protonotarius apostolicus, Nicææ episcopus, decanus Sabaudiæ, etc. etc., ab anno 1526 usque ad annum 1535 Paterniaci quoque prior legitur. Vicarios generales habuit Jacobum Mistralem, Rubei Montis et *Cossonay* priorem, atque Joannem *Robert.*

Nulla in Lausannensi diœcesi abbatia regulæ S. Augustini subjecta. Cistercienses abbatiæ hæ fuere, Tela, Alta Crista.

VII. VII. Tela, vel Mons Rotundus. Lausanna C non procul, in agro nemoroso, dexteram juxta Telæ rivuli ripam, vicus nunc etiam exstat Mons Rotundus, rustice *Montheron,* dictus, in quo Cisterciensis olim floruit abbatia, ab ipsa origine Gratia Dei, dein propter rivuli proximitatem Tela, denique ob rotundum supereminentis collis ambitum Mons Rotundus appellata. Eo primus se contulit, abbatiæ condendæ studio, Guillelmus, quem prisca chartula tantum sacerdotem, recentior vero historia monachum Bellævallis in Bisuntina diœcesi Cisterciensem nuncupat. Plane quidem compertum habemus D Telæ monachos Bellævallis abbati, tanquam spirituali parenti, non modo reverentiam, sed etiam obsequium semper exhibuisse. Inceptum est opus temporibus Gerardi, Giroldive, episcopi, quem anno 1128 decessisse opinantur. Angelus quidem Manriquez, Annal. Cisterc., c. 9, Telæ fundationem viii cal. Aprilis 1135 consummatam asseruit: eam vero temporis notam nullo antiquiori testimonio fultam ad nos pervenisse profitemur, quamvis prioratum ab origine Telam fuisse, scilicet ab anno circiter 1125, post abbatiam, ab anno tantum 1135, pace nostra conjicere E liceat. Præcipuos ea domus benefactores habuit Lausannenses episcopos, Gebennenses comites, Gruieriæ et Novi Castri comites, nec non toparchas *Gumoens, Grandson, Blonay, Gruyère, Estevayer, Font, St-Martin.* Abbatiæ custodia penes *Gumoens* toparchas usque ad medium decimum quintum sæculum permansit. Tunc vero ad concilium urbis Lausannensis civile translata est. Ejus possessiones Innocentius II, Eugenius III, Alexander III et Lucius III confirmavere. Ch. xxxii, col. 153.
Anno 1536, Valdensi territorio a Bernensibus occupato, monachorum cœtus dissipatus est, et mox quæcumque bona possederant in possessionem Lausannensis civitatis traducta sunt.

Telæ Chartularium, non tamen integrum, edidit D. Fr. *de Gingins,* tomo XII Commentationum et Docum. ad Helvet. Rom. spectantium. Ibidem reperitur Telensium abbatum series, cum accuratissima diligentia ab eodem doctissimo viro digesta.

SERIES ABBATUM.

I. Joannes I occurrit, xii cal. Februarii 1142, in amplissima Guidonis episcopi charta, quæ Telæ jam collatos fundos recenset. Lausannæ dein, anno 1155, vel 1156, non plane concordibus notis, testis est Amedei episcopi litem inter monachos Lacus Jurensis et S. Claudii dirimentis. Subscribit, 27 Octobris 1161, litteris episcopi Lausannensis pro Alta Crista. Elapsis quoque aliquot annis, anno scilicet 1165, Altæ Cristæ Ch. xxxi, col. 151.
confirmatarum rerum a Landrico præsule testis reperitur. Bellævallenses eumdem anno 1172 chartulæ præbent; præsentia nempe sua confirmantem archiepiscopi Vesuntionensis sententiam super hæreditate Petri de *Cirey,* quam æmulo studio Bellævallis monachi et Novæ Villæ fratres sibi vindicabant. Anno denique 1177, vii cal. Maii, ad Joannem missæ Alexandri papæ III litteræ quibus Ch. xxxii, col. 153.
Telæ possessiones recensitæ. Munere se Joannes, senectute confectus, abdicavit; non tamen abbatiam quam antea rexerat deseruit: anno enim 1182 memoratur in Rogerii præsulis, cujus infra mentio fiet, diplomate.

II. Ulrichus I, 18 Augusti 1182, domesticarum possessionum confirmationem a Rogerio, Lausannensi præsule obtinet; ex abbatiæ Chartul., p. 39. Anno 1184, diversis donis afficitur; ibid., p. 7, 41, 42, 43. Quo eodem anno, 9 Decembris, ad eum Lucius papa III solemnes mittit litteras, in quibus tam de fundis, quam de juribus Telensis abbatiæ multus sermo. Nec multo post, nempe 15 Decembris, peculiari bulla vineas *Désaley* sitas, quas Guido præsul monachis olim dederat, Luciuseidem Ulricho confirmat; ibid., p. 45, 50.

III. Aimo, anno 1201, Lausannæ testis est Ch. xxxi, col. 159.
Rogerii episcopi Altæ Ripæ possessiones summatim confirmantis. Eumdem quoque anno 1204 abbatiæ clavo præsidentem seduli domesticarum chartarum investigatores reperiunt.

IV. Humbertus I, viii cal. Decembris 1212, quidquid *Sugniens* possidebat capitulo Lausannensi sub census annui conditione tradit; e Chartul. Lausann., p. 145.

V. Ulrichus II sub Julium mensem 1214

Novi Castri reperitur, ubi enim Ulrichus IV, Novi Castri comes, testem esse jubet eorum quæ nova Telæ dat aut vetera confirmat; ex abbat. Chart., p. 57.

VI. Joannes II, ab anno, ut ferunt, 1217. Certe testis est, anno 1220, Cononis, Lausannensis præpositi, inter abbatem Altæ Cristæ et Montis Jovis præpositum, mandato Berctholdi episcopi, pacem facientis; e Chartul. Altæ Cristæ, p. 57.

VII. Giroldus, anno 1221, cum Conone *Malium* pactionem facit; e Chartul. Laus., p. 153. Anno 1223, XII cal. Septembris, in castro *Dammartin*, testis est Guillelmi Balbi et Guillelmi de Capella mutuis dissidiis finem imponentium; ibid., p. 156. Eodem anno, tam Favargiis quam Chebri, testis est Burchardi de Chebri cum monachis Altæ Ripæ paciscentis. Anno sequente, 21 Julii, in vico *Coinsins*, inter abbatem Boni Montis et priorem Alionis quamdam litem sopit; e Chartul. Alionis, p. 68. Deinde, 13 Decembris, in castro rursus *Dammartin*, Guillelmus Balbus Guillelmusque de Capella fœdus aliud, Giroldo præsente, pepigerunt; e Chartul. Laus., p. 158. Eodem quoque anno, Gruieriæ, ei Gruieriensis comes Radulfus a patre jam data confirmavit; e Telæ Chartul., p. 59.

VIII. Joannes III, testis est, III non. Julii 1227, Guillelmi, Lausannensis episcopi, abbatiæ Lacus Jurensis a Jordane de Bellomonte data confirmantis. Idem Joannes, 18 Octobris 1230, Altæ Ripæ monachis villam *Cugie*, in quam se receperat, pretio quinque millium solidorum vendit. Ch. LXVIII, col. 165.

IX. Humbertus II, anno 1233, cum Joanne de *Bottens* componit; e Chart. Lausann., p. 195. Idem, Septembri mense 1235, *quondam* abbas appellatur in pacto inter Telæ monachos et Jordanum Bercthold umque de Bello Monte; ex abbatiæ Chartul., p. 61.

X. Guillelmus I, anno 1244, cum Richardo et Berctholdo, Jordani prædicti de Bello Monte filiis, de quodam agro pactus est; ibid., p. 63. De eodem usque ad annum 1248 mentio reperitur.

XI. Stephanus I, anno 1259.

XII. Humbertus III, anno 1262. Idem, 5 Junii 1265, testis est cujusdam pacti inter abbatias Altæ Cristæ et Altæ Ripæ; e Chartul. Altæcrest., p. 100.

XIII. Guillelmus II, anno, ut ferunt, 1266.

XIV. Petrus I *Garland*, alias *Gaillard*, ab anno 1275 usque ad annum 1293 reperitur.

XV. Humbertus IV ante annum 1299. Dimisso munere, Altam Ripam incoluit.

XVI. Otho ab anno 1300 usque ad annum 1313 memoratur.

XVII. Petrus II, anno 1317.

XVIII. Joannes IV cum Ludovico *de Cossonay* de decimis in vico *Bottens* percipiendis paciscitur, Junio mense 1324; Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. V, p. 253. Idem anno 1331 superstes erat.

XIX. Boso, annis 1332, 1336.

XX. Guillelmus III, annis 1337, 1342, 1343, 1350.

XXI. Jacobus, annis 1353, 1355.

XXII. Girardus, annis 1357, 1359.

XXIII. Joannes V *d'Estevayer*, 1362, 1363.

XXIV. Humbertus V *du Lyauz*, 1367, 1382.

XXV. Humbertus VI *de Thonon*, ante annum 1385.

XXVI. Radulfus *de Blonay*, anno 1385. E fratre sane nepos erat alterius Radulfi *de Blonay*, Altæ Ripæ abbatis.

XXVII. Nicolaus *d'Estevayer*, annis 1387, 1398, 1400.

XXVIII. Petrus III *Barbier*, dictus *d'Yverdon*, ab anno 1402 usque ad annum 1426.

XXIX. Petrus IV *Chinaul*, anno 1426 electus, anno 1435 superstes erat.

XXX. Petrus V *Willié*, 1437, 1438.

XXXI. Stephanus II *Rollet*, 1443, 1452.

XXXII. Joannes VI *Besson*, dictus *de Cheseaux*, ab anno 1454. Reperitur anno 1455, vel 1456, 16 Martii, incolas vici *Froideville* ab omni servitutis vinculo eximens; Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. XIV, instr., p. 46. Anno 1457, duos monachos *Cossonay* prioratum incolentes palam Joannes accusavit, ut qui de Telæ abbate interficiendo et de abbatia flammis tradenda conjuravissent. Reos episcopus Lausannensis carceri mandavit. Sed postquam de jurisdictione ejus litigatum fuit, obtinuit *Cossonay* prior ut ipsi duo monachi, tam de nece quam de incendio postulati, traderentur; Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. VIII, p. 70. Idem Joannes mense Julio 1462 reperitur in comitatu Guillelmi *de Varax*, episcopi, urbem Lausannam solemniter ingredientis.

XXXIII. Thomas *de Saulens*, anno 1486 eligitur et usque ad annum 1506 abbatiæ præest.

XXXIV. Franciscus *de Colombier de Vuillerens*, annis 1506, 1508. Canonicus Lausannensis anno 1495 legitur, idem qui frater erat Joannæ, Macræ Augiæ abbatissæ.

XXXV. Joannes VII *Brisset de Laconnay*, electus anno circiter 1508, Romæ moritur 29 Octobris 1520. Tunc, ut ferunt, summus Pontifex, pro suo jure, Aimericum, consobrinum suum munere donat.

Quidam tamen, annis 1517, 1518, Nicolaum *de Watteville*, canonicum Lausannensem, commendatarium Telæ abbatem exstitisse contendunt.

XXXVI. Aimericus *de Medicis*, anno 1520.

XXXVII. Joannes VIII *de Salviati*, cardinalis diaconus tit. S. Cosmæ et S. Damiani, usque ad annum 1536.

ALTA CRISTA. Anno 1134, Guido, Lau- VIII.

sannensis episcopus, Guidoni, Cari Loci in agro Vesuntionensi abbati, locum Altam Cristam, vel Alte Crescentem, dictum, ad construendum ordinis Cistereiensis monasterium, concedit. Asperrimus hic locus, agris Valdensi et Friburgensi finitimus, qui rivo *La Broye* supereminet. Multis vero possessionibus circumjacentis territorii proceres Caro Loco deductos ascetas paulo post auxerunt. Ideo, quamquam acerba soli facies, perque nimis inæquabiles saltus ad domum surgentem via, non parvum post paucos annos nomen Carilocensis Cistereiensium monachorum colonia assecuta est. Prioratus tamen primo fuit, Caro Loco subjectus. Nec Sammarthanorum sententiam amplecti recusamus, qui Altæcrestensem abbatiam anno tantum 1142 conditam fuisse referunt. Lausannensis enim episcopus Guido, hujus, anno 1141, monasterii fundationem approbans, suas ad Guidonem, Cari Loci abbatem, litteras etiam tum dirigit. Abbatiæ possessiones confirmaverunt Adrianus IV anno 1155, Alexander III anno 1179, Innocentius IV anno 1248. Anno 1536, Altam Cristam monachis orbatam Bernensis civitas laicis procuratoribus administrandam commisit : ab his vero fructus agrorum sane collecti sunt, ædificia vero vacuæ domus prorsus neglecta.

Ch. XVI, col. 137. — Ch. XXVI, col 148.

Altæ Cristæ Chartularium, a doctissimo viro D. *Hisely* typis mandatum, præbet tomus XII Comment. et Doc. ad Helv. Rom. spectantium. Brevis quoque ejusdem abbatiæ historia, a Philippo *Bridel* conscripta, in ea farragine legitur cui titulus *Le Conservateur Suisse,* t. VIII, p. 44.

SERIES ABBATUM.

I. Guido abbas Cari Loci, in Bisuntina diœcesi, conditor Altæcrestensis abbatiæ, eam per aliquot annos absens præsensve rexit. Id satis compertum habemus ex eo quod, ab anno 1134 usque ad annum 1141, Altæ Cristæ datæ res ad Guidonem abbatem collatæ leguntur. Ideo Lausannensis historiæ scriptores Guidonem inter Altæ Cristæ abbates recensere solent.

Quemdam anno 1137 Carolum inter Altæ Cristæ abbates Philippus *Bridel* recenset. Quem eo anno cum Hugone, S. Mauricii abbate, pepigisse memorat. Hunc sane abbatem scriptor incautus e spuria vel non satis attente lecta chartula depromsit.

II. Manno, Magno, Magnusve, namque ea non adeo diversa nomina chartæ præbent, ab anno 1142 memoratur. Ei, anno 1150, Humbertus, Mauriacensis comes, locum dictum *Tyneres* adjacentesque agros concessit; e Chartul., p. 5. Novi Castri dein reperitur 10 Julii 1154, ubi eo teste Ortliebus, Basileensis episcopus, inter Bisuntinam et Lausannensem ecclesias de vectigalibus in vicis Lustriaco et Cusliaco colligendis litem diremit. Eo quoque anno confirmatas ab Amedeo, Lausannensi præsule, abbatiæ suæ possessiones impetrat; *Zapf,* Monum. Anecd., p. 97. Postea, in urbe Lausanna, anno 1155, indict. IV, præsentia sua sedatam testatur controversiam, tam a Petro, Tarentasiensi archiepiscopo, quam ab Amedeo, episcopo Lausannensi, inter S. Claudii Lacusque Jurensis abbates, de possessione loci quem Pontius eremita quondam incoluerat. Quo etiam anno, XI cal. Maii, solemnes ad Mannonem mittuntur Adriani papæ IV litteræ, quibus Altæ Cristæ possessiones ab apostolica sede protegendæ suscipiuntur. Anno 1157, Mannoni subjectos ascetas Bertholdus IV, Zaringiæ dux rectorque Burgundiæ, quocumque tributo intra fines dominii sui persolvendo immunes pronuntiavit; e Chartul. Altæcrestensi. Antea vero ab Hugone, S. Mauricii in Valesia abbate, tertiam partem prædii *Chatillens* Manno acceperat; ibid., p. 139. Charta quidem notis chronicis caret; sed Hugonis nomen abbatis eam ante annum 1157 editam fuisse satis declarat. Quod præterea comprobat ejusdem pactionis confirmatio ab Amedeo præsule edita, 27 Augusti 1157. Eidem abbati nudum nemorum agrorumque suorum usum Gebennensis comes anno 1162 concessit. Memoratur anno 1164 a Walchero Guillelmoque, germanis, confirmatas impetrans donationes quas eorum pater Amedeus *de Blonay* Altæ Cristæ fecerat; e supra laudato Chartul. Ex eodem, Manno, anno 1166, ecclesiam *Compengie* a Landrico præsule datam habet, decimasque e villa *Sales* percipiendas, necnon prædia juxta *Palesieux* confirmata. Ex eodem, anno 1167, ab Ulricho, Montis Jovis præposito, mediam Villaris Pineti decimam accipit. Mannonis meminit, anno 1177, Landrici præsulis charta pro Telensi conventu. Rursus, ex Altæcrestensi chartulario, anno 1179, ab Hugone de Grandissone plures agros tam juxta *Fyx* quam juxta Novellas, et, anno 1180, Altæ Cristæ quascumque possessiones a Rogerio præsule confirmatas, obtinet. Domesticis præterea permultis in chartulis, sed quibus notæ chronicæ desunt, Manno reperitur : quarum unam transcribere placuit mores temporis satis amœne depingentem. In ea scilicet reperies Guillelmum quemdam, jam inita cum monachis pactione, tres suas filias ad Mannonem, quibus ea pactio firmetur, sub vesperum ducentem, Mannonemque tribus puellis agnum unum offerentem.

Ch. XXVI, col 148. — Ch. XXVIII, col. 150. — Ch. XXIV, col. 146.

Tres Mannones, Magnosve, inter Altæ Cristæ archimandritas, parvo temporis intervallo sejunctos, Philippus *Bridel* collocat; quorum primo, anno 1160 mortuo, Henricum anno 1165 subrogat; secundo Anselmum anno 1177. De his vero Henrico et Anselmo nulla ad nos delata chartula mentionem facit. Hen-

riens sane anno 1195 Altæcrestensis abbatiæ gubernaculo præerat, Anselmusque anno 1207. Unde conjicimus e quodam inordinato abbatum catalogo ista sub annos 1165 et 1177 Henrici Anselmique nomina Philippum *Bridel* detulisse. Nec obstat nostræ conjecturæ diuturnum Mannonis regimen. Namque humanæ vitæ metas minime excessit, ille quem per annos ad summum quadraginta abbatem fuisse authentica documenta demonstrant.

III. Simon sub annum 1180 a Philippo *Bridel* recensentur. Sed non alius forsan fuit ac Stephanus proxime sequens.

IV. Stephanus I deinde occurrit, cui, anno 1186, *Joret* de Lustriaco filii a patre jam data rursus certis conditionibus tradunt; e Chartul. Altæcrest., p. 45. Idem, anno 1188, a Guillelmo de Rota, Cononis filio, litteras accipit, quibus in ingenuitatem asserti sunt
Ch. xxxviii col. 158.
omnes ipsius Guillelmi servi, qui Altæcrestensem domum venirent ut monachi vel conversi efficerentur. Guillelmum Stephanus, gratum se præbens, osculatus est.

V. Henricus Lausannæ reperitur, Maio mense 1190, ubi testis est Rogerii præsulis Telæ factas a *Gumoens* toparchis donationes approbantis. Idem in possessionem prædii, quod Grandem Campum appellabant, a Thoma, comite Sabaudiæ, inducitur, Augusto mense 1195. Apprime sacras profanasque litteras edoctus, triginta Homilias scripsit Henricus, quas in pergameno codice apud R. P. Jesuitas Friburgenses nuper vidit D. Alph. *Dantier; Arch. des Missions Scient.*, 1857, p. 24. Eumdem quoque Henricum anno 1201 Trojæ in Neapolitano regno episcopum fuisse contendunt. De eo fusius disseruit D. Meinradus *Meyer*, Friburgensis pagi armarius, *Archives de la société d'hist. de Fribourg*, t. I, p. 237.

Ch. xxxix, col. 159.
VI. Bernardus, anno 1201, Lausannæ testis est Rogerii præsulis Altæ Ripæ possessiones confirmantis.

VII. A., quem Anselmum quidam appellant, intercedente Guillelmo, Vivesii decano, cum Compengiaceno sacerdote de quibusdam decimis, anno 1207, paciscitur; e Chartul. Altæcrest., p. 49.

VIII. Turumbertus, anno 1214, a Thoma, Sabaudiæ comite, prædium dictum Grandem Campum confirmatum habet, e domestico Chartul., p. 51, et, 12 Maii 1215, a Radulfo, Oronis toparcha, quæ Guillelmus, Radulfi pater, Altæ Cristæ dederat, pari modo sancita; ibid., p. 53.

IX. Petrus I, ab anno 1221, secundum Phil. *Bridel*; anno 1223 reperitur in litteris Guillelmi præsulis pro Alta Ripa.

X. Guillelmus I sub annum 1226 a quibusdam recensentur. Hic tamen nobis dubius est abbas.

XI. Geroldus, ab anno, ut ferunt, 1227. Certe 3 Maii 1230 reperitur de cujusdam viæ

A usu cum Altæ Ripæ fratribus paciscens; e Chart. domestico, p. 60. Eodem anno, 18 Octobris, in colonia *Cugie*, testis est Joannis, Telæ abbatis, Altæ Ripæ coloniam hanc vendentis. Anno quoque eodem Albertum de *Ricasperg* beneficum experitur; e Collect. Dipl. Friburg., t. I, p. 83.
Ch. xlviii, col. 165.

XII. Nicolaus I occurrit ab anno 1230 usque ad annum 1244. Hic, Augusto mense 1240, testis est Bercthloldi Novicastrensis, qui possessiones ab avis suis Altæ Ripæ datas confirmat; Monum. Novi Castri, p. 97. Eodem anno litteras proscribit de venditis capi-
B tulo Lausannensi rebus a Michaele de *Buirie;* e Chartul. Lausann., p. 381.

XIII. Ulrichus I *de Ricasperg*, alias *de Riggisberg*, a 13 Martii 1245 memoratur. Huic, eo anno, Augusto mense, Guillelmus de S. Martino vicum *Mossel* concedit; e domestico Chartul., p. 70. Ex eodem, p. 75, Aprili 1247, cum abbate Altæ Ripæ de pascuis quibusdam agris in vico Rota sitis transigit. Ex eodem, p. 277, a Petro de Rota aliis agris donatur 12 Augusti 1251, et, p. 81, mense Novembri, a Nantelmo, Agaunensi abbate, prædium quoddam juxta *Soulens*
C sub conditione census annui comparat. De Ulricho fidem faciunt anno 1256 Wilhelmi et Petri *de Ricasperg* litteræ, qui, dona jam ab ipsorum patre Altæ Cristæ facta confirmantes, Ulrichum abbatem patris sui avunculum vocant; ibid., p. 282. In eumdem Haimo de *Prez*, 21 Maii 1256, beneficus; p. 283. Anno 1258, Giroldo prædium sub conditione census tradit; p. 285. Octobri 1260, a Joanna, filia Radulfi de Rota, prædium quod Nantelmus de *Sajales* quondam tenuerat accipit; ibid., p. 93. Anno denique 1264, ab Ulricho de *Tiestasperch* aliisque
D nonnullarum villarum decimas; *Droz*, t. XLIV, p. 203. Idem Ulrichus usque ad annum 1268 sedem tenuisse e minimi momenti chartulis comperitur.

XIV. Stephanus II anno 1269, secundum Philippum *Bridel*. De eo tamen nihil amplius comperimus.

XV. Ulrichus II *d'Englisberg*, Januario mense 1272, a Guillelmo *d'Englisberg*, fratre suo, viginti libras Lausannenses, in hæreditatis paternæ compensationem, accipit; ex Altæcrest. Chart., p. 289. Idem, 13 Aprilis 1273, cum Agaunensi abbate de variis ju-
E ribus, audita arbitri judicatione, transigit; ibid., p. 199. Denique, 3 Decembris 1278, sententia Guillelmi Juvini, regii in Chablasiensi tractu judicis, e lite quadam adversus Petrum *de Palésieux* victor evadit; ibid., p. 117.

XVI. Nicolaus II, Julio mense 1284, a Radulfo Guillelmoque de *Mossel* quædam, numerato pretio, comparat; ibid., p. 293. Eidem et Altæcrestensi conventui, 23 Aprilis 1291, Guillelmus *Granges*, continentiæ per-

petuæ votum nuncupans, se suaque omnia tradit; ibid., p. 294.

XVII. Guillelmus II annis 1291, 1293, 1297, 1305, 1308, ab Egb. Fred. *de Mulinen* memoratur.

XVIII. Joannes I ab anno 1309 usque ad annum 1312 Phil. *Bridel* innotuit.

XIX. Stephanus III, anno 1314.

XX. Aimo I plura documenta reliquit, eum quæ Altæcrestensem abbatiam ab anno 1317 usque ad annum 1328 rexisse comprobant.

XXI. Nicolaus III *d'Illens,* anno 1330, usque ad annum 1352.

XXII. Radulfus I *de Blonay* abbas ex Altæ Cristæ monacho legitur anno 1353.

XXIII. Thorenchus, ab anno 1355 usque ad annum 1364.

XXIV. Stephanus IV *de La Roche-Jean* in crebris chartis reperitur ab anno 1365 ad annum 1387.

XXV. Radulfus II *de Bionnens,* abbas ex abbatiæ monacho, ab anno 1390 usque ad 25 Januarii 1400.

XXVI. Joannes II *Cottin,* ab anno 1403 usque ad annum 1424.

XXVII. Guillelmus III *de Chapelle,* ab anno 1427 usque ad annum 1444.

XXVIII. Aimo II *Aubry*, ab anno 1446 usque ad annum 1464. Aimonem *de Montfaucon* falso Phil. *Bridel* sub annum 1451 collocat. De eo infra.

XXIX. Antonius *Roy*, e vico *Romont* oriundus, ab anno 1470 usque ad annum 1489.

XXX. Aimo III *de Montfaucon* anno 1489 reperitur, quo decurrente Franciscus de Sabaudia, Romani Monasterii prior, eum Romam mittit, Romani Monasterii administrationem, prioris absentis nomine, dimissurum. Anno 1490, 12 Aprilis, Pinerolii reperitur civili cuidam chartæ subscribens; *Droz,* t. XLIV, p, 429. Anno vero 1491 in episcopalem Lausannæ sedem sublimatus est. Idem decretorum doctor, protonotarius apostolicus, necnon *Ripaille,* Lustriaci, Gigniacique prior erat.

XXXI. Humbertus *Levet*, ab anno 1491 usque ad annum 1497.

Humbertus *Michod,* quem Philippus *Bridel* sub annum 1495 memorat, falsus abbas ab Egb. Fred. *de Mulinen* dicitur.

XXXII. Petrus II *Morel,* in vico *Bossonens* natus, ab anno 1503 usque ad annum 1536. Dissipatis Altæ Cristæ monachis, Petrus *Morel* superstes inter vivos memoratur usque ad 15 Julii 1537.

Recenseantur nunc abbatiæ Præmonstratensis ordinis, quæ, numero quatuor, sub decimum sextum sæculum similem finem habuere:

VIII. LACUS JURENSIS. In media valle Jurensi,

A propter eam quæ spectat ad ortum solis lacus ripam, quidam Gosbertus, S. Norberti discipulus, Ebalo, Sarratæ toparcha, piam hanc fundationem approbante, monasterii Præmonstratensis primum lapidem posuit, anno circiter 1126. Leona, vicini torrentis nomen, ipsi tunc temporis monasterio impositum; quod postea Domus Dei, dein *Cuarnens,* postremo Lacus Jurensis, ob lacus propinquitatem, appellatum est. Prioratus ab origine tantum fuit, S. Norberto, deinde Walthero, S. Martini Laudunensis abbati, subjectus: nec multo post tamen, prioratus B in abbatiam conversus est. De Lacus Jurensis abbatibus frequens in Lausannensibus tabulis mentio: qui scilicet opulentis possessionibus et albæ vestis dignitate magnam auctoritatem comparaverant. Anno 1536, valle Jurensi in possessionem Bernensium traducta, abbatiam occupant, 22 Martii, a Bernensibus missi curatores. Claudius *Pollens*, abbas, Reformationem amplexus est, ejusque exemplum canonici nonnulli secuti sunt. Ceteri vero, voti perseverantiam retinentes, Humilem Montem, Corneolum aliave Sabaudiæ monasteria petiverunt.

C Lacus Jurensis Annales scripsit hodiernis temporibus D. Fredericus *de Gingins-la-Sarraz,* Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. I; cujus auxilium nobis quam maxime profuisse profitemur.

ABBATUM SERIES.

I. Petrus I de Ponte, mense Maio 1135, in litteris Guidonis episcopi, permultas donationes Romano Monasterio collatas approbantis, reperitur.

Nonnulli Gosbertum, cujus supra meD minimus, Lacus Jurensis abbatibus annumerant. Gosberti vero temporibus Præmonstratensis ea domus prioratus tantum, nondum abbatia, erat.

II. Theodericus sub annum 1141 memoratur in charta Ardutii, Gebennensis episcopi. Nuper condiderant Lacus Jurensis canonici Rivoriensem prioratum, nunc *Rueyres*, ab Augustinianis puellis incolendum. His quosdam census puellis Ardutius, per manus Theoderici abbatis, tradit. Ch. XIX, col. 140.

III. Richardus e Bellævardæ monacho Rivorii, puellaris, ut diximus, domus, postea E prior fuerat. Cui post Theoderici decessum Lacus Jurensis administratio demandata. De eo Lacus Jurensis clavum regente anno 1143 mentio reperitur. Eo scilicet anno, precibus obsequens Wachelmi, Corneolensis abbatis, locum, ad canonicos Lacus Jurensis pertinentem, concessit, in quo Fons Andreæ, Præmonstratensis abbatia, ædificata est. Richardi quoque, anno 1144, domesticæ chartulæ meminere. Ch. XXI, col. 143.

IV. Stephanus, anno 1149, diversa a diver-

sis adjacentis agri proceribus Lacus Jurensis hospitibus data dona recenset; Comm. et Doc. ad Helvet. Rom. spect., t. I, part. 1, p. 179.

V. Gualterus, ab anno, ut ferunt, 1160. Hic, 1 Maii 1168, a Gualtero *de Blonay* dona quædam accepit; Comment. et Docum. ad Helvet. Rom. spect., t. VI, p. 175 (1). Lausannæ dein reperitur 12 Novembris 1176, testis Landrici præsulis ecclesiam S. Albini S. Mauricio Agaunensi condonantis; e Monum. Novi Castri, t. I, p. 19 (2). Bellelagiam eumdem Landricum secutus, ejus litteris subscripsit pro Fonte Andreæ, 25 Maii 1177. (Ch. xxxii, col. 155.) Ad Gualterum missæ, 29 Septembris hujus anni, Alexandri papæ III litteræ, quibus Lacus Jurensis possessiones, tam veteres quam recentes, confirmatæ; Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. I, part. 1, p. 185. Eodem quoque anno testis est Gualterus Jocerandi de Rota erga Telam beneficii; e Chartul. Telæ, p. 34. (Ch. xxxvi, col. 158.) Eo denique præsente, anno 1179, Ulricus de Novo Castro Fonti Andreæ silvam Vavram dono dedit.

VI. Nanthelmus 22 Maii 1190 Lausannæ reperitur, qua die litteris Rogerii præsulis de rebus Telæ a Guidone Guillelmoque *de Gumoens* datis subscribit; e Chartular. Tel., p. 53. Obiit 25 Junii; ex Humilis Montis necrologio.

VII. Nicolaus I, anno 1193, 1 Aprilis, Rogerium, Lausannensem episcopum, beneficum experitur; ibid., part. 2, p. 187 (3).

VIII. Ludovicus I de Monte Nividuni reperitur 5 Julii 1210, qua in urbe litteris Guidonis de Monte erga Carthusianos Alionis munifici subscribit. Idem, 10 Junii 1211, præsentia sua donationem iisdem monachis ab Hyblone de Monte factam confirmat; Comment. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. XII, pr. part., p. 11, 19. Ludovicum Hyblo præmemoratus fratrem suum appellat. Ideo doctissimus vir D. *Hisely*, Montanæ gentis stemma describens, eum Hyblonis Guidonisque germanum, Cononis vero de Monte filium, fuisse contendit.

IX. Gaymarus, anno 1215, a Berctholdo, Lausannensi præsule, diversos agros accepit; ibid. t. I, p. 148. Idem, anno 1217, cum Humberto *de Vufflens* de quibusdam prædiis composuit; ibid., p. 149. Obiit 19 Septembris; ex Humilis Montis necrologio.

X. Humbertus I, anno 1219, cum Romani Monasterii conventu de prædio Villa *Jorens* transegit; ibid., p. 150. Eodem anno, vel sequente, Epiphaniæ die, cum Bernardo, S. Eugendi abbate, magis singulare pactum fecit.

A Post multas scilicet cum monachis S. Eugendi de possessione Loci Pontii lites, statutum fuerat ut illum Lacus canonici possiderent, ea tamen sub conditione ut centum et sexaginta trutas quotannis, ex ipso lacu Jurensi deductas, monachis præberent. Frequentiores autem in lacu Jurensi lucii piscariam trutis exhauserant. Quare pro trutis lucios canonici monachis offerre. Hi vero lucios alto vultu repudiare. Unde nova dissidia. De quibus tamen sub diem prædictum abbates utriusque domus eo pacto composuerunt, ut pro deficientibus trutis canonici quotannis B quinque et quadraginta solidos Gebennenses monachis numerarent. Anno dein 1223 Humbertus occurrit, litteras obsignans Guillelmi (Ch. xlv, col. 163.) *de Dysie* Romano Monasterio servum unum restituentis; Comment. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. III, p. 549. Quo et anno ipse litteras edit de Guillelmo Crasso, milite, erga Romanum idem Monasterium benefico; ibid., p. 528. Litigavit, anno 1225, Humbertus cum Reginaldo Balmensi, utroque filios Humberti Clerici sibi vindicante: qui tandem his conditionibus pepigere, ut canonici Humberti Clerici filios proprios habe- C rent, Reginaldo vero quinque et triginta solidos, necnon tres ulnas albi panni ministrarent. Reperitur Humbertus abbas, Septembri mense 1226, in litteris Petri Perrotini obsequium Romano Monasterio spondentis; ibid., p. 574. Octobri 1230, postquam diu locum, in quo Montem S. Mariæ, Cisterciensem factam domum, conversi quidam fratres olim ædificaverant, ad Lacum Jurensem pertinere contenderat, controversam rem, pactione demum inita, dimittit. Eo et anno, xi cal. Decembris, litteras Humbertus edit de Guillelmo, Savarico Jacoboque, D germanis fratribus, quamdam decimam S. Prothasii Lausannensi capitulo condonantibus; Chart. Lausann., p. 282. Ebalum deinde, potentem Sarratæ toparcham, Lacus Jurensis defensorem custodemque Humbertus, 20 Aprilis 1235, agnoscit; Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect. t. I, part. 2, p. 161. Novembri 1237, publicis litteris notas omnibus facit donationes, quas Romano Monasterio Hugo *de Arnay* fecerat; ibid., t. III, p. 548. Januario 1238, vel potius 1239, Petrum *Desriaz*, presbyterum, in monachos Alionis Carthusianos beneficum fuisse renun- E tiat; ibid., t. XII, part. 1, p. 67. Februario 1240, secundum recentem calculum, plura ab Hugone *de Cossonay* confirmata prædia impetrat; ibid., t. I, part. 2, p. 164. De Humberto denique mentio reperitur, sub mensem Februarium 1245, secundum eumdem calculum, in instrumento ad Romanum Monasterium pertinente; ibid., t. III, p. 527.

XI. Guillelmus vero I Humberto sub Aprilem mensem ejusdem anni jam successerat. Abbas enim tunc temporis abbatiæ guber-

(1) Charta quidem annum 1268 præbet, sed manifesto vitio; quod satis demonstrant epacta IX, Gualteri nomen et approbatio Landrici, Lausannensis episcopi.

(2) D. *de Gingins la Sarraz*, Annal. Lac. Jurens., hanc chartam anno 1168 adscribit, sed perperam, ut videtur.

(3) Charta quidem annum 1293 exhibet; Guillelmus vero anno 1293 ecclesiæ Lausannensi præerat.

naculo præsidens, Humbertum antecessorem A suum appellat, in litteris quibus Haimoni, Sarratensi dynastæ, obsequium debitum promittit; ibid., t. I, part. 2, p. 166. Idem Guillelmus, IV non. Junii 1249, sigillum suum apponit Joannis episcopi diplomati de juribus ad priorem, magistrumve, Rivorii pertinentibus; ibid., p. 171. Anno 1251, initum renuntiat pactum inter Guidonam *de Chablie* Carthusianosque Alionis; ibid., t. XII, part. 1, p. 144. Anno dein 1255, Septembri mense, testis est Radulfi de Novo Castro abbatiam Loci Dei condentis. Guillelmum annis 1259, 1261, superstitem fuisse nonnulli B contendunt.

Ch. LIII, col. 171.

XII. Guido, quem Lacus Jurensis Annalium auctor prætermisit, sub annos 1263, 1265, a D. Egb. Fred. *de Mulinen*, e quodam Bernensi abbatis Gandardi manuscripto codice, recensetur.

XIII. Joannes I *de Bretigny* Rivorii magister erat anno 1250; deinde supprior Lacus Jurensis evasit, tandem abbas, Guidone mortuo. Inter eum Humbertumque, Sarratæ dominum, dissidium de quibusdam juribus exarsit, cui ambo, ex arbitrorum sententia, finem dederunt, Decembri mense 1273; C ibid., p. 176. Idem Joannes, Septembri 1278, cum Romano Monasterio de quodam prædio pactus est; ibid., t. III, p. 506.

XIV. Radulfus *de Monnaz*, anno 1283, laudat litteras Aliciæ de Sabaudia pro Romano Monasterio; ibid., p. 550. Dein, mense Decembri 1284, pactionem inter eumdem conventum et Jacobum *de Montrichier* initam sigillo suo firmat; ibid., p. 491. Sequente, testis est Radulfi *Moneyr* aliorumque se clientes Romani Monasterii profitentium; ibid., p. 534. Eumdem, sub eumdem annum, in aliis ad eamdem domum spectantibus repe- D ries, p. 546, 554. Radulfi præterea D. *de Gingins la Sarraz* meminit annis 1287, 1289.

XV. Joannes II, Decembri mense 1294, Aimoni *de Jolens* quædam vendidit; ibid., Annal. Lac. Jur., p. 188.

Nicolaus sub annum 1301 dubitanter a D. Fred. *de Gingins* recensetur. Nec inconsulto quidem dubitavit doctissimus vir de eo Nicolao, cujus nomen apud Conserv. Helvet. legerat, t. VI, p. 86. Etenim infra memorandum diploma hunc abbatem mere commentitium esse comprobat.

XVI. Petrus II *de Vennes*, 21 Octobris 1298, E Burchardi, Bellelagiæ abbatis, litteras obsignat de quibusdam donis ab Ulricho *d'Undervelier* Bellelagiæ collatis; Mon. Episc. Basil., t. II, p. 673. Anno dein 1311, Ludovici *de Cossonay*, hospitium vici *Cossonay* fratribus eumdem vicum incolentibus condonantis, litteris subscribit. Sigillo quoque suo firmat, Decembri mense 1315, initam pactionem inter Guillelmum *de Pierrafeux*, Templariorum militiæ præfectum, et cives vici *La Chaux*; Doc. et Comm. ad Helv. Rom. spect., t. V, p. 242, 246. Eumdem referunt, dimissa Lacus Jurensis regendi cura, in abbatiam Bellelagiensem secessisse, hujusque domus ab anno 1350 usque ad annum 1354 abbatem exstitisse. Hæc si vera prædicantur, senex admodum Petrus interiit. Ea de Petri longævitate, quam credidit, consulendus D. Egb. Fred. *de Mulinen*, Helv. Sac. p. 223.

XVII. Guillelmus II *Boniz* Petro successisse videtur, nec diu tamen abbatiæ rebus consuluisse.

XVIII. Raymundus, anno 1319.

XIX. Joannes III *de Lutry* domesticarum possessionum profligator dicitur, quem Bercholdus quidam *de Lutry*, canonicus, pessimis consiliis gubernabat. Ambo igitur abbatiæ totam quasi rem exhauserant, cum Aimo de Sarrata, Lacus Jurensis advocatus custosque, anno 1322, ad abbatem Præmonstratensem scripsit, postulans ut de Joannis administratione canonicorumque moribus inquisitio quam citissime perageretur. Accedunt, anno 1323, missi visitatores, et curam abbatiæ temporalem Aimoni de Sarrata demandant. Tunc Joannes fugere, non vacuis tamen manibus. Unde multæ in eum Aimonis querelæ, donec ablata quæcumque restitueret, ac immobilia mobiliaque omnia monachorum bona in decem annos ipsius abbatiæ custodi sub certis conditionibus locitaret. Alios illico deputavit Præmonstratensis abbas adeo afflictæ domus exploratores, qui pactionem cum Aimone de Sarrata factam probaverunt. Imo hanc Aimoni provinciam ipse Præmonstratensis abbas dedit, ut canonicos de quorum emendatione desperaret vi comprehensos Præmonstratum duci juberet. Anno denique 1330 Joannes abbas, duoque canonici, Nicolaus scilicet Jacobusque, Præmonstratum transferuntur, ac Joanni sufficitur

Ch. LIV, col. 173.

XX. Jacobus I *Bonet*. Is, die Jovis ante festum SS. apostolorum Philippi et Jacobi 1331, penes Aimonem de Sarrata hoc jus esse recognoscit, ut turrim aliudve propugnaculum in abbatiali territorio ædificet; Annal. Lac. Jur., p. 209. Jacobo, quem acceptissimum habuisse videtur, Aimo supra memoratus possessionum ad abbatiam pertinentium administrationem anno 1333, ante scilicet præscriptum tempus, restituit.

XXI. Humbertus II *Belvas*, Friburgensis, Jacobo successit. Ei vero insidias molitus est Joannes *Cuastron*, abbatiæ prior, qui ad canonicorum suffragia sibi concilianda frustra enisus erat : imo horrendum id Joanni consilium fuit ut feliciorem æmulum veneno tolleret, atque juvenem clericum, nomine Perrodum de Loco, tanti facinoris ministrum habuit. Venenum ipsis oblatum hauserunt Humbertus Conradusque *de Belvas*, Humberti propinquus, Conradusque protinus cecidit exanimis, Humbertus vero supervixit.

Audito patrati sceleris nuntio, Joannes, Lausannensis episcopus, Perrodum de Loco comprehendi jubet : quo scelus confitente et Joannem *Cuastron* sceleris suasorem detegente, Joannes ipse *Cuastron* in episcopalem carcerem deducitur. Tunc vero, querens de conculcatis Præmonstratensis ordinis juribus, Aimo de Sarrata, Lacus Jurensis custos advocatusque, reos sibi tradi requirit abbati Præmonstratensi transmittendos. Quam Joannes episcopus traditionem fecit, Ch. LXII, col. 178. præsente Humberto abbate, factamque publicis litteris renuntiavit 3 Martii 1336, secundum recentem calculum. Quæ fuerit hujus causæ exitus non compertum habemus.

XXII. Ludovicus II *de Senarclens*, filius Joannis, *Vinzel* toparchæ, abbas reperitur 13 Martii 1341, secundum hodiernam computationem. Ad ejus administrationem non pauca spectant documenta. Inter quæ referamus obsessam, 10 Augusti 1364, Lacus Jurensis abbatiam a quibusdam Romani Monasterii colonis, agros canonicorum vastatos, et ipsas pecudes vi sublatas. Unde lis tam coram Valdensi baillivo, quam coram Amedeo de Sabaudia, cui nuper Franciscus de Sarrata Lacus Jurensis territorium vendiderat. Denique, anno 1365, Ludovicus litteris publicis renuntiavit de illato damno satisfactum fuisse, colonos scilicet Romani Monasterii colonis Lacus Jurensis mulctatitiam pecuniam numeravisse; Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. III, p. 638. Obiit Ludovicus anno 1370.

XXIII. Petrus III Major *de Romainmotier* jam Ludovico successerat 20 Julii 1370. Eo præsente, 13 Decembris 1382, omnes villæ Loci dictæ incolæ semet abbatis Jurensis tributarios professi sunt; ibid., t. I, part. 2, p. 230. Nec multo post decessit.

XXIV. Henricus Major *de Romainmotier*, antecedenti sanguinis fœdere junctus, abbatem agens legitur 17 Januarii 1385. Dein 5 Julii 1394, 30 Junii 1396, 18 Julii 1403, 2 Augusti 1405, 27 Novembris 1408 et 30 Novembris 1413, in diversis non adeo magni momenti chartulis occurrit, quas D. *de Gingins* publici juris fecit.

XXV. Joannes IV Major *de Romainmotier*, dictus *de Jougne*, e pluribus instrumentis innotescit annis 1419, 1420, 1423. Antea Humilis Montis abbas fuerat.

XXVI. Guillelmus III *de Bettens* ex ecclesiæ *S. Saphorin* super *Morges* curione Lacus Jurensis abbas jam erat 27 Septembris 1427, qua die legitur in novissimo Aymonis de Sarrata testamento. Dein, 16 Januarii 1450, secundum hodiernam annorum computationem, jura ad Ludovicum de Sabaudia in abbatiæ possessionibus pertinentia recognovit; Ann. Lac. Jur., p. 249. Ultima quæ Guillelmi etiam tum abbatiæ gubernaculo præsidentis meminit chartula, 8 Aprilis

A 1457, vel 1458, edita est. Munere sub id temporis in gratiam sequentis semet abdicavit.

XXVII. Nicolaus II *de Gruffy* ab anno circiter 1458. Hic cum Guillelmo de Sarrata, cujus tutelam detrectabat, novem annos litigavit, et causa cecidit 8 Julii 1467. Non pauca supersunt hujus diuturnæ litis instrumenta, quæ D. *de Gingins* publici juris fecit.

XXVIII. Joannes V *Pollens*, abbatiæ jam supprior anno 1458, Nicolao circa annum 1480 successit. Sixtus quidem papa IV abbatiale munus, commendæ titulo, Nicolao cuidam Garriliato, canonico Lausannensi, tra- B diderat : sed jus canonicorum, qui Joannem elegerant, prævaluit, et Nicolao tantum causæ judices honorarium stipendium de reditibus abbatiæ decreverunt. Ipse postea Joannes munus dimisit, 17 Martii 1484; Ann. Lac. Jur., p. 311. Obiit 4 Septembris, anno incerto; ex Humilis Montis necrologio.

XXIX. Joannes VI *de Tornafoll*, doctor legum, possessionem muneris solemniter adiit, adstantibus canonicis, 7 Junii 1484. Noverant hi Joannem apud summum Pontificem acceptissimum : eum ideo abbatem elegerant, ne in alterius cujusdam commen- C datarii imperium compellerentur. Non tantum vero priscis canonicorum juribus beneficiorum a Romana sede collatorum petitores adversabantur : civilis quoque libertatis studio accensi, villarum circumjacentium coloni vectigalia quælibet abbatiæ persolvenda detrectabant; qui scilicet, die quadam, Joannem ipsum abbatem comprehenderunt, illique, evaginatis gladiis, mortem minati sunt, nisi eos omni tributo absolveret. Unde litibus insitæ lites : quibus tandem impositus finis 20 Junii 1488. Occurrit Joannes, anno 1498, arbiter electus dissidii quod inter Aimonem D episcopum canonicosque Lausannenses exortum erat de hæreticorum judicio. Senio postea confectus munus dimisit, Julio papæ II sequentem commendans.

XXX. Aimo *Jaquet*, quem Julius papa, Joannis precibus obsequens, ex abbatiæ canonico abbatem instituerat 30 Julii 1509, ea tamen sub conditione ut eum canonici, suffragiis aditis, eligerent, in muneris possessionem, nemine, ut ferunt, obstante, missus est; sed paulo post obiit, et, ejus audita morte, Joannes *de Tornafoll*, ad id temporis superstes, abbatialem domum rediit.

E XXXI. Joannes VI *de Tornafoll*, iterum abbas, regimen iterum in gratiam sequentis dimisit.

XXXII. Jacobus II *Varnier*, vel *Varney*, ex abbatiæ novitio fit abbas; qui mox Parisios tendit, eximios theologiæ doctores auditurus, Claudio *Ros* vicario generali instituto. Abbatiam regente Jacobo, 23 Novembris 1513, cum incolis vici *Vaulion* canonici pepigere. Non multo post vero Jacobus obiit, aut munere semet abdicavit. Nec Aimonis

Jaquet, nec Jacobi *Varnier* meminit, anno 1519, Claudius abbas, obsequium Michaeli Sarratensi promittens : qui scilicet Joannem de Tornafollo *ultimum defunctum abbatem* tunc temporis appellat, eoque nec Aimonem, nec Jacobum secundum canonicorum suffragia electos et institutos fuisse significare videtur; Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. I, part. 2, p. 358.

XXXIII. Joannes VII Claudius *d'Estevayer* ex abbate Altæ Cumbæ fit abbas Lacus Jurensis, et obit anno 1519.

XXXIV. Claudius I *d'Estevayer*, Bellicensis episcopus, præpositus Lausannensis ecclesiæ, abbas Altæ Cumbæ et Romani Monasterii simul prior erat, cum antecedentis e fratre nepos, eo mortuo, consensu domini papæ, regendum Lacum Jurensem, commendæ titulo, suscepit. Obiit vero 28 Decembris 1534.

XXXV. Claudius *Pollens*, cognomento *Bessonis*, a canonicis post Claudii mortem eligitur. Non diu vero munus implevit, dissipanda sub annum 1536 Lacus Jurensis congregatione. Ipse Claudius, Reformationem amplectens, uxorem duxit.

IX. Marsens, seu Humilis Mons. Hæc ordinis Præmonstratensis abbatia, non procul *Marsens*, ad imam montis *Gibloux* partem, sita erat, in aspera et incolis infrequenti valle. Eam anno 1136 castellum *Marsens* incolentes dynastæ condiderunt. Parvam quidem fortunam hæc domus sortita est : quam vero reipublicæ Friburgensis territorium complectebatur non occupavit anno 1536 Bernensis exercitus, tot Lausannensis diœcesis abbatiis sub id temporis infestus : ideo usque ad annum 1580 stetit, quo decurrente collegio Jesuitarum Friburgensium adnexa est. Humilis Montis hi fuerunt abbates :

SERIES ABBATUM.

I. Ulrichus I, alias Aldricus, annis 1136, 1148, 1149 memoratur. Obiit 4 Julii; e domestico necrologio.

II. Aimo I, annis 1149, 1162.

III. Martinus ex abbatiæ, ut ferunt, priore abbas electus est. Primum reperitur 1 Maii 1168, testis rerum a Gualchero *de Blonay* Lacui Jurensi datarum. Eodem quoque teste, anno 1173, Radulfus de Gruieria Altam Ripam pluribus donis affecit; Zapf., Mon. Anecd., p. 109. Nec semel anno 1177 Martini Chartularium Telense meminit, p. 31, 32, eum referens tam ab uxore Jocelini *de Corbères* quam a Landrico præsule testem adlectum fuisse jurium fundorumque Telæ collatorum, aut confirmatorum. Eodem præsente, anno 1179, Ulrichus de Novo Castro Fontis Andreæ rem auget. Anno denique 1180, 13 Aprilis, testimonio suo confirmat datam (Ch.: xxxvi, col. 157.) a Rogerio præsule fratribus Fontis Andreæ ecclesiam S. Martini de Crisciaco.

IV. Otho precibus suis Rogerium præsulem ad nemus quoddam monialibus Rivoriæ condonandum impellit; Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. I, part. 3, p. 187. Obiit 16 Martii.

V. Burchardus I anno 1212 memoratur; qui, ut videtur, 26 Augusti occubuit, anno incerto.

VI. Ulrichus II, anno 1215.

VII. Guillelmus I, anno 1217, testis est Humberti *de Vuflens* cum abbate Lacus Gaymaro paciscente. Idem, anno 1230, in Altæ Cristæ Chartulario reperitur, quamdam inter Altæ Cristæ et Altæ Ripæ monachos sopitam fuisse contentionem testans.

VIII. Jacobus I, annis 1226, 1227; e serie quam D. Egb. Fred. *de Mulinen* præbet.

IX. Nanthelmus ab anno 1232 usque ad annum 1238 legitur.

X. Guillelmus II, anno 1244.

XI. Burchardus II, ab anno 1246 usque ad annum 1259. Necrologium abbatiæ cujusdam Burchardi, vel Borcardi *de Wuippens*, meminit, 30 Aprilis defuncti. Incertum autem est ad quem inter Humilis Montis abbates Burchardum gentilitium hoc cognomen *Wuippens* pertinuerit.

XII. Amalricus, ab anno 1261 usque ad annum 1265. Testis est, anno 1264, Joannis episcopi quemdam agrum ad viam conficiendam Altæ Ripæ tradentis; e sch. *Droz*, t. XLIV, p. 202.

XIII. Jacobus II, is forsan Jacobus *de Corbères* de quo necrologium sub diem 9 Aprilis fidem facit, ab anno 1266 usque ad annum 1281 reperitur. Non tamen munus usque ad hoc tempus retinuit; namque

XIV. Burchardus III memoratur annis 1269, 1281, a D. Egbert. Fred. *de Mulinen*.

XV. Petrus I, anno 1303. Necrologium cujusdam Petri *de Geneveis* meminit sub diem 3 Septembris, quem e Lacus canonico abbatem Humilis Montis fuisse asserit.

XVI. Albinus, anno 1314.

XVII. Gerardus I, ab anno 1315 usque ad annum 1332. Isne Gerardus hic *de Wuippens*, qui in necrologio 7 Aprilis occurrit?

XVIII. Guillelmus III de Rua, vel potius, ut conjiciunt, *de Riaz*, ab anno 1335 usque ad annum 1343.

XIX. Joannes I *Olivier*, 1340, 1347.

XX. Radulfus, 1351.

XXI. Joannes II Girardi, Mureti natus, ab anno 1360 usque ad annum 1386. Obiit 23 Martii.

XXII. Joannes III *Darinier* ab anno 1388 usque ad annum 1398. Obiit 7 Maii.

XXIII. Aimo II *d'Arnex*, anno 1403.

XXIV. Joannes IV Major *de Romainmotier*, dictus *de Jougne*, ab anno 1405 usque ad an-

num 1406. Postea Lacus Jurensis abbas fuit. A

XXV. Ulrichus III *d'Everdes*, ab anno 1416 usque ad annum 1420. Longe ante decessus sui diem munere semet Ulrichus abdicavit.

XXVI. Guillelmus IV *de Rive* ab anno 1429, obiturus 20 Julii 1455. Ei per Felicem papam V pontificiis ornamentis uti licuit.

XXVII. Petrus II *Olivier*, 6 Augusti 1455 electus, 20 Octobris 1482 decessit.

XXVIII. Gerardus II *Tabousset*, annis 1482, 1489, 1491. Abbatiam visitat anno 1489 Joannes *de Tornafoll*, abbas Lacus Jurensis, qui canonicos in ea tantum quatuor B reperit.

XXIX. Joannes V Monachi e Loci Dei monacho abbas Humilis Montis 7 Septembris 1492 eligitur; sed 26 Octobris 1493 munus dimittit.

XXX. Petrus III *Gandillon*, alias *Ganeillon*, antea Lacus Jurensis canonicus, eligitur abbas 6 Novembris 1493, et obit 16 Septembris 1527, postquam munere semet abdicaverat in gratiam sequentis, anno 1516.

XXXI. Nicolaus *Vincent*, patria Lausannensis, abbas ex Altæ Cristæ Cisterciensi monacho, obiit 16 Septembris 1537. C

XXXII. Petrus IV *Chamuffens*, e vico *Marsens* oriundus, ab anno 1537.

XXXIII. Gerardus III *Duding*, e capellano ecclesiæ *Corsier* juxta *Vevey* eligitur abbas 22 Decembris 1553, decessurus 16 Maii 1565.

XXXIV. Claudius *Fracheboud*, Gruieriæ natus, electus est 1 Junii 1565 et obiit 16 Augusti 1572.

XXXV. Joannes VI *Cholet*, ab anno 1572 usque ad annum 1580; quo decurrente abbatia Jesuitarum collegio Friburgensium unita est.

X. Fons Andreæ. S. Michael de Fonte An- D dreæ, in Novicastrensi comitatu, a Wachelmo, Corneoli abbate, anno 1143 fundatur, Præmonstratensibus sodalibus adscribendus. Quam eo anno Guido, Lausannensis episcopus, fundationem approbavit, jussitque ut Corneoli filia Fons Andreæ matri suæ semper obsequens esset. Magnam ea domus cladem passa est anno 1375, die Christo nascenti sacro. Tunc enim Enguerrandus *de Coucy*, contra ducem Austriæ armatam ducens turmam, in eo loco constitit; nec satis prohibuit quin sævi nimioque potu æstuantes commilitones in ipsa monachorum claus- E tra tædas admoverent. Hoc incendio penitus destructa est abbatia, ut rem comperimus e Novicastrensi quodam codice; Mon. Novi Castri, p. 1012. Ædificia vero nova postea surrexerunt, e quibus, anno 1530, Præmonstratenses canonicos Reformati ejecere.

Ch. xxi, col. 143.

ABBATUM SERIES.

I. Guido (quem Guidonem de Marlania, episcopum nuper Lausannensem, falsa, ut videtur, conjectura, quidam opinati sunt), primus Fontis Andreæ abbas fuit. Anno circiter 1143, agrum *Savaignier* Guido recuperat, a Radulfo de Novo Castro ablatum; Mon. Novi Castri, p. 8. Eidem, anno circiter 1150, plures donationes Amedeus, Lausannensis præsul, confirmat; ibid., p. 12.

II. Guillelmus I, ab anno 1173. Anno 1177, 25 Maii, Bellelagiæ, a Landrico, Lausannensi Ch. xxxii, episcopo, plures decimas confirmatas habet. col. 155. Testis idem est, anno 1185, compositi inter Herilacensem abbatiam monachosque Vallis Transversæ dissidii super ecclesia vici *Diesse;* Mon. Novi Castri, p. 26. Dein, anno 1192, ipse cum Hugone, abbate Altæ Ripæ, de vineis *Aarins* sitis componens legitur. Sed dubius nobis est annus quem charta præbet ea de compositione fidem faciens. Eo certe anno 1192 a Conone *d'Anes*, coquo, quamdam vineam juxta *Champreveyre* accipit; ibid., p. 32. Cononis donum referens instrumentum Guillelmum, Fontis Andreæ abbatem, antea priorem Lacus Jurensis fuisse testatur. Nec e minus certis indiciis colligitur eumdem abbatem Miræ Vallis, apud Tullenses, exstitisse. Anno enim circiter 1194, *abbas* insimul *de Mirvalt et Fontis Andreæ* appellatur ab ipso Rogerio Lausannensi episcopo, quasdam scilicet res ab Hugone de Grandisone Fonti Andreæ datas confirmante; ibid., p. 34.

III. Otho anno 1214, IV id. Octobris, innotescit e Berctholdi, Lausannensis episcopi, diplomate, de vinea quadam Fonti Andreæ a Conone Novicastrensi condonata; ibid., p. 57. Decesserat vero ante annum 1220: hoc enim anno, idem Berctholdus agrum *Champreveyre* Fontis Andreæ *tempore Othonis abbatis* concessisse profitetur; ibid., p. 61. Obiit XVII cal. Junii, anno incerto.

IV. Torumbertus X cal. Julii 1225 occurrit, testis rerum Herilacensi conventui ab Ulricho de Novo Castro collatarum; ibid., p. 70. Idem, anno 1231, Berctholdum de Novo Castro Herilacensis abbatiæ dominium auxisse testatur; ibid., p. 81.

Anno quidem 1228, G. Fontis Andreæ abbas reperitur in Herilacensi chartula quam D. Matilius, Mon. Novi Castri, p. 74, et D. *Trouillat*, Mon. Episc. Basil., t. I, p. 512, publici juris fecere. Sed conjicere licet hunc G. non alium a T., Torumberto scilicet, fuisse. Dubiam tamen rem profitemur, præsertim cum D. *Trouillat* litteram G. in archetypo se legisse declaret.

V. Petrus I, anno 1239. Is est forsan Petrus abbas cujus commemorationem D. Egb. Fred. *de Mulinen* VII cal. Aprilis celebratam fuisse refert.

VI. H. memoratur anno 1241. Sed litteræ H. loco D. Georgius Augustus Matilius, Monum. Novi Castri, p. 96, litteram N legit. Unde conjicere licet abbatem hunc anno 1241 prima nominis littera designatum non alium ac Nanthelmum sequentem fuisse.

VII. Nanthelmus enim, anno 1243, ab Henrico *de Marens* vineam quamdam emit; ibid., p. 101. Idem, anno 1264, cum Aimone, Herilaci abbate, paciscitur; ibid., p. 103.

Ch. LIII, col. 171. VIII. Stephanus I, in vico *Arberch*, Septembri mense 1255, testis assumitur a Radulfo de Novo Castro, Locum Dei condente.

IX. A., 14 Februarii 1268, secundum hodiernam computationem, litteras obsignat Guillelmi *Mates;* Mon. Novi Castri, p. 139.

X. Stephanus II, Octobri mense 1268, venditas res capitulo Novicastrensi ab Hermanno de *Fresens* sigillo suo firmat; ibid., p. 142. Januario 1269 cum Petrina de Columberio componit; ibid., p. 143. Quo etiam anno litteras edit de quadam pactione inter conventum Grandis Vallis et Bellelagiæ canonicos; Mon. Episc. Basil., t. II, p. 194. Reperitur postea, anno 1274, notas faciens res a Conone, magistri Scoti filio, Agneti matri datis; Mon. Novi Castri, p. 155. Stephani regimen usque ad annum 1278 productum est. Obiit II non. Junii.

XI. Joannes I, anno 1279; e serie quam D. Egb. Fred. *de Mulinen* digessit.

XII. Richardus, 24 Maii 1287, novissimo Radulfi de *Coffrane*, canonici, testamento sigillum suum apponit; Mon. Nov. Castri, p. 217.

XIII. Joannes II *de Cossonay* sub annum 1308 Fontis Andreæ abbatibus annumeratur a D. Ludov. *de Charrière;* Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. V. De eo tamen abbate dubitare licet.

XIV. Petrus II *de Lonay,* anno 1319, 1 Maii, instrumentum obsignat matrimonii inter Hartmannum de *Kyburg* et Margaritam, filiam Radulfi de Novo Castro; Mon. Nov. Castr., p. 343. Idem, anno 1324, Lacum Jurensem, mandato Præmonstratensis abbatis, visitat; Chartul. Lacus, p. 200. Denique superstes erat Petrus anno 1326; e Diar. Hebd. Solod., 1832, p. 63. Obiit VI cal. Maii, anno incerto.

XV. Joannes III *de Lonay,* 1344, 1360, 1362.

XVI. Guillelmus II *de Vauxtravers* ab anno 1372 usque ad annum 1386 memoratur. Obiit X cal. Augusti, anno pariter incerto.

XVII. Martinus *Bovet,* e *Mont-la-Ville* oriundus, anno 1396 reperitur. Obiit II non. Novembris.

XVIII. Henricus *Chalagrin* abbatiæ præsidebat, ex authenticis chartulis, annis 1418, 1419. Decessit, ad necrologii domestici fidem, 31 Martii 1428.

XIX. Guillelmus III *Ramondet,* 1435, 1441 memoratur, obiturus VI id. Aprilis 1444.

XX. Petrus III *des Granges,* 1450, 1452, obiturus IX cal. Februarii 1458.

XXI. Franciscus *Bourquier,* electus II cal. Februarii 1458, decessit XV cal. Julii 1489.

Nullus ergo locus superesse videtur cuidam Joanni *Bedant,* quem sub annum 1481 collocant.

XXII. Petrus IV *Nonans* ab anno 1489. Obiit X cal. Septembris 1502.

XXIII. Conradus *Maréchal,* electus 26 Septembris 1502, episcopo Lausannensi obsequium 4 Octobris promisit, moriturus X cal. Novembris 1518.

XXIV. Ludovicus *Colomb,* e Novo Castro oriundus, ultimus abbatum fuit, ab anno 1520 usque ad annum 1530. Dirempta tunc temporis canonicorum congregatione, exsul Ludovicus Maio mense 1539 obiit.

Locus Dei. Locus Dei, teutonice *Gottstatt,* in sinistra rivi *Thiele* ripa, Augiensis domus abbati dono datur anno 1247, a Radulfo de Novo Castro, ejusque fratribus, Henrico Basileensi præposito, necnon Berctholdo *de Strasberg* et Ulricho *d'Arberg,* ut in eo scilicet loco, quem veteres *Stadowe* appellaverant, abbatia nova conderetur. Abbas autem Augiensis minime rem, ut videtur, executus est. Namque anno 1255, mense Septembri, eumdem idem Radulfus locum abbati Bellelagiæ contulit, Præmonstratensem abbatiam ibi fieri exoptans, cui scilicet instituendæ tam Bellelagiæ quam Lacus Jurensis Fontisque Andreæ abbates communem operam adhiberent. Ea vero abbatia, cujus parvum nomen semper fuit, anno 1528 in sæcularem domum desiit. XI. Ch. LIII, col. 170.

SERIES ABBATUM.

I. Martinus anno 1258 memoratur. Dubius vero hic abbas.

II. Jacobus, anno 1290, qui postea, sed anno incerto, munere semet abdicavit.

III. Wolmarus ante annum 1297 munus dimiserat.

IV. N. *de Sarbachen* eo anno 1297 memoratur.

V. Nicolaus I, 1315, 1317.

VI. Richardus, annis 1324, 1327, 1339.

VII. Joannes I, anno 1343.

VIII. Nicolaus II, annis 1350, 1351, 1352.

IX. Joannes II *Schobihut,* ab anno 1354. Hic, anno 1380, Ulricho *Gratner,* Loci Dei canonico, potestatem facit ecclesiam *Arch,* in Constantiensi diœcesi, rectoris titulo administrandi. Superstes quoque memoratur anno 1381.

X. Bernardus ab anno 1384 usque ad annum 1394 reperitur.

XI. Petrus, anno 1398.

XII. Joannes III *Megking,* Solodorensis, ab anno 1411 usque ad annum 1442.

XIII. Radulfus I, anno 1445.

XIV. Nicolaus III *Megking*, et ipse Solodorensis, 1450, 1451, 1452.

XV. Joannes IV *Slaffi*, ab anno 1461 ad annum 1470.

XVI. Joannes V *Hebdentreit*, 1475.

XVII. Radulfus II, 1476.

A XVIII. Nicolaus IV *Krebs*, ab anno 1478 usque ad annum 1492.

XIX. Conradus I *Meyer*, ab anno 1504 usque ad annum 1514.

XX. Christianus *Affolter*, 1521, 1523.

XXI. Conradus II *Schilling*, ab anno 1524 usque ad annum 1528.

ABBATIÆ SUPERSTITES.

Fere omnes, ut diximus, Lausannensis diœcesis abbatiæ in sæculares domos mutatæ sunt, cum eo Bernensia agmina Helveticæ gentis territorio potita sunt. Duæ e communi excidio superstites evasere : quæ sunt :

ORDINIS CISTERCIENSIS

Virorum

Alta Ripa, *Hauterive*.

Feminarum

Macra Augia, *La Maigrauge*.

Harum nunc historia paucis describenda.

ALTA RIPA.

Alta Ripa, teutonice *Alten-Ryf*, duabus leucis Friburgo distans, ad Sanam flumen, Cisterciensis abbatia est, quam, anno 1137, Guillelmus de Glana condidit. Arcem Glanam incolebat hic Guillelmus, in summo abruptæ rupis vertice eminentem, cujus radices Sana præterlabitur. Cum autem nullos relicturus esset nominis sui hæredes, cum ipsius vitæ tædium subiit : quare paternam arcem evertere jussit lapidesque e ruentibus munimentis excisos in monasticæ domus ædificationem assignari, quam Cisterciensibus Cari Loci monachis propriam adscripsit. Eam fundationem approbans Guido, Lausannensis episcopus, jam multas exsurgentis abbatiæ possessiones recenset. (Ch. XVII, col. 138.) Guillelmus dein de Glana ipse monachum induit, et intra claustrorum, quæ sumptibus suis exstruxerat, septa decessit, 11 Februarii 1142. Ecclesiam abbatialem anno 1138 Guido præsul consecraverat. Eamdem postea domum apostolicæ litteræ confirmaverunt, Innocentii scilicet II anno 1141, Eugenii II anno 1146, Lucii III anno 1181, Innocentii III anno 1198, Gregorii IX anno 1227, Innocentii IV anno 1247, Gregorii X anno 1274, ne singulas recentiorum Pontificum confirmationes referamus. Guillelmi deinde donum auxerunt Aimo, Sabaudiæ comes, Joannes Burgundiæ, necnon comites Novi Castri et Gruieriæ, et Salinarum, Pontis, *Blonay*, *Montagny*, *Arconciel*, *Illens*, *Corbières*, *Treyvaux*, *Estevayer* dynastæ. Primi quidem hujus abbatiæ custodes fuere Novi Castri comites : postea vero, annis scilicet 1360, 1366, 1455, diversa eamdem pacta in Friburgensis oppidi tutelam traduxere. Macra Augia Filiaque Dei, puellares conventus, Altæ Ripæ morem gerebant abbati; penes quem etiam Cappellensem abbatiam, in diœcesi Constantiensi, a monachis Altæ Ripæ olim institutam, jus visitandi. B Floruit usque ad hodierna tempora Alta Ripa.

SERIES ABBATUM.

I. Girardus Altæ Ripæ primus abbas fuit, e Cariloccensi claustro eductus, qui, florente, ut ferunt, juventa, Bernardi Clarævallensis discipulus fuerat; Zapf., Mon. Anecd., p. 92. C Ejus nomen jam sub annum 1137 domesticæ tabulæ præbent. Eidem postea Guido præsul permultos a diversis Lausannensis agri proceribus Altæ Ripæ collatos fundos confirmat, annis 1139, 1142; ibid., p. 90, 101. Eodem quoque anno 1142, testis occurrit ejusdem Guidonis Telensis abbatiæ possessiones recensentis; e Chartul. Tel., p. 7. Novi Castri dein reperitur 10 Julii 1154, quo præsente Ortliebus, Basileensis episcopus, exortam inter Bisuntinam et Lausannensem ecclesias controversiam dirimit; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 325. De Girardo usque ad annum D 1157 mentio est. Eo scilicet anno, a Berctholdo, Burgundiæ rectore, litteras obtinuit, quibus Altæ Ripæ monachi quibuscumque vectigalibus in ducali Berctholdi dominio immunes renuntiati sunt.

II. Richardus breve, ut videtur, regimen sortitus est. Ei, anno 1158, Ulrichus de Novo Castro quædam prædia tradit; Mon. Novi Castri, p. 14.

III. Astralabius anno 1162, ut ferunt, obiit. Hunc quidam, inter quos doctissimus vir et nostratum philosophorum hodie princeps, D. Victor *Cousin*, Fragm. Phil. Schol., p. 447, E Astralabium illum opinantur qui Petri Abælardi et Heloissæ filius fuit, cuique Abælardus pater carmina nuncupavit De Moribus et Vita pia. Eam sane conjecturam stabilire nobis placeret; sed nudum Astralabii nomen index vetus præbet, nec alia ejusdem in domesticis extraneisque scriniis mentio.

IV. Pontius, anno 1162, plures donationes a Landrico præsule confirmatas habuit; Mon. Novi Castri, p. 15.

V. Hugo I *de Port*, anno, ut ferunt, 1165 ;

sed non sine magna dubitatione nomen hujus A abbatis transcribimus.

VI. Ulrichus I *de Martrans* ab Agnete, Gruieriæ comitissa, anno 1170, quemdam agrum accipit; Zapf., Mon. Anecd., p. 106. Idem, anno incerto, cum Rembaldo de Novo Castro paciscitur; Mon. Novi Castri, p. 17.

Ch. xxxi, col. 153. VII. Guillelmus I *li Provinciaul*, anno 1173, a Landrico præsule ecclesiam S. Petro sacram accipit. Circa annum 1174 testis occurrit pacti cujusdam inter Amedeum de *Donnaluyz* et Telæ monachos; e Chart. Tel., p. 27. Anno dein, ut videtur, 1180, secundum Neugartium, Cod. Dipl. Alem., t. II, p. 108, B testis idem est Adelhaidis, Auroræ fundationem approbantis. Adelhaidis quidem chartam D. Trouillatius anno circiter 1170 adscripsit, Mon. Episc. Basil., t. I, p. 351. Ulrichus vero, minime Guillelmus, anno 1170 Altæ Ripæ præerat.

VIII. Hugo II *de Corbière*, anno 1181. Quidam, inter quos D. Matilius, Mon. Novi Castri, p. 33, Hugonem hunc in annum 1192 vixisse contendunt; sed obstat Telense infra memorandum diploma, quod de Guillelmo jam sub annum 1190 fidem facit.

IX. Guillelmus enim II de Rupe, Lau- C sannæ, 22 Maii 1190, Rogerii episcopi litteris pro Telensi monasterio subscribit; e Chart. Tel., p. 53. Idem, III cal. Septembris 1196, ab Ulricho de Novo Castro, qui scilicet anniversarium suum a monachis Altæ Ripæ celebrandum instituit, nonnulla jura accipit; Mon. Novi Castri, p. 37. Anno etiam 1200 Guillelmus superstes videtur: hoc enim anno Petrus Radulfusque de Gruieria cum canonicis Lausannensibus pepigerunt, præsente inter alios W., scilicet Wilhelmo, abbate Altæ Ripæ; e Chart. Lausann., p. 206.

X. Joannes vero I *de Releport* anno 1201 D abbatiæ clavo præsidebat; quo nempe de- Ch. xxxix, col 159. currente, V cal. Julii, in urbe Lausanna, abbatiæ suæ possessiones a Rogerio præsule confirmatas habuit. Eo quoque anno Joannes occurrit cum Ulricho de Novo Castro quædam permutans; Mon. Novi Castri, p. 39. Anno 1208 similem quarumdam rerum permutationem cum Bercthololdo, Basileensi præposito, pangit; ibid., p. 41. Anno 1209, Petrus, futurus Bellicensis episcopus, Altam Ripam ingressus est ibique monachum induit, Ch. xx. col. 159. die qua triviatim rami Palmarum circumferuntur: hanc ideo sub diem fratres ejus Ja- E cobus Radulfusque de Ponte Joanni abbati quidquid in prædio *Chavanes* possidebant dono dedere. Joannes deinde legitur annis 1219, 1224, tam a Conone de Pratellis quam a Guillelmo, Gebennensi comite, ablata bona recuperans, *Droz*, t. XLIV, p. 142, et anno 1225, X cal. Julii, collatam Herilaco decimam ab Ulricho Novicastrensi testans; Mon. Novi Castri, p. 70.

XI. Joannes II *d'Autigny* in chartophylacio Altæ Ripæ sub annum 1228 reperitur. Hic sane Joannes plura fecit quæ Joanni *de Releport* tribuimus. Cui vero Joanni ea potius sint adscribenda chartæ supra laudatæ minime nos docent. Nonnullis præplacuit Joannem *d'Autigny* prætermittere, Joannisque *de Releport* regimen usque in annum 1228 producere.

XII. Hugo III *de Jegistorf* memoratur, 3 Maii 1230, cum monachis Altæ Cristæ de usu cujusdam viæ composuisse; e Chart. Altæcr., p. 60. Quo etiam, ut videtur, anno, V cal. Augusti, in ipsa Solodorensi ecclesia, coram ingenti multitudine, præpotentes Ch. XLVII, col. 164. domesticis opibus cives erga monachos Altæ Ripæ Hugonemque abbatem semet obligant in permultas libras ceræ quotannis præstandas. Eodem denique anno 1230, 18 Octobris, coloniam *Cugic*, ad Telensem conventum pertinentem, Hugo numerata pecunia comparat. Alia, sed minora, diplomata Ch. XLVIII, col. 165. Hugonis nomen annis 1231, 1233 præbent.

XIII. Ulrichus II de Friburgo sub Aprilem mensem 1234 et sub annos 1237, 1239, occurrit. Munere postea semet abdicavit. Anno enim 1240, etiam tunc superstes, sed *quondam abbas*, testis fuit Bercthololdi de Novo Castro donationes ab avis suis Altæ Cristæ factas confirmantis; Mon. Novi Castri, p. 97.

XIV. Henricus I de Pruvino post Ulrichum ponitur.

XV. Henricus II *de Montmacon*, alias de *Maggenberg*, ab anno, ut videtur, 1242. Hic igitur anno 1244 ab Aimone et Henrico de Pratellis prædium *Chennens* dictum recupe- Ch. L, col. 166; ravit. Eidem anno 1245 abbatiæ possessiones Joannes, Lausannensis præsul, confirmat, *Droz*, t. XLIV, p. 173, et Bercthololdus de Novo Castro, 23 Aprilis 1246, advocatiam ecclesiæ prope *Arconsie* S. Petro sacræ concedit; Mon. Novi Castri, p. 105. Anno denique 1247, de pascuis agris in territorio vici Rotæ sitis cum abbate Altæ Cristæ pactus est; e Chart. Altæ Cristæ, p. 75.

XVI. Petrus I *de Gruyère*, Radulfi comitis filius, e monacho Altæcrestensi Altæ Ripæ factus est abbas anno circiter 1250. Is est qui, anno 1252, testis fuit Bercthololdi Jacobique *de Ricasperg* erga Altam Cristam beneficorum; e Chart. Altæcr., p. 278. Obiit 24 Novembris 1257.

XVII. Wibertus de Friburgo, anno 1258.

XVIII. Guido de Favarniaco, 29 Novembris 1268 electus, Altam Ripam per annos 26 et 6 menses rexit.

XIX. Hugo IV *Ramel* ab anno 1295; qui non multo post, nempe 28 Junii 1296, munus dimisit, decessurus 19 Octobris 1302.

XX. Hugo V *Collon*, patria Friburgensis, ab anno 1296; qui 9 Octobris 1299 obiit.

XXI. Ulrichus III, dictus Lausannensis, ab anno 1302 reperitur et 13 Septembris 1320 moritur.

XXII. Petrus II *Rych de Henneberg*, Friburgensis, annis 1322, 1327 legitur.

XXIII Aimo *deDompierre,* ab anno 1330: qui obiit 12 Junii 1336.

XXIV. Albertus *de Prez,* annis 1337, 1346, 1347. Obiit 17 Julii, anno, ut videtur, 1348.

XXV. Jacobus I *de Corpasteur*, annis 1348, 1354: qui 21 Aprilis 1358 vitæ metam attigit.

XXVI. Radulfus *de Blonay* ex Altæ Cristæ monacho abbas Altæ Ripæ creatus est anno 1358. Erga eum, 1 Januarii 1360, vel 1361, advocatus consulesque Friburgenses gratos se profitentur, ob subsidia quæ in propugnaculorum Friburgensium exstructionem contulerat; Collect. Diplom. Frib., t. III, p. 153. Decenne denique regimen sortitus, 4 Junii 1368 Radulfus occubuit.

XXVII. Nicolaus *de Bretigny* abbatiam anno 1372 regebat. Hic, anno 1385, Capellam, in Constantiensi diœcesi, visitavit, ejusque statum descripsit. Qui autem huic descriptioni suum apposuit nomen Radulfus, Capellensis abbas, prædecessoribus nostris ignotus pertransiit. Vide supra, t. V, col. 939. Obiit Nicolaus 26 Junii 1391: Munus tamen antea dimiserat, nam

XXVIII. Joannes I *d'Affry*, patria Friburgensis, ab anno 1389 memoratur, qui 2 Julii 1390 obiit.

XXIX. Joannes II *Grosset*, e vico *Montagny* oriundus, ab anno 1391 in annum 1394, quo decessit, 27 Julii.

XXX. Conon de Tribus Vallibus, gallice *de Treyvaux*, obiit 20 Maii, anno 1403, vel potius 1405.

XXXI. Petrus III *d'Affry*, frater Joannis supra memorati, anno 1405 electus est. Anno 1446, querente Petro de quibusdam nobilibus viris, qui debitas monachis decimas præbere detrectabant, synodus Basileensis Solodorensi præposito hanc provinciam dat ut eos ad id compellat. Munere semet abdicavit Petrus anno 1449, et eo anno obiit, 3 Maii.

XXXII. Petrus IV *Massalier*, anno 1449 electus, decessit 10 Aprilis 1468. Post eum aliquantisper sedes vacua permansit.

XXXIII. Joannes III *Philibert,* ab anno 1472 usque ad annum 1486, quo munus dimisit. Eum deinde, 16 Februarii 1510, decessisse ferunt.

XXXIV. Joannes IV *Reynaud,* Friburgensis, ab anno 1486; qui obiit 23 Februarii 1499.

XXXV. Joannes V *Spetglin*, theologiæ professor, ex Augustiniano eremita Altæ Ripæ abbas eligitur, postquam sedes aliquot menses orba rectore permanserat, 3 Octobris 1500. Munus vero dimisit 1 Septembris 1511.

XXXVI. Joannes VI *Taverney*, Friburgensis, protonotarius apostolicus, Bernardi

A *Taverney*, præpositi S. Nicolai Friburgensis, frater erat. Abbatem eum monachi anno 1511 elegerunt: mortuus autem est 1 Februarii 1519.

XXXVII. Roletus *Fryoz*, Friburgensis, 15 Julii 1519 electus, munus dimisit anno 1520, eodem decessurus, 21 Martii.

XXXVIII. Joannes VII *Schely* ex abbatiæ cellario abbas anno 1520 creatus, obiit 7 Aprilis 1535.

XXXIX. Joannes VIII *Gribolet*, Friburgensis, eligitur 27 Novembris 1535, obiturus 28 Martii 1559.

B XL. Joannes IX *Berner* aditis suffragiis abbas salutatur 1 Maii 1559; qui officio sponte semet exemit anno 1566 et 6 Januarii 1568 mortuus est. Abdicationem ejus non tantum prægravescenti senectuti, sed etiam monachorum moribus tribuunt. Etenim, anno 1566, Friburgensis senatus in meliorem statum restituendam abbatiam procuratori cuidam commisit, nec per duos annos regularis abbas Altæ Ripæ præfectus est.

XLI. Jacobus II *Mullibach,* Friburgensis, antea prior eremitarum S. Augustini Friburgensium, abbatiali tandem munere anno

C 1569 donatur. Obiit 5 Januarii 1578.

XLII. Antonius I *Gribolet*, Friburgensis, abbas e priore anno 1578 electus, insignia muneris anno 1604 deposuit, et postea 29 Januarii 1607 decessit.

XLIII. Petrus V *Python,* in urbe *Arconciel* natus, Altæ Ripæ præfecturam anno 1604 auspicatus est, et 14 Octobris 1609 obiit, optimi administratoris famam relinquens.

XLIV. Antonius II *von der Weyd,* Friburgensis, theologiæ doctor, vicarius generalis Lausannensis episcopi, ab anno 1609 usque ad diem 20 Martii 1614, qua scilicet die ter-

D renis curis solutus est.

XLV. Petrus VI *Deytard* ex Augustiniano Friburgi canonico abbas fit anno 1614. Anno vero 1616 munere semet abdicavit.

XLVI. Guillelmus III *Moënnat*, ex urbe *Romont* oriundus, 8 Decembris 1616 electus est, et 1 Septembris 1640 obiit.

XLVII. Clemens I *Dumont,* e vico *Autigny,* eligitur 11 Septembris 1640 et 1 Novembris 1659 moritur. Hic, mense Decembri 1642, Joanni *de Watteville*, episcopo, ministravit Adrianum, Sedunensem episcopum, consecranti; supra, t. XII, col. 758.

E XLVIII. Dominicus *Bumann*, Friburgensis, fratrum suffragiis in abbatialem sedem evehitur 21 Novembris 1659 et obit 2 Aprilis 1670.

XLIX. Candidus *de Fivaz,* Friburgensis, 9 Decembris 1619 natus, abbas electus est 11 Aprilis 1670. Antea procurator erat Macræ Augiæ. Obiit 28 Octobris 1700.

L. Antonius III *de Reynold* Friburgensis, 4 Novembris 1700 eligitur. Cum vero Friburgensis senatus electionem hanc ratam non

haberet, ad Lucellensis abbatiæ præfecturam Antonius transiit 28 Martii 1703. Erat etiam vicarius generalis Cistereiensis abbatis in Helvetia, Alsatia et Brisgoia.

LI. Clemens II *Morat,* in vico *Lentigny* natus, e cellario fit abbas 21 Novembris 1703, decessurus 20 Februarii 1715.

LII. Henricus *de Fivaz,* Friburgensis, antecedentis Candidi e fratre nepos, natus 29 Januarii 1675, abbatialem sedem adipiscitur 1 Martii 1715. Eo præsente, anno 1734, in ecclesia Capucinorum Bulli, apud Friburgenses, Joannes Jacobus episcopus Sedunensis a Claudio *Duding,* episcopo Lausannensi, consecratus est; supra, t. XII, col. 759. Obiit 3 Octobris 1742.

LIII. Constantinus *de Maillardoz,* Friburgensis, natus 9 Aprilis 1698, electus est 19 Novembris 1742 et obiit 7 Martii 1754.

LIV. Emmanuel *Thumbé,* Friburgensis, natus 15 Aprilis 1712, electus 1 Aprilis 1754, mortuus 22 Augusti 1761.

LV. Bernardus Emmanuel *de Lenzburg* ex abbatiæ cellario et chartophylace abbas creatur 4 Septembris 1761, idem qui, anno 1783, in Lausannensem cathedram evectus est, decessurus 14 Septembris 1795.

MACRA AUGIA.

Macram Augiam ad dexteram Sanæ ripam, non adeo procul Friburgo, inter altissimarum rupium silvarumque recessus, condidit, anno circiter 1250, Richenza, Friburgensis matrona, et Cisterciensibus puellis addixit. Eadem abbatia Mageroia, Magrochia, veteribus in tabulis appellatur. Hujus bona confirmaverunt Radulfus anno 1284, apud Zapfium, Monum. Anecd., p. 171, et Henricus VII anno 1309; Collect. Dipl. Friburg., t. II, p. 35. Superstes usque ad nostra tempora permansit non inglorius hic parthenon.

Abbatissarum seriem describere arduum opus nobis erat : sed doctissimus vir D. Egbertus Fredericus *de Mulinen,* auxilium requirentibus humanissime succurrens, earum nomina nobis pleraque nota fecit. Hæ sunt :

SERIES ABBATISSARUM.

I. Clementia *de Wufflens* obiit 26 Junii 1262.

II. Antonia I *de Corbières* anno 1267 reperitur, 4 Septembris, anno 1274 decessura.

III. Berchina *d'Englisberg* 26 Martii 1275 occurrit, quæ anno 1289 obiit.

IV. Agnes I abbatiæ præsidebat 16 Junii 1299.

V. Isabella I *de Wuippens* superstes erat Februario mense 1305.

VI. Anna I *d'Estevayer* anno 1315 interiit.

VII. Margarita I *de Neuchâtel,* Amedei comitis filia et Jordanæ de Sarrata, anno 1331 vitæ metam attigit.

VIII. Alana *d'Ependes* obiit anno 1343.

IX. Anna II *de Chenens,* cujus sub Octobrem mensem 1346 domesticæ chartæ meminerunt, anno 1359 moritur.

X. Agnes II Dives, teutonice *Rich,* patria Friburgensis, obiit anno 1378. Sed antea, ut videtur, munus dimiserat.

XI. Alicia *d'Estevayer,* annis 1377, 1399.

XII. Isabella II *d'Avenches* ab anno circiter 1403. Anno vero 1410 vita cessit.

XIII. Agnes *de Pruniers,* Friburgensis, annis 1414, 1416; anno 1419 moritura.

XIV. Margarita II *Daubard,* vel *d'Ambard,* usque ad annum 1427 superstes, sed abdicato, ut videtur, munere.

XV. Margarita III *de Pont* usque ad annum 1441.

XVI. Margarita IV *d'Illens* obiit anno 1471.

XVII. Antonia II *Chausse,* e vico *Montagny,* prope Friburgum, oriunda, annis 1475, 1482 reperitur.

XVIII. Anna III *de Colombier,* anno 1487.

XIX. Joanna I *de Colombier,* soror Francisci, Telensis abbatis, obiit 14 Decembris 1491.

XX. Elisabetha *de Praroman,* Friburgensis, 1496, 1501.

XXI. Margarita V *Adam,* Friburgensis, ab anno 1508 innotescit, quæ 10 Februarii 1513 obiit.

XXII. Anna IV *de Billens* anno 1513 reperitur, quæ 1 Septembris 1526 superstes erat.

XXIII. Anna V *de Praroman,* Friburgensis, obiit 8 Septembris 1541.

XXIV. Helena *d'Affry,* Friburgensis, ab anno 1541, quæ 23 Junii 1548 decessit. Munus tamen antea, ut videtur, dimiserat.

XXV. Anna VI *Mullibach,* Friburgensis, ab anno 1545 legitur usque ad diem 6 Februarii 1556, quo vitæ metam attigit.

XXVI. Thecla *Freitag,* Friburgensis, Annæ successit, quam anno 1558 domesticæ tabulæ præbent. Obiit vero 6 Januarii 1572.

XXVII. Anna VII *Coppet,* Friburgensis, anno 1572 electa, 13 Januarii 1584 moritur.

XXVIII. Guillelma *Du Pasquier* obiit 22 Decembris 1612, sed postquam munere semet abdicaverat.

XXIX. Maria Anna *Techtermann,* Friburgensis, officio reperitur fungens 16 Novembris 1603, 17 Martii 1654 moritura.

XXX. Anna VIII Elisabetha *Gottrau,* Friburgensis, ab anno 1654 usque ad 26 Novembris, 1657, electioni suæ parum superstes.

XXXI. Apollonia *Haberkorn,* Friburgensis, obiit 12 Augusti 1667.

XXXII. Benedicta *Techtermann,* Friburgensis, decessit 21 Junii 1682.

XXXIII. Joanna-Baptista *Phillot,* Friburgensis, obiit 10 Junii 1702.

XXXIV. Magdalena *de Reynold* munus jam implebat sub mensem Julium 1702. Occubuit vero 1 Junii 1711.

XXXV. Columba *Haberkorn*, Friburgensis, obiit 18 Junii 1714.

XXXVI. Joanna II *Schrotter*, Friburgensis, statim post Columbæ decessum electa A est, et usque ad 3 Februarii 1729 vixit.

XXXVII. Regina Generosa *Python*, Friburgensis, obiit 12 Junii 1760.

XXXVIII. Victoria *de Montenach*, Friburgensis, obiit 13 Junii 1767.

XXXIX. Bernardina *Techtermann*, Friburgensis, obiit 1 Martii 1796.

ECCLESIA BASILEENSIS.

Territorii Basileensis veteres incolas Rauracos antiquitas appellavit. Helvetiis Rauraci confines erant, gallica gens, agros incolens nemorosis Juræ verticibus Rhenique torrentibus aquis circumseptos, quos Julius Cæsar Galliæ Celticæ, Augustus deinde, immutata orbis Romani partitione, tertiæ Germaniæ superiori adscripsit. Postea vero, decurrente scilicet tertio ab Incarnatione Christi sæculo, Rauraci ipsique Helvetii Sequanis intermixti sunt, tresque olim diversæ tribus unam effecere provinciam, quam Maximam Sequanorum nuncupare Roma consuevit. Augusti quidem temporibus a Munatio Planco, Marci Tullii Ciceronis discipulo, fundata fuerat ad sinistram Rheni ripam Raurica, Augustave Rauracorum, urbs quondam non ingloria, Rauraciæ facile præcipua. Ea vero sub finem circiter quinti sæculi pristinam famam amisit, quam incendio penitus exhaustam fuisse conjiciunt. Ab illa certe ætate nullus inter Gallicos Latinosque scriptores hanc urbem, *gratam* olim dictam, commendavit. Sed, non adeo procul a jacentibus Rauricæ parietinis, jam late patens, majusque post Rauricæ excidium in dies nomen assequens, describitur Basiliensium inclyta civitas, quæ postea Basilea dicta est.

Episcopalis sedes Augusta Rauracorum fuerat. In eo deinde dignitatis gradu Basilea collocata est. Expressis primus verbis Ragnacharius anno 618 Basileensis episcopus appellatur. Cum vero Rauracorum episcopi pauci noti sint, nec quid certi de Rauracensi Basileensive episcopatu a quarto sæculo ad septimum referatur, conjecere nonnulli Rauricam Basileamque proprio per magnum temporis intervallum pastore destitutas æque fuisse, episcopumque interea Argentinensem distractas ab episcopatu Rauracensi Elsatienses, alias Tribochienses, ecclesias administravisse. Hanc tamen conjecturam pauci probant. Ut ut ea se res habuit, ab antiquis sane temporibus Basileensis episcopus inter Vesuntionensis metropolitæ suffraganeos memoratur, Lausannensem quidem infra in provincialis cleri comitiis sedens, supra vero Bellicensem.

Civitatis Basileensis situs, quam Rhenus in duas partes divisam una Galliæ Germaniæque jungit, non parum ejus fortunæ contulit. Ipsius quoque ingenium populi, non modo quæstuosarum artium peritia, sed etiam militari industria insignis, et ad rumpenda cujuslibet servitutis vincula semper proni, divitem eamdem fecit, bellica laude spectabilem, nec minus vera secundarum rerum specie quam fama pollentem. Ibi habitum anno 1431 percelebre concilium, quod Constantiensis pleraque statuta firmavit, et, rursus impugnata quam sibi Romanus Pontifex vindicabat supra congregatam Ecclesiam auctoritate, ipsum Eugenium IV hæreditatem S. Petri dimittere jussit, eique Amedeum Sabaudum proprio motu subrogavit.

Eosdem episcopatui Basileensi fines ac Rauracensi quondam pago fuisse opinantur. Non modo tamen Basileensis antistes priscam Rauracensis territorii cohærentiam continua deinceps possessione firmavit, sed etiam, opportunitatibus temporum usus, nonnullas ab alieno dominio, Bisuntino scilicet, imo Lausannensi, sejunctas regiones ad se traxit. Undecim igitur sub quintum decimum sæculum decanatus Basileensem diœcesim dividebant, his nominibus insigniti: Ultra colles Othonis, vel Ultra *Ottensbuhel;* Citra colles Othonis; Citra Rhenum; Suntgaudia; Inter colles; Vallis Lutosa, germanice *Leymenthal;* Elsgaudia; Frickgaudia; Buchsgaudia; Salisgaudia. Horum intra fines multæ parochiales ecclesiæ: nec paucæ collegiatæ, quæ non eamdem fortunam expertæ sunt; quædam enim diversis temporibus e Basileensis episcopatus territorio disjunctæ sunt; quædam anno 1529 suppressæ; nonnullæ usque ad nostram ætatem steterunt, sæpe vero casibus adversis afflictæ. Inter præcipuas memoretur S. Petrus Basileensis, magni sane nominis apud veteres ecclesia, quam condidit anno 1233 Basileensis præsul Henricus, canonicis in eam accitis non tantum opulentos reditus, sed etiam certas vivendi leges assignans: anno vero 1529, supremam ea congregatio cladem passa est. Nec minoris famæ fuit monasterium Grandis Vallis, teutonice *Munster in Granfelden,* abbatia quondam benedictina, ecclesia dein collegiata, de qua usque ad annum 1789 superstite infra nobis separatim disserendum. S. Martinum *Rheinfelden* fundavit pridie cal. Novembris 1228 Henricus episcopus, in Argoviensi pago: quam primo rexerunt ecclesiam decani, præpositi vero usque ad hodierna tempora; namque Romanam fidem Argoviensis pagus retinuit. Inclyta quoque Basileensis agri collegiata S. Ursicinus, pariter incolumis. Nec sileamus de S. Martino Columbariensi, anno, ut videtur, 1237 instituto, cujus capituli anno 1315 Gerardus præsul statuta probavit, quodque, anno 1441, 16 canonicis et 17 præbendatis capellanis constabat.

Nulla vero in episcopatu Basileensi canonicorum sæcularium sodalitas ditior potentiorque eo diœcesano capitulo, cujus partes erant cathedralem, B. Mariæ sacram, ecclesiam

regere, in eaque divinæ rei operam dare. In hoc adjutorum episcopalium cœtu præposito prima sedes, decano secunda. Statutum est anno 1337 ut ipsarum apostolicarum litterarum vis neminem in Basileensium canonicorum conventum intromittere valeret, qui, Basileæ genitus, non saltem ex parte patris de militari stirpe originem duceret. Hoc, ut ipsi loquuntur, canonici decreto præcaverunt ne *maculâ gentis plebeiæ* capitulum insigne Basileensis ecclesiæ, eatenus intemeratum, fœdaretur.

Eximiis olim episcopus Basileensis privilegiis gaudebat. Ut enim imperii Germanici princeps et civilis Basileæ præfectus, summam non tantum dignitatem, sed etiam potestatem habebat. Inter episcopalis aulæ ministros recensentur tam generis nobilitate quam prædiorum mancipiorumque multitudine maxime conspicui Basileensis agri proceres, Ferretensis nempe comes, Teckensis dux, Usenbergensis baro, multique alii non imparis famæ. Monetæ cudendæ penes eum jus ab octavo circiter sæculo. Ejusdem gazam populo imperata non uno nomine tributa locupletabant. Quin imo in ejus ditione multa et validissima castella, quæ contra vicinorum optimatum incursus episcopalis miles assidue tuebatur. Nec prætereunda quædam ejus minora, non tamen adeo spernenda, jura. Sic hæres erat ab intestato cujuscumque beneficiarii in diœcesi Basileensi defuncti; imo necessarius hæres memoratur omnium bonorum quæ nonnullis Lausannensis diœcesis sacerdotibus propria fuerant. Basileensis insuper ecclesiæ præpositum confirmabat; cantorem, archidiaconum, thesaurarium eligebat.

Quem vero ad hoc dignitatis fastigium annorum series provexerat inde subita rerum mutatio, anno 1528, deturbavit. Tunc enim ipsa Basileensis civitas, disciplinæ ad pristinam severitatem, ut aiebant, revocandæ studio, a Romana fide prorsus defecit, Philippique de *Gundelsheim*, episcopatu recens potiti, imperium recusavit. Abiit ergo Philippus et Bruntutum, gallice *Porrentruy*, secessit. Sub idem tempus Basileensis ecclesiæ canonici Novum Castrum, ad Rheni ripam, deinde Friburgum se recepere. Nec multo post de recuperanda potestate spem se fefellisse Basileensis episcopus intellexit. Non tantum enim in dies Reformatorum multitudo crescere; sed etiam iidem suas res aliquantisper mixtas perturbatasque componere, ideoque in catholicæ religionis desertione constantiores fieri. Semet ipse temporibus exsul Bruntuti præsul dein accommodavit, magnamque licet imminutionem temporalium bonorum atque spiritualis jurisdictionis passus, non ultimas tamen partes in Helvetica republica gessit usque ad annum 1792, quo decurrente Franci Bruntutum occupaverunt. Omnibus tunc Basileensis episcopus opibus exuitur, omnes regularis sæcularisve cleri congregationes, in reliqua veteris diœcesis parte superstites, dissipantur.

Historiam Basileensium episcoporum verbosius aut compendiose jam scripserunt Sudanus, in libro cui titulus Basilea Sacra, Georgius Augustus Liominus, D. Josephus Schnellerus Schriftius, D. J. Trouillatius, in procemio doctissimorum voluminum quæ Monumenta ad historiam veteris Episcopatus Basileensis spectantia inscripsit, ac denique D. Egbertus Fredericus *de Mulinen*, auctor Helvetiæ Sacræ, multæ et exquisitæ sedulitatis vir. His operis nostri adjutoribus tantam quantam debemus gratiam referamus.

EPISCOPI BASILEENSES.

I. Justinianus.

Justinianus, Rauracorum dictus episcopus, Agrippinensi concilio
347 anno 346 interfuit, et, anno 347, Sardicensi. Antecessores quidem nostri Justinianum hunc eumdem ac Justum, Argentoratensem episcopum, fuisse conjecere. In ea vero conjectura certe peccavere. Actis enim Agrippinensis concilii subscripsit Amandus, Argentoratensis episcopus; unde compertum habemus Justum a Justiniano prorsus diversum fuisse.

II. S. Pantalus.

De S. Pantalo multus sermo in Basileensibus Breviariis, eum quæ primum Basileæ episcopum nuncupant, et ab Hunnis, una cum S. Ursula, trucidatum referunt. Tot vero inter se discordantibus commentis scatet

A recentibus his mandata Breviariis S. Ursulæ vita, ut fide prorsus indigna sit. Ideo S. Pantalum nonnulli scriptores ex episcoporum Basileensium serie removendum opinati sunt. Ejus tamen Annales Colmarienses, apud Urstisium, t. II, p. 9, sic meminere : « Anno 1270, caput S. Pantali, episcopi Basiliensis, qui cum S. Ursula et sodalibus « Coloniæ fuit decollatus..., in Basileam delatum, ab Henrico episcopo receptum est « cum magna reverentia. » Eumdem insuper, VI id. Octobris, peculiari cultu ecclesia Basileensis cohonestavit. Nomen igitur S. Pan-

B tali pia populi recordatio posteris tradidit, et ex ea traditione sane colligere licet eum in agro Basileensi quasdam episcopalis muneris partes implevisse; incertum tamen prorsus habemus quod sub tempus vixerit, quem vel Maximiani, vel Maximi, imperatorum, vel ipsius Attilæ æqualem vetustiores narratiunculæ asseruere.

III. Ragnacharius.

Jonas, vitam S. Eustasii Luxoviensis abbatis enarrans, Ragnacharium, inter alios, sub eo tirocinia Luxovii posuisse et postea *Augustanæ et Basileæ* episcopum fuisse memorat; Rer. Gall. Script., t. III, p. 500. Codices, quos Surius et Henschenius legere, *Augustoduni* pro *Augustanæ* præbent : unde nonnullis visum est Ragnacharium eumdem esse ac Rachonem, Æduensem revera tunc temporis episcopum. Hanc vero conjecturam Mabillonius, Buquetius et antecessores nostri, t. IV, col. 348, concorditer impugnaverunt : quæ prorsus quidem rejicienda. Luxovio sub initium septimi sæculi Eustasius præfuit. Ragnacharius igitur Augustæ Rauracorum, vel potius Basileæ, circa mediam hujus sæculi partem episcopale munus exercebat. Nihil aliud de eo traditum.

IV. Walaus.

Legitur Walaus Basileensi ecclesiæ præsidens sub Gregorio papa III, in episcoporum Basileensium brevi Chronico, quod Martenius e codice Monasteriensi, circa finem undecimi sæculi scripto, depromsit; Thes. Nov. Anecd., t. III, col. 1385. Romanæ autem ecclesiæ gubernaculum tenuit Gregorius III inter annos 731 et 741. De eodem Walao, sub annum 744, Annales breves Francorum, a Morbacensi monacho conscripti : « Quando ille « Walaus fuit, Romanus egressus est de Ala- « mannia. » Per nos quidem licet ut Walao Basileensem ecclesiam regente Romanus, abbatiæ Morbacensi præficiendus, e Germania in Basileensem agrum devenerit. Ea autem falso sub annum 744 Morbacensis monachus retulit : Romanus enim ab anno 728 Morbaco præsidens reperitur, atque de eodem post annum 736 diplomata silent.

V. Baldebertus.

Baldebertum post Walaum auctor prælaudati Chronici recenset, eumque Zachariæ papæ coævum contendit. Romæ præfuit Zacharias ab anno 741 usque ad annum 752, hasque temporis notas nonnulla quæ de Baldeberto fidem faciunt testimonia plane confirmant. Etenim, secundum auctorem Anna-
751 lium Nazarianorum, anno 751 Baldebertus episcopus consecratur. Eum deinde quidam memorant anno 758, Childerici regnantis septimo, Argentorati, litteris Heddonis episcopi subscribisse, quibus Arnulfi-Auga appellatum monasterium conditum est. Has revera antecessores nostri litteras Heddonis edidere, supra, t. V, Instr., col. 458. Annus vero Childerici septimus in annum Christi 748, vel 749 convenit, minime, ut aiunt, in annum 758, præsertim cum Childericus anno 752 regno privatus fuerit, vita anno 755. Baldebertus autem, Annalium Nazarianorum pro fide, anno tantum 751, ut diximus, consecratus est. Quare Cointius et antecessores nostri, non infelici, ut videtur, conjectura, Baldebertum, sine designatione sedis episcopum, qui litteras Heddonis anno 748, vel 749, laudavit, Curiensi, non Basileensi ecclesiæ tunc temporis præfuisse asseruerunt. Actis vero Attiniacensis concilii, anno
765 congregati, subscribens reperitur Balde- 765
bertus, *episcopus civitatis Baslæ :* quæ nominis dignitatisque notæ præter omne dubium ad Baldebertum nostrum spectant. Exinde tamen alia exoritur quæstio, quæ peculiarem investigationem requirit. Morbacensi enim monasterio anno 760 præerat quidam Baldebertus, quem Rudmundi, clerici, in eumdem Morbacensemque conventum benefici, chartula episcopum, *seu* abbatem, nuncupat; eaque est Mabillonii necnon Buquetii conjectura, Baldebertum scilicet, Morbaci abbatem, simul et una Basileæ episcopum fuisse. Incautus autem in eo præter morem Mabillonius deprehenditur, nam et ipse Baldebertum abbatem anno 762, ex Annalibus Nazarianis, obiisse, et Baldebertum Basileensem episcopum anno 765 Attiniacensi conventui interfuisse memorat; Annal., t. II, p. 200, 207. Personarum igitur discrimen admitte, aut Nazarianos Annales emenda. Anno postea 778, in Remigii, Argentoratensis episcopi, diplomate, quod *Grandidier* publici juris fecit, Hist. eccl. Argent., t. II, n. 73, legitur *Walabertus vocatus episcopus,* eumque Walabertum nonnulli scriptores eumdem ac Baldebertum Basileensem episcopum reputant. Id autem minime probatum habemus. Denique de nostro Baldeberto S. Galli Chronicon, sub annum 751 : « Res ecclesiarum descriptas atque divisas Baldebertus benedixit. »

VI. Waldo.

Waldonem, Augiæ Divitis abbatem, Carolo Magno amicissimum, ab eo Basileensis et Ticinensis ecclesiarum administrationem suscepisse quidam contenderunt. Res autem antecessoribus nostris admodum dubia visa est; t. V, col. 983. Sic de Waldone monachus Augiensis anonymus, qui sæculo decimo vivebat, apud D. Pertzium, Mon. Germ., t. IV, p. 447 : « Duo de primoribus regni erant « Waldo et Hunfridus... Waldo Augiensis « monasterii abbas fuerat. Cui etiam pontifi- « catum Papiæ urbis necnon et præsulatum « Basiliensis civitatis rex interim ad procu- « randum commisit, donec negotia quæ in- « stant ad marginem perducerentur. Erat « enim virtutibus clarus regique valde fami- « liaris, adeo ut illum suum fieri confessorem « eligeret. » Anno certe 807 Waldo San-

Dionysiano juxta Parisios monasterio præfectus est. Waldoni forsan allucinans chronici scriptor munera assignavit gemina quæ Hetto sequens reipsa procuravit.

VII. Hetto.

De Hettone, Hattone, Heitone, vel Othone, plura et certiora. Is monachicæ vitæ tirociniis Augiæ apud Constantienses positis, magnam brevi tempore famam assecutus est, eumque Carolus Magnus, ut Walafridi verba usurpemus, *e caro carcere* invitum eduxit, quem ecclesiæ Basileensi præficeret. Codex quidem Monasteriensis Hettonem Baldeberto nullo medio successisse tradit; quo tamen anno Baldebertus obierit minime compertum habemus. Annalibus Hepidanis si fides, anno jam 802 in consilio Caroli imperatoris Hetto clarus sedebat. Waldone scilicet in monasterium San-Dionysianum translato, Augiense monasterium regendum suscepit. Ex ipsis autem Walafridi carminibus, quæ supra antecessores nostri retulere, colligere licet Hettonem episcopatu jam donatum fuisse antequam abbas efficeretur. Nec dubium est eum utrumque munus simul implevisse. Apud Carolum Magnum acceptissimus exsti-
811 tit, cujus insigni testamento anno 811 subscripsit, Eginhardo teste; Rer. Gall. Script., t. V, p. 103. Eodem quoque anno Constantinopolim a Francorum Cæsare missus est, fœdus cum Nicephoro icturus; ex Annalibus Loisell., Fuld., Mettens., Andeg., etc,. etc., apud Rer. Gall. Script., t. V, p. 60, 334, 356, 387. Idem referunt Annales Monasterienses, apud D. Pertzium, t. III, p. 154, et Xantenses, apud eumdem, t. II, p. 224. Hujus legationis rationem consignavit ipse Hetto in scripto cui titulus est Odœporicum, cujus scripti meminit Herimannus chronographus. De Hettone postea in aulam Caroli reduce fidem facit, sub annum 812, San-Gallensis monachus, qui Carolum enarrat ipsius Nicephori legatos quam maxime solemni apparatu, Hettoni *innixum*, excepisse. Idem eumdem scriptor « præcellentissimum mente et corpore virum » appellat. Hettoni episcopo Augiæque Divitis abbati Carolus Magnus anno
816 813 et Ludovicus Pius anno 816 ampla diplomata tradidere, quæ inter Monum. a D. J. *Trouillat* typis mandata reperies. Anno tandem 822, secundum Hermannum Contractum, vel, ut aliis placet, 823, Hetto, ingravescente ætate, utraque dignitate semet abdicavit, Augiæ moriturus, resumpta monachi veste, anno 836, vel, ut quidam ferunt, 837; tam ex Ekkehardi Chronico, quam ex Annalista Saxone, apud D. Pertzium, t. VI, p. 27, 574. Scripserat inter alia Visiones Wettini monachi, quam Walafridus materiam carminis legibus implicavit. Exstant quoque præclara Hettonis statuta ad Basi-
A leensis ecclesiæ regimen spectantia, apud Lunig., Spicil. Eccles., t. II, p. 142. De eo præsertim consulenda Hist. Franc. Litter., t. IV, p. 523.

VIII. Udalricus I.

Udalricus, vel Odalricus, Hettoni successit sub Paschali papa I; e codice Monasteriensi jam sæpe laudato, cujus testimonium præcise confirmat adnotatio cujusdam Benedictionalis, decimo, ut videtur, sæculo conscripta; inter Monum. Bas. Eccles., t. I, p. 102. Hæc
B enim adnotatio nos monet Udalricum episcopum Basileensem 21 Decembris 823 salutatum fuisse, urbem episcopalem 31 Maii 824 intravisse, eumdemque, ea tenus mona- 824
chum, sacris ordinibus initiatum fuisse 10 Junii 825. Udalrici quoque meminit Ratpertus, monachus, eum, anno circiter 830, ecclesiæ S. Gallo sacræ dedicationi interfuisse referens; apud D. Pertzium, t. II, p. 66. Obiit vero VII cal. Junii, anno incerto; e Basileensis ecclesiæ necrologio.

Legitur Theodoricus Basileensis episcopus anno 824, 3 Novembris, in Ludovici Pii di-
C plomate pro Novientensi, teutonice *Ebersmunster*, in Argentoratensi diœcesi monasterio. Unde Sudanus Theodoricum quemdam post Hettonem, ante Udalricum, recensuit. Sed in ea recensione Sudanus peccavisse videtur. Exiguum enim est inter hæc duo nomina Theodoricum et Odalricum discrimen, et a Sudano laudatum Novientense diploma multis mendis scatere jam antecessores nostri supra notaverunt, t. V, col. 857. Novientensis igitur chronici auctorem scriptoremve, quem de gravioribus nævis jam prudentes critici postulaverunt, Theodorici nomen
D Odalrici nomini, quodam inconsiderantiæ vel ignorantiæ peccato, suffecisse opinamur, præsertim cum alia de Theodorico mentio nusquam occurrat.

IX. Wichardus I.

Wichardum Sudanus, ex indice veteri, temporibus Sergii papæ et Lotharii imperatoris, inter annos scilicet 844 et 847, Basileensem cathedram rexisse contendit. Hujus Wichardi nomen non satis authenticus, ut videtur, testis ad nos detulit: quare fere om-
E nes eum hodierni rerum Basileensium scriptores prætermittunt.

X. Fredebertus.

Benedicti papæ III æqualis Fredebertus, Monasteriensis pro fide scriptoris, ante annum 858 Basileensi ecclesiæ præfectus est. Anno 859, inter episcopos Saponariis congre- 859
gatos reperitur, qui ad Wenilonem, Senonensem archiepiscopum, epistolam scripsere

typis sæpius mandatam. Tusiacensi quoque,
860 anno sequente, concilio interfuit. Refert Adhemari Chronicon Alduinum, Vulgrini comitis filium, ecclesiam S. Salvatori sacram Engolismæ exstruxisse, operis socio Frederberto episcopo, consanguineo suo, quem e Francia vocaverat, et quidam e recentioribus criticis, quos inter doctissimus vir D. Pertzius, t. IV, p. 122, hunc Adhemari locum ad nostrum Fredebertum respicere contenderunt. Plura vero in ipsa Adhemari narratione occurrunt quibus ea conjectura falsi convincitur. Ne de singulis disseramus, ex Adhemari verbis manifestum est Alduinum opus ædificandæ ecclesiæ post Vulgrini patris decessum suscepisse. Obiit autem Vulgrinus anno 886, supra, t. II, col. 985, nec usque ad hunc annum 886 Fredebertus, Basileensis episcopus, inter vivos superstes fuit.

XI. Adalwinus.

Inter S. Gallum et Augiam Divitem, magni nominis abbatias, communio precum exstitit, temporibus Caroli Magni inita. Unde originem sumpsit Obituarium, in quo legitur : « Nomina fratrum conscriptorum Basileensium, « *Adalwin* episcopus. » Recentiores igitur nonnulli scriptores ex hoc Obituarii prælaudati loco Adalwinum episcopis Basileensibus annumerandum desumpserunt, quem pro libitu Ludovici imperatoris, Caroli Calvi, vel Caroli Crassi coævum asseruerunt, etiamsi nec Monasteriensis codex, nec veteres historiæ, nec ulla Basileensis ecclesiæ diplomata ejusdem meminerint. Per obscuram viam cautius iter agentes, de dubia re nos dubitare profitebimur.

XII. Radulfus I.

Radulfus Adriano II Romanam sedem occupante Basileensi ecclesiæ præfuit, secundum Monasteriensem indicem. Pontificatus autem Adriani II anno 867 incipit et anno 872 desinit. Nullum hucusque nævum in indice Monasteriensi deprehendimus : cui etiam nunc confidere nobis placet. De Radulfo sane plura memorant Stumpfius, Tschudius Sudanusque, quem Arnulfi imperatoris coævum fuisse, et, calendis Julii 892, in Wormatiensi pugna, adversus Normannos pugnantem occubuisse contendunt. Jam vero cautus vir D. *Trouillat* animadvertit antiquos scriptores hac de Radulfi nece siluisse. Juratissimus insuper testis, Monasteriensis chronographi dicta confirmans, Iringum, minime Radulfum, hoc anno 892 Basileensi ecclesiæ præfuisse mox apertis verbis declarabit.

XIII. Iringus.

Iringus sub Marino papa, inter annos 882 et 884, Basileensem cathedram, Monasteriensis codicis pro fide, conscendit. De eo, sub annum 892, vetus Lausannensium episcopo- 892
rum Chronicon, quo memoratur Lausannam in comitatu Radulfi regis se recipiens, operamque regi ministrans Bosonem episcopum instituenti. Nec multo post, ut Sudanus, Reginonem Joannemque Trithemium testes adducens, refert, anno 895 Triburiensi concilio Iringus interfuit. De eodem S. Galli tabellæ : « Nomina fratrum Basileensium, « *Irinc* episcopus. »

XIV. Ricuinus.

Iringo Monasteriensis codex Landelaum subrogat, cumque Adriani papæ III temporibus exstitisse refert. Adriani III breve regimen, qui mense Maio 884 S. Petri cathedram conscendit et anno 885 nondum exacto decessit. Iringum vero Adriano supervixisse ex actis Triburiensis concilii certo comperimus. Præterea ipsius Landelai nomen e certiori documento infra ponendum est. Hic igitur falsum, aut sane corruptum, Monasteriensis codicis testimonium. Quare parum confidenter Ricuini nomen transcribimus, quem Stephani papæ VI, annis 896 et 897 apostolicam sedem occupantis, idem codex æqualem fuisse memorat. Nec enim alia hujus Ricuini mentio.

XV. Adalbero I.

Bennonem eremitam, sacram S. Meginrado cellam tunc incolentem, Adalbero, Basileensis episcopus, invisit, eique vicum *Sierentz*, in Alsatia superiore situm, quem a majoribus suis hæreditario jure acceperat, condonavit; supra, t. XIII, col. 722. Incertus relinquitur hujus donationis dies : anno vero 927 Benno S. Meginradi regimen dimisit, Metensis ecclesiæ præsul futurus : Adalberonis igitur donationem anno circiter 925 adscribere licet. Benno natione Suevus dicitur, Bennonisque Adalbero propinquus. Rem his verbis confirmat Eremi B. Mariæ Necrologium : « Idibus Maii, obiit Adalbero, episco« pus Basiliensis, consanguineus B. Benno« nis nostri; is dedit nostro cœnobio *Si« renze*. » Adalberonis hujus I Monasteriensis codex non meminit.

Ricuinum et Adalberonem Sammarthani prætermiserunt. Et nos prætermittimus quemdam Guillelmum, quem, e Guillimanno aliisque sublestæ fidei auctoribus, Sudanus sub annum 917 ecclesiæ Basileensi præfuisse contendit.

XVI. Wichardus II.

948 Engilenheimensis acta concilii, 7 Junii 948 habiti, Wichardi, Basileensis episcopi, nomen suppeditant; Concil. Reg., t. XXV, p. 75. Eumdem huic concilio interfuisse Flodoardus et auctor Virdunensis Chronici commemorant; Rer. Gallic. Script., t. VIII, p. 202, 293. De eodem Richerius, Hist. lib. II, c. 69. Qui auctores in eo Monasteriensis codicis testimonium confirmant.

XVII. Landelaus.

Magdeburgi, 24 Decembris 961, vel 960, translationi corporis S. Mauritii adfuit Landelaus, Basileensis episcopus; ex Annalista Saxone anonymo, apud D. Pertzium, Monum. Germ., t. VI, p. 615. Unde comperimus eum Iringo minime successisse, prout Monasteriensis indicis auctor autumavit.

XVIII. Radulfus II.

Plures Basileensium episcoporum indices inter Landelaum Adalheronemque secundum satis amplam lacunam præbent. Cui supplet Sudanus, Landelao Radulfum subrogans, eumque in Engilenheimensi concilio, anno scilicet 948 habito, sedisse referens. Verum in eo concilio Wichardus, ut supra diximus, minime Radulfus, Basileensem episcopum agebat. Landelao tamen quidam Radulfus successisse videtur. Testatur enim D. Pitra, doctissimus Benedictinæ congregationis alumnus, semet in Museo Britannico chartam insignem vidisse, quæ Radulfum præbet, Basileensem episcopum, anno 983 obsequium metropolitæ Bisuntino promittentem; *Archives des Missions*, t. IV, p. 103. Animadverte præterea chartam a D. Pitra visam opportune fidem instrumenti cujusdam notabilis tueri, quod, ad ecclesiam S. Leonardo sacram spectans, sub annum 1033 D. Trouillatius edidit, Mon. Episc. Bas., t. II, p. 2, et ab imperito librario corruptum fuisse pronuntiavit. Unum enim in hoc instrumento falsitatis indicium a D. Trouillatio deprehenditur, Radulfi scilicet episcopi nomen, qui priscam S. Leonardi fundationem approbavisse memoratur. Incognitus autem cautissimo viro, circa finem decimi, vel initium undecimi sæculi, aliquis Radulfus nomine præsul cathedram Basileensem occupans. Quare S. Leonardi fundationem temporibus Udalrici II adscripsit. Eum igitur in ea quoque conjectura peccavisse aperte demonstrat charta quam novissime D. Pitra detexit. De hoc forsan Radulfo sic Augiæ Divitis Necrologium : VI *cal. Augusti,* Ruodolf, *Basiliensis episcopus*.

XIX. Gebitzo.

Radulfo Gebitzonem Sudanus subrogat, quem Gumtramni Divitis filium, Gunzelini et Bertilonis fratrem appellat. Gunzelinus, alias Lanzelinus, Gumtramni quidem filius videtur, Bertilonis vero, vel Pyrtilonis, pater. Gebitzonis igitur genus a vero dissidens Sudanus descripsit. Nec certiora prædicat Joannes Menlius, Sulzbergensis conventus institutionem episcopo Gebitzoni tribuens; ex ipsius enim Pyrtilonis litteris, quas D. J. *Trouillat* publici juris fecit, Mon. Episc. Basil., t. I, p. 137, necnon ex Othonis III regis solemni diplomate, ibid., p. 138, Sulzbergense monasterium a Pyrtilone, anno 993, conditum fuisse comperitur. Anno denique 1008, Sulzbergensium monialium rem augens Pyrtilo Gehehardi fratris sui, quem non alium ac Gebitzonem Sudanus opinatur, meminit; minime vero eum Basileensem episcopum fuisse scribit : imo ex ea Pyrtilonis charta conjicere licet Gehehardum eo anno 1008 superstitem exstitisse. Consule D. J. Trouillatium, Mon. Episc. Basil., t. I, p. 149. Gebitzonis igitur episcopatum non pauci reticuerunt, nec sufficiens nobis innotuit testis qui de eo fidem faciat.

XX. Adalbero II.

Adalberoni Radulfus, Burgundiæ rex, anno 999, monasterium Grandem Vallem dictum confert. (Ch. VIII, col. 191.) Aperit ipse Radulfus quo consilio in Basileensem episcopum beneficus fuerit. Magna scilicet damna Hungarorum et Normannorum irruptiones ecclesiæ Basileensi nuper attulerant. Anno sequente, 1000 eidem Adalberoni Radulfus præmemoratam donationem confirmat; Monum. Eccl. Basil., t. I, p. 140. Eodem, ut videtur, postulante, Henricus II imperator Sulzbergensis domus incolis hanc potestatem facit, 25 Junii 1004, 1004 ut venalicium forum in vico *Rincka*, nunc *Ringsheim*, instituant; ibid., p. 144. Nec multo post, nempe 1 Julii, idem Henricus Adalberoni et ecclesiæ Basileensi quemdam juris sui saltum, juxta Rhenum, in Uttonis comitatu, concedit, et, 15 Julii 1005, prædium (Ch. IX, col. 192.) in villa Obphinga situm. Interfuit dein Adalbero, V cal. Novembris 1007, Francofurtensi concilio, quod de Babenbergensis episcopatus erectione statuit; apud D. Pertzium, Monum. Germ., t. IV, pag. 796. Egregia quidem Adalberonis officia Henricus II sæpe laudavit : nec ea ingrato animo excepit. Sic eidem, anno 1008, venandi jus in pluribus 1008 ad fiscum regium pertinentibus silvis contulit; Mon. Episc. Bas., t. I, p. 150. Ipse dein Adalbero anno 1010, prædia *Piscofigin* et *Sevelden* possessionibus monasterii Sulzbergensis adjunxit; ibid., p. 149 (1). Romam Henricus

(1) Charta quidem annum 1008 præbet, ind. VIII, Henrici

anno 1014 tetendit, ejusque capiti tunc diadema regium impositum est. Hac, ut opinantur, in urbe, solemni diplomate, cui subscripsit Adalbero, quælibet ecclesiæ Romanæ jura firmavit; apud Lunig., Spicil. Eccles., t. V, p. 161. Ab eo tempore de nostro Adalberone regia diplomata silent. Nec id prætereundum tamen, eo scilicet Basileensem cathedram occupante, Henricum II ecclesiam B. Mariæ, ab Hungaris propemodum eversam, suis sumptibus restauravisse, et ab ipso consecrari curavisse, 11 Octobris 1019, vel 1021. Prolixioribus verbis Sudanus festivam hanc inaugurationem describit, cui, præter regem, frequens episcoporum coetus interfuit. Post peractos ritus concionem fecit Adalbero de reverentia sacris rebus adhibenda, de gratuita peccatorum remissione, necnon de quibuslibet ecclesiastici fori juribus. Incertus relinquitur annus quo mortuus est Adalbero.

XXI. Adalbero III.

In Monasteriensi codice duo vicissim Adalberones Basileenses episcopi leguntur. Codicem hunc scripsit auctor fere coævus : ei igitur in eo fides adhibenda. Quo tamen anno posterior Adalbero priori successerit ambiguum est. Hæc Wippo, in Vita Conradi, apud Pistorium, t. III, p. 431 : « Basilea ci« vitas... ad Burgundiam pertinet. Hanc ci« vitatem invenit rex (Conradus II) vacua« tam episcopo, cujus proviso Adalbero ante « tres menses quam rex veniret migravit a « sæculo. » Conradum autem Basileam venisse comperimus sub Junium mensem 1025; qua scilicet in urbe, 23 Junii, Morbacensis ecclesiæ jura confirmavit. E prælaudato Wipponis loco quidam desumpserunt Adalberonem, Basileensem episcopum, tertio ante regis adventum mense occubuisse, medio scilicet Martio 1025. Vacuane Basileensis cathedra a medio Martio usque ad medium Junium 1025? Conradus imperator Ulmæ commorabatur 14 Maii 1025, ubi abbatiam S. Blasio sacram, in Hercinia silva, a nonnullis proceribus lacessitam audiens, protegendam eam Adalberoni Basileensi episcopo commisit. De S. Blasio Conradi litteræ pluribus notis ornatæ sunt, quæ, sicut palam est, inter se optime concordant : posterior igitur Adalbero 14 Maii 1025 superstes erat. Wipponis tamen auctoritas plurimum valet : æqualis enim erat Conrado Salico, et, ejus vitam enarrans, sibi apprime nota descripsit. Wipponis autem prælaudata, et certe, sicut nos grammaticæ regulæ docent, ab imperito librario corrupta verba, quidni sic interpretemur : Adalberonem scilicet cathedram Basileensem sub tertium ante Cæsaris adventum mensem conscendisse, et, susceptis vixdum infulis, a sæculo, ut ait, migravisse? Sic utrinsque documenti concors veritas.

Unum Adalberonem tunc temporis Sudanus admittit. Duos vicissim recenset doctissimus vir D. J. Trouillatius; posteriorem vero ab anno 1004 ecclesiæ Basileensi præfuisse contendit. Justo levius nobis videtur argumentum quo suam hodiernus fastorum Basileensium investigator conjecturam fulcire conatur : quamvis enim chronicas sinceræ chartæ notas ex originali pergameno desumptas adducat, quoddam scriptoris peccatum has certe notas corrupisse manifestum erit cuilibet usitatum in subscribendis diplomatibus morem prænoscenti. Posteriorem ceterum Adalberonem ab anno 1004 episcopum finge; tibi tunc ejus obitus in Martio mense 1025 collocandus. Erunt ergo falsæ Conradi pro S. Blasio litteræ, quas ipse D. Trouillatius, Martinum Gerbertum impugnans, veras probat. Nemini forsan his e tricis cum explorata rei notitia evadere unquam licebit.

XXII. Udalricus II.

Relata Adalberonis morte, sermonem Wippo sic prosequitur : « Ibi (Basileæ) si« moniaca hæresis subito apparuit, et cito « evanuit. Nam dum rex et regina quodam « clerico, nobili viro, nomine Udalrico, qui « ibi tunc episcopus effectus est, immensam « pecuniam pro episcopatu susciperent, « postea rex in pœnitentia motus, voto se « obligavit pro aliquo episcopatu, vel abba« tia, nullam pecuniam amplius accipere; in « quo voto pene bene permansit. » Udalricum antea Conradi cancellarium fuisse reputant : eo sed enim titulo insignitus Udalricus, alter ant idem, pluribus diplomatibus Conradi subscripsit, quorum D. *Trouillat* meminit; Mon. Basil. Eccl., t. I, p. 167. Deinde Udalrici, infulis tunc temporis redimiti, precibus idem Con- Ch. IX,
radus obsequens, quasdam argenti fodinas col. 192.
ecclesiæ Basileensis possessionibus adscripsit, anno 1028. Adalberoni, ut diximus, saltum juxta Rhenum Henricus II dederat : hanc do-
nationem Henricus III, 25 Aprilis 1040, Udal- 1040
rico confirmavit, et aliis, eodem die datis, litteris, Grandem Vallem, monasterium, nec non sacram S. Ursicino cellam. Obiit Udalricus VII cal. Junii, anno incerto; e Libro Vitæ Basileensis ecclesiæ.

Udalrico nonnulli, inter quos Sudanus et Sammarthani, quemdam subrogant Brunonem, cujus sic Liber Vitæ meminit : « VI cal. « Junii, Bruno episcopus obiit, qui sepultus « est in crypta anteriori. Ad cujus anniversa« rium celebrandum Henricus imperator « dedit curtem in villis *Nollingen* et *Minfel« don*, de quibus præpositus noster dat uni« cuique canonico præsenti et percipienti

regnantis VIII. Annus indictionis et Henrici regnantis octavus annum 1010 exprimit.

« solidum denariorum. » Brunonem ceteri Basileensis historiæ scriptores non alium ac Berengarium existimant, Henrici IV coævum. Certe Brunonis nomen nullum ad nos delatum diploma suppeditat.

XXIII. Theodoricus.

Ut Theodoricus Basileensis episcopus salutatus est, Hugoni archiepiscopo, pro more, obsequium spopondit; sed quanquam id anno 1041 contigisse nonnulli referunt, hæc tamen temporis nota non nihil dubitationis habere nobis videtur. Ei quidem, eo anno,
Ch. XIII, col. 195. Henricus III, imperator, afflictæ Basileensis ecclesiæ rei consulens, late patentem Augustanum agrum, una cum annuis juribus, transcripsit. Vesuntione dein Theodoricus memo-
1044 ratur 26 Martini 1044, qua die solemnes Hugonis archiepiscopi litteras pro S. Paulo si-
1047 gillo suo firmavit; Virduni postea, anno 1047, quo, Cæsaris mandato, Richardum, hujus urbis episcopum, duxit. Id refert his verbis Hugo Flaviniacensis, apud D. Pertzium, Mon. Germ., t. VIII, p. 406 : « Quantæ « apud illius ævi homines hic pater noster « (scilicet Richardus) gratia Dei honorifi- « centiæ fuerit Theodoricus, Basiliensium « episcopus, vir multæ auctoritatis et gra- « tiæ, suo in facto ostendit. Qui cum in de- « ducendo novo episcopo Virdunum missus « ab imperatore venisset, et esset ei de- « votio sancti viri sepulchrum invisere, cum « ante tumbam magna se lacrymarum con- « tritione mactasset,... pallio pretiosissimo « crocei coloris tumbam ipsam adornavit... »
1048 Theodorico, 1 Junii 1048, idem Henricus imperator diversas prædiorum villarumque traditiones regiis litteris demum adscripsit. Concilio quoque Moguntino interfuit, XIV cal. Novembris 1049, in quo Berthaldi, metropolitanam sedem sibi vindicantis, audita postulatio et improbata. Apud Cæsarem, ut videtur, acceptissimus erat; quem non modo pro sua, sed etiam pro ceteris ecclesiis feliciter exoravisse reperimus : eo enim suadente,
1050 anno 1050, Henricus amplum abbatiæ Ebersheimensi privilegium concessit; supra, t. V, col. 858; ejus quoque precibus obsequens, idem Richardo, S. Mariæ Basileensis servo, prædium *Eisisheim* situm irrogavit, 1 Junii
1052 1052. Ultimum tandem reperitur Theodoricus 21 Novembris 1053, qua die missæ ad eum Leonis IX litteræ de Grandi Valle, nec-
Ch. XV, col. 196. non de S. Ursicino, Basileensi ecclesiæ confirmatis.

XXIV. Berengarius.

Ab Hugone archipræsule Bisuntino Beren-
1057 garius ind. x, anno scilicet 1057, consecratus memoratur. Idem, ut ferunt, anno 1068, altare *Mulbach*, juxta Monasterium, in Alsa-
A tia, et capellam S. Michaeli sacram apud S. Blasium consecravit, anno 1072 decessu- 1072
rus; ex Annal. Monast., inter Monum. D. Pertzii, t. III, p. 152. Nec de eo plura.

XXV. Burchardus.

Ex Eistatensis congregationis canonico, ut D'Asurl.
Gundechari Liber Pontificalis refert, apud D. Pertzium, t. VII, p. 249, et archiepiscopi Moguntini camerario Burchardus episcopus Basileensis anno 1072 eligitur, et ab Hugone archipræsule consecratur; e Lamberti Annal.
B quos D. Pertzius edidit, t. V, p. 189. Eumdem Ulrichi, *Fenis* comitis, filium Chartularium Lausannense refert, et Cononis, Lausannensis antistitis, fratrem. Exstant Gregorii papæ VII ad eum, nec non ad Guarnerium, Argentoratensem episcopum, litteræ, datæ IV cal. Novembris 1074, quibus eis præ- 1074
cipit ut Gerardum et Hugonem, Leonis IX ex fratre nepotes, de S. Crucis *advocatia* litigantes concilient. Quam maximis negotiis manum admovit Burchardus, ideoque procellis quassata ejus vita. Exorto scilicet inter Cæsarem et Gregorium VII, tot seditionum
C origine, dissidio, Burchardus Henrici regis partibus non tantum adhæsit in Wormatiacensi conventu, anno 1076, apud Lunigium, Spicileg. Eccles., t. I, p. 143, verum etiam, imperatoris jussu, in Italiam mox tetendit, atque verbis litterisque Longobardorum episcopos exoravit ut a Gregorio papa VII desciscerent; e Berctholdi Annal., apud D. Pertzium, t. V, p. 282. Quam ob causam eum ceterosque antistites ejusdem rei consortes Gregorius piorum congressu interdixit. Plerique tamen eorum, et Basileensis nominatim episcopus, eodem anno desinente, a se-
D dis apostolicæ legatis in sacri altaris communionem, ut Cæsareum facinus tandem damnantes, recepti sunt. Ipsi Henrico nimia res erat ferocem Gregorii animum contundere : diu igitur vana molitus Canusium venit, ubi, mutato consilio, a summo Pontifice veniam poposcit. Cum Henrico rege tunc Burchardus erat, teste Bercthholdo apud D. Pertzium, t. V, p. 290, eique a Gregorio VII, sub idem temporis, ad pœnitentiam inclinatæ rebellionis oblivio concessa. Inde Basileam redux Henrico Burchardus opem ministravit
E in Radulfum, Suevorum ducem, bellum moventi. Hoc interea bellum Gregorius semet vehementer improbare proscripsit, et Henrico ne faverent episcopis prohibuit. Non autem ea mens Burchardo ut summo Pontifici potius quam imperatori pareret. Ipse campos milite complevit, et cum Lausannensi necnon Argentoratensi episcopis, deprædationibus incendiisque subjicienda regi oppida vastavit, donec a Bertholdo *de Zehringen* in fugam versus fuerit, anno 1078. Ei, 7 Decembris 1080, Henricus rex comitatum *Harichingen*, in

Ch. xvi, col. 197. pago *Buhsgowe*, tot officiorum memor, con- A
donavit. Ut vero, post tanta dissidia, umbra
pacis incedere visa est, Burchardus, qui
castellis ea tenus exstruendis aut mu-
niendis totam operam impenderat, ad ec-
clesiæ suæ res tandem conversus, monaste-
1083 rium S. Albano sacrum, anno 1083, sub
Cluniacensi norma, condidit, eique plura
contulit. Mox autem ad arma iterum concur-
ritur. Henricus in Italiam præceps ruit, et,
Roma capta, a Guiberto pseudo-papa conse-
cratur. Ambiguum relinquitur an hujus facti
Burchardus socius fuerit; litteræ quidem
Cæsareæ, Romæ datæ, 21 Martii 1084, ei B
castellum *Rapoldestein*, in Alsatia situm, as-
signant. Præsenti vero aut absenti? id non
liquet. Sed præter omne dubium est eum,
sub id temporis, Henrici constanter stu-
diosum fuisse : quare Quedlinburgense con-
cilium, Aprili mense 1085 congregatum,
anathematis sententiam in eum promulga-
vit; e Bernoldi Chronico, apud D. Pertzium,
t. V, p. 443. Nec multo post Moguntinum con-
ventum adiit, in quo Quedlinburgensis acta
rescissa fuerunt; inde vero ad ecclesiam
suam, cui Romani Pontificis asseclæ imminc-
bant, festinanter regressus est, et per lega- C
tum Moguntino decreto subscripsit. Spiram
dein imperatoris comes se recepit, ibique,
1086 12 Januarii 1086, Henricus ecclesiæ Spirensi
præposituram *Naumbourg* semet Burchardo
suadente contulisse testatus est. Burchardum,
mense Junio 1087 (1), habemus cum Udalrico,
Cluniacensi monacho, plura permutantem;
Mon. Episc. Basil., t. I, p. 207. Ejusdem
suasu, mense Martio 1095, aut 1096 (2),
Henricus ecclesiæ Basileensi Fabariensem
abbatiam, episcopatui dein Curiensi adscri-
bendam, concessit; ibid., p. 210. Eo quoque
anno 1096, ejusdem petitioni obsequens D
Adelbertus comes S. Albano villam *Appen-
wilr* condonavit, et Hupoldus, vice-dominus
Basileensis, eodem postulante, S. Albani
possessionibus prædia plura adnexuit, anno
1098 1098; t. II, p. 8, 9. Basileæ, ut videtur,
tunc Burchardus commorabatur. Moguntiæ
vero reperitur, 9 Novembris 1099, qua die
testis est Henrici pactionem inter episcopos
Spirensem et Wormatiensem initam confir-
1100 mantis. Dein Spiræ, 7 Januarii 1100, Bur-
chardo etiam præsente, in Spirensem ec-
clesiam Henricus beneficum se præbet; apud
Dumge, Reg. Bad., p. 25. Quoties Burchar- E
dus ad Basileensem agrum pedes mentemve
convertebat, nihil antiquius habebat quam
ut S. Albani sui incrementis consuleret. Sic
1102 quoque, anno 1102, eo suadente et impe-
trante, Udalricus, comes de *Sougere*, plura
quæ in villa *Kempez* possidebat jura huic
monasterio dono dedit; Mon. Episc. Bas.,
t. II, p. 11. Spiram eo anno, 11 Februarii,
Germanicæ ecclesiæ proceres convenerunt :
quos inter Burchardus sedit, et Henrici lit-
teris pro abbatia Wissemburgensi subscri-
psit; Schœpfl., Als. Dipl., t. I, p. 182. Basi- Ch. xvii, col. 197.
leæ quoque, anno 1103, de possessionibus et
juribus S. Albani solemniores litteras edidit.
Deinde, in eadem urbe, Aprili mense 1105, 1105
eamdem domum Hugoni, Cluniacensium
abbati, disciplinæ Cluniacensis præcepta edo- Ch. xviii, col. 199.
cendam, subjecit, et, 3 Julii, Fredericum,
Montis Biligardi comitem, approbavit Alti-
chilchensem ecclesiam Cluniaco tradentem;
Monum. Episc. Basil., t. I, p. 224, 225. Obiit
Burchardus II id. Aprilis 1106, e Monaste-
riensibus fastis; anno 1107, secundum Anna-
listam Saxonem. Ecclesiæ diu Romanæ infes-
tissimus, ejusdem sibi gratiam, sub extremos
vitæ dies, reconciliaverat, ut Annalista Saxo
tradit, apud D. Pertzium, t. VI, p. 746. Bur-
chardi quidem interitum annales Ottenbu-
rani anno 1111 adscribunt, apud eumdem,
t. V, p. 9 : potior vero tam fastorum Mona-
steriensium quam Annalistæ Saxonis testi-
moniis in eo fides adhibenda videtur.

XXVI. Radulfus III.

Ortu clarus erat Radulfus, cui sane parens DE HOMBOURG.
Radulfus is *de Hombourg*, cujus, anno 1103,
Burchardi præsulis pro S. Albano diploma
supra laudatum meminit. Eum Urstisius, Su-
danus aliique e Basileensis ecclesiæ præpo-
sito in episcopalem cathedram translatum
referunt, et a Guidone, Viennensi archipræ-
sule, tunc Bisuntinam ecclesiam procurante,
anno scilicet 1107, consecratum. Argentorati 1107
primum reperitur VII non. Octobris 1111,
qua die Henricus V, eo præsente, monasterii
Einsidlen jura confirmavit. Spiram dein, Cæ-
saris lateri adhærens, se recepit, ejusque,
VI id. Augusti 1112, testis fuit, S. Maximini 1112
privilegia iteratis litteris stabilientis. Eodem
quoque, inter alios, postulante, idem Hen-
ricus, Wormatiæ, VIII id. Aprilis 1113, S.
Maximino ablatas quasdam possessiones res-
tituit. Sub finem vero ejusdem anni Radulfus
Basileam redierat, ubi, 19 Decembris, con-
ventui clericorum et laicorum non incelebri
præsidens, exortam inter monachos S. Blasii
et Cononem de Tegernowa litem judicio sol-
vit. Mense Martio 1114, Henricum V excepit 1114
Basileæ moram aliquam facturum : ibi, sub-
scribente Radulfo, imperator cœnobii Mu-
rensis possessiones recensuit, IV non. Martii,
supra, t. V, Instr., col. 515, et, VI id. ejusdem
mensis, abbatiæ Einsidlensi permulta prædia
firmius adscripsit; eodem quoque die Henri-
cus, Radulfo petenti obsequens, Fabarien-
sem abbatiam sub Basileensis ecclesiæ tutela
confirmavit. Unde magnum dissidium inter

(1) Anno 1083, ind. XI, apud Neugartium, t. I, p. 159; 1077, ind. X, apud D. *Trouillat*. Lege forsan 1087, indict. XI: aliæ enim chronicæ notæ sibi invicem repugnant.

(2) Hujus diplomatis chronicæ notæ non inter se concordant.

abbatiam recenti patrono minime morem gerere festinantem, Radulfumque superbos rebellesque, ut aiebat, monachos, debellandi studiosum. Adeunt Fabarienses Cæsarem, summum Pontificem adeunt, vetera secum ferentes pergamena, quibus pristinam suam libertatem adstruere conantur. Cassas, his auditis, facit Cæsar litteras ab ipso Basileensi præsuli nuper datas. Jubet etiam summus Pontifex ut Radulfus patronatum illegitime collatum dimittat. Hic vero nequidem apostolicum mandatum exsequitur, et, quam tergiversationibus alit, litem in serum trahit. Attamen eum urgente magis magisque abbate, ejusdemque pervicaciam Roma vituperante, ab impugnanda Fabariensium libertate tandem mœstus desistit. Ea prolixis enarravit verbis Fabariensis annalista, qui, pro suæ ætatis more, Radulfum nostrum, domesticum hostem, acerbis contumeliis laceravit; Mon. Episc. Bas., t. III, p. 658. Eodem anno 1114, XVII cal. Decembris, Rhenaugiensem in Constantiensi diœcesi basilicam Radulfus solemni dedicatione consecrans occurrit; apud Zapfium, Mon. Anecd., p. 464. Anno
1115 1115, 15 Novembris, eumdem Annales Argentinenses monasterium Marbacense consecravisse memorant; apud Bohmerum, t. III, p. 70. De eo postea chartæ et chronica silent, usque ad annum 1119, quo, 1 Aprilis, in domo S. Albano sacra, Gregorius cardinalis et Pontius abbas Cluniacensis, Calixti II legati, inter Basileensem ecclesiam et S. Blasium, adstante et probante Radulfo, pacem fecerunt; apud Lunigium, Spicil. Eccl., t. III, p. 139. Eodem anno Radulfus testis fuit Henrici V quasdam immunitates civitati Argentoratensi concedentis; Alsat. Dipl., t. I, p. 194; Reperitur denique 27 Februarii 1122, capitulo S. Deodati plures decimas condonans. Quo decessit anno, tam ex Annalibus Argentinensibus quam e Monasteriensi Chronico.

XXVII. Berctholdus I.

DE NEUFCHATEL. Monasteriense prælaudatum Chronicon Bercholfum, alias Bercholdum, Radulfo nullo medio successisse refert. Nonnulli quidem inter Radulfum Bercholdumque Ludovicum Ferretensem et quemdam Fredericum Basileensibus episcopis annumerant. Eos vero falsa pro veris accepisse tam Annales Argentinenses quam infra memoranda diplomata demonstrant. Frater erat Bercholdus Radulfi, Novi Castri apud Helvetios toparchæ, Ch. XIX, col. 200. ut testatur ejusdem Radulfi subscriptio, anno 1126, ad calcem litterarum Henrici V pro Lucella. Nobilium episcoporum pro more, sæpius Bercholdus in aula quam in episcopali civitate conversatus est. Apud Henricum regem jam se receperat x cal. Februarii
1123 1123, qua die ejus testis fuit Alpirspacensis

A monasterii privilegia confirmantis; Neugart., Cod. Dipl., t. II, p. 53. Argentinæ dein reperitur, v cal. Julii, ubi litteris Henrici V pro Luxoviensi monasterio subscribit. In eadem urbe, 28 Decembris 1124, ejusdem 1124
Henrici testis est in Engelbergensem abbatiam benefici; *Herrgott*, Geneal. Habsb., Prob., t. II, p. 145. Ibidem quoque, VII id. Januarii 1125, litteras Cæsaris obsignat pro ecclesia Constantiensi, et, postera die, pro Ch. XIX, col. 200.
Lucella. Ea dies Berehtoldo ob aliam rem infelix fuit. Adelgozoni sedenim favens, cui S. Blasii *advocatiam* tradiderat, quique omnia, ut videtur, pro libitu, conculcatis B monachorum juribus, agebat, frustra coram imperii proceribus hujus Adelgozonis causam Bercholdus oravit, et antiqua S. Blasii jura impugnavit; episcopum enim monachi vicere; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 243. Eodem anno, 30 Augusti, Bercholdus Moguntino conventui interfuit, Frederici Suevorum ducis, qui scilicet, Henrico V mortuo, regalem dignitatem ambiebat, cliens et consors : major vero et prudentior magnatum pars, Fredericum aversata semet insolentius efferentem, Lotharium III imperatorem salutavit. C Alienus igitur a Bercholdo Lotharius fuit. Nec multo post, nempe IV non. Januarii 1126, eum S. Blasii *advocatiam* utique sibi 1126
vindicantem in Argentinensibus comitiis condemnavit : quibus solutis, Moguntinus Spirensisque episcopi, nec non Henricus, Boiorum dux, scriptis ad summum Pontificem epistolis, eum vehementer exoraverunt uti S. Blasii monachos a pervicaci Basileensis antistitis tyrannide eximeret : ideo, VI cal. Aprilis, re festinanter absoluta, solemni Honorius II decreto S. Blasii monachos ab omni Basileensis episcopi jurisdictione libe- D ros pronuntiavit. Deinde tamen Bercholdus in Lotharii gratiam rediisse videtur. Etenim cum eo Basileæ interfuit VIII id. Februarii 1130, ubi Cæsareas pro ecclesia S. Felicis 1130
Turicensis litteras sigillo suo munivit. Quin imo, 24 Junii 1131, Lotharius ecclesiæ Basileensis jura in argenti fodinas, olim eidem a Conrado rege concessas, confirmans, Bercholdum *dilectum et fidelem* suum nuncupat; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 258. Aliquot vero interjectis annis, anno, secundum Monasteriense Chronicon, 1134, Bercholdus 1134
episcopatum dimisit. Nec quis hujus dimis- E sionis causam profert, nisi Annalium Argentinensium anonymus auctor, apud Bohmerum, t. III, p. 73; qui scilicet Bercholdum memorat munere, quod simonia assecutus erat, facti pœnitentem semet abdicavisse, et in Lucellensem abbatiam secessisse, ubi sub monachico cucullo extremos vitæ suæ dies transegit.

Annalista quidem Saxo, apud D. *Pertz*, Mon. Germ. Hist., t. VI, p. 768, quemdam Henricum, Basileensem episcopum, sub idem

fere tempus a summo Pontifice munere privatum, Adalberonemque ei subrogatum contendit. Adalbero sane Bercetholdo successit: Henricus vero nomen est quod a Bercetholdo multum discrepat. Alia est conjectura, Bercetholdo scilicet sponte abdicanti Henricum ab aliqua factione suffectum, et protinus, jubente domino papa, ablegatum. Minime vero hoc aut illud conjicientibus tuta via.

XXVIII. Adalbero IV.

DE FROBOURG. Adalberonem, Hermanni, Froburgensis comitis, filium opinantur; cujus gentilitium castrum infra Petram Scissam, vulgo *Hawenstein*, situm memoratur. E S. Blasii priore Adalbero Nienburgensis abbas effectus fuerat, antequam, convenientibus cleri, populi Cæsarisque votis, Basileensis episcopus salutaretur. Consecratus dein fuit III id. Fe-
1135 bruarii 1135; ex Illustrat. Claudianis. Eo quoque anno, regulares S. Augustini canonicos in parochialem ecclesiam SS. Bartholomæo et Leonardo sacram intromisit. Sequente, una cum Humberto archipræsule, (Ch. xx, col. 201.) exstructæ recens abbatiæ Lucellensis jam multa prædia recensuit. Hannonem hunc perperam appellat Casinense Chronicon,
1137 quem arbitrum fuisse memorat, anno 1137, contentionis quæ inter Lotharium imperatorem et Casinensem abbatem erat exorta. Cujus Chronici pro fide in abbatia Casinensi, 16 Septembris, conventui interfuit qui de Reginaldi electione statuit. Die quoque 22 ejusdem mensis, diplomati Lotharii pro abbatiis *Stavelo* et *Malmedi*, Aquini in Campania, subscripsit. Nec multo post, mense Octobri, Ariciæ, vulgo *Arezzo*, quo Cæsareo in comitatu se receperat, decessit; ex Annalista Saxone. Eodem anno Bercetholdum, Adalberonis antecessorem, apud Lucellenses ultimum obiisse dicunt Annales Argentinenses referunt.

XXIX. Ortliebus.

DE FROBOURG. Ortliebum juratissimi testes Ordliebum, Ordibum, Ordienum, Ortlevum, Ortleum, Ordicum, Odulfum, *Ordiept*, etc. etc. nuncupant; frequentius tamen in authenticis pergamenis Ortliebus occurrit: quem e nobili gente Froburgensi deductum asserunt, potius quam probant. Basileensis ecclesiæ præpositus antea fuerat; quo titulo insignitus, anno (Ch. xx, col. 203.) 1136, confirmationi rerum ad abbatiam Lucellensem pertinentium subscripserat. Infulis autem vix susceptis, in aulam imperatoriam se recepit. Argentinæ eum habemus anno 1138, qua in urbe Conradus III imperator quarumdam rerum commutationem (Als. Dipl. t. 1, p. 219.) sancit inter ecclesiam Basileensem et cellam S. Petri, in Nigra Silva. Eo dein postulante,

A Innocentius II præcipuas Lucellensis abbatiæ possessiones, 18 Martii 1139, recognovit; Monum. Episc. Basil., t. I, p. 272: nec multo post, nempe 14 Aprilis, Basileensis ipsius ecclesiæ quælibet jura apostolicis iterum litteris sancivit; ib., p. 274. Argentinæ, 28 Maii, plura ab imperatore Conrado edita diplomata, de libertate scilicet Einsidlensis monasterii, de juribus abbatiæ Selsensis, de Lucellensium ascetarum bonis, nec non de Fabariensi abbatia; quibus subscripsit Ortliebus, Cæsareorum quorumcumque consiliorum particeps. Annosa, ut diximus, inter
B ecclesiam Basileensem et abbatiam S. Blasio sacram contentio. Eam quidem jam pluribus judiciis compositam existimaverant. Spem vero fefellerat eventus. Argentinæ tandem, 13 Aprilis 1141, quædam prædia Ortliebo, causam suam pro viribus tuenti, monachi S. Blasii dederunt, hisque acceptis Basileensis antistes, in frequentissimo episcoporum magnatumque conventu, in S. Blasii libertatem controversum quodcumque jus dimisit. (Mon. Episc. Bas. t. 1, p. 282.) Anno sequente, 31 Martii, Innocentius II, ad Ortliebum scribens, de recuperatis ab (Ibid., p. 285.)
C ecclesia Basileensi decimis, necnon de earum exactione decrevit. Argentinæ rursus reperitur Ortliebus VI id. Julii 1143, qua die Conradi regis diploma obsignavit, Salsensi abbatiæ cudendæ jus monetæ confirmantis; Als. Dipl., t. I, p. 224. In eadem urbe, 8 Julii, anno sequente, ejusdem Conradi litteris pro monasterio Einsidlensi subscripsit; Hartmann., Ann. Eremi, p. 205. Anno 1144 fundationem monasterii *Velpach* approbavit; Mon. Bas. Episc., t. II, p. 707. Anno 1145, Chalmillensem ecclesiam Lucellæ Ortliebus contulit: eo quoque anno capellæ B. Martino
D sacræ, in vico *Egenesheim*, veteres consuetudines novo decreto stabilivit; Mon. Episc. Bas., t. I, p. 289, 290. Anno 1145 desinente, nempe 30 Decembris, Aquisgrani litteras Conradi imperatoris pro ecclesia Cameracensi obsignavit; supra, t. III, Instr., col. 3. Spiræ dein, pridie non. Januarii 1146, chartæ subscripsit ejusdem Conradi de ecclesia S. Maximini Trevirensi archiepiscopo collata; apud Lunig., Spicil. Eccles., t. II, p. 211. Eo quoque anno, 15 Maii, Eugenius III litteras ad Ortliebum misit, quibus ecclesiam Basileensem protegendam suscepit. Summa inter aulicos auctoritate Ortliebus pollebat;
E ideo Conradus III, Hierosolymam tendens sub Martium mensem 1147, itineris eum comitem adlegit. Ad Ptolemaidem postquam appulerant, non multo post Damascum cinxit Christianorum militum exercitus ingens. Sed tantæ molis erat validissimum hoc et egregiis copiis munitum castrum expugnare, ut, post longam irritamque obsidionem, imminuto plurimum suorum numero, Conradus vasa collegerit, et patrios in agros inglorius remeaverit. Inter redeundum tamen Conradus

Ortliebusque Hierosolymam inviserunt et locos ubi Salomonis olim templum fuerat; quin imo, lente renavigantes, in Græcia aliquantisper subsederunt, et dein in Germaniam, elapso biennio, se receperunt. Hæc Otho, Frisingensis episcopus, Gest. Fred. Imper., c. 58, 59, enarrat, additque reducem Conradum Ratisponæ, vix exutis ocreis, celeberrimo magnatum cœtui præsedisse. Ratisponæ enim, cal. Junii 1149, Ortliebum duobus arcibus et jure cudendæ monetæ donans, hunc sibi dilectissimum Conradus nuncupat, « qui, ut ait, per diversa pericula, etiam « usque ad desperationem vitæ, » regi suo fidum semet exhibuit. Eodem anno Benedictinum monasterium *Alspach*, in Alsatia situm, Ortliebus adiit, illudque consecravit recens opere novo exstructum; Monum. Episc. Basil., t. II, p. 709. Plura exstant Conradi diplomata, Spiræ, anno 1150, data, quibus, ejus lateri semper adhærens, Ortliebus subscripsit. Conradus idem Constantiæ 7 Janua-
1152 rii 1152 aderat, ibique abbatiæ Tiezelnheimensis fundationem, præsente Ortliebo, approbabat : dein, 12 Januarii, Helvetiorum Frburgi, ubi, eodem adstante, *Ochsenhattsen* villam S. Blasio dabat; Reg. Bad., p. 45. Extremam vero vitæ metam mox Conradus attigit, ejusque vices Fredericus, e fratre nepos, excepit. Aquisgrani rex Romanorum Fredericus salutatur 9 Martii, et, ea die, Ortliebo subscribente, Stabulensis abbatiæ privilegia confirmat. Eodem quoque teste, 12 Martii, Babenbergensi ecclesiæ monasterii *Altaich* tutelam committit; ibid., p. 483. Dein juxta Fredericum Ulmæ conversantem Ortliebus erat 29 Julii, et ejus litteras tam pro monasterio S. Albani Basileensi, quam pro monasteriis S. Vincentii et Omnium Sanctorum obsignabat; Mon. Episc.
1153 Basil., t. I, p. 316, 318. Anno sequente, 18 Januarii, Basileæ Fredericus et Ortliebus una reperiuntur, episcopusque Cæsaris testis est S. Pauli Bisuntini privilegia recognoscentis. Colmariæ dein muros subeunt, et, Ortliebo subscribente, Alti Cœnobii Fredericus privilegia confirmat; supra, t. V, Instr., col. 483. Inde Vesuntionem tendunt, qua in urbe, xv cal. Martii, imperatorias pro monasterio Paterniacensi litteras Ortliebus obsignat; Als. Dipl., t. I, p. 240. Sub idem tempus, ind. 1, Frederici anno primo, et in eadem urbe, Fredericus Bisuntinæ ecclesiæ libertates recenset. Ortliebi quoque nomen ad eam rem spectans diploma præbet. Spiræ,
1154 xvi cal. Februarii 1154, eosdem fuisse comperimus e solemni pro ecclesia Gebennensi privilegio (1). Quo eodem anno Runckaliæ, Cæsareo Ortliebus diplomati pro monasterio Desertinensi subscripsit; apud *Eichhorn*, Episc. Cur., instr., p. 51. In suam diœcesim postea redux Ortliebus, Grandi Valle, 10 Julii, litteras ipse publicas edit de composito jurgio inter ecclesias Vesuntionensem et Lausannensem super vicis Lustriaco et Cusliaco, vel Custiaco. Eodem, Anastasio IV Ch. xxiv, col. 206.
cathedram Romanam etiam tunc occupante, nempe ante 2 Decembris, singulas S. Albani possessiones compendiose recenset. Eo quoque, ut videtur, anno, Fredericus I, Ortliebo postulante, de non ulterius adulteranda Basileensis ecclesiæ moneta regium decretum promulgavit; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 323. Ex eo quidem diplomate comperimus Basileensem monetam non tantum levem nimis, sed etiam impuram, antecedentium episcoporum temporibus effectam fuisse. Anno 1155 adscribi potest charta qua Ortliebus Lucellensis abbatiæ possessiones confirmavit (1). Eo certius anno, vii id. Septembris, Tridenti commorabatur, in comitatu Frederici, ejusque diploma pro ecclesia Leodiensi obsignabat; supra, t. III, Instr., col. 154.
Eidem per annum sequentem assiduus co- 1156
mes adhæsit, et Argentinæ, Herbipoli aliisque in urbibus ejus litteris subscripsit pro S. Thoma Argentinensi, necnon pro Claro Fonte, Bella Valle, Caritate, Gratia Dei, Caro Loco et Accincto, Bisuntinis abbatiis. Colmariæ moram aliquam faciebant xvi cal. Septembris, ubi scilicet Fredericus, Ortliebo subscribente, in gratiam Virdunensis ecclesiæ decretum fecit, legendum apud *Dumont*, Corp. Diplom., t. I, p. 80. Anno 1157, ipse Ortliebus inter monasterium *Sulzburg* et Conradum, ejusdem loci sacerdotem, litem sopit; Mon. Episc. Bas., t. I, p. 330. Novembri mense 1158, Runckaliensi conventui,
in Italia, intererat : Februario 1160, Pa- 1160
piensi, qui Victoris Octaviani pseudo-papæ electionem approbavit, eoque procellosos per Italiam bellorum motus concitavit. Pro Basileensium episcoporum more, in ea re Ortliebus Cæsaris ad voluntatem semet accommodaverat. Ideo in ipso concilio Fredericus,
14 Februarii, ei Grandem Vallem, abba- Ch. xxv, col. 207.
tiam, cellamque S. Urcisino sacram confirmavit : quam illico confirmationem Victor Octavianus 19 Februarii ratam habuit; Monum. Episc. Basil., t. I, p. 336. Has edens litteras Victor se *catholicæ ecclesiæ episcopum* appellat : quibus etiam subscribit Guido Cremensis, tunc titulo Calixti cardinalis, mox futurus ipse post Victorem anti-papa. In ea-
dem urbe, 6 Aprilis 1161, Ortliebus fœdus 1161
testatur initum inter Fredericum Pisanumque consulem Lambertum. Dein Laudæ, eodem anno, in concilio post tertiam Mediolani

(1) Annus 1153 in charta legitur. Cum vero xv cal. Februarii 1153, sicut supra notatur, Basileæ Fredericus præsens esset, Spirense diploma in annum 1154 admovemus.

(1) Annum 1152 charta præbet, sed mendose. Pontificantem enim Adrianum designat : Adrianum scilicet IV, qui S. Petri cathedram 3 Decembris 1154 regere cœpit.

vastationem habito, Frederici litteris pro monasterio *Odenhein* Ortliebus subscribit; Alsat. Dipl., t. I, p. 249. Quo etiam decurrente, in oppido *Erfurt*, eumdem Hergottus, Geneal. Dipl. Habsb., t. II, n. 236, Frederici quoddam diploma pro Fabariensi monasterio obsignavisse refert. Anno deni-
1162 que 1162, 10 Junii, in urbe Papiensi, sigillum suum Ortliebus superstes apposuit Cæsareo decreto in Guiercii, Savonensis marchionis, gratiam edito; Hist. Fred. II, Dipl., t. II, p. 662. Eo quem anno Annales Argentinenses decessisse memorant, apud Bohmerum, t. III, p. 79. In eo tamen Annalibus Argentinensibus non omnino tuta fides adhibenda. Nec sane tutior Ortliebi cuidam epitaphio, quod Joannes Grossius typis mandavit, annum 1167 præbente. Brevior enim Ortliebi certe vita fuit. In Libro Vitæ Basileensis ecclesiæ legitur: *XV cal. Septembris, Ortliebus episcopus obiit, qui sepultus est ante altare S. Crucis.* Obiit igitur Basileam redux, sub medium Augustum, anno forsan 1163, vel, ut Chronicon Monasteriense refert, 1164. Annum hunc 1164 doctissimus vir D. Trouillatius potiorem habuit; quem sane confirmare videntur ad Ludovicum sequentem spectantia diplomata.

XXX. Ludovicus.

DE FROBOURG. Ludovicus, v id. Octobris 1175, ecclesiam *Bocschort* Bellelagiensi abbatiæ confirmans, Ortliebum antecessorem suum appellat, et fratrem suum Volmarum, Froburgensem comitem; deinque hanc chartam editam memorat anno episcopatus sui undecimo. Unde comperimus eum ante mensem Octobrem 1164 infulis donatum, et, contra communem opinionem, e Froburgensi gente
1167 deductum. Anno 1167, 6 Augusti, litteræ ad eum missæ pseudo-pontificiæ, a Paschali scilicet III scriptæ, quibus ecclesiæ Basileensis reditus confirmati; Mon. Episc. Bas., t. I, p. 344. Hæ memorant litteræ Ortliebum antecedentem abalienatas quondam decimas feliciter recuperavisse, suaque diligentia Basileensis ecclesiæ statum meliorem fecisse. In comitatu postea Frederici I imperatoris, quo cum ab Alexandro III desciverat, 20 Februarii, 4 Martii et 2 Julii 1173, Ludovicus reperitur, ut rem nos docent diversæ chartulæ a doctissimis viris Stettlero, Herrgotto et Pertzio prælo datæ, quarum D. Trouillatius meminit; ibid., p. 345. De Ludovico anno 1175 ecclesiæ Basileensi præsidente supra
1176 mentionem fecimus. Anno vero 1176, Fredericus I et Alexander III, qui mutuis diu semet inimicitiis impetiverant, fœdus Anagniæ pepigerunt; inter cujus fœderis conditiones ea sub num. 21 legitur: « De Argen- « tinensi et Basileensi dictis episcopis, qui

A « ordinati fuerunt a Widone Cremensi (1), « in eodem regno (Teutonico) prædicti sequestres, rem committent decem vel octo « hominibus, quos ipsi elegerint; qui jurejurando affirmabunt se illud consilium « Pontifici atque Imperatori daturos, quod « se juste dare posse sine animæ suæ atque « ipsorum detrimento statuerint, et Pontifex « et Imperator eorum consilio obtemperabit. » Recentioribus quidem scriptoribus e supra laudatis verbis conjicere placuit Ludovicum munere suo aliquantisper privatum fuisse, ejusque vices Hugonem de B *Asuel*, vel *de Hasenburg*, per idem tempus implevisse, quem scilicet Hugonem, Basileensem revera antistitem, Joannes Grossius, ex ejus epitaphio, anno 1177 obiisse memorat et in S. Galli sacrario humatum fuisse. Ea autem conjectura attentius ponderanda. Primum quidem rei cujuslibet *sequester*, hic est qui sequestratam rem administrat, ille minime qui eadem per tempus privatur. Sic consecrationem quam Paschalis III peregerat Alexandro III non approbante, veluti vacantis sedis procurator, sequesterve, curiæ Romanæ judicio, Ludo- C vicus erat. Adde quod epitaphia Basileensis ecclesiæ, a Joanne Grossio collecta, multis vitiis laborant. Hugo anno 1180 certe superstes erat, ut ex authentico diplomate, brevem Hugonis de *Asuel* episcopatum describentes, rem infra demonstrabimus. Ludovicus autem, etiamsi eumdem Alexander III pro non legitimo pastore haberet, et sequestrem episcopatus, non episcopum, nuncuparet, anno 1176 cathedram Basileensem
nihilominus occupabat. Anno dein 1177, 1177
calendis Augusti, Venetiæ reperitur in episcoporum Germanorum cœtu, qui scilicet D Frederici antea rebellis, nunc pœnitentis, sequaces, ideo, ut eos cardinalis Aragoniensis appellat, *intrusi et schismatici*, « ad si- « num matris ecclesiæ catervatim confluen- « tes... eorumdemque ordinationes irritas « esse pronuntiantes... reconciliati sunt et « unitati ecclesiæ assignati : » cardinalis enim Aragoniensis anonymus, totam rem particulatim enarrans, et singulos recensens episcopos qui præteritæ contumaciæ in Venetico colloquio veniam obtinuerunt, Argentinensem inter alios Basileensemque nominat; Rer. Gall. Script., t. XV, p. 741. Anno deni-
E que 1178, v id. Octobris, Hagenoæ, Ludovicus 1178
testis legitur Frederici imperatoris Stivagiensis monasterii jura confirmantis (2); Als.

(1) Scilicet Paschali III.

(2) Corrigendus hic antecessorum nostrorum locus, t. V, col. 799. Ad Rudolfum enim spectare contendunt quæ de Argentoratensis episcopi absolutione, anno 1177, et de ejusdem anno 1179 depositione scriptores veteres narraverunt. Conradus vero, anno 1178, Argentoratensis episcopus, litteris Frederici Hagenoæ datis, una cum Ludovico nostro, subscripsit. Retroducenda igitur Conradi episcopi electio, quem, falsa, ut videtur, conjectura, anno tantum

Dipl., t. I, p. 483. Ludovicusne absolutus
iterum ab Alexandro recessit et ad Callixti
partes transiit? Rem plane compertam non
habemus. Anonymus vero scriptor, apud
Bohmerum, eum Radulfumque Argentinen-
1179 sem, mense Martio 1179, in Lateranensi
concilio exauctoratos fuisse memorat, et ex
alio Chronico, quod D. *Pertz* edidit, depo-
situs Basileensis episcopus sub id temporis
fuit, « eo quod a papa schismatico conse-
« crationem recepisset. » Pro certo saltem
tenendum est Ludovicum Radulfumque,
anno licet 1177 absolutos, Basileensi rursus
et Argentinensi cathedris anno iterum 1179
dejectos fuisse.

XXXI. Hugo.

D'ASUEL. Exauctorato sub annum 1179 Ludovico
successit Hugo de *Asuel*, antea S. Ursicini
præpositus. S. Ursicini quidem præpositu-
ram anno circiter 1174 regebat, ut rem e
Frederici imperatoris diplomate cognitam
habemus, quod D. Trouillatius edidit; Mon.
Episc. Basil., t. I, p. 354. Dein, sedente
1180 Gelnhamenensi conventu, Aprili mense 1180,
ad congregatos proceres Fredericus impe-
rator quæstionem detulit, quam ei Basileen-
sis episcopus Hugo de vacantibus in urbe
Basileensi *advocatiis* proposuerat. Id tes-
tantur ipsius Frederici litteræ ad Warnerum,
Basileensem advocatum, inter eadem Mon.
Episc. Basil., t. I, p. 379. Nec plura de Hu-
gone, qui idibus Maii obiit; e Libro Vitæ Ba-
sileensis ecclesiæ.

XXXII. Henricus I.

Anno 1180 Basileensis ecclesiæ præsi-
datum Henricus assecutus est. Eo scilicet
anno decurrente, compositionem inter Lu-
cellensem abbatiam et Hugonem de Pluviosa
initam approbavit; Mon. Episc. Basil., t. I,
p. 383. Ea quidem approbatio, ceteris pror-
sus concordibus notis, indictionis annum IV
falso exhibet. Henricus vero anno 1186,
ind. IV, anno Urbani III primo, ecclesiæ
S. Ursicini ecclesiam Habhchensem confe-
rens, semet annum episcopatus sui sextum
nondum exegisse testatur; sub annum igi-
tur 1180 cleri plebisque vota in Basileen-
sem cathedram eum extulerant. Ex ipsius
Ch. XXIX, col. 210. quoque Henrici verbis, in Lucellensem ab-
batiam, anno 1189, benefici, satis constat
eum, tunc temporis adolescentem, mona-
chicæ vitæ tirocinia Lucellæ posuisse. Am-
biguum vero relinquitur e qua stirpe ortum
duxerit: quidam enim, vel inter veteres, eum
asserunt e proceribus Hornbergensibus in
Wurtembergia genitum, alii ex Horburgensi-
bus, in Alsatia, dynastis. Animadverte tamen

A quod Henricus de *Asuel*, Argentoratensis
episcopus, ad nostrum Henricum de variis
rebus scribens, consanguineum eum suum
appellat, Mon. Episc. Basil., t. I, p. 403,
quodque ipse Henricus Basileensis Ludfri-
dum, Henricum et Burchardum, germanos,
nepotes suos fuisse renuntiat; ibid., p. 416.
Basileensem cathedram nuper conscenderat,
cum ad eum, 11 Februarii, anno, ut videtur,
1181, Alexander III scripsit, jubens ut præ-
positum Reimingensis ecclesiæ, quem Or-
tliebus excommunicaverat, absolveret; Mon.
Episc. Bas., t. II, p. 20. Eodem quoque
B anno, XIV cal. Maii, litteris Frederici, Al-
satiæ ducis, super fundatione monasterii
Trutenhusani ab Herrata, Hohenburgensi
abbatissa, subscribit; Als. Dipl., t. I, p. 276.
Anno deinde 1184, S. Albani monachis ec- 1184
clesiam *Buessishein*, quam eis ipse abripue-
rat, restituit; Mon. Episc. Bas., t. I, p. 392.
Eo quoque anno, in claustro S. Ursicini, hu-
jusce domus canonicos quoddam prædium
ecclesiæ *Alspach* vendidisse testatus est;
ibid., t. II, p. 711. Eodem etiam, die Pente-
costes, Moguntinensibus comitiis interfuit; e
Gisleberti Montensis Chronico (1). Ad eum-
C dem scriptæ, 12 Martii 1185, Lucii III litteræ Ch. XXVII, col. 208.
de propriis ecclesiæ Basileensis decimis. De-
cimarum scilicet ecclesiis Lausannensibus
oblatarum quarta pars ad Basileensem epis-
copum pertinebat. Prohibet Lucius papa ne
quartam hanc partem episcopus abalienet.
Jubet insuper ut proprium hoc tam fru-
menti quam vini subsidium episcopus quo-
tannis percipiat, cum hujus perceptionis
procrastinatio multis ecclesiis gravis et dam-
nosa fuisset. Eodem etiam anno, mense Julio, Ch. XXVIII, col. 209.
ipse Henricus episcopus Henrico VI, regi
Romanorum, tunc Basileæ moram aliquam
D facienti, dimidiam *curtis* et montis *Brysach*
partem, inter cetera, contulit. Quæ sane col-
latio magni momenti fuit. Ea tenus enim
Brisacum intra Basileensis episcopatus fines
exstiterat. Hoc vero castellum processu tem-
poris non parva susceperat circum exstruc-
tarum domorum incrementa, urbsque sur-
rexerat castello ruinam facienti contigua.
Quæ ab illo tempore sub Cæsaris tutela po-
sita, Cæsarea dicta est et validioribus muni-
mentis septa. Ne singula quæ gessit Henri-
cus recenseamus, memorandum tamen eum,
anno 1188, Loci Crescentis monachis libe- 1188
E rum per suam diœcesim transitum conces-
sisse. Anno denique 1189, XV cal. Martii,
Benedictinos Henricus monachos in mona-
sterium *Schonthal* accivit; nec multo post,
Fredericum imperatorem secutus Hieroso-
lymitanas ad oras migrantem, ut Chronicon
refert quod publici juris fecit D. Pertzius,

1179 Argentoratensis ecclesiæ administrationem suscepisse antecessores nostri asseruerunt.

(1) Basileensem episcopum, prætermisso viri nomine, Gislebertus designat. Falsa vero conjectura domnus *Brial*, Rer. Gall. Script., t. XVIII, p. 373, Basileensem tunc temporis episcopum Ludovicum appellavit.

Monum. Ger., t. XI, p. 543, cum tot Germa-
1190 norum episcopis, in ea expeditione, anno 1190,
peste consumptus interiit.

XXXIII. Lutholdus I.

DE ROETHELN. Lutholdum, Henrici successorem, e clara domo *Rœtheln* oriundum asserunt potius quam probant. Antiquus tamen mos est eum Lutholdum *de Rœtheln* appellare. Episcopum
1192 agens innotescit anno 1192, Cœlestini S. Petri cathedram occupantis primo, ante scilicet 14 Aprilis diem, e litteris quibus S. Albani fundos et privilegia recensuit; Als. Dipl.,
1194 t. I, p. 299. Anno deinde 1194, cum Einseldensi abbate de ecclesiæ *Hohenkirch* patronatu, et cum abbate Morbacensi de legitima nonnullarum decimarum possessione pactus est; Mon. Episc. Bas., t. I, p. 429, 431. Nec ipsi quietam intra diœcesis suæ terminos vitam ducere licuit, aut placuit. Anno quippe
1197 1197, cum Argentinensi episcopo, Berctholdo, Zaringiæ duce, multisque aliis tam ecclesiæ quam imperii proceribus contra comitem Othonem, Ulrichi Ferretensis occisorem, fœdus pepigit, quod acerrimi non tantum belli, sed etiam lamentabilium in tota fere Alsatia deprædationum origo fuit. Anno sequente, Lutholdus decimam in vico quem S. Ursicinum appellant percipiendam ad thesaurarium ecclesiæ S. Ursicino sacræ pertinere recognoscit; ibid., p. 440. Sub hunc annum Joannes Trithemius eumdem Hierosolymitanum iter suscepisse refert : quod sane consilium minime Lutholdus exsecutus
1201 est; nam, 12 Junii 1201, Innocentius III litteras ad eum mittit, quibus ea quæ cum Morbacensibus monachis nuper pepigerat approbat, et eodem anno, nonis Decembris, Hagenoæ, Lutholdus, mendose scriptus Luldiphus, diploma Philippi, Romanorum regis, pro Luxoviensi monasterio obsignat. Ejusdem litteræ pro S. Leonardo Basileensi proferuntur, annis datæ 1205, 1206; ibid., t. II,
1207 p. 33, 34. Anno 1207, 1 Junii, Basileæ Philippus rex moram aliquam faciebat, ubi scilicet, præsente Lutholdo, Thomam de Sabaudia in legitimam prædiorum ab imperatoribus ei collatorum possessionem misit. Dein Argentinæ, VIII id. Februarii 1208, Philippi regis anno decimo (1), Lutholdus ejusdem Philippi litteris subscripsit, quibus hospitii Hagenoensis fundatio approbata; Als. Dipl., t. I, p. 316. Philippo vero mortuo, Lutholdus Othonis partibus adhæsit : quocum Herbipoli reperitur anno 1209; ex Arnoldi Lubic. Chronico. Othonemne, ut quidam ferunt, Romam pergentem Lutholdus secutus est? Certe in ecclesiam suam redux
1210 erat anno 1210, ind. XIII, quo decurrente

(1) Incipit decimus Philippi regis annus 6 Martii 1198. Perperam igitur præmemoratam chartam nonnulli anno 1207 adscripsere.

A singula jura recognovit ad episcopum Basi- Ch. XXX, col. 211.
leensem, præpositum S. Ursicini, et advocatum ejusdem loci in ipsa *S. Ursicini potestate* pertinentia. Abbatiam Lucellensem dein
invisebat, v id. Julii 1212, qua die notam 1212
omnibus faciebat compositionem inter monachos hujus domus et Burchardum de *Hasenburch* initam; ibid., p. 457. Eo etiam anno, Septembri mense, Fredericum II Basileæ muros subeuntem excepit, eumque, summi Pontificis mandato, in Germaniam iter agentem Colmariam usque comitatus est; e Richerii Senon. mon. Chronico. Eodem quoque anno
B abbatem *Beinweil* et Radulfum de *Thierstein* Ch. XXXI, col. 214.
ad ineundam de mutuis jurgiis pacem compulit. Superstes tandem Lutholdus in Basileensibus tabulis reperitur usque ad mensem Martium 1213. Quo decessit anno; e Colmariensibus Annalibus, apud Urstitium.

XXXIV. Waltherus.

Electus jam Basileensis erat Walthe- DE ROETHELN.
rus, quem Waldricum Sudanus appellat, 1
Septembris 1213, qua die Frederici II, 1213
in urbe *Uberlingen,* testis fuit Salemi-
C tano monasterio a Walthero de Vattis vendita approbantis : Hist. Dipl. Fred. II, t. I, p. 276. Ab eo jam tempore Frederici vestigia secutus, ejus lateri fere semper adhæsit. Cum eodem scilicet in urbe *Rotwell*
reperitur 7 Martii 1214; ibid., p. 293 : eum 1214
deinde Basileæ aliquantisper constiturum excipit sub Novembrem mensem; quippe 21 hujus mensis, Walthero subscribente, Fredericus, Basileæ commorans, in Argentoratensem episcopum beneficum se præbet; et 23, 24 ejusdem, in eadem urbe, ministrante pariter Walthero, plura sancit ad
D Diensem, Vivariensen, Viennensem, Arelatensem et Tricastinensem ecclesias spectantia; ibid., p. 322, 327, 330, 336, 339. Augustæ commorabatur Fredericus 5 Aprilis 1215; Spiræ, 23 Aprilis : his enim in urbibus ab eo datæ litteræ proferuntur, quibus Waltherus utique Basileensis electus subscripsit; ibid., p. 367, 374. Cæsarea deinceps diplomata de Walthero silent. Eo sedenim anno 1215, consecratus nondum, a Lateranensi concilio munere privatus est, « quod », ut referunt Annales Argentinenses, « non ca- « nonice intraverit. » Malis igitur artibus
E Basileense pedum consecutus erat. Quibus autem non liquet. Obiit 25 Septembris; e cathedralis ecclesiæ necrologio.

XXXV. Henricus II.

Henricum de Tuna, Conradi, Eremi ab- DE THUN.
batis, fratrem, Walthero, nemine medio, subrogatum fuisse novimus ex Arnoldi, Morbacensis abbatis, litteris, quarum ad calcem legitur : « Basileensis ecclesiæ electo Wal-

Ch. xxxii, col. 215. « thero, usque ad ejus depositionem feliciter
« certanti, venerabili Henrico Basileensi
« episcopo succedente. » Episcopum se jam
ferens Henricus Norimbergæ reperitur, 21
1216 et 25 Januarii 1216, testis Frederici II in Pa-
tariensem episcopum benefici; Hist. Dipl.
Fred. II, t. I, p. 494, 496. Basileæ dein, ut
videtur, anno 1217, S. Leonardo a Joanne
Vicedomino datam domum approbat, Mon.
1218 Episc. Bas., t. II, p. 37, et, 11 Julii 1218,
pactam inter monachos Lucellenses et Bur-
chardum de *Hasenburch* compositionem om-
nibus renuntiat; ibid., t. I, p. 471. Rursus
vero Cæsarem, Ulmæ tunc commorantem,
adierat 12 Septembris, quam sub diem ei
Fredericus omnia ad Basileensem episcopum
Ch. xxiii, col. 216. spectantia jura confirmavit, et, aliis litteris,
eumdem in civitate Basileensi vectigali quod
ungelt appellabant frui jussit. Majoris autem
momenti res Henricum in imperatoriam au-
lam compulerat. Ab aliquo scilicet tempore
Basileenses oppidani negotiorum civilium
administrationem delectis quibusdam viris
demandaverant, qui in urbanum concilium
convenire sueverant. Nec eam rerum muta-
tionem Romanorum rex improbaverat. Hen-
Ch. xxiv, col. 216. ricus vero, auctoritatis amissæ motus desi-
derio, Ulmam tetenderat, et, 13 Septem-
bris, litteras regias obtinuit, quibus, ipso
postulante et Trevirensium archiepiscopo
Theodorico suadente, Basileensis urbis con-
cilium Fredericus abrogavit. Postera quoque
die Henricus Ulmæ conversabatur, et Frede-
rici testis erat monasterium San-Gallense pro-
tegendum suscipientis; Hist. Dipl. Fred. II,
t. I, p. 563. Aulam dein reliquit : in quam
1219 redux erat 21 Martii 1219, qua die, Hage-
noæ, Frederici litteris pro conventu Tenne-
bachensi subscripsit; ibid., p. 613. In eadem
quoque urbe, 23 et 28 ejusdem mensis, alia
Frederici diplomata obsignavit; ibid., p. 618,
621. Tunc etiam ab eo aliquantisper diver-
tit, juxta eumdem mox regressurus, 17 Au-
gusti, qua die, Hagenoæ, Henrico præsente,
Fredericus tutelam abbatiæ Neuenburgensis
sibi vindicavit; ibid., p. 665. In eadem etiam
urbe, 11 et 14 Septembris, aliis Frederici
litteris, tam pro Argentinæ quam pro *An-
weiler* oppidanis, et 4, necnon 10 Februarii
1220 1220, pro civibus Mollesheimensibus proque
ecclesia *Matton,* subscripsit; ibid., p. 679,
681, 737, 740. Francofurti, 26 Aprilis,
percelebris episcoporum juxta Fredericum
cœtus : quos inter Henricus sedens impera-
torem audit ecclesiasticos imperii principes
eximiis privilegiis exornantem; ibid., p. 768.
1221 Basileæ vero Henricus erat anno 1221, ponti-
ficatus quidem sui sexto, ubi sententiam edixit
secundum S. Albani præpositum, Wernheri
de *Honberg* jurisdictionem totis viribus pro-
pulsantem; Mon. Episc. Bas., t. II, p. 39.
Ch. xxxv, col. 217. Anno dein 1222, capellam S. Mauricio sa-
cram Gunthero, Ebersheimensi abbati, con-

A tulit. Pecuniam episcopus Basileensis a
Judæis fenore sumpserat : suis igitur nomi-
nibus responsurus, episcopalia quædam vec-
tigalia canonicis cathedralis ecclesiæ ad
tempus assignavit, ea sub conditione ut
prædictis Judæis solidum pretium solverent.
Id Basileæ pactum 2 Decembris 1223; Mon.
Episc. Basil., t. I, p. 491. Bernæ Henricus
28 Decembris 1224 reperitur, ubi diversa
Henrici regis diplomata obsignat, tam pro ec-
clesia Vesuntionensi quam pro Tullensi; Hist.
Dipl. Fred. II, t. II, p. 493, 818, 819, 820.
Anno sequente, 14 Novembris, Cremonæ inte- 1225
B rest principum conventui, coram quibus Guil-
lelmus, Montis Majoris abbas, causam suam
adversus Forcalquerii comitem orat; ibid.,
p. 465. Basileam, ut videtur, redux, 3 Aprilis
1226, quidquid juris in ecclesia *Sigreswile,*
non procul a Thunensi lacu sita, hæreditate
ipsi obvenerat ecclesiæ Interlacensi condonat;
Mon. Episc. Bas., t. II, p. 41. Parmam vero
postea se contulit, qua in urbe, mense
Junio, quam plurima Frederici II decreta
testimonio suo communivit; Hist. Dipl.
Fred. II, p. 603, 609. Unde, Cæsaris comes,
Burgum S. Donino nuncupatum petiit, ibi-
C que, mense Julio, testis fuit Frederici II
Savonæ dynastæ privilegium ab avo conces-
sum renovantis, et ecclesiam Aquensem pro-
tegendam suscipientis; ibid., p. 651, 664.
Eo denique anno, mense Novembri, Herbi- 1227
polim se recepit, ubi legitur Henrici regis
chartæ subscribens, qua Cameracensis urbis
civile concilium abrogatum; ibid., p. 894.
Sequente, 27, 29 et 30 Martii, Aquisgrani
juxta eumdem conversabatur, ejusque di-
versa diplomata obsignabat; ibid., t. III,
p. 310, 312, 314. Ipse, pridie cal. Novem-
bris 1228, canonicorum collegium in ec-
D clesia S. Martini, apud *Rheinfelden,* instituit;
quam institutionem Henricus rex approbavit,
exeunte, ut videtur, Julio mense 1230; ibid.,
t. III, p. 424. Eodem anno, 18 Septembris,
Henricus præsul S. Leonardi et S. Petri pa-
rochias certis limitibus circumscripsit; Mon.
Episc. Bas., t. II, p. 43. Eodem quoque,
Lucellensi abbatiæ concessas a Ludovico
Ferretensi in quinquiennium inducias de-
nuntiavit; ibid., t. I, p. 518. Nec multo post,
ut videtur, summa inter Henricum præsulem
et Fredericum, Ferretensem comitem, dissi-
dia exarsere. Ad ea respicere opinamur fœdus,
E publicis litteris, 5 Octobris 1231, renuntia- 1231
tum, quo Bercholdus, Argentoratensis epis- Ch. xxxviii, col. 219.
copus, consilium auxiliumque suum Henrico,
injuria qualibet impetendo, spopondit. Certe
quidem comperimus Fredericum *Altkirch*
claustrum occupavisse et Henricum captivum
ibi fecisse : cujus rei postquam eumdem pœni-
tuit, Henricum liberum misit, ab eoque ve-
niam poposcit. Jussit vero præsul, ut, resti-
tutis quæ abstulerat, pœnam *harnescar*
dictam subiret, filiique sui Ludovici, qui ad

Ch. xxxix, col. 219. nullas conditiones etiam tum descendere sus- A
tinuerat, contumaciam vinceret. Acerbissimæ
in Fredericum Henrici ea de dissensione so-
pienda litteræ pridie cal. Januarii 1232 datæ
sunt. Nec multo post Fredericum nefandum
scelus de medio sustulit. Occisorem patris
Ludovicum detulit ad judicem Ulrichus, Lu-
dovici germanus : dein vero ipse Ulrichus
quod assignaverat fratri crimen suum fuisse
confessus est. Basileæ commorabatur Henri-
1233 cus anno 1233. Quod sub tempus Altæ Ripæ
monachos omni in urbe Beura exactione im-
munes pronuntiavit. Ex ejusdem senten-
Ch. xl, col. 221. tia, 15 Augusti, ædes S. Petro sacra, quæ B
parochialis ea tenus fuerat, in capitulare
collegium crevit, cui certas leges Henricus
1234 imposuit. Anno sequente, sub Januarium
mensem, apud Henricum regem, qui Fran-
cofurti commorabatur, Henricus præsul se
recepit. Tunc ante forum regium, 1 Fe-
bruarii, delata lis quæ de fodinis argenteis,
in Brisgauvia sitis, inter Egenonem de *Vrach*,
alias de *Friberc*, comitem, Hermannumque,
Badensem marchionem, fervebat : his autem
auditis, e medio surrexit Henricus, char-
tasque quarum supra meminimus proferens,
controversam rem ad se pertinere contendit; C
quod principum cœtu comprobatum semet
habere professo, has argenti fodinas iterum
episcopo Basileensi rex assignavit; ibid.,
p. 530. In eadem urbe, 6 Februarii, Henricus
regis testis fuit Portensis abbatiæ posses-
siones confirmantis; Hist. Dipl. Fred. II,
t. IV, p. 633. Scriptis dein ad Henricum
præsulem litteris, 3 Octobris, Henricus rex
Basileensis ecclesiæ quæcumque jura sanci-
vit; ibid., p. 691. Eo etiam anno reperitur
noster Henricus cum Ulricho et Ludovico,
Ferretensibus comitibus, de villis in Alsgau-
dia et Saligaudia sitis paciscens; Herrgott., D
Geneal. Habsb., t. II, n. 301. Eodem quoque,
advocatiam vici Bielli, numerata pecunia, a
Beretholdo de Novo Castro comparavit; Mon.
Novi Castri, p. 85. Pauciora de Henrico anno
1235 1235 memorantur. Augusto mense, Moguntiæ
præsens erat; qua in urbe, eo teste, Frede-
ricus II Othonem de *Luneburg* imperii prin-
cipem creavit; Hist. Dipl. Fred. II, t. IV,
1236 p. 757. Anno sequente, Basileæ, 30 Junii,
litteras edebat super Beretholdo de *Gremern*
cum S. Martini parochianis de quodam jur-
gio componente; Mon. Episc. Bas., t. I,
p. 543. Ex eadem urbe, anno 1237, ad ca- E
nonicos Colmariensem ecclesiam incolentes
scribens, præscriptam eis ab ipso legem mit-
tebat; ibid., p. 545. Eodem anno, 7 Aprilis,
latis ad præpositum Basileensem litteris,
institutam in ecclesia S. Petri ab Henrico præ-
sule canonicorum societatem Gregorius IX
confirmabat; ibid., t. II, p. 52. Obiit Henri-
1238 cus anno 1238; ex Annalibus Colmariensi-
bus : XIII cal. Martii; e Libro Vitæ Basil. ec-
clesiæ.

Huic Henrico fratres Radulfus Salisbur-
gensis archipræsul, et Conradus abbas Ein-
sildensis in diœcesi Constantiensi.

XXXVI. Lutholdus II.

De Lutholdi genere contenditur, quem D'ARBURG.
Joannes Trithemius et Stumfius Arburgen-
sem, alii, inter quos auctor Annalium Ar-
gentinensium, Rothenleinensem nuncupant :
Arburgensem vero semet ipse declarat, anno
circiter 1240, Cunonis de *Arburg, fratris sui*,
per manum, famulum suum Berctholdum
ecclesiæ B. Mariæ condonans. *Electus* tan-
tum, consecrationem scilicet nondum adep-
tus, 22 Augusti 1238, Gertrudem *Vorgassen*
approbavit monialibus Horti Dei quemdam
aquæductum concedentem; Mon. Episc. Ba-
sil., t. II, p. 53. Eidem etiam tum *electo* W.,
Hohemburgensis abbatissa, prædium *Ales-*
heim, XVII cal. Julii 1239, vendidit; supra, 1239
t. V, col. 841. Eo quoque præsente, eodem
anno, Albertus et Radulfus, Habsburgenses
comites, bonorum ad utrumque pertinen-
tium partitionem fecere; *Herrgott*, Geneal.
Habsb., Cod. Prob., n. 311. Occurrit dein
Lutholdus, 23 Martii 1240, secundum re-
centiorem calculum, litteras edens de Bur-
chardo *Babuat* in Bellelagiensem abbatiam
benefico. Episcopum, ideo consecratum, in
his litteris semet Lutholdus asserit. Basi-
leenses eum aliæ chartulæ memorant, annis
1239, 1240; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 554,
555. Eidem, 8 Julii 1241, Burchardus de *Ha-*
senburch, in summam paupertatem delapsus,
sub reditus annui conditione, omnia sua
bona contulit; ibid., p. 556. Sancivit Lu-
tholdus, 15 Augusti, pactum inter Albertum
Ferretensem et Mechtildin, Vallis Masonis
abbatissam; ibid., t. II, p. 57. Dein, 28 Oc-
tobris 1243, Cononem et Ulrichum de *Ram-* 1243
stein silvam quamdam Lucellæ vendidisse
testatus est, et, 8 Decembris, ecclesiam *Mi-*
chelenbach S. Apollinarii cœnobio iteratis
litteris adscripsit; ibid., t. I, p. 563, 564.
Non parvum, ut videtur, inter eum Ludo-
vicumque de *Froburch*, comitem, de posses-
sione superioris et inferioris castrorum *Bier-*
seck dissidium : comes vero, 21 Octobris
1245, episcopi jus agnovit; ibid., p. 568. Qua 1245
etiam die Lutholdus ab Harttmanno villam
Arlesheim pretio comparavit; ibid., t. III,
p. 7. Cellarius tunc Basileensis ecclesiæ Ul-
ricus de *Ratolstorf* : qui, ut e Lutholdi lit-
teris comperimus, tres domos Basileæ sitas
B. Mariæ concessit 17 Januarii 1246, secun- 1246
dum Gregorianum calculum, anno scilicet
indictionis quarto; ibid., t. II, p. 59. Eodem
anno Lutholdus, qui Thuringum dynastam
Henricum Cæsarem agnoverat, Brisacum se
recepit, ibique non infrequenti interfuit ma-
gnatum cœtui, qui de bello Romanorum regi
Conrado inferendo multum sermonem ha-

buerunt. Insignia Lutholdi civili Basileæ administrationi præsidentis monumenta proferuntur, diplomata scilicet quibus pactum inter Basileenses lanios condictum, 2 Junii 1248, approbavit, et cœmentariis, tignariis figulisque ejusdem civitatis, eodem anno, ind. VI, operandi conditiones præscripsit;
1249 ibid., t. I, p. 574, 579. Obiit anno 1249, 16 Januarii; e Necrologio Constantiensis ecclesiæ.

XXXVII. Berctholdus II.

DE FERRETTE. Frederici II, comitis Ferretensis, filius, et Ulrichi frater, Berctholdus canonicus Basileensis legitur annis 1230, 1241; dein, anno 1243, Grandivallensis monasterii præpositus. Episcopum Basileensem agens, consecrationem scilicet jam adeptus, duas in ecclesia B. Mariæ præbendas instituit, 1 Julii
1250 1250; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 583. Quo etiam anno, mense Novembri, litteras a Brisaceni castri oppidanis scriptas accepit, quibus hi semet episcopi Basileensis sub jure positos agnoscebant; ibid., p. 585. Castrum scilicet hoc Brisacense vetus validumque Henrico, Germanorum regi, anno 1185 ab episcopo Basileensi, feodi nomine, sicut rem supra memoravimus, concessum fuerat, eidemque, anno 1218, a Frederico imperatore confirmatum. Frederici vero Conradique filii imperium detrectantes oppidani, anno 1250, in Basileensis episcopi tutelam redire peroptaverunt. Ea forsan rerum mutatio anno tantum 1254 consummata est. Incomptos enim hos versiculos legit Sudanus in arce Brisacensi :

Annos centenos Domini per bis lege senos,
His quinquagenos et quattuor adjice plenos,
In quinto denas Julio faciente calendas,
Pontifici cedit Brisacum, jurat, obedit,
Matri Vigineæ faciendo fidem Basileæ.
Hic Pfirretorum genus ortu præsul avorum,
Berctholdus, tenet hanc quam dux sibi struxerat [aulam.

1251 De Berctholdo sub annum 1251 nonnulla memorantur, sed minoris momenti. Basileæ tamen commorans, 20 Januarii, Fryenispergensem abbatiam protegendam suscepit; Mon. Episc. Bas., t. I, p. 589. Dein, sub
1252 Januarium mensem 1252, pergravem inter Morbacenses monachos et Ulrichum, Ferretensem comitem, discordiam judicio solvit; Als. Dipl., t. I, p. 406. Wodinovæ Berctholdus erat 10 Maii ejusdem anni, qua die venditam rem abbatiæ *Wettingen* a Radulfo Habsburgensi approbavit : apud Herrgottum, Gen. Habsb., t. II, p. 297. Infensus tunc erat Berctholdo Radulfus hic Habsburgensis, Alsatiæ landgravius, Cæsar futurus, qui scilicet, rem enarrante Sudano, Basileam, anno 1252, in summo noctis silentio occupavit, et militibus diripiendam tradidit.

A De qua deprædatione Bercthóldus summum Pontificem certum fecit. Basileensis quidem episcopi patrocinium summus Pontifex minime deseruit : ecclesiasticis vero admonitionibus pœnisve adeo non ea inter landgravium episcopumque jurgia composita fuerunt, ut contra acerbiores creverint inter eosdem inimicitiæ. Reperitur postea Berctholdus, 1
Augusti 1253, in urbe *Lauffenburg*, abbatiæ 1253
supra memoratæ *Wettingen* a Gotofredo Habsburgensi data sanciens; *Herrgott*, Geneal. Habsb., t. II, p. 304. Basileam dein regressus, 14 Octobris, Cistercienses Loci
B Crescentis monachos, omni re exhaustos, clero Basileensis diœcesis sublevandos Berctholdus commendavit; Monum. Episc. Bas., t. I, p. 594. Quo etiam anno eisdem permisit
ut capellam in vico Sulza exstruerent; ibid., Ch. XLII, col. 224.
596. Eodem quoque, 22 Novembris, abbatiam Michelebachensem abbatiæ Lucellensi
adnexuit. Sulzam, anno 1254, Berctholdus 1254
se recepit, ubi, 19 Julii, capellam, quam Loci Crescentis abbas nuper exstruxerat, consecrans reperitur; ibid., p. 605. Majorem autem ei sub id temporis provinciam summus Pontifex dedit. Typis enim infra manda-
C bimus Innocentii IV litteras, quibus non tan-
tum Radulfum Habsburgensem, sed etiam Ch. XLIII, col. 224.
nonnullos alios tam Basileensis quam Constantiensis pagorum proceres e communione fidelium segregrare jubetur, ob nocturnam vim monialibus B. Mariæ Magdelenæ illatam. Omnium tamen animi discordiarum finem appetebant. Quamobrem, eodem anno, inter civitates Rheno adjacentes initum fœdus in decem annos de mutua pace tuenda : hujus fœderis instrumentum Bercthóldi nomen præbet; ibid., p. 608. Per eumdem, 30
Martii 1255, Loci Crescentis monachis facta 1255
D potestas cœmeterium juxta capellam Sulzanam exstruendi; ibid., p. 618. Anno vero sequente, 18 Januarii, cum S. Albani præpositus de ecclesia cœmeterioque in media Basileensi urbe instituendis cogitaret, obstitit Berctholdus ne consilium hoc exsequeretur, civium quorumcumque Basileensium curam ad sacerdotes cathedralis ecclesiæ spectare decernens; ibid., t. II, p. 75. Die 30 ejusdem mensis, Basileensibus pistoribus peculiares leges imposuit; ibid., t. I, p. 634. Martio, Waltherum de *Hasenburch* testatus est cum Bellelagiæ abbate quædam prædia
E permutavisse; ibid., p. 638. Junio, Colma- Ch. XLVIII, col. 227.
riensis hospitii nuper ædificatam capellam consecravit. Quam ob causam Berctholdus archiepiscopo Vesuntionensi morem debitum gerere distulerit incompertum habemus : obsequium tamen non ei promisit ante Septembrem mensem 1257; *Droz*, t. I, p. 50.
Anno 1258, 11 Novembris, arcem Brisacen- 1258
sem, a Zaringiæ duce, fervente Burgundico bello, excitatam, munimentis ut augeret, 420 besses argenti a Gotofredo de *Stoufen*

mutuo accepit; Mon. Episc. Bas., t. I, p. 654.
Eo anno lamentabili incendio conflagravit
Basilea, non sine magno cathedralis eccle-
siæ damno. Tiguri, Berctholdus, 17 Octobris
1259 1259, jam sæpe memoratæ *Wettingen* ab-
batiæ ab Habsburgensibus comitibus collata
sigillo suo munivit; *Herrgott*, Gen. Habsb.,
t. II, p. 354. Unde Sudanus Berctholdum
conjecit cum Radulfo landgravio tunc tem-
poris mutuorum jurgiorum oblivionem de-
mum pepigisse. Plura de eodem anno 1260
referuntur; in quo scilicet, 14 Novembris,
vestiariorum Basileensium sodalitatem ins-
tituit; Mon. Episc. Bas., t. II, p. 103. Tunc
quoque, eo rogante, Agnes, Frederici, Tul-
lensis comitis, vidua, Vallem Dei, quam ipsa
domum nuper exstruxerat, abbati Casæ Dei
dono dedit; supra, t. II, col. 339. Anno de-
1262 nique 1262, Basileæ commorans, litteras Luit-
fredi comitis in monasterium S. Trudperto
sacrum benefici laudavit; *Herrgott*, Gen.
Habsb., t. II, p. 376. Quo decessit anno,
VI id. Decembris; e Libro Vitæ Basileensis
ecclesiæ.

XXXVIII. Henricus III.

DE NEUFCHATEL. Henricus, Ulrichi Novicastrensis filius,
fratres habuit Radulfum, cui in hæreditatis
paternæ partitione Nidavium obtigit; Ber-
ctholdum, cui Strasberga; Ulrichum, cui Ar-
berga : ejusdem sorores nuptæ sunt Tocken-
burgensi, Regenspergensi, Falckensteinensi,
Rothenleinensi, Grandissonensi magnatibus.
Ipse Henricus, Beretholdo episcopo super-
stite ad episcopatum Basileensem regendum
jam accesserat; quem sane parentela adeo
potentem nemo eo præsidatus consortio ho-
nestaverat, aut depellere ausus erat. Ut igitur
Beretholdo justa persoluta sunt, Henricus,
nequidem aditis canonicorum suffragiis,
episcopatu potitur, quamvis, ut ferunt, illi-
teratus, circa finem Decembris 1262. Oc-
1263 currit 30 Junii 1263, nondum quidem conse-
crationem adeptus, fratribus S. Joannis Hie-
rosolymitani *Lutgern* incolentibus vectigalia
quædam in eo *Lutgern* vicnlo percipienda
condonans; Mon. Episc. Basil., t. II, p. 134.
Anno dein 1264, 9 Februarii, S. Leonardi
fratribus parochialem ecclesiam *Rokinberk*
concedit; ibid., p. 137. Nec multo post,
nempe Martio mense, iisdem Augustinianos
sodales Minorem Lucellam, germanice *Klei-*
Ch. XLV, col. 225. *nen Lutzel*, incolentes adnexuit, eo scilicet
pacto ut unus duas domos præpositus regeret.
Eodem anno, a Radulfo Habsburgensi Brisa-
cense castrum noningentorum bessium pre-
Ch. XLVI, col. 226. tio comparavit, et illico fidei debitæ sponsores
Brisacenses oppidanos habuit. Inde tamen
quam maxima exorta sunt inter comitem præ-
sulemque dissidia, nec semel varia fortunæ
1265 alea pugnatum est. Anno 1265, 30 Aprilis,
Henricus episcopus Basileensi capitulo pa-

A tronatum ecclesiæ *Laufon* concedit, et ab eo
simili jure in ecclesia S. Theodoro sacra li-
berali permutatione donatur; ibid., p. 154.
Henricum animadverte a 24 Junii 1264 episco-
pum appellari : eo anno igitur consecratus
fuerat, quamquam legitimis minime cano-
nicorum votis exoptatus, inter Martium Ju-
niumque menses. Deinde, 27 Maii, Murati,
Radulfum, *Cerlye* comitem, quem dilectum
nepotem suum vocat, audit Henricus, Petro,
Sabaudiæ comiti, obsequium spondentem;
apud D. Car. *Zeerleder, Urkunden für die
Geschichte der Stadt Bern.*, t. I, p. 618. Quo
B etiam anno, sub Julium mensem, erga mo-
nasterium Herilacense, ab avis suis, ut ait,
fundatum, beneficum se præbet; ibid.,
p. 619. Eodem quoque anno, 3 Novembris
Ludovicum, Froburgensem comitem, Hen-
ricus excipit sibi ob castra *Waldenburg* et Ch. XLVIII, col. 226.
Olton clientelare obsequium promittentem :
nec multo post, nempe 17 ejusdem mensis,
Gerardo, S. Gregorii abbati, hanc potesta-
tem facit ut ecclesiæ S. Leodegario sacræ fruc-
tus in privatos monachorum usus impendat;
ibid., p. 158. Anno 1266 plurimis Henricus 1266
C rebus consuluit, quas tamen memorare operæ
pretium non est : ad ejus enim administra-
tionem ingens pertinet fasciculus charta-
rum, quas D. J. Trouillatius juris publici
fecit : hæ vero impari pondere valent. Anno
1267, 5 Januarii, beneficiarias *Arlesheim* 1267
sitas possessiones Radulfo Diviti confirmat.
Dein, 18 Junii, puellarum *Michelfeld* inco- Ch. XLIX, col. 229.
lentium reficiendam valetudinem curans,
quibus scilicet paludosa Rheni fluminis ripa
lethiferos vapores afflabat, eas Henricus in
locum *Blazen* transfert. In Bellelagienses
quoque munificus, eis decimas 19 Novembris
D adscribit; ibid., p. 177. Ecce iterum, anno
1268, inter eum Radulfumque Habsburgen-
sem bella fervent. Radulfiana quidem cas-
tella *Hertinberg, Blotzheim, Rinvelden* expu-
gnat Henricus, cui non tantum Basileæ et
Novi Castri cives, sed ipsi Tokenburgenses to-
parchæ opem et auxilium tulerant. Alias vero
Radulfus ejusque socii arces, alia oppida ag-
grediuntur vastantque. Acerrimum ex utra-
que parte armorum certamen. Ut se præsidio
muniat Henricus a Gotofredo quodam, co-
gnato suo, castrum *Biederthal* emit. Nec
mora Radulfus castrum *Reichenstein*, in
E Alsatia, quod studentes Henrico milites te-
nebant, occupat. Interea vehementer in
Henricum iratus, cui scilicet non pauca vini
dolia per vim intercepta exprobrabat, Ber-
ctholdus, abbas S. Galli, cum Radulfo fœdus
init, sociatæque utriusque copiæ Basileæ
obsidionem minantur. Stratis terrore civium
animis, in urbem caput S. Pantali defertur et
solemni cum reverentia ab Henrico præsule
excipitur; ex Annal. Colmariens., apud Ursti-
sium. His tamen in angustiis ineundæ pacis op-
portuna consilia non angustiis una vox edit,

quæ tandem in castro Beuehensi, ad Teuto-
nicum ordinem pertinente, componitur. Oc-
currit sub id tempus Henricus, Herilaei,
mense Julio 1269, cum Radulfo Novicas-
trensi, patruo suo, cujus litteras in gratiam
Herilacensis monasterii obsignat; apud D.
Car. *Zeerleder, Urkunden*, t. II, p. 210. Dein
cum Ulricho, Ferretensi comite, de variis præ-
1270 diis transigit, 26 Junii 1270; Mon. Episc.
Basil., t. II, p. 201 : nec multo post, 17 Au-
gusti, cum Theodorico *Schnewlin*, Fribur-
gensi, agrorum permutationem pangit, et,
25 Octobris, Ulricho de *Arberg* suadet ut
Loco Dei patronatum ecclesiæ Capellensis
confirmet. Majoris momenti fœdus, 15 Ja-
nuarii 1271, cum Ulricho Ferretensi Hen-
ricus fecit : ab eo nempe castella *Pfirt*,
Sougern, *Blochmunt*, *Lewemberc*, *Alt-
kirke*, pluraque alia pecunia numerata com-
paravit, in rursus imminentis belli exspec-
tatione; ibid., p. 205. Eodem anno, 19
Aprilis, a Walthero *de Gerolseck* castrum
Schwarzenberg, in Monasteriensi valle,
sexcentorum bessium argenti pretio emit;
ibid., p. 208. Anno vero 1271 recruduit
bellum. Junctis copiis Argentoratensis et
Basileensis episcopi *Mulhouse* oppidum ob-
sidione cingunt, dum Grandem Vallem Ra-
dulfus invadit et flammis tradit. Nec multo
post *Tieffenstein* castrum, cujus in posses-
sionem nuper Henricus venerat, expugnant
Radulfianæ turmæ funditusque vertunt, Fri-
burgenses agros deprædantur, atque Novo
Castro juxta Rheni ripas ejusdem cladis
minas intentant : sed Henricus, quem valida
manus sequitur, festinus adest hostemque
pedem retroducere cogit. Tunc in Basileam
Radulfus ruit, quam cum treecentis equitibus
patentem, ut videtur, incautamque pertran-
sit, obvia quæque inter transeundum feriens,
aut abripiens, eamdem ipsam post temera-
rium hunc ausum obsessurus. Induciæ 22
1273 Septembris 1273 in diem 16 Octobris pactæ.
Interea vero, 30 scilicet Septembris, ad Ra-
dulfiana castra nuntius pervenit, Radulfum
referens regem Romanorum electum fuisse.
Protinus ergo rerum facies mutatur, et quem
modo Habsburgensem dynastam in Novicas-
trensium dynastarum possessiones involan-
tem cives totis viribus propellebant, nunc
eumdem regem suum, omnium animis gratu-
latione et lætitia plenis, sublato clamore
excipiunt, militesque utriusque partis, re-
conditis in vaginam gladiis, manus jam tunc
amicissimas consociare gaudent. Solus, ut
ferunt, dolet Henricus, cujus in Radulfum
exacerbata mens. Rediit Basileam Radulfus
1274 imperator 13 Januarii 1274 : cui Henricus
debitum morem solemniter gessit. Deinde
15 Junii, ex urbe *Enseshcim*, Cæsareæ ad
Basileenses oppidanos missæ litteræ, quibus
eorum jura confirmata; Mon. Episc. Basil.,
t. II, p. 250. Obiit denique Henricus 13 Sep-
A tembris, et in ecclesia cathedrali sepultus
est. Ex ejus epitaphio quod Joannes Grossius
collegit : *Anno 1274, id. Septembris, ob.
Henricus de* Nuwemburg, *hujus ecclesiæ
episcopus. Princeps hic potens fuit, bellis
multa passus; episcopatum tamen emptione
Porrentrutii oppidi aliisque ditionibus auxit.*

XXXIX. Henricus IV.

Henrico Novicastrensi mortuo, episcopus
a quibusdam canonicis, ut videtur, electus
est Petrus *Reich de Reichenstein*, Basileensis
B antea archidiaconus, quem Colmarienses
Annales, apud Urstisium, circa finem De-
cembris memorant iter ad summum Ponti-
ficem apparavisse. Ea autem Petri electio ir-
rita fuit : nam, 12 Martii 1275, capitulum 1275
majoris ecclesiæ Basileensis ecclesiam *Ta-
vannes* Bellelagiensi conventui confirmans,
sedem tunc temporis vacuam esse contendit;
Mon. Episc. Basil., t. II, p. 258. Mox vero
episcopus Basileensis reperitur Henricus al-
ter, qui scilicet e pistoris filio infimaque for-
tuna in ordinem S. Francisci primum admis-
sus, dein ob egregiæ doctrinæ ingeniique
C præstantis famam in aulam accitus et au-
diendis Radulfi Cæsaris confessionibus præ-
positus fuerat. Eum Henricum *d'Isny* appel-
lant, e natali apud Suevos oppido. Cogno-
menta ejusdem alia *Knoderer* et *Gurtelknopf*,
quorum significationem antecessores nostri
suppeditant; supra t. V, col. 490. De ejus
electione plura, sed parum inter se congruen-
tia, referuntur. Quæ ob testimoniorum dis-
crepantiam prætermittimus, tam apud M.
Gerbertum, Crypt. Nov. S. Blas., quam apud
D. J. Trouillatium, Mon. Episc. Bas., t, II, p.
263, si forsan libet, legenda. Lausannæ ab
D ipso Gregorio papa X 9 Octobris consecra-
tus est, et ab eodem legatus ad colligendam
clericorum decimam in Teutonia constitutus.
In ea etiam urbe commorabatur Henricus
20 et 21 Octobris, quo præsente Radulfus
imperator erga summum Pontificem jura-
mento semet obligavit; apud Lunigium,
Spicil. Eccles., t. V, p. 171. Deinde in civi-
tatem episcopalem Henricus se recepit, syno-
dumque coegit. Basileæ Radulfus rex et Hen-
ricus præsul simul 26 Novembris commora-
bantur. Qua ex urbe ad cives Biellenses missæ
regis litteræ satis spectabiles. Eos enim am-
E plis libertatibus donans, id semet Henrici
causa facere proscribit, hisque laudibus eum
cohonestat : « Ob specialem dignitatem et
« dilectionem, quam ad carissimum princi-
« pem nostrum H., Dei gratia episcopum
« Basiliensem, ob laudabilia et utilia obse-
« quia, quæ imperio nostro et nobis fidelis-
« sime impendit, habere intendimus; » *Ur-
kunden für die Geschichte der Stadt Bern*, a
D. Car. *Zeerleder*, t. II, p. 176. Lausanna re-
cedens Radulfus rex Hagenoam ivit; quem

Henricus secutus est, et in ea urbe, 8 Decem- A
bris, Cæsareis in gratiam Argentoratensis ec-
clesiæ litteris subscripsit; Alsat. Dipl., t. II,
1276 p. 10. Dein, 1 Februarii 1276, Radulfus
Henricum Romam misit, Innocentio papæ V
nuper electo imperatorias gratulationes la-
turum; e Cod. Epist. Rad. I, p. 108. Is
autem 17 Septembris Basileam æger rever-
tebatur, amissis in itinere novem e famu-
lorum suorum caterva, monasteriumque
S. Leonardo sacrum ingressus, in cano-
nicos non unius delicti reos graviter ani-
madvertebat; ex Annal. Colmar., apud
Ch. I, col. 229. Urstisium. Deinde occurrit, 14 Februarii
1277, quartam obventionum judicialium B
partem præposito decanoque Basileensibus
tribuens: nec multo post, 12 Martii, Ludo-
vicum Froburgensem excipiens ipsi cliente-
lare officium promittentem; ibid., p. 278.
Mense Maio, reginam sequitur in Bavariam
pergentem. Episcopalem civitatem tamen
1278 redux erat 9 Martii 1278, ubi cum Theo-
baldo, Ferretensi comite, solemnem de va-
riis rebus pactionem fecit; apud Herrgot-
tium, Geneal. Habsb., cod. Prob., t. II, p.
476. Nec aliter, 23 ejusdem mensis, cum
Theodorico *de Rotberg* de feudorum quo- C
rumdam hæreditate composuit, Mon. Bas.
Episc., t. II, p. 288, et, 25 ejusdem, sigillo
Ch. II, col. 231. suo litteras Othonis præpositi, Fratres Præ-
dicatores in urbe Columbaria instituentis,
munivit. Sub id vero temporis Henricum Ra-
dulfo amicissimum a Basileensis ecclesiæ
cura longe submovit imminens ipsi grave pe-
riculum Cæsari, quem Ottocarus, Bohemiæ
rex, ad manus conserendas aperte provoca-
verat. Adunatis igitur copiis Basileensis præ-
sul se ad Conradum Wernherum, advocatum
Alsatiæ, junxit, amboque per hostiles etiam
terras in Sueviam iter fecere. Extremo præe- D
rat agmini Henricus, nec semel inter eundum
ipse pugnavit. Victus est Ottocarus prope
Viennam, 26 Augusti 1278; quo in prœlio
Fuggerus, ab Hansizio laudatus, Germ.
Sacr., t. I, p. 388, Henricum memorat Sty-
rorum et Carinthorum exercitus duxisse.
Viennæ juxta Radulfum etiam tunc erat Hen-
ricus 29 Decembris, qua die Cæsareo diplo-
mati subscripsit de Columbariensis civitatis
privilegiis; ibid., p. 299. Dein, 5 Januarii
1279 1279, in urbe *Brunn*, Tobiæ, Pragensis elec-
ti, una cum Brunone, Olomucensi episcopo,
recentem electionem confirmat. Basileam inde E
regresso Radulfus, grati pignus animi, tria
millia bessium argenteorum transcribit,
a Judæis tam in Basileensi quam in Argento-
ratensi diœcesi constitutis exigenda; ibid.,
p. 312. Basileæ quoque commorans Henricus
17 Octobris, Lucellensis monasterii ascetas,
damna nonnulla passos, castellorum suorum
custodibus protegendos peculiaribus litteris
commendat; ibid., p. 319. Deinde, 10 No-
vembris, litteras edit publicas de vendita S.

Albano decima a Diethelmo Camerario; ibid.,
p. 320. Anno vero 1280 Columbariam se re- 1280
cipit; quam scilicet urbem, ob clerici cujus-
dam incarcerationem, interdicto supponit.
Reperitur idem 20 Junii Theodorico, Montis Ch. III, col. 231.
Biligardi comiti, advocatias *Ajoie* et *Bures*
tradens, ea sub conditione ut singulis annis
comes episcopo Basileensi duas ceræ tabulas
præstet. Auxiliis Henricus egebat. Erat qui-
dem animo manuque fortis, belli sciens, et
ad copias in hostem ducendas promptus. Sed
cum novo quotidie Basileensis ager armorum
strepitu ferveret, non sane valebat præsul
cuique in episcopales possessiones involanti
ipse simul occurrere. Nec melius, ut diximus,
compositæ res in diœcesi vicina Vesuntio-
nensi. Sic absque gravi periculo Vesuntio-
nem ire nondum Henricus potuerat, me-
tropolitanam consecrationem impetraturus.
Quam eo anno 1280, 19 Junii, Insulæ supra
Dubim, ab Odone tandem obtinuit, ut rem
nos docent Illustrationes Claudianæ, apud
Bollandistas, 6 Junii, necnon Chiffletii Ve-
suntio, part. 2, p. 280. Accepit Henricus a
Radulfo Novicastrensi, 23 Martii 1281, me- 1281
diam partem jurium quibus potens ille comes
in monte *Schwadernau* fruebatur; Mon.
Basil. Episc., t. II, p. 332. Dein, medio Maio,
cum Theobaldo Ferretensi de *Florimont* et
Porrentruy pactus est, cumque eodem mu-
tuæ fœdus defensionis pepigit; ibid., p. 334.
Ab eodem, 20 Octobris, non tantum quæli-
bet jura in urbe *Porrentruy* exercenda, sed
etiam quidquid Theodoricum, Montis Bili-
gardi comitem, in advocatiis *Ajoie* et *Bures*
penes fuerat, pretio centum et quadraginta
bessium argenteorum comparat; ibid., p.
343. Anno 1282, 21 Martii, Radulfus, Ro- 1282
manorum rex, hanc Henrico, consiliario suo,
provinciam dat ut Sabaudiæ comitem adeat
et cum eo fœdus faciat; ibid., p. 347. Quod
Henricus munus, Matiscone, in præsentia
Margaritæ, Francorum reginæ, semet susci-
pere testatus est, et Bellicensem episcopum
ejusdem consortem sibi adjunxit, 15 Aprilis;
ibid., p. 349. Ambo igitur, auditis utriusque
partis querelis, solemni mutuis dissidiis sen-
tentia mense Julio finem fecerunt; ibid., p.
359. Dein, 30 Julii, Henrico Radulfus rex
Montem Salsuginis, Benedictinum partheno-
nem, ecclesiæ Basileensi jam olim collatum,
confirmat; ibid., p. 363. Tunc inter ipsum
Henricum et Reginaldum Burgundum, Mon-
tis Biligardi comitem, dissidia non pauci somi-
nosa fervebant, præcipue de civitatis Brun-
tuti, gallia *Porrentruy*, possessione: quæ
scilicet priusquam utrumque exacerbarent,
eisdem uterque arbitris componendæ rei
mandatum dedit, 4 Septembris; ibid., p.
366: sed arbitralis minime judicatio hanc
contentionem sopivit. Mense enim Februario
1283, cum rex non Lucella procul, in vico 1283
Calmillis, valido stipatus exercitu commora-

retur, apud eum, quem sibi semper amicissimum expertus erat, Henricus se recepit, eumque ad obsidendum Bruntutum impulit. Annuit Cæsar Basileensis episcopi votis, inceptaque 2 Martii obsidio 16 Aprilis finem accepit. Expugnatam urbem restituit comes, omnique renuntiavit juri quod in oppidum et arcem, advocatiam Aiogiæ, pagum Buras
Ch. LIV, col. 232. ceterasque Basileensis ecclesiæ possessiones sibi vindicaverat. Aliquot interjectis diebus, 20 Aprilis, Henrici precibus obsequens Radulfus, amplas Bruntuti civibus immunitates concessit; ibid., p 377. Sine mora præsul Basileam postea rediit : in ea siquidem urbe reperitur 25 Aprilis, congregato et assentiente capitulo, pecuniam mutuans in subsidium Terræ Sanctæ mittendam; ibid., p. 378. Construendis deinde aut reficiendis *Rochedor, Schlossberg* et *Erguel* castellis operam dat. Nec multo post, Columbariæ, 26
1284 Februarii 1284, peculiaribus quibusdam juribus Bellelagiæ canonicos auget; ibid., p. 390. Tunc inter eum et Reginaldum Burgundum, Montis Biligardi comitem, concordia vigebat: Reginaldum igitur hunc 3 Apri-
Ch. LV, col. 233. lis reperimus Henrico castrum *Milandre* transcribentem, ceteraque publice recognoscentem castra oppidave quæ Basileensis ecclesiæ beneficio tenet. Nec sane prætereunda insignia Radulfi Cæsaris diplomata, quibus, in dilectissimum sibi Henricum beneficus, patronatum ecclesiarum *Augst* et *Zeiningen* episcopo Basileensi concessit, et Ulteriorem Basileam, gallice *Petit-Bâle,* amplis auxit privilegiis, 18 et 29 Octobris anni sæpe memorati; ibid., p. 418, 419. Non multo post forsan episcopalem urbem Henricus deseruit, extra diœcesis suæ viam facturus. Ejus nempe vicarius generalis repe-
1285 ritur, 3 Aprilis 1285, Joannes, Regensis episcopus; ibid., p. 412. Certe Augustæ cum Radulfo rege Henricus morabatur 31 Januarii 1286, qua in urbe Cæsareis litteris subscripsit de Carinthiæ ducatu Mainardo comiti collato; Cod. Epist. Rad. I, p. 218. Postera die misit eum in Italiam Radulfus, qui Matthæo, cardinali S. Mariæ in Porticu, in Tuscia vicarium institueret, atque inde Romam ad Honorium papam IV iter faceret, gravissimas cum eo res tractaturus. Traditæ quidem Henrico membranæ vacuæ, imperatorio tantum sigillo munitæ; cujus scilicet fidem et industriam Cæsar probatissimas habebat. Ea autem legatione sic Basileensis præsul functus est, ut, summi ipsius Pontificis gratiam promeritus, ab eo Moguntinensi pallio 15 Maii donatus redierit. De eo plura quære Moguntinenses inter archiepiscopos, supra, t. V, col. 490.

XL. PETRUS I.

Petrum *Reich de Reichenstein* supra memoravimus ex archidiacono Basileensi episcopale munus sibi vindicavisse, et multis, vanis tamen, suffragiis, vacanti cathedra, post Henrici Novicastrensis mortem, donatum fuisse. Is anno 1286, præpositus tunc 1286 REICH DE REICHENSTEIN.
Moguntinensis, de Moguntinensis metropolis possessione cum Gerardo de *Eppesteyn*, Trevirensi archidiacono, jam ab aliquo tempore contendebat, cum Honorius papa IV Gerardum Petrumque æque inde removit, Petrum tamen, postquam Henricum Isnensem Moguntinensem cathedram conscendere jusserat, Basileensibus infulis ipse decoravit. Basileæ reperitur Petrus 21 Augusti, electum se tunc ferens, nam consecrationem nondum assecutus erat, qua die inter Grandis Vallis canonicos et hujus ecclesiæ præpositum satis fervidam litem diremit; Mon. Episc. Basil,. t. II, p. 430. Episcopalis autem muneris canonicam possessionem adeptus erat 1 Augusti 1287, sicut res nobis innotescit e qua- Ch. LVI, col. 34.
dam chartula de permutatis bonis inter Basileensem ecclesiam ecclesiamque S. Leonardo sacram. Sub hunc annum insigne profertur documentum ad fundationem S. Martini Basileensis spectans. Cum enim opes episcopalis ærarii ædi consummandæ non sufficerent, quosdam Petrus, 31 Augusti, rogatores misit, eosdemque clericis suis humane excipiendos commendavit, qui pecuniam quæritando colligerent in hanc exstructionem impendendam; ibid., p. 444. Nec Petro placidam vitam ducere permisit Reginaldus, Montis Biligardi comes; qui scilicet Henricum damno suo prævalentem expertus, novum episcopum spe fortunæ melioris lacessere cœpit. Ingreditur Petrus Montibiligardensem agrum, pagos urit, occurrentesque fugat occiditve Reginaldi commilitones. Nec multo post duorum exercituum congressus fit. Ut vero conserta pugna, sub Petri vexillis militans Egon, Friburgensis comes, vel metu, vel proditione, fugam arripit, et inexspectata numerosi agminis defectione perturbatam Basileensium procerum civiumque vim hosti facile profligandam tradit. Quos illico Reginaldi validiores copiæ undique complectuntur, trucidantque aut captivos ad sua castra deducunt. His in angustiis Petrus ad Radulfum Cæsarem se convertit, ejus auxilium efflagitans. Hic, ut semper fuerat vigilantissimus ecclesiæ Basileensis patronus, collectas sine mora legiones in Reginaldum prospera fortuna nimis exsultantem deputat, atque ipse Montibiligardense castrum circa calendas Julii 1288 obsidet. Tunc aperta paci via, tantorum dissidiorum arbitrium Petrus Roberto, Burgundiæ duci, Theobaldo Ferretensi, necnon Frederico Lotharingiæ duci et Joanni Cabi-

lonensi commisit. Sed ad componendas res A
minus arbitrorum consultatio quam Cæsaris
auctoritas profuit. Postremo Reginaldus, ut
quietis publicæ pestis, quadraginta floreno-
rum millibus mulctatus est. Bernæ commo-
rabatur Radulfus 1 Septembris 1288, qua
die Petro potestatem fecit castellum *Schloss-
berg,* ab Henrico prædecessore inchoatum,
perædificandi; ibid., p. 457. In his ad cas-
trum *Schloosberg* spectantibus litteris Pe-
trum Radulfus his laudibus sibi dilectissi-
mum prosequitur : « Qui suarum virtutum
« candore et claritate fidei luminosa ad instar
« Luciferi matutini ceteros imperii princi- B
« pes antecedit. » Occurrit deinde Petrus,
1289 6 Januarii 1289, urbi *Delémont* eximia
privilegia condonans; ibid., p. 463. Aliis
quoque juribus, 3 Octobris, Bruntuti cives
auget, ibid., p. 464, atque, 24 Novem-
bris, publicis litteris renuntiat Joannem de
Bienna abbati Bellelagiæ prædium *Chindon*
1290 vendidisse; ibid., p. 473. Anno 1290, 28
Januarii, ecclesiam *Wittersdorff* S. Ursieino
adnectit; ibid., p. 479. Absens vero Basilea
legitur, postquam Lutholdum *de Rœtheln*
vicarium suum elegerat, 19 Januarii 1291,
in instrumento cujusdam pactionis inter C
Lucellensem conventum et ecclesiæ *Olen-
berg* præpositum; ibid., p. 497. Ad impera-
torem jam, ut videtur, tetenderat. Certe
Moreti Cæsar præsulque simul 3 Maii com-
morabantur; qua scilicet die Petrus cum
Othone, Burgundiæ comite, mutuæ defen-
sionis fœdus pepigit; Cod. Epist. Rad. I,
p. 251. Idem sub tempus Petrum *Sialerem*
Joanni Montibiligardensi obsequium promi-
sisse Petrus testatus est; e schedis Drozianis,
t. XXX, p. 273. Basileam certe 4 Julii redux
erat, ubi ratum habuit venditionis instru-
mentum, quo Morbacensis nuper abbas Al- D
berto, Austriæ duci, urbem Lucernensem
1292 contulerat. Anno 1292, 16 Octobris, Petrus
Matthiæ, fratri et camerario suo, et Petro,
Guillelmi, fratris alterius sui, nato, arcem in
monte *Reichenstein* sitam, dudum quidem
vacuam et desolatam, feudi nomine possi-
dendam confert; Mon. Episc. Basil., t. II,
p. 528 (1). Radulfo Cæsari interea mortuo
suffectus fuerat Adolphus 1 Maii 1292. Cujus
in comitatu reperitur Petrus 19 Februarii
1293 1293; qua scilicet die transegit Adolphus,
in urbe *Rotwilr,* cum Argentoratensi epis-
copo; Alsat. Dipl., t. II, p. 59. Basileam inde E
redux, cum Theobaldo Ferretensi fœdus
Petrus faciebat, 17 Julii; Mon. Episc. Basil.,
t. II, p. 545. Octobri, Adolpho rursus ob-
viam it, Columbariam rebellem obsidione cin-
genti : cujus in castris commorans, 22 et 23
Octobris, nonnullis Cæsareis diplomatibus
subscribit. Proditam deinde urbem ingredi-
tur, Adolphoque ipse ministrat rebellionis
duces gladio districto insequenti; ex Alberti
Argentinensis Chronico. Anno 1294, 30 1294
Junii, Bernæ sedit Petrus in Cæsareorum
judicum cœtu, qui scilicet, ut exortam inter
Bernenses oppidanos Judæosque eamdem
urbem incolentes contentionem compone-
rent, debita Judæis pecunia oppidanos quos-
cumque liberaverunt. Hoc erat tunc temporis
jus dicere. Ideo Cæsar, 1 Augusti, quidquid 1297
Petrus ceterique ea de re decreverant appro-
bavit; apud D. Car. *Zeerleder, Urkunden,*
t. II, p. 411. Anno 1295, 30 Maii, ecclesiam
S. Regulæ in vico *Kientzheim* sacram Lu-
cellæ Petrus adnectit, eidemque monasterio,
20 Junii, nonnullas silvas confert; Mon. Bas.
Episc., t. II, p. 582, 583. Ædilitias postea
edictiones, ab ipso Biennensium civium con-
cilio scriptas, ratas habet, 7 Januarii 1296;
ibid., p. 599. Extremos tunc vitæ suæ dies
vivebat Petrus : quos tamen ærumnis vacuos
habere ei minime licuit. Post enim breve
tempus Radulfum audivit, Novi Castri co-
mitem, quædam in agro *Cofranes* Basileen-
sium copiarum agmina 28 Februarii debel-
lavisse, ingentemque stragem fecisse. Rur-
susne bellicum canere jubebit, integrasque
legiones in vindictam Cæsarum ferri? Aliud
Petro consilium : Ulrichum enim *de Thor-
berg* pacificum adeo calamitosi jurgii arbi-
trum elegit, ejusque sententiam, suis licet
sociis adversam, approbavit, 14 Augusti;
ibid., p. 630. Nec multo post 5 Septembris
obiit, et ante altare B. Mariæ in ecclesia
cathedrali sepultus est.

XLI. Petrus II.

Asphelt, Trevirensis diœcesis viculus,
Petrum hunc genuisse videtur : quanquam
enim stirpe ignobilis, Petrus de *Asphelt* in
authenticis, quæ ipso vivente scriptæ sunt,
chartis appellatur. Nonnulli vero eumdem
Petrum de *Alchtpalter, Raichspalt, Achz-
palt* nominant, Petrumve etiam de *Tyrole.*
In quocumque loco natus, medicinam primo
didicit, utque erat hujus artis peritissimus
in aulam Cæsaream accitus est, et Radulfo I
ægrotanti curando mancipatus. Alberti Ar-
gentoratensis Chronicon, interprete quodam
hodierno scriptore, Petrum *de Tyrole* narrat,
Alberti imperantis temporibus, post annum
videlicet 1298, Theobaldi Ferretensis filiam
connubio sibi devinxisse. Obscurus quidem
Alberti locus. Qui vel aliter intelligatur, vel
denegetur in eo fides Alberto. Nostrum enim
Petrum jam Pinguensem præpositum, cano-
nicum et scholasticum S. Simeonis Trevi-
rensis, canonicum insuper Moguntinum et
Spirensem, Nicolai papæ IV decretum præ-
positum Trevirensem instituebat 4 Aprilis

(1) Ex hujus traditionis instrumento satis patet Petri *Reich de Reichenstein* interitum in anno mendose 1290 a Sudano collocatum fuisse. Sudanum in hunc errorem induxit Joannes Grossius, cujus Epitaphia annum 1290 pro anno 1296, typographiæ quodam peccato, præbent.

1289(1). Quin imo, 1 Aprilis 1297, supremus
eumdem Pontifex episcopum Basileensem
confirmavit. Quis autem credat tot tantisque
ecclesiasticis muneribus locupletem virum,
Basileensis ecclesiæ gubernaculo recens præ-
sidentem, uxorem sub id temporis duxisse?
Occurrit Petrus jam episcopus, 26 Decembris
1296, oppidanos urbis *Lauffon* iisdem qui-
bus Basileenses jam fruebantur privilegiis
augens; Mon. Bas. Episc., t. II, p. 642.
1297 Dein, 11 Novembris 1297, Lucellensem ab-
batiam protegendam excipit, et, eodem
mense, congregata synodo diœcesana, am-
plam statutorum seriem edit, quæ non tantum
studiosissimum ecclesiasticæ disciplinæ, sed
etiam usu peritissimum pastorem commen-
1298 dant; ibid., p. 654, 655. Anno 1298, Fe-
bruario mense, Vindobonam tetendit Petrus,
Cæsarem salutaturus, a quo Bohemi regni
cancellarius tunc nominatus est, aut nuper
fuerat. Alia dein, Basileam redux, ecclesias-
tica statuta fecit, 1 Junii 1299, et, 16 ejusdem
mensis, ad Conradum, Argentoratensem
episcopum, uti Bohemiæ cancellarius litteras
scripsit, de monasterio San-Valentiniano in
Rufacum oppidum transferendo; ibid.,
1300 p. 679, 689. Anno 1300, Petrus urbem Biel-
lum ædilitiis edictionibus quæ per biennium
vigerent donavit : mox cum Reginaldo Bur-
gundo, Montis Biligardi comite, 29 ejusdem
mensis, de castellis *Valengin* et *Montjoie*
transegit; ibid., p. 700. Eodem anno 1300,
secundum Annales Colmarienses, episcopus
Basileensis medicusque Petrus Romam ab
Alberto rege missus est, qui negotia quæ-
dam, ut ferunt, necessaria procuraret. Ab-
1301 sens scilicet legitur, 3 Septembris 1301; qua
die Martinus, S. Leonardi Basileensis præ-
positus, Petrique generalis vicarius, montem
Vollenberg a S. Blasii abbate sub juris
feodalis conditionibus traditum accepit;
ibid., t. III, p. 18. Petro tamen forsan reduci
Conradus Ludovici, pistorum Basileensium
magister, se prædium *Richein* vendidisse
1302 profitetur, 28 Januarii 1302; ibid., p. 26.
Dein, 13 Aprilis 1303, prædium aliud quod-
dam, *Wegenstetten* situm, Henricus de La-
pide se Petro dedisse recognoscit; ibid.,
p. 37. Anno quidem 1301 Petrus cum Argen-
tinensi episcopo, necnon superioris et infe-
rioris Alsatiæ landgraviis, fœdus in quatuor
annos percusserat, ut supra dictum est, t. V,
col. 805. Id vero minime prohibuit quin,
anno 1303, dum per Sueviam iter faceret, a
Montis Fortis comite captus fuerit et in car-
cerem detrusus; ex Alberti Argent. Chron.
Nec Cæsar ipse suum cancellarium ex eo car-
cere liberum fecit, sed, ut ferunt, numerata

(1) Id testantur litteræ pontificiæ, apud *Wurdtwein*, Subs. Diplom., t. I, p. 377. Petri nomen in præpositorum Trevirensium serie quam antecessores nostri digesserunt deesse animadvertimus. Prohibuerunt enim canonici ne hoc munere potiretur, ut supra dictum est, t. V, col. 492.

A pecunia. Basileam sane redux erat Petrus 7
Maii 1304, qua die quosdam agros ab Hyme- 1304
rio de Biello pretio comparavit; Mon. Bas.
Episc., t. III, p. 78. Nonnulli tunc temporis
Basileenses clerici per episcopalem civitatem
incedebant publicis gladiis accincti, ut sci-
licet occurrentis cujuslibet provocatoris vio-
lentam aggressionem ipsa vi repulsuri. Quod Ch. LII, col. 239.
Petrus peculiari decreto, 27 Martii 1305,
prohibuit, jubens ut Basileensium *magister
civium* armatos clericos triviatim euntes
comprehenderet et stricto carceri protinus
mandaret. Memorandam eo quoque anno
B emptionem Petrus fecit. Castellum scilicet
Leucostabulum, germanice *Liestal*, a Frede-
rico, Toggenburgensi comite, Cæsar compa-
raturus erat, cum, Decembri mense, non hoc
tantum castellum, sed etiam aliud *New Hon-
berg* dictum, curiamque *Ellenwiler*, Petrus,
a Frederico supra memorato tradita, ec-
clesiæ Basileensis possessionibus adjunxit, Ch. LX, col. 238.
ut rem ex insigni diplomate infra legendo di-
dicimus : quod Cæsari non parum displi-
cuisse Albertus Argentinensis memorat.
Eodem denique anno reperitur Petrus, Si-
moni, Balmensi abbati, hanc provinciam
C committens, ut de jure quod ad Gualterum de
Monte Falconis in urbe *Gumoens* pertinebat
inquisitionem faceret; inter Drozianas sche-
das, t. XXX, p. 370. Nec adeo multo post,
nempe 3 Maii 1306, gratæ canonicorum Ba- 1306
sileensium memoriæ animam suam, animam-
que Paulini, fratris sui, qui, IV cal. Decem-
bris 1305, thesaurarii tunc munere in ecclesia
Basileensi fungens, decesserat, ipsam deni-
que Wenceslai, Bohemorum regis, animam
commendans, ecclesiæ *Ellenwiler* reditus,
ad episcopalem mensam spectantes, canoni-
corum mensæ transcripsit; Mon. Episc. Bas.,
D t. III, p. 100. Sub id temporis, Gerardo sci-
licet V cal. Martii defuncto, Moguntinensis
cathedra vacua renuntiata est. Tunc Henri-
cus, Lusciliburgensis comes, Romanorum
imperator mox futurus, amicissimum sibi
Basileensem episcopum ad Clementem pa-
pam, qui Pictavii commorabatur, mittere,
et, eo usus oratore, multis iisdemque ins-
tantibus precibus postulare ut Moguntinense
pallium Balduino, fratri suo, concederetur.
Immatura vero Balduini ætas prohibuit ne
Clemens eum papa adeo insigni munere do-
naret. Basileam igitur Petrus rediturus erat,
E Balduini vicem dolens, cum, subito morbo
Clemens correptus, a periculo vitæ non procul
omnibus visus est. Quis in arte medendi Petro
melior? Clementi rogatus operam suam mi-
nistrat, et opportunitate remedii jamjam, ut
opinabantur, moriturum intra dierum trium
spatium sanat. Tunc vero, sicut rem Joannes
Trithemius, Chronic. Hirsaug., memorat,
exsultans victo morbo Clemens Petrum sic
alloquitur : « Quia tam bonus medicus es
« corporum, ne tuis benefactis videamur in-

« grati, magnum te facimus medicum animarum, archiepiscopatum ecclesiæ Moguntinæ tibi conferimus. » Hæc Joannes Trithemius, quæ forsan non illepide confinxit. Petrum tamen tunc temporis a Clemente papa Moguntinum archiepiscopum institutum fuisse constat, et, derelicta Basileensi sede, Moguntinæ curam sub mensem Julium 1306 suscepisse.

XLII. OTHO.

DE GRANDSON.

Tullensis recens episcopus Otho, ab ipsis Tullensibus civibus, Metensium ac Virdunensium ope suffultis, ex episcopali civitate depulsus fuerat. Sed, ut erat ei strenuus vel in maximis angustiis animus, exercitum protinus Otho comparaverat, et, redintegrato bello, non tantum Tullenses oppidanos, sed eorum quoque socios bis profligaverat, Tullumque redierat triumphum agens. Reputans vero summus Pontifex spem non esse pacis inter victos cives episcopumque victorem mansuræ, Othonem Basileensem præsulem, Petro Moguntiam translato, proprio motu constituit. De qua Tullensi discordia antecessores nostri supra disseruere, t. XIII, col. 1022. Basileensem episcopum agens Otho
1307 5 Junii 1307 reperitur, qua die urbis *Lauffon* immunitates confirmat; Mon. Basil. Episc. t. III, p. 112. Nec multo post, nempe 12 ejusdem mensis, feodum dictum *Burglehen* in oppidum *Liestal* transfert; apud D. J. E. Koppium, *Urkunden zur Geschichte,* etc., p. 175. Dein, 7 Julii, Henrici, prædecessoris sui, jam annosum decretum sanciens, Otho episcopalem tutelam spondet alienigenis, quibus in villis prædiisque ad Bellelagienses canonicos pertinentibus consistere placebit, eo tamen pacto ut, episcopum ipsum Basileensem suum veluti patronum totiusque Bellelagiensis territorii advocatum recognoscentes, quotannis ei capum unum heminamque avenæ singuli conferant; ibid., p. 115. Ex eo sane dominicorum jurium stipulatu avaritiæ minima pellatur suspicio : Othonem enim habemus, aliquot interjectis diebus, 11 Julii, quascumque novalium decimas, de quarum, ut videtur, legitima repetitione decertatum fuerat, liberali manu rectoribus ecclesiarum parochialium porrigentem; ibid., p. 116. Eodem anno, 22 Novembris, debitos Margaritæ *de Maggenberg* centum vigintique argenteos besses Otho solvere non valens, huic matronæ duodecim assignat ejusdem ponderis nummos, quos scilicet ex ipsis decimis a civibus urbis *Mulhausen* episcopali gazæ conferendis quotannis deducat; ibid., p. 119. Nec multo post, 29 scilicet ejusdem mensis, obedientiam Hugoni, archiepiscopo Bisuntino, idem promittit. Ea quidem exigui momenti negotia : Albertus vero Argentoratensis graviora sub eumdem annum ad Othonem

A spectantia memorat. Cum enim Albertus I, Romanorum rex, Basileæ moram aliquam faceret, eum, sibi licet infestum, adiit præsul, in regalium jurium possessionem mittendus. Sciens vero, ut ferunt, Othonem consilium cepisse de petita jura diutius abnuente trucidando, ea quidem rex se postera die concessurum promisit, sed, posteram hanc ante diem, Basilea relicta, in Argoviam secessit, vindictam præmeditatæ cædis in magis opportunum tempus differens. Hæc Albertus Argentoratensis Sudanusque; atque licet tanti sceleris crimen sufficienti probatione
B indigere videatur, minime tamen dubium est acerbiores ab ea Basileæ commoratione Cæsaris in Othonem animos fuisse: nec post longum temporis intervallum, ineunte scilicet anno 1308, copias Albertus in Basileensem pagum misit, præfecto subjectas cui data debellandus Otho provincia. 1308
Irato Cæsari non adeo multi Basileensis territorii proceres obstiterunt : nonnulli tamen, Othoni propius adhærentes, ad sustinendum bellum strenue se comparaverunt. Quos inter memorandi Wernherus Joannesque *de Rapere,* qui suum valido milite castrum, *Furs-*
C *tenstein* appellatum, munivere. Cæsareus igitur præfectus mox adfuit, obsessumque castrum non jam diu restiturum erat, cum nuntius eo venit Albertum imperatorem a Joanne, e fratre Radulfo nepote, trucidatum fuisse referens. Obsidionem illico solvit præfectus, irruentesque foras Wernheri Joannisque commilitones Basileam sine mora petiverunt, exsultantique triviatim populo mixti, multorum optimatum, quos Albertus amicos expertus erat, domos deprædati sunt; ex Alberti Argentinensis Chronico. Præsul vero Basileensis cum regina ejusque liberis
D fœdus pepigit. Non tamen, ita compositis rebus, adeo securus exstitit, ut apparandum bellum negligeret. Occurrit enim, 24 Julii 1308, a Dietrico de Domo castrum *Hartmanswilr,* 350 bessium argenteorum pretio, comparans; Mon. Basil. Episc., t. III, p. 134.
Dein, Februario mense 1309, cum Theo- 1309
baldo, comite Ferretensi, jam ab aliquo tempore de castri *Blumenberg* possessione contendens, eum ad ineundam pacem compulit et ab eo præmemoratam arcem accepit. Quod etiam sub tempus, in urbe *Porrentruy,* ut cives hujus urbis sibi fidissimos efficeret, eo- Ch. LXIII, col. 240.
E rum immunitates aliaque jura confirmavit; ibid., p. 141. Interea vero Cæsar creatus erat Henricus, Lusciliburgensis comes, et Aquisgrani corona redimitus. Is, interfluente superbientem Rheno tractum peragrans, Basileam venit. Unde Othonem, quosdamque alios tam ecclesiæ quam imperii proceres, Avenionem misit 2 Junii 1309, qui summum Pontificem adirent, et peractæ nuper electionis confirmationem obtinerent. Nec tamen nummos Othoni rex ad legationem hanc ob-

eundam assignavit; jussit vero ut ex eo tributo quod Judæis in diœcesi Basileensi manentibus quamprimum imponendum erat, pecuniam ipse deduceret in sumptus itineris pensandos. Reperitur Otho 21 Junii in urbe Vienna, a Ludovico de Sabaudia sponsor adlectus, sororem suam Margaritam Simoni *de Commerci* matrimonii vinculis conjungente. Nec multo post, 6 Julii, Ponte Sarguæ, ultimum suum testamentum dictavit, intra paucos dies, ut videtur, decessurus. Falso igitur a Stumpfio scribitur anno 1312 in Italia mortuus.

XLIII. Gerardus.

DE WUIPPENS. Intra fines Avenionensis, vel pontificii, territorii præmemoratus Otho vita terrenisque curis functus erat. Successorem igitur ejus eligere penes summum Pontificem erat. Qui Gerardum *de Wuippens*, alias *de Wippingen*, Lausannensem episcopum, Basileensibus infulis donavit. Tunc vero canonici Basileenses, contempto summi Pontificis jure, suffragiorum urnam adire decreverunt, atque Lutholdum, præpositum ecclesiæ cathedralis (1), in supremum ejusdem ecclesiæ fastigium evexerunt. Unde non parva dissidia. Lutholdus enim, episcopum agens, omnes episcopales possessiones occupare, et cum ipsis Basileæ oppidanis de propellendo Gerardo fœdus facere; imo capitis pœna prohibere ne quis apostolicas ad translationem Gerardi spectantes litteras palam ederet. Quamdam D. J. Trouillatius chartam laudat, Lutholdi *electi* sigillo sub id temporis munitam, 13 Octobris 1309; Mon. Basil. Episc., t. II, procem., p. 134. Interea vero Clemens papa, dejectam sedis apostolicæ auctoritatem pro viribus reponere, et, ad populum Basileensem
1310 23 Januarii 1310 scribens, has addere monitionibus minas, obsequentes scilicet pseudopræsuli Lutholdo tam beneficiis quibuslibet ecclesiasticis sine mora privandos esse, quam feudis ab ecclesia collatis. Societatem denique rebellium ea summi Pontificis constantia dissipavit, ipsaque majore canonicorum parte a Lutholdo deficiente, Lutholdum tantummodo etiam tunc pervicacem, Joannem *Kamerer* decanum, Joannemque *de Boëcourt* officialem, Clemens V a fidelium communione segreges fecit, VIII cal. Julii. Tiguri reperitur Gerardus calendis Maii 1310, ubi eo præsente Henricus imperator abbati S. Galli oppidum Wylam restituit, quod Albertus rex monachis ereptum occupaverat; apud Ægid. Tschudium, Chron. Helv., t. I, p. 252. Eodem anno, 28 Septembris, in urbe *Porrentruy*, civitatis hujus inclytæ iterum privilegia Gerardus præsul recensuit. Nec multo post Henricum imperatorem in Italiam pergentem comes secutus est; cujus, Mense Novembri, in urbe *Asti*, testis fuit Amedeum comitem in legitimam Sabaudiæ possessionem inducentis. Non prorsus secundæ Henrici res. Qui dum subter muros expugnandæ Brixiæ diutius retineretur, Gerardum Avenionem misit. Regni scilicet Romani præclarum insigne coronam Gerardus a Clemente papa postulaturus Alpes trajecit: qua legatione feliciter functus est. Basileam deinde se recepit. Non procul enim S. Ursicino, 16 Aprilis 1312, Grandivallensis hospi- 1312
tii statuta sancivit: dein, Basileæ, 23 ejusdem mensis, litteras edidit super *Durnich* ecclesiæ patronatu, abbatiæ Lucellensi a Morbacensium abbate collato; Mon. Basil. Episc., t. III, p. 180. Eodem quoque anno, 13 Junii, Joanni scribens abbati, excipiendorum intra claustra S. Gregorio sacra certum monachorum numerum præscripsit; Als. Dipl., t. II, p. 101.
Dein, 24 Aprilis 1313, S. Ursicini necnon 1313
Epauvillers, vicorum, parochiales ecclesias mensæ S. Ursicini capitulari univit; Mon. Bas. Episc., t. III, p. 187. Gerardus tunc *Telsperg* incolebat. Basileam vero redux, 5 Decembris, argenteos centum besses, in ædificandam Villam Novam juxta *Schloosberg* abeundos, a Conrado *Schrecken* mutuabatur; ibid., p. 191: postque dies aliquot, 12 nempe ejusdem mensis, Grandi Valle, ecclesiam vici *Isenheim* rei San-Antonianorum fratrum communi adjungebat; ibid., p. 194. Basileæ postea negotiis aliis operam dedit; unde *Telsperg* regressus patronatum altaris S. Blasio sacri San-Ursiciniano capitulo rursus adscripsit, 17 Julii 1314, eademque die Ferretensi ecclesiæ ab iisdem S. Ursicini canonicis condonatas res sancivit; ibid., p. 204, 206. In eo quoque loco, 27 Januarii 1315, silvæ cujusdam partem abbatiæ Lucellensi confirmavit, et, 1 Martii, statuta S. Martini Columbariensis insigni diplomate approbavit; ibid., p. 218, 213. Jam ab aliquo tempore Gerardus Radulfusque, Novi Castri comes, semet invicem insectabantur, de juribus controversis decertantes. Inter eos vero Leopoldus pa-
cem fecit 23 Junii 1316, ibid., p. 235, et, 1316
11 mensis sequentis, ægre quidem Gerardus ferens Novicastrensem comitem a jurando Ba-
sileensi cathedræ obsequio exemptum fuisse, Ch. LXV, col. 244.
litteris tamen publicis judicationem arbitralem renuntiavit. Joannem postea *d'Arberg*, qui Novicastrensi dynastæ cum episcopo Basileensi bellanti adjutorem se præbuerat,
culpæ pœnituit; is enim, 2 Martii 1317, ec- 1317
clesiæ Basileensi ob Vallem Rodolii obsequium et obedientiam debere professus est; Mon. Novi Castri, p. 332. Gerardus quoque sub eumdem annum occurrit San-Imerianæ congregationis, in diœcesi Lausannensi, statuta confirmans; Mon. Episc. Bas., t. III,
p. 265. Nec multo post, anno 1318, rursus 1318
inter Gerardum comitemque Novi Castri

(1) Sudanus Hartmannum de Nidowa tunc a canonicis electum fuisse falso dicit.

bellum exoritur, Kyburgensi dynasta, in A
spem numerandæ pecuniæ, Gerardi partes
tuente. Eorum vero copias Novicastrensis in
1319 fugam vertit. Anno 1319, 5 Januarii, Ra-
dulfus III, Radensis marchio, tam ecclesiæ
Basileensi quam Ferretensi comiti, castrum
Strasberg urbemque *Buren* vendit; ibid.,
p. 274. Ipse mox, ineunte scilicet anno 1320,
Ferretensis comes quod suis possessionibus
emptio præmemorata junxerat dimittit, ac-
ceptisque ducentis argenti bessibus, Gerardo
tradit; ibid., p. 280, 287. Unde non parvum
Basileensis episcopatus vis incrementum sus-
cepit. S. Ursicinum invisens reperitur Ge- B
1322 rardus 25 Januarii 1322, ubi, Viennensis con-
cilii statuta proferens, vetat ne canonicus
nondum sacris ordinibus initiatus suffragium
aliquod ferendi jus, in capitularibus electio-
nibus consultationibusve, exerceat; ibid.,
1323 p. 295. Anno deinde 1323, 23 Junii, oppidum
Liestal Ulricho *de Ramstein* vendit, et,
25 ejusdem mensis, a Theoderico, quondam
monetario, diversa prædia comparat, in ca-
pituli Basileensis possessionem illico, sub
ejusdem pretii conditione, traducenda; ibid.,
1324 p. 324, 325. Sequente, 4 Martii, Marpacensi
monasterio sub certis conditionibus patro- C
natum ecclesiæ *Feldkirch* concedit (1), et,
21 ejusdem mensis, cum Walthero et Ulricho,
Hasenburg toparchis, nuper ecclesiæ Basi-
leensi infestis, fœdus pangit; ibid., p. 334,
341. Sævius eo anno decurrente bellum exar-
sit inter Novicastrenses et Basileenses, quibus
Bernenses ipsi Kiburgensisque comes socios
se junxerant. Castrum scilicet *Landeron* Novi
Castri comes nuper exstruxerat, non procul
a Biennensi lacu, Villæ Novæ, episcopali ca-
stello, obversam frontem erigens. Quod ut
Gerardus hostile propugnaculum evertere
consilium cepit, ingentem armatorum vim eo D
misit : hi vero, vastatis qui circumjacebant
agris, tot imperviam telis arcem derelinquere
coacti sunt et ab irrita obsidione desistere. Nec
1325 adeo multo post, nempe XVI cal. Aprilis 1325,
tandem, ut ait Sudanus, belli satur, quietam
Gerardus mortem obiit. Guichardo, Comil-
nacensi Hierosolymitanis in oris episcopo,
vicario generali usus erat, ut e quodam
diplomate comperimus a doctissimo viro
D. J. Trouillatio typis mandato; Mon. Episc.
Bas., t. III, p. 323.

(1) Marpacense, alias Marbacense, monasterium, ordinis E
S. Augustini, Bucelinus intra fines Argentinensis diœcesis
situm fuisse contendit, Miræus Basileensis episcopi jurisdic-
tioni subjectum pronuntiat. Antecessores unde nostri con-
jecere id quod erat suis temporibus Argentinense Basileense
quondam fuisse. Hanc eorum conjecturam ipsissimis verbis
Gerardi diploma confirmat, in quo scilicet Marpacensem ab-
batiam in sua diœcesi sitam declarat. Ex eodem diplomate
innotescit Godofridus, Marpacensis anno 1324 abbas, cujus
nomen antecessoribus nostris ignotum pertransiit. Vide su-
pra, t. V, col. 884.

XLIV. Hartmannus.

Gerardo mortuo, novis ecclesia Basileensis MUNCH.
contentionibus miserrime conquassatur.
Hartmannus enim, Hartungusve, Monachus,
teutonice *Münch,* ab aliqua, prout opina-
mur, canonicorum parte delectus, ex archi-
presbytero Basileensi episcopus fit, ac sede
protinus potitur. Audito vero ejusdem Ge-
rardi decessu, Joannes papa XXII Joannem
Cabilonensem, tunc, ut apostolicæ tradunt
litteræ (1), Lingonensis ecclesiæ decanum,
Basileensi cathedra donat. Unde duos inter
æmulos acerbe decertatum. Hartmannus qui-
dem, Basiliensis populi fultus auxilio, epi-
scopales ædes occupat et munus implet. Sic,
30 Aprilis 1325, in urbe *Porrentruy,* hujus
urbis privilegia confirmat : in cujus confir-
mationis instrumento non tantum *electum*,
sed etiam *confirmatum*, a metropolita forsan
Vesuntionensi, semet asserit; Mon. Bas.
Episc., t. III, p. 351. Eisdem quoque nomi-
nibus, 3 Maii, oppidi *Lauffon* immunitates
rursus sancit. Episcopum similiter Hartman-
num agnoscit, 20 Septembris 1326, Joannes
de Haut-Ribeaupierre, cum capitulo Basile-
ensi super ecclesia *Ellenwiller* paciscens;
ibid., p. 364. Nec tamen interea Joannes qui-
escit; sed contra subsidium et opem undecum-
que comparat, magnaque molitur, episcopa-
lem cathedram, veluti quamdam arcem valido
præsidio munitam, oppugnaturus. Anno
4 Julii 1327, se *Dei et apostolicæ sedis gratia* 1327
Basileensem electum contendens, Alberto,
Austriæ duci, duo millia bessium argenteorum
quingenosque ejusdem ponderis nummos ea
conditione promittit, ut ipsi Hartmannum Ch. LXVI,
deturbare summopere studenti dux oppor- col. 245.
tunum auxilium ministret. Novi Castri tunc,
in diœcesi Lausannensi, Joannes degebat, ne
Basileensem episcopatum ingrederetur ab
Hartmanno prohibitus. Postera quoque die
Alberto spondet se per decem annos a suo
Basileam ingressu Cæsareis hostibus hostem
fore, simulque eumdem Albertum in posses-
sionem bonorum omnium inducit, quæ, Ba-
sileensis ecclesiæ beneficio, Ferretensis gens,
nuper exstincta, habuerat. His pactis ultra
Joannes processit, castellaque ab Hartmanno
occupata oppugnavit cepitque. Lingonensis
interea sedes, Petro *de Rochefort* mortuo, va-
cua exstitit. Quam protinus in sedem sum-
mus Pontifex Joannem Cabilonensem evexit.
Non tamen Hartmannum legitimum Basileen-
sis ecclesiæ pastorem ideo recognovit : Joan-
nem vero, Cabilonensem jam episcopum,
rectorem insuper in spiritualibus et tempo-
ralibus ecclesiæ Basileensis ejusdemque ad-

(1) Inter Mon. Basil. Eccl., t. III, p. 352. Animadverte
vero prætermissum Joannis hujus Cabilonensis nomen fuisse
ab antecessoribus nostris seriem Lingonensium decanorum
describentibus.

ministratorem nuncupavit. Ea summi Pontificis in arcendo Hartmanno constantia desperationem pacis attulit. Ipse igitur Hartmannus, suas quotidie res in pejus ruere cernens, Basileensi cathedra sponte cessit, ea sub conditione ut priores præbendas, antiquiora munera recuperaret. Quod ei concessum est. Ejus his verbis necrologium ecclesiæ Basileensis meminit: *VIII cal. Novembr., anno Dom. MCCCXXXII Hartungus Monachi, archidiaconus hujus ecclesiæ, obiit. Qui sepultus est in capella sua, quam construxit juxta vetus campanile.*

XLV. Joannes I.

DE CHALONS. Joannes Cabilonensis, Joannis filius, *Arlay* toparchæ, et Margaritæ Burgundæ, ut Lingonensis electus et Basileensis ecclesiæ rector, immunitates urbis *Porrentruy*, in ea
1328 commorans urbe, confirmat, 27 Junii 1328; Mon. Episc. Basil., t. III, p. 383. Dein Villæ Novæ, 14 Septembris, ejusdem fere tenoris litteras, ad oppidanos vero Villæ Novæ spectantes, edit; ibid., p. 384. *Porrentruy* rur-
1329 sus reperitur 18 Julii 1329; ibid., p. 390: dein, 4 Septembris, Telspergæ, et, 14 Octobris, Bielli; ibid., p. 394, 395. Basileam, ut videtur, nondum ingressus erat. Anno tamen
1330 1330, 7 Maii, cum Bernensibus oppidanis fœdus pangit; ibid., p. 402. Eodem quoque anno, 19 Junii, summus Pontifex Lucellensi abbatiæ ecclesias *Phaffans* et *Heimsprung* adnectens, hanc adnexionem se facere perhibet ob damna quæ Lucellenses erant passi *occasione discordiæ atque controversiæ, quæ olim inter* Joannem administratorem *et Hartungum Monachi, canonicum, longo tempore viguerunt;* ibid., p. 405. Ab his igitur discordiis tunc cessatum erat. Occurrit pos-
1331 tea Joannes, 9 Martii 1331, prænemoratas ecclesias abbatiæ Lucellensi pro suo jure transcribens; ibid., p 412. Quod sub tempus, in Lingonensem diœcesim proficiscens, vicarium suum generalem in ecclesia Basileensi Joannem, S. Albani priorem, instituit.
1333 Anno vero 1333, 7 Januarii, Basileam Joannes redux erat; qua die, vocatis in concilium urbis consulibus, una cum eis decretum de sontibus clericis edidit. Dein, 18 Januarii, S. Ursicinum, episcopale castrum, incolens, de cœmeterio Bruntuti instituendo litteras publicas fecit; ibid., p. 426. Obiit autem x cal. Julii, secundum Sammarthanos et antecessores nostros, t. IV, col. 619; quo tempore, ex Alberti Argentinensis Chronico, castrum *Pfeffingen*, ad Walramnum, *Thierstein* comitem, pertinens, obsidebat. Anno, ut videtur, 1335. Quidam igitur scriptores, quos inter Sudanus, eum falsissime sub annum 1330 decessisse memorant. Caute legendus etiam antecessorum nostrorum is locus, in quo Joannem e Lingonensi cathedra traductum in Basileensem referunt: anno enim 1335 decedens, una Lingonensis episcopus erat Joannes et Basileensis episcopatus administrator. 1335

XLVI. Joannes II.

SENN DE MUNSINGEN. Burchardi *Senn de Munsingen* et Joannæ *de Bucheck* Joannes filius erat. Cui Joannæ Bertholdus, Argentinensis episcopus, frater. Statim ut Joannis Cabilonensis interitum Basileense capitulum audivit, Joannem ei *Seen* aditis suffragiis sufficit; qui protinus, coactis coram canonicis, erga Basileensem ecclesiam pro more sacramento semet obligavit, avunculo Beretholdo præsente, 22 Junii 1335. (Ch. LXVII, col. 245.) Quia vero pastoris eligendi jus capitulo Basileensi Romana curia prius ademerat, prohibuit summus Pontifex ne Joannem Bisuntinus metropolita consecraret. Unde futuram clero Basileensi ærumnarum segetem omnes ominabantur. Sed Joannes Romam proficiscens, comitibus Hugone *de Bucheck*, patruo suo, pluribus agri Basileensis optimatibus, ipsoque Basileæ magistro, post abdicationem muneris in cardinalium cœtu factam, a Benedicto XII eo quod sponte dimiserat munere donatus est, et in ipsa Romana curia consecratus. Joanne absente, vices ejus impleverat Basileensis decanus, ecclesiamque vicarii nomine rexerat. In diœcesim suam redux confirmatusque legitur 16 Julii 1336; qua die Bruntuti moram faciens, hujus urbis immunitates sancit; Mon. 1336
Episc. Basil., t. III, p. 445. Dein, Basileæ, 17 Decembris, capitulari S. Urbani mensæ patronatum ecclesiæ *Hegendorf* adnectit; ibid., p. 446. Ea etiam in urbe, 31 Januarii 1337, a Guillelmo *de Provocurt* magnam pe- 1337
cuniæ summam mutuatus est, quam in instaurandum oppidi Bruntuti castellum, incendio nuper fortuito destructum consumptumque, impenderet; ibid., p. 449. Multum æris alieni Joannis antecedentis temporibus ecclesia Basileensis contraxerat; e quo non valens emergere, magni pretii possessiones abalienatas tradere coacta est. Sic, 22 Februarii, Joannes *Seen* Joanni, S. Albani priori, castellum vicumque *Soyhières*, necnon molendinum *Lauffon*, eidem jam pignore obligata, pro millibus Florentinis nummis vendidit; ibid., p. 457. Nec multo post, 22 Martii, canonicorum suorum votis obsequens, prohibuit ne quis in capitulum Basileense (Ch. LXVIII, col. 247.) vel ipsis apostolicis litteris intromitteretur, qui non, saltem ex parte patris, de stirpe militari originem duceret. His semet exceptionibus ordo clericus supra plebeiam gentem magis magisque attollebat, altius deinceps ruiturus. Basileæ Joannes, 21 Junii, ecclesias *Dornach* et *Stauffen* adnectit; ibid., p. 466. Qua etiam die, prædecessorum suorum quasdam litteras confirmans, oppidanis Basileen-

sibus civilem præfectum, rustice *burgermeister*, conciliumque civile se quotannis daturum promittit, ibid., p. 468. Egregii sane pastoris jam landem Joannes meritus erat. Tunc enim ecclesia Argentinensi quam maximis dissidiis perturbata, ipso etiam episcopo a rebellibus clericis capto strictoque carceri mandato, diœcesim hanc procurandam Benedictus papa Basileensi antistiti demandavit; qua provincia a Junio mense usque ad medium circiter Septembrem functus est, apertis tandem carceris januis in quo legitimus Argentinensis cleri princeps reclusus tamdiu fuerat; ex Alberti Argentinensis Chronico. In castro dein Mandora dicto, 29 Novembris, Joannes reperitur, Hugoni metropolitæ debitum spondens obsequium; inter schedas
1338 Drozianas, t. I, p. 51. Anno 1338, 21 Martii, de rupto Bielli ponte aliisque damnis huic castello illatis cum Bielli civibus paciscitur; Mon. Bas. Episc., t. III, p. 187. Nummi tamen semper comparandi, cum ecclesia Basileensis rerum necessariarum inopia conflictaretur. Quare, 17 Aprilis 1338, plures Walramno *de Thierstein* decimas 200 bessium argenteorum pretio Joannes vendidit; ibid., p. 485. Nec id sane prætereundum, Radulfum scilicet Novicastrensem, urbem *Nidowe* tunc temporis ædificantem, hanc urbem, 11 Maii, a Joanne Basileensium episcopo tenere se professum fuisse; ibid., p. 484. Deinde, 8 Julii, Villæ Novæ Joannes immunitates confirmat; ibid., p. 488. Quo etiam anno, 26 Septembris, cum Walramno *de Thierstein* monasterii *Beinwilr* patronatum sibi vindicante componit; ibid., p. 489. Ne quidem minus diei Joanni requies. Plura igitur administrationis suæ monumenta reliquit, quam nobis singillatim memorare licet.
1339 Inter multas quas anno 1339 pactiones, nummorum colligendorum causa, fecit, referendum saltem cum, pro 600 argenteis bessibus, cuidam Beretholdo *Schonkint*, civi Basileensi, portorii Basileensis majoris minorisque fruc-
1340 tus vendidisse; ibid., p. 503. Anno 1340, 4 Augusti, eremitis Augustinianis episcopalem urbem incolentibus inanem arcam confert, ut ædificiis suis incrementum afferant;
1341 ibid., p. 526. Anno 1341, 19 Augusti, Rappolsteinensibus dynastis feodales litteras concedit; Als. Dipl. t. II, p. 172. Majus autem anno sequente negotium, cognati munere fungens, suscepit. Ludovico enim Bavaro adversus episcopum Argentinensem bellum adornante, Joannes collegæ avunculoque suo Beretholdo socium se præbuit, cui cum quatuor millibus peditum ducentisque galeatis auxiliatus est; ex Alberti Argentinensis Chron. Interea, 1 Junii, in castro *Telsperg* commorans, proscribit ut quivis electus Grandis Vallis canonicus munus quoddam ad exornandum templum offerat; Mon. Episc. Bas., t. III, p. 541. Unde Basileam re-

A dux anniversarii sui celebrandi modum, 1 Julii, instituit. Ærario, ut videtur, Basileensi melius erat. Anno enim 1343 Joannes a Jacobo *Neuenfels* vicos *Schliengen, Mulheim, Steinenstadt* castrumque *Haltingen*, 350 argenteorum bessium pretio comparavit. Anno 1345, Altkirchii sacellum, B. Mariæ nuncupatum, consecravit. Anno 1347, cum Joanna, Austriæ ducissa, fœdus jam antiquum rursus pepigit; ibid., p. 603. Eo etiam anno Basileam allatæ sunt reliquiæ brachii dextri S. Henrici imperatoris, quas, ab ecclesia Babenbergensi oblatas, solemni ritu, campanis
B alte sonantibus, Joannes pridie nonas Novembris excepit, et in ecclesia cathedrali deposuit. In cujus rei memoriam, anno sequente, diem Julii duodecimum S. Henrico festum fore decrevit per totam Basileensem diœcesim; Alsat. Dipl., t. II, p. 192. Anni 1347 finem majoris momenti eventus insignivit. Basileensis enim civitas, quæ Ludovico Bavaro Cæsarem se ferenti volens nolensve adhæserat, interdicto jam multis ab annis erat supposita. Sed, Ludovico 11 Octobris mortuo, Carolus IV, Cæsar novus, adest, et a Basileensibus oppidanis obsequii
C pignora deposcit, urbem ingressurus. Tunc cum Basileenses aditu prohibere, interdictum nisi præmemoratum abrogetur. Quod illico missus a summo Pontifice Marquardus *de Randecke*, ecclesiæ Babenbergensis præpositus, abrogat, et, 20 Decembris, urbem intrans Carolus antiqua Basileensis ecclesiæ privilegia recognoscit; Mon. Episc. Bas., t. III, p. 607. Dein, 26 ejusdem mensis, in episcopum Basileensem incolas quoscumque Basileensis tractus rebelles non juribus tantum ab episcopis collatis, sed ab ipsis Cæsaribus eisdem concessis, privandos esse
D decernit. Anno 1349, 13 Junii, ecclesiam vici *Largue* abbatiæ Lucellensi Joannes adnectit. Anno 1350, cum Ludovico Novicastrensi de jurisdictione in oppido *Lignières* exercenda transigit; e Mon. Novi Castri, p. 648. Statuit, 20 Junii 1351, ut si quod ex episcopatus Basileensis juratis feodis, *Ferrette* scilicet, *Ribeaupierre, Zwingen* et *Asuel*, hæredem masculum forte desideraret, hujus feodi possessionem episcopalis sibi mensa protinus vindicaret. Statutum hoc insigne prorsus est, ut multa quam maximi ponderis continens ad civilem Basileensis urbis administrationem
E spectantia; quod præbet Monum. a D. J. Trouillatio editorum tomus IV, p. 5. Anno 1352, 13 Januarii, ædilitias edictiones novas Biellensibus civibus Joannes concedit; ibid., p. 653. Dein, 7 Novembris, ecclesiam S. Martino sacram Basileensibus oppidanis visitandam Joannes commendat, hanc visitationem peragentibus quadraginta dies demens de pœnitentia ipsis irroganda; ibid., p. 41. Anno 1353, 14 Januarii, consules civesque Novæ Villæ affectu peculiari se prosequi re-

Ch. xxix, col. 248.
1347
1349
1351
1352

nuntians, eorum antiquas immunitates describit easdemque novis juribus adornat; ibid., p. 60. Quædam memorat chartula Joannem episcopum S. Ursicino sacra claus-
1354 tra 10 Januarii 1354 invisisse; qui scilicet hujus inclitæ domus canonicos reperiens inter se de partiendis domesticis reditibus contendentes, componendæ pacis modum et æquæ partitionis normam proposuit; ibid., p. 81. Ipse tunc temporis Joannes cum Alberto, Austriæ duce, de juribus ad alterutrum, vel utrumque, in *Kems* et *Sierentz* oppidis pertinentibus litigabat : quam vero litem Conradus *de Berenfels* judicio solvit, 27 Januarii 1354, secundum Basileensem episcopum statuens; ibid., p. 76. Eodem anno, 15 Februarii, piscatorum et naviculariorum consociationem in urbe Basilea approbavit, eique legem præscripsit; ibid., p. 83. Legitur, 21 Junii 1355, Theodericus *de Haus*, latine de Domo, Benignosæ *Senn* conjux, quæ scilicet Joannis episcopi soror erat, castrum *Pfastatt* et circumjacentes agros ecclesiæ Basileensi condonans; ibid., p. 90. Nec adeo multo post, nempe 30 Augusti, 200 argenteos hesses, in dati castri remunerationem, Joannes episcopus sororis marito concessit; ibid., p. 92. Ædilitias edictiones urbs *Delemont* jam ab aliquo tempore postulabat : quas ei
1356 Joannes 30 Julii 1356 dedit, gallice præter priscum morem scriptas; ibid., p. 98.

Hic autem annus 1356 non tantum Basileæ, sed vicinis quibuslibet oppidis valde luctuosus. Etenim, 18 Octobris, horrendis terræ motibus Basilea adeo concussa est, ut, Ænea Sylvio teste, vix centum integræ superfuerint ædes, ipso longe lateque, dum conquassabatur solum, serpente incendio, et corruentium tectorum rudera comburente. In adjacentibus insuper agris sex supra quadraginta arces, nominatim *Asuel, Lœvenbourg*, Delemontana, Pfeffingensis, Scholbergensis, utraque Delspergensis, Thiersteinensis, Altkirchensis, Reichensteinensis, Munchensteinensis, parem ruinam fecere, ipsumque Grandivallense monasterium. Refertur insuper duo hominum millia in eo quam gravissimo casu periisse. Clades igitur ea publica, multorum scilicet communis, fuit. Cujus tollendis monumentis restituendisque eversorum ædificiorum parietinis dum cunctorum exsudabatur labor, ipse Joannes cathedralem ecclesiam, episcopale palatium, castellaque suæ ditionis non tantum refecit, sed etiam auxit lautiusque exornavit. « Unde, ut ait Sudanus, a clero eam « meritus est appellationem, ut sacer antistes « totius episcopatus arciumque reformator « prædicaretur. »

Hanc vero mereri laudem non potuit, nisi multum æris alieni contrahendo. Sic,
1359 anno 1359, 9 Octobris, a Burchardo Monacho 3,000 Florentinorum nummorum comparans

A legitur, eidemque Burchardo plurimarum decimarum annuos fructus in compensationem traditæ pecuniæ transferens. Alios quoque ab aliis nummos pari modo conduxit; ibid., p. 133. Occurrit postea, 22 scilicet Januarii 1361, Radulfum IV Austriacum in comita- 1361
tus Ferretensis possessionem inducens; Alsat. Dipl., t. II, p. 236. Eo etiam anno, Grandivallense monasterium deveniens, altare S. Oswaldo sacrum, quod recens suis sumptibus Joannes *de Redersdorf*, canonicus, erexerat, 13 Junii consecrat; Monum. Episc. Basil., t. IV, p. 177. Eodem etiam, 3 Augusti,
B initum a Burchardo de *Bucheck*, fratre suo, ob conductam pecuniam pactum approbat et sancit; ibid., p. 183. Anno dein sequente 1362, 23 Januarii, in urbe Columbaria, cum 1362
abbate Morbacensi multisque proceribus urbibusque, adversus Anglos Alsatiæ tunc, ut videbatur, imminentes, fœdus pangit; apud Schilterum, Observ. ad Kœnigshovii Chron. Argent., p. 887. Inter eum sub id temporis Radulfumque Austriacum non una de quorumdam vicorum possessione contentio : quos inter Conradus supra dictus *de Berenfels*, arbitri personam rursus implens,
C 15 Junii pacem fecit, statuens scilicet ut vici *Beurnevérain* et *Bures* ad episcopum Basileensem, ad ducem vero Austriacum *Villars-le-Sec* et *Pfetterhausen* pertinerent, atque *Boncourt* vicus ad utrumque. Joannem habemus, 15 Novembris ejusdem anni, S. Albano sacrum monasterium, a præmemorato prorsus eversum terræ motu, instaurari curans : quo consilio, omnibus rebus exhaustæ domui ecclesias *Huningue* et S. Martinum Basileensem adnectit; Mon. Episc. Basil., t. IV, p. 192. Interea, quod impigre susceperat, reficiendæ cathedralis ecclesiæ ma-
D gnum opus ad exitum perducebatur : Joannes igitur, sicut memorat Nicolai Gerungi Chronicon, jam fere consummatæ basilicæ altare majus 25 Junii 1363 consecravit, ads- 1363
tantibus episcopo Citonensi, necnon abbatibus S. Blasii et B. Mariæ ad Petram. Anno postea 1364, 12 Novembris, fœdus Basileensis præsul cum Bernensibus consulibus pepigit, quo proscriptæ quædam edictiones ab incolis utriusque territorii observandæ; Mon. Episc. Basil., t. IV, p. 210. Nec parvam sub eumdem annum adversus Columbarienses canonicos, ob minus disciplinæ punctum, litem movit :
E qui scilicet ut villosum hunc amictum quem almutium vocabant ferre consueverant sciurorum pellibus confectum, hunc morem deponere jussi sunt, minime tamen episcopo jubenti paruerunt. Re vero ad apostolicum forum delata, canonicos contumaces summus ipse Pontifex e fidelium societate segregavit; ibid., p. 212. Per ultimos vitæ suæ dies tam comparandis mutuo nummis, quam bello contra *Montreux* toparcham gerendo Joannes assidue vacavit : obiit denique 30 Junii

1365 1365, et ante altare S. Imerio sacrum, quod ipse construxerat, sepultus est. Laudatur a coævis scriptoribus mansueti vir animi, pius in Deum, in clericos sibi subjectos benignus, officio semper suo strenue perfungens, et quam maximis occupationibus nunquam impeditus quin vel minimas res curaret. Civitas eum tota Basileensis flevit.

XLVII. Joannes III.

DE VIENNE. Joannes hic, genere Viennensis, in Burgundia comes. Jam vero de ejus ortu, primisque dignitatibus quas ei tam popularis aura quam summi Pontificis gratia vixdum adulto contulerant, supra disseruimus, Vesuntionensium archiepiscoporum seriem describentes. Ex archiepiscopo Vesuntionensi Joannes Metensis anno 1361 factus episcopus, in Basileensem postremum sedem anno 1365 transfertur, antecedenti Joanni, ut ait Nicolaus Gerungus, « in omnibus omnino « contrarius. » Hic enim adornandorum bellorum potius quam instaurandæ pacis semper studiosus, tot molestiis alios impetivit, aut ipse tot ab aliis, quos agressus erat, cladibus affectus est, ut pessimum nomen posteris tradiderit. Reperitur primum Basileensem episcopum agens 14 Novembris 1365, qua die, Bruntuti moram aliquam faciens, singula ad hujus urbis cives pertinentia jura recognovit; Mon. Episc. Basil., t. IV, p. 227. Sub ejusdem vero mensis diem 28 in castro *Telsperg* commorabatur, ubi civitatis *Laufon* immunitates confirmabat; ibid., p. 228.
1366 Anno dein 1366, 14 Aprilis, litteras Joannes edit publicas, in quibus de Basileensibus oppidanis queritur episcopalibus privilegiis infestis, eosque admonet se rebellionis viam ingressos tam temporali quam spirituali gladio percussurum (1); iisdem idem litteris omnia diligentissime providet ac præcavet, ut, excommunicationis sententia contra cives lata, sciant canonici Basileenses quid ipsis agendum sit, et jura sua necnon episcopalem gazam illæsa servent. Nec multo post, nempe 14 Septembris, a Carolo IV imperatore solemnius impetrat diploma, quo Basileensis episcopi in procliviores ad libertatem capessendam cives auctoritas firmata;

A ibid., p. 233. Ex his ferocem animum Joannis nosce, qui scilicet, in possessionem Basileensis urbis nuper invectus, jam ejus obsidionem parat. Jussit primum Cæsar ut intra mensis unius spatium Basileenses oppidani episcopo morem in rebus omnibus gererent, et adhibendam vim opportuno anteverterent obsequio : dein vero, die scilicet 4 Novembris, episcopis Argentorati Spiræque provinciam hanc dedit, ut de dissidiis inter episcopum civesque exortis inquirerent, et, nisi res ad Cæsareum forum ferenda videretur, utrique suum jus tribuerent.

B Mox autem indicio graviori naturæ suæ acerbitatem Joannes omnibus notam fecit. Prohibuerat enim ne civitatum Basileensium incolæ, vel inter se, vel cum alienigenis propter mutuam defensionem fœdera pangerent, ipsius quidem temporali potestati, ut manifestum est, ominosa. Biellenses igitur oppidanos, pactum quod cum Bernensibus et Solodorensibus iniverant exuere
nolentes, armata vi, sub annum 1367, aggre- 1367
ditur, et ipsa die qua nundinæ feriales habebantur, frequenti mercatu, non tantum evaginatis gladiis inermes insectatur, sed ipsas C in propatulo merces, civium domos, ædificia publica exsecrando vastat incendio. Tanta clade Biellensium sane compressus subsedit tumor. Bernenses vero, jurati fœderis memores, et quibus Biellensis emporii incendium non parva damna intulerat, ad arma concurrere, Grandem Vallem occupare et piacularibus flammis tradere. Consilium his erat Novam Villam, validissimum castrum, expugnare, eoque capto inferiorem viribus episcopum ad multa concordiæ causa concedendum compellere. Nova quidem Villa hostium impetum sustinuit; juxta vero D *Malleray* victæ sunt episcopi copiæ. Joanni tunc Amedeus, Sabaudiæ comes, inducias proponens ineundas, opportune succurrit : quam pactitiam pugnæ cessationem ipse
Joannes, 11 Januarii 1368, ratam habet; 1368
Mon. Basil. Episc., t. IV, p. 252. Mox, nempe 19 Julii, præcipui auctoritate viri, Hannannus scilicet *de Ramstein*, Jacobus *de Schœnau* et Walterus *de Bebenheim*, tam ab episcopo Basileensi quam a Bernensibus civibus admoti sunt, qui judicatione arbitrali tantæ adeoque jam calamitosæ contentioni finem darent; ibid., p. 267.

E Solvendis vero belli sumptibus, Hartmannus, Kyburgensis comes, inter alios præsulis adjutores, duo millia nummorum Florentinæ monetæ sibi tradi poposcit; ibid., p. 265. Reparanda quoque eversarum urbium damna, reficienda castellorum munimenta, confirmanda magno pretio multorum sociorum dubia fides : quocirca Joannes non tantum ingentem æris alieni copiam contraxit, sed etiam, invito suo capitulo, episcopalia plura castella, eadem et opulentissima,

(1) Præcipua hæc sunt quæ civibus adscribit crimina Joannes: «... Item quia nuper magister et consules prædicti, nulla « super hoc muniti auctoritate, quædam statuta, seu impositiones, exactiones, tallias, thelonia, molendinaria, salviaria et « alias varias deordinationes facere indebite præsumpserunt, et « quod non solventes ea sint et esse debeant ab eorum adju« torio et defensione omnino seclusi; item quia magister, « consules et commune prædicti, homines emptitios et pro« prios ecclesiæ prædictæ, sive in *Liestal*, sive in *Sliengen* « commorantes, abstraxerunt et abstrahunt, et eos in suos « concives receperunt, et recipiunt et defendunt; item quia « magister, consules et concives prædicti fecerint et faciunt « et servant ligas et conspirationes et conjurationes cum « aliis oppidis et civitatibus. » Mon. Episc. Bas., t. IV, p. 229.

abalienare coactus est. Ampliora Biellum jura obtinuit, 19 Junii; quæ scilicet expressis verbis Joannes ei se conferre professus est ob fortem et invictam adversus Bernenses defensionem; ibid., p. 261. Quin imo remuneranda Joanni ipsorum arbitrorum officia. Sic, 27 Octobris ejusdem anni, Henmanno *de Ramstein* supra memorato quosdam ex episcopalibus reditibus demptas decimas concedebat (1). Post hoc Bernense bellum Joannes aliquantisper quievit. Reperitur 27 Octobris 1369 in castro suo *Telsperg* commorans, ibique iteratis litteris diversa tam ad ipsum quam ad advocatum, præpositum et capitulum S. Ursicini pertinentia jura, in ipsa hujus ecclesiæ præpositura, recognoscens;
1370 ibid., p. 283. Anno 1370, 16 Augusti, Basileensis ecclesiæ possessionem, castrum *Miécourt*, abalienat, ut se Guillino *de Ossans*, Vesuntionensi armigero, gratum præbeat, qui scilicet, transacti belli temporibus, sub Basileensis episcopi vexillis militaverat; Mon. Episc. Bas., t. IV, p. 298. Eamdem deinde officiorum collatorum memoriam semet habere testatur erga Henricum *de Delle*, cui satis opulentos reditus adscribit
1371 13 Junii 1371; ibid., p. 300. Ulricho similiter et Brunoni *de Rapolstein*, 18 ejusdem mensis, in remunerationem auxilii præstiti, castra duo *Rapolstein* dicta, superius videlicet et inferius, oppida quatuor contigua, percipiendasque e diversis agris decimas, in perpetuum vel confirmat, vel tunc primum confert, ut, inquit, « hi qui prælatis, personis et ecclesiasticis digna servitia et utilia assidue impenderunt, dignis præmiorum meritis attollantur,... et hujusmodi præmiorum et gratiarum exemplis alii fideles incitati, ad assistendum consiliis et auxiliis prælatis, personis ecclesiasticis et ecclesiis et digna servitia et utilia impendendum eisdem assidue facilius inclinentur (1). » Operæ quoque pretium est memorare id toparchis *Rapolstein* privilegium eodem instrumento a Joanne concessum fuisse, ut in possessione prædictorum castellorum ipsis ipsorum filiæ, virili deficiente prole, succederent; ibid., p. 302. Maximam quidem partem hujus instrumenti Gregorius papa XI pro sua auctoritate, 7 Maii 1372, sancivit : decimarum tamen episcopalium perpetuam abalienationem improbans, exceptione peculiari nimiam hanc largitionem exclusit; ibid., p. 309. Lauffenum insuper castrum, acceptis 2,000 nummorum Florentinorum Walramno, *Thierstein* comiti, Joannes oppignerat, 9 Augusti 1371; ibid.,
p. 320. Quin imo, 12 et 13 Martii 1373, 1373
consentiente tamen cathedrali capitulo, civibus Basileensibus majus minusque Basileensis urbis portorium ipsumque jus cudendæ monetæ, 16,500 nummorum eorumdem pretio, obligat; ibid., p. 315, 317.

Postquam vero Joannes non modo acceptorum officiorum gratiam retulit, sed etiam valde detrimentosis abalienationibus ærarium episcopale refecit, in fiduciam sollicitudo versa est. Tunc ipsis Basileensibus oppidanis bellum indixit, de juribus quibusdam læsis quærens. Adjutor ei fuit in hoc bello Leopoldus, Austriæ dux; Basileensibus vero succurrerunt Argentinenses. Urstisio Sudanoque si fides, non unius certaminis eventus spem Joannis fefellit, qui scilicet plura quam consecutus est amisit. Certe Florentinorum nummorum triginta millia Leopoldo, auxilii collati pactum pretium, numerare non valens, ei, in Minore Basilea, dominicum totum jus, curiam, imo ipsam episcopalem domum oppigneravit. Ea gesta sunt annis 1374, 1375.

Anno 1376, 5 Martii, occurrit Joannes Ra- 1376
dulfi de Novo Castro litteras confirmans, quibus Solodorenses cives omni portorio Nydovæ persolvendo exempti. Nec multo post, nempe 21 ejusdem mensis, ipse Burchardo *Sporer*, quem in suis periculis fidissimum expertus erat, centum argenteos besses se debere profitetur, eique cudendæ in urbe Brisaco monetæ jus interim pignori tradit; Mon. Episc. Bas., t. IV, p. 351. Cives deinde Biellenses, 10 Junii, ecclesiæ Biellensis patronos solemnibus litteris instituit, eosdem singulis donans reditibus emolumentisve ad patronatum hunc spectantibus, eo scilicet consilio ut ipsam urbem flammis vastatam reædificarent; ibid., p. 354. Animadvertenda sunt verba quibus in hoc diplomate Joannes utitur, ipse ruinarum quas fecit culpam innominatis incendiariis conferens. Eodem quoque anno, 7 Julii, tria Joannes millia Flo-

(1) Hujus concessionis instrumentum satis declarat quæ tunc temporis fuerit episcopalis ærarii penuria. In hoc enim legitur : « Cum nobis in Christo dilectus Henmannus de « *Ramstein*, miles Basiliensis, plura et diversa fidelia servitia nobis et ecclesiæ nostræ Basiliensi impenderit, et adbuc impendere in futurum intendat, nos in recompensam servitiorum hujusmodi per eum taliter impensorum et impendendorum, utilitate nostra et dictæ ecclesiæ nostræ Basiliensis in hac parte considerata simpliciter et attenta, promisimus et præsentibus promittimus bona fide, solvere et tradere præfato militi quadraginta marchas argenti puri et legalis ponderis Basiliensis. Verum, cum pro præsenti argentum promptum non haberemus, per quod ipsi militi de præmisso debito satisfacere valeremus, constituimus et assignavimus et præsentibus assignamus dicto « *Henmanno* militi et suis hæredibus, in solutum dicti argenti, reditus annuos duorum plaustrorum albi vini, ex tunc in antea singulis annis tempore autumpnali percipiendos et levandos, per ipsum militem vel hæredes ejus, de vino nostro quartæ episcopalis nobis debitæ in banno villæ *Uffoltz*, nostræ diœcesis prædictæ, tamdiu donec dicto militi vel ejus hæredibus, per nos vel nostros successores de dicto debito fuerit plene et integraliter satisfactum, fructibus ante solutionem eamdem sic percipiendis seu perceptis in sortem minime computandis. » Mon. Episc. Basil., t. IV, p. 281.

(1) Hanc castri *Rapolstein* traditionem Lunigii Spicilegium Ecclesiasticum, t. II, p. 1718, in anno 1370 collocat, 18 Junii.

rentinorum nummorum recuperavit, quos ei Bernenses, secundum delectorum virorum et Elisabethæ Novicastrensis arbitrium, ob damna Graudi Valli belli temporibus illata, numeraverunt; ibid., p. 356.

Sed jam aliud bellum exoriebatur, in quo Martem rursus adversum Joannes expertus est. Mortuo enim Radulfo Novicastrensi, Nydovæ toparcha, Hartmannus Kyburgensis Simonque Thiersteinius, ut sororibus Radulfi matrimonii vinculo copulati, in ejus hæreditatem involare. Basileensis vero præsul Nydovam primus capessere, præsidioque munire. Iterum igitur armis decertandum. Basileensi præsuli Basileenses oppidani protinus inimicitias denuntiant. Quare, civitatem episcopalem deserere coactus, Joannes Delemontanum castrum it, unde, tam Basilea quam Nydova spatio distans æquali, itus et reditus hostium sociorumque observat. In eo castro reperitur 2 Septembris, ubi Jacobo *de Tavannes*, suis sub vexillis militanti, ducentos Florentinos nummos chirographi cautione spondet, ibid., p. 366, ipse post aliquot dies, nempe 5 Septembris, ab Imerio *de Ramstein*, canonico, majorem eorumdem nummorum copiam comparaturus, ut maxime instantibus belli necessitatibus occurreret; ibid., p. 368. In eo tam pecuniæ quam bonorum mobilium, ut ipse profitetur, defectu, 23 Octobris, Frantzoni dicto *Nefe*, civi Columbariensi, reditus quosdam annuos assignat, 630 Florentinos nummos ei se debere recognoscens, qui bellatores equos ecclesiæ Basileensi nuper vendiderat; ibid., p. 374. Æstus pugnæ tunc nonnullos dies vacuos habuit : sed, armis aliquantisper depositis, ecce iterum auditur tubarum sonus. E Delemontano castro Joannes
1377 Telspergum se recipit, ubi, 3 Junii 1377, ab Ulricho *de Ramstein*, equite, pactitiam nummorum copiam accipit, eique non tantum opulentas decimas tradit, sed etiam castrum *Birseck* obligat; ibid., p. 385. Bruntutum dein tendit. Bruntutum scilicet incolebat 11 Julii, unde S. Ursicini cives admonebat ut quam citissime validis urbem suam munimentis cingerent, eisque tantæ molis opus aggressuris quæstuosa vectigalia conferebat; ibid., p. 392. Simonem interea Thiersteinium Hermannus *de Bechburg*, Joannis episcopi socius, ceperat, et Joanni tradiderat stricto carceri mancipandum : Simonis vero capti copiæ Basileensem agrum nihilominus occupabant, ab eoque Joannem arcebant. Anno
1379 1379, 18 Augusti. Fritschmanno et Herderico *Ze Rhein* castrum *Waldeck*, terræ motu, cujus supra meminimus, eversum, et circumjacentes agros sub juris feodalis conditioni-
1380 bus tradit; ibid., p. 403. Anno 1380, 2 Novembris, immunitates incolis urbis *Lignères* a Joanne *Senn* collatas, Delemontanum scilicet castrum tunc regressus, iteratis litteris confirmat; ibid., p. 406. Basileæ tandem Joan-
nes reperitur 29 Novembris 1381, ubi pro 1381
auctoritate sua ecclesiam *Magden*, Benedictinis Horti Dei monialibus a Romanæ sedis legato Guillelmo traditam, approbat; ibid., p. 408.

Qui vitam adeo procellosam, multi quidem patiens laboris, Joannes vixerat, in morte
quievit 7 Octobris 1382, et Bruntuti sepul- 1382
tus est, sine ullo, ut ait Sudanus, subjectorum luctu, quos onere bellorum intolerabili constanter oppresserat.

Joanni *de Vienne* Joannem *de Bucheck* Sudanus idem et plerique alii rerum Basileensium scriptores subrogatum fuisse asserunt, ipsumque anno vix consummato decessisse. Joannem quemdam *de Bucheck* sub id temporis vixisse Basileenses tabulæ confirmant, qui, anno 1373, ipsi debitam a Joanne præsule nummorum copiam recepit; Mon. Episc. Basil., t. IV, p. 735. Miles autem erat hic Joannes, et Solodorensis *Bucheck* oppidi comarchus; nec alium ejusdem generis nominisque virum inter ecclesiæ Basileensis canonicos tunc exstitisse legimus. Imerium prætcrea Joanni *de Vienne* in episcopali cathedra successisse quam plurima diplomata testantur, inter quæ singulatim laudanda syngrapha Simoni de S. Albino anno 1383 tradita, in qua scilicet Imerius Joannem de Vienna suum *prædecessorem immediatum* ipsissimis verbis appellat. Ignotum igitur habemus qua sorte Joannes ille *de Bucheck*, tam a Sammarthanis quam a D. J. Trouillatio jure prætermissus, in Basileensium episcoporum antiquiorem seriem irrepserit.

XLVIII. Imerius.

Joanne scilicet Viennensi mortuo, Wern- DE RAMSTEIN.
herus Schallerus *de Leimen*, ecclesiæ Basileensis archidiaconus, Imeriusque *de Ramstein*, ejusdem ab anno 1378 scholasticus, discordantibus canonicorum votis, episcopi simul eliguntur, simulque in cathedralem ædem solemniter deducuntur. Unde inter duos æmulos contentio exarsit, ipsi ecclesiæ damnosa. Imerius quidem in castrum *Telsperg* se recipit, ubi, 9 Decembris 1382, Ajoiæ, Burarum, Bruntuti et Delemontani castri immunitates confirmat; ibid., p. 423, 425, 427. Causam quidem ejus præpositus, decanus thesaurariusque amplexi comprobantur : Wernhero tamen non adeo parva canonicorum parte constanter suffragante, ad proximum certamen Imerio subsidia comparanda sunt. Qui, ut erat opum diversarum ditissimus, octo Florentinorum nummorum millia de propriis bonis ecclesiæ Basileensi mutuo confert, hoc sperans beneficio tam clericorum quam civium Basileensium gratiam se facile meriturum esse; ibid., p. 426. Imo bello parando operam dare co-

gitur. Wernherus enim episcopatum ipsa armorum vi consequi tentat. Eo igitur consilio Imerius Simonem de S. Albino quosdamque alios milites conscribit suis sub vexillis bellaturos, eisque multorum num-
1383 morum sponsionem facit, 5 Martii 1383 (1).
Bruntutum Imerius incolebat, cum id cum Simone pepigit : dein vero, nempe 1 Julii, Bielli reperitur, cujus urbis immunitates recognoscit; ibid., p. 432. Tunc ejus patrocinium opportune professus est Wenceslaus, Romanorum rex. Imerius scilicet, ipsa quoque Romana ecclesia in duas factiones miserabiliter scissa, Clementi primo VII animum adjunxerat; dein autem, Avenionensis papæ causa ejurata, Urbano VI morem gesserat : unde voluntas in eum Urbani propensissima, et crebræ tam ad plebem quam ad clerum Basileensem ab eodem Urbano missæ epistolæ, in quibus suscipiendi protegendique Imerii diligentissima commendatio. Wernherus autem Clementi VII eo firmius adhæserat, ab eoque confirmatus in Basileensis episcopatus possessione fuerat. Quare Clementi VII infensus Wenceslaus rex cunctis proceribus urbanisve prætoribus tam Elisatiæ quam Helvetiæ scripsit, 21 Octobris, uti Wernherum schismaticum arcerent, et Imerio vere catholico quam maximo studio faverent. Omni aliquanto post contentionis spe deposita, Wernherus accedit fœdus cum Imerio icturus, et in compensationem hujus quod sibi arrogaverat juris arcem Isteinensem accipit, quam ipse non multo post, trium millium Florentinorum nummorum pretio, Leopoldo archiduci confert.

(1) Sponsoris quædam verba citare operæ pretium est, quæ scilicet de bello contra Imeriuma Wernheri sequacibus illato fidem faciunt : « Nos Imerius de *Ramstein*, postulatus seu nominatus Basiliensis, notum facimus præsentium inspectoribus seu auditoribus universis, quod cum Wernherus Schalarii, arcbidiaconus ecclesiæ Basiliensis, contra nos et ecclesiam ac episcopatum Basiliensem guerram moverit, seu movere intendat de facto, indebite et absque rationabili causa, et pro tuitione ac defensione dictæ ecclesiæ et episcopatus, ad resistendum sibi et suis, de hominibus armorum indigeamus, nos Imerius prædictus, pro dictæ ecclesiæ et episcopatus utilitate, de consensu et voluntate expressis venerabilium fratrum et sociorum nostrorum, præpositi, decani, thesaurarii, canonicorumque et capituli ecclesiæ Basiliensis predictæ, retinuimus et accepimus in nostrum dictæque ecclesiæ et episcopatus servitorem, guerra seu lite durante et existente inter nos et dictum arcbidiaconum et sibi adhærentes, nobilem virum dominum Simondum de Sancto Albino, militem, una cum tribus armatis, quos secum in nostro, dictæque ecclesiæ et episcopatus servitio, guerra durante, ut præfertur, debet et tenetur babere. Cui domino Simondo, pro suo et dictis tribus armatis servitio, dare, tradere, et assignare, de consensu et voluntate quibus supra, promisimus quingentos florenos auri et ponderis legalium; pro quibus, nos pro nobis, dicta ecclesia Basiliensi et nostris successoribus Basiliensibus episcopis, eidem domino Simondo tradidimus et deliberamus nomine pignoris villam nostram de *Vendelincort*, hominesque utrinsque sexus et omnes habitatores villæ ejusdem, una cum omni jure, actione, causa et ratione, quas et quæ nos et dicta ecclesia Basiliensis babemus aut habere possumus et debemus in et super dicta villa et habitatoribus in eadem, nullo jure vel judicio nobis vel dictæ ecclesiæ retentis super illis. » Mon. Episc. Bas., t. IV, p. 429.

A Anno 1384, 4 Junii, S. Ursicinum, *Chauvelier* et *Muriaux*, oppignerata jam ab aliquot annis castella, Imerius episcopus liberat, restituta nobili viro Joanni de Vienna pecunia; ibid., p. 441. Mox autem, nempe 20 ejusdem mensis, Bruntutinam arcem Basileensibus oppidanis ipse pro pignore tradit, a quibus quatuor millia Florentinorum nummorum impetrat; ibid., p. 443. Iisdem similiter tam S. Ursicinum quam *Chauvelier* et *Muriaux* oppignerat, qui scilicet persolvendos Joanni de Vienna nummos ecclesiæ Basileensi suppeditaverant; ibid., p. 446, 449. 1384
B Eo tempore Liberi Montis planus apex incolis propemodum vacuus erat : hujus loci solitudinem frequentandi consilio statuit Imerius, 17 Novembris, ut devenientes eo coloni quibuscumque vectigalibus immunes essent; ibid. p. 450. De Bruntutino castro jam sæpe mentionem fecimus, non semel ab Imerio oppignerato liberatoque : toties jam traditum et redemptum Stephano, Montis Biligardi co-
miti, denique vendidit Imerius, 5 Julii 1386, 1386
et ab eo librarum francicarum undecim millia accepit, quarum ope Joannis de Vienna, prædecessoris sui, nominibus responderet;
C ibid., p. 466. Attente legenda Imerii venditionem hanc pangentis syngrapha, quæ lamentabilem Basileensis ecclesiæ statum describit. Quanquam ideo, neglectis prorsus ecclesiastici muneris officiis, vigilem principatus ipsi deputati procuratorem peritumque multorum negotiorum transactorem et administrum Imerius se præstiterit, nunquam tamen nummorum copiam recuperando Bruntuto parem comparare valuit; quod usque ad annum 1461 comitibus Montis Biligardi subjectum permansit. Occurrit deinde Imerius,
31 Martii 1387, sedis apostolicæ mandato, 1387
D Guillelmum, Morbaci abbatem, qui Clementis VII causam amplexus erat, abbatiali munere privans. Quo etiam anno, 12 Octobris, Albertus Austriacus agnoscit Basileenses quoscumque clericos, in terris suis fixam sedem habentes, e foro tamen Basileensis episcopi pendere; Mon. Episc. Basil., t. IV, p. 492. Fidum non modo Biellenses oppidani obsequium ecclesiæ Basileensi bellorum temporibus exhibuerant; sed etiam multa passi fuerant illata invictæ constantiæ damna : quorum memor
Imerius, 12 Martii 1388, insignibus privile- 1388
giis tam sibi dilectos clientes auxit; ibid., p.
E 498. Ita sane debitam ob officia præstita gratiam Imerius referebat, et alios Basileensium urbium incolas ad Biellensium imitationem incitabat; sed his utilium jurium cessionibus episcopalem gazam exhauriebat, quæ adeo depauperata mox evasit, ut, 30 Aprilis ejusdem anni, repetitos a Joanne *de Sennhein* quinquaginta Florentinæ monetæ nummos solvere non valens et nomina sua expedire, ei munus urbani cellarii, teutonice *Kellerampt* appellatum, titulo pignoris obli-

1391 gaverit; ibid., p. 505. Anno deinde 1391 jam fere medio, Imerius, aut tantam egestatem tolerandi nescius, aut rebus ecclesiæ suæ restituendis imparem se confiteri coactus, Fredericum, Argentoratensem episcopum, in administrandæ Basileensis diœcesis consortium accersivit.

XLIX. Fredericus I.

DE BLANCKENHEIM.

In Argentoratensi cathedra Fredericus innsitatis clerum populumque vectigalibus vexaverat. Eum igitur Basileenses oppidani minime optaverant, qui industria sua Basileensis episcopatus inopiam sublevaret. Occurrit tamen Fredericus, 4 Junii, erga capitulum Basileense solito juramento semet obligans, cui scilicet Imerius transtulerat « omne jus et potestatem liberam disponendi de ecclesia Basileensi, accedente « confirmatione apostolica. » Sine mora, nempe 9 ejusdem mensis, castri Delemontani veteres immunitates eo titulo sancivit; ibid., p. 533. Basileam vero nondum ipse se receperat. Quare, 10 Junii, ad eum scribunt Imerius capitulumque Basileense, nullam ab eo rationem administrationis quam difficillimis temporibus suscepturus erat se reposcituros promittentes, eumdemque urgentes de adventu maturando; ibid., p. 354. Ex aliis, quæ sub idem fere tempus edita sunt, instrumentis, totum comperimus Basileensis ecclesiæ regimen in Fredericum, Imerio segregato, translatum fuisse. Hoc enim ei regimen Bonifacius papa « plenarie, inquit, « committit, eo quod Imerius *de Ramstein* ex certis causis rationabilibus libere « et sponte ecclesia et episcopatu cessit. » Nec mireris summum Pontificem tam Wenceslao imperatori, quam Alberto duci Austriæ oppidanisque Basileensibus Fredericum uti Basileensis episcopatus administratorem, etiam post Imerii cessionem, commendare. Prohibuerat enim vetus lex, ne duæ uni viro conjungerentur uxores; quique Argentoratensi nupserat ecclesiæ Fredericus Basileensis episcopatus procurator, administratorve commendatarius, tantum dici poterat, integram licet Basileæ muneris episcopalis auctoritatem adeptus. Mox ipsum Imerium Fredericus, 21 Decembris, ut hoc munere prorsus exoneratum, proscribebat omnis pecuniæ ab ecclesia Basileensi debitæ jam non, assentiente capitulo, prædem fore.

Quibus scilicet ut nominibus responderet administrator novus primum ab Argentoratensi ecclesia 4,200 nummorum Florentinorum mutuatus erat, 14 Novembris 1391, et huic ecclesiæ omnes pignori decimas obligaverat quas Basileensis in utraque Alsatia proprias habebat; Mon. Episc. Bas.,
1392 t. IV, p. 536. Anno etiam sequente a Basileensibus oppidanis 29,800 nummos ejusdem

A monetæ comparavit in recuperationem castrorum *Delemont*, *Waldenburg*, *Homburg*, *Olten*, *Reigolzwill*, impendendos, eisque omne jus in Minorem Basileam ex integro transcripsit. His vero aliisque mutuationibus nimis hiantem Basileensis ærarii lacunam explere non valuit. Culpatur etiam Fredericus, ut qui suorum in ecclesia Basileensi prædecessorum effusam prodigalitatem imitatus, plus æris alieni contraxerit, quam oppigneratarum possessionum redemerit. Interea tot jam curis intricatum et quasi sub operosissimorum negotiorum mole æstuantem, in Argentoratensem cathedram revoca- B vit ipsius Argentoratensis urbis rebellio. De ea rebellione, quam non nihil excusationis habuisse antecessores nostri professi sunt, jam satis dictum est, t. V, col. 812. Anno denique 1393, sub Augustum mensem, epis- 1393
copatum Argentoratensem una Basileensemque procurationem Fredericus dimisit, et in cathedram Ultrajectinam summi Pontificis gratia traductus est.

L. Conradus.

C Ecclesia Basileensis tot cladibus afflicta jam omnem renovationis spem deposuerat, cum, audita Frederici in sedem Ultrajectinam translatione, congregatum capitulum, 19 Augusti, unanimi voce Conradum *Münck de Landscron*, præpositum, in vacuam Basileæ cathedram erigendum pro consuetudine postulavit. Qui, ea ipsa die, erga canonicos eum qui tali munere dignati erant juramento semet obligavit (1). Nec multo post, nempe 26 Augusti, Basileensibus oppidanis, quos suos reddere optabat, pro-

MUNCH DE LANDSCRON.

D (1) Utile videtur hic magnam partem juramenti a Conrado præstiti transcribere. Jurat enim: « Primo quod fidelitatem servet Basiliensi ecclesiæ. Item quod fideliter « tueatur et servet jura, statuta et privilegia, libertates « et bonas consuetudines atque bona et personas ejusdem « ecclesiæ. Item quod satisfaciat creditoribus de debitis « et reditibus contractis per ejus prædecessores episco- « pos Basileenses qui fuerunt pro tempore, pro ejus posse, « et in quibus intervenit consensus capituli, et sigillum « capituli est appositum. Item quod præter consensum ca- « pituli nihil de bonis ecclesiæ alienet, distrahat vel obli- « get. Item quod in casu quo aliqua bonorum ecclesiæ ven- « dere, distrahere vel alienare voluerit, quod ad hæc petat et « requirat consensum capituli; quo consensu habito, prin- « cipaliter obliganda, alienanda, vendenda vel distrahenda « obliget, distrahat, alienet vel vendat capitulo, si voluerit « acceptare; sed si capitulum acceptare noluerit, ex tunc, de E « consensu ipsius capituli, et non alias, possit hujusmodi obli- « gationes, venditiones, distractiones et alienationes facere « bonorum ecclesiæ Basiliensis prædictæ aliis personis vel « locis. Item quod ipse dominus postulatus episcopus Basi- « leensis præfatus clero suo collectam aliquam non impo- « nat, absque consensu capituli sui Basiliensis. Item quod « fortalitia ecclesiæ Basiliensis committat duntaxat minis- « terialibus ecclesiæ Basiliensis, et taliter quod ipsi com- « missarii jurent, quod in casu quo ipse dominus postulatus « episcopus Basiliensis prænominatus captus fuerit, aut mo- « reretur, aut episcopatum Basiliensem resignare vellet seu « resignaverit, pareant super et pro ipsis fortalitiis duntaxat « capitulo ecclesiæ Basiliensis. » Mon. Episc. Bas., t. IV, p. 559.

misit se magistratuum urbanorum auctoritatem integram servaturum; Mon. Episc. Basil., t. IV, p. 562. Anno dein 1394, 14 Decembris, iisdem vectigalia nonnulla, 2,223 Florentinorum nummorum pretio, obligavit; ibid., p. 584. Sed quem optima, ut videtur, tam modestiæ quam industriæ fama concanonicis suis commendaverat, non potuit ipse Conradus obligationibus novis episcopatus res magis ac magis perditas restituere. Omnia sane periclitans ut ad hunc quem sibi proposuerat exitum perveniret, oneris sui humeris impositi non parvam partem rejicere tentavit, ad Imerium tunc superstitem Imerii episcopum agentis creditores mittendo: Imerius vero, pactionem a se cum Frederico factam prætendens, ea nomina dissolvere recusavit, electusque ab utroque hujus contentionis arbiter Wilderichus, ecclesiæ S. Deodato sacræ decanus, secundum Imerium sententiam dixit, 7 Maii 1395; ibid., p. 590. Tunc Conradus episcopali munere semet abdicavit, præposituram paulo post Basileensem rursus consecuturus. In ultimis episcopatus sui diebus, condita quædam a canonicis S. Martini Columbariensis statuta probaverat, atque ipse puellis monasterium *Goldpach* incolentibus legem novam edixerat observandam.

1394

1395

LI. Humbertus.

DE NEUCHATEL.

Conrado infulas deponenti restituenda non parva pecuniæ summa, quam ad sublevandam ecclesiæ Basileensis inopiam ipse de fortunis suis erogaverat. Quem vero, renuntiata Conradi abdicatione, ipsis præficiendum canonici postulaverant, Humbertus Theobaldi Novicastrensis et Margaritæ Burgundæ filius, tam opibus quam nominis dignitate potens, is erat sane qui Conrado de numeranda pecunia facile satisfaceret. Ipse quidem Basileam venire primo distulit: at pater ejus Theobaldus comes, dato 11 Novembris, absentis filii vice, juramento, in episcopalem aulam protinus, administratoris titulo, se recepit, et principem ecclesiasticum agens, non tantum Delemontani castri, 26 Novembris, deinque Novæ Villæ et *Liestal* immunitates recognovit, sed etiam
1396 Conrado, 11 Januarii 1396, 1,400 nummos aureos Florentinæ monetæ persolvit, præsentibus Radulfo *Munck* decano, Francisco *Boll* cantore, Joanne Thuringo *Munck* archipresbytero, et Theoderico de Domo scholastico; Mon. Episc. Basil., t. IV, p. 592, 596, 598, 843.

Basileam Humbertus non ante mediam
1399 anni 1399 partem adiisse videtur. Tunc, 12 Augusti, capitulum ingressus est, atque ipse Basileensis ecclesiæ jura se constanter servaturum esse pro more promisit; ibid., p. 616. Bene de eo sperabant omnes: nec spem hanc forsan fefellisset, quanquam spiritualia parum curans et magnificæ nimis pompæ studiosus, nisi Basileensis ecclesiæ status adeo miserabilis fuisset. Occurrit 24 Junii 1400, Delemontani castri jura confir- 1400
mans; ibid., p. 625. Ut vero rem episcopatus nummariam restituere aggreditur, comparanda est pecunia tam ad reficienda castella quæ ruina collabuntur, quam ad creditores æris impensi expedita præstatione permulcendos. Humbertus igitur, 26 Julii, assentiente capitulo, a Basileensi consule 22,000 Florentinorum nummorum mutuatur, sed eidem castra oppidaque *Waldenbourg, Hombourg, Liestall* pignori tradere cogitur; ibid., p. 628. Nec multo post vero liberandum aliis mutuationibus, commodatori scilicet cuidam alii transferendum, hoc pignus. Quare eisdem semper difficultatibus impedita res erat. Humbertum habemus, 22 Maii 1402, 1402
monasterium *Goldbach*, a duabus tantum monialibus habitatum, canonicis regularibus, id qui quondam incoluerant, restituentem; Alsat. Dipl., t. II, p. 308. Anno
1404, inita cum Basileensibus canonicis 1404
pactione, Humbertus Joannesque, necnon Theobaldus, Humberti fratres, acceptis octo Florentinorum nummorum millibus, castrum *Goldenfels*, Novam Civitatem, castrumque *Schlossberg*, necnon S. Ursicinum, quæ Novicastrensis gens titulo pignoris occupabat, ecclesiæ Basileensi reddunt. Alias, annis sequentibus, ejusdem ecclesiæ possessiones aut oppigneravit, aut redemit Humbertus. Sed hærentem in vado navem alto reddere cui jam licitum? Non igitur operæ pretium est ea singulatim pacta referre, quibus rerum facies pessima minime mutata est.
Hoc tamen sub annum 1417 memorandum. 1417
Cives eo tempore Basileenses Humberto fecerunt injuriam, ipsi senatum magistratusque suos episcopi inconsultu, præter morem, eligendo. Quam Humbertus offensionem, ne quid episcopalia jura detrimenti paterentur, ad Sigismundi Cæsaris forum detulit. Cognita causa, legatus a Sigismundo Radulfus *de Hochberg* secundum Humbertum statuit, civesque ad debitam subjectionem reduxit; e Sudani Basil. Episc. Serie. Anno
denique 1418 obiit Humbertus in episcopali 1418
castro Delemonte: quem pauci fleverunt, quemque tam veteres quam hodierni scriptores eisdem fere vituperationibus insectantur. Animadvertendum vero natione Gallum Humbertum exstitisse, imo Germanicam linguam nunquam didicisse, ideoque minus æquo justos erga eum Germanos Basileæ cives scriptoresque fuisse.

LII. Hartmannus II.

Humberto subrogandum Martinus papa V Conradum Eliæ, theologiæ doctorem et Basi- MUNCH DE MUNCHENSTEIN.

leensium canonicorum in Constantiensi concilio legatum, palam designaverat, eumque de meliore nota capitularibus suffragia laturis diligentissime commendaverat. Hi vero, summi Pontificis votis minime obsequentes, Basileensem episcopum per suffragia sua, non universa quidem, sed plura, Hartmannum, antea canonicum, postea cantorem, destinaverunt. Qui postquam oblatam ipsi sedem quam citius, invito licet papa, conscenderat, Conradum, virum ad omnia, præsertim ad dominationem, modestum, facile submovit, et archipresbyteri titulo contentum fecit. Rebus igitur ita compositis, summum Pontificem adiit Hartmannus, et ab eo in episcopali dignitate con firmatus est, anno 1418 decurrente. Deinde Basileam regressus multa suis promisit : nullas scilicet ecclesiasticas possessiones postea semet abalienaturum; nullum se canonicum episcopali carceri mandaturum, qui alicujus delicti reus cautionem idoneam offerret, nisi tamen flagranti delicto fuisset comprehensus; neminem denique se cathedralibus canonicis aggregatum et Basileæ commorantem in ruralem abacturum ecclesiam, cujus tamen spirituale regimen ipsi fuerat commissum. Cum summa sane vigilantia operam dedit Hartmannus his recuperandis castris quorum Basileensis ecclesia difficillime jacturam fecerat. Sic postquam Otho *de Thierstein* interiit, abalienatos ad tempus *Buchsgau* et *Sisgau* pagos sibi vindicavit, atque, obstante licet Joanne *de Fal-*
1420 *kenstein*, anno 1419 recepit. Anno dein 1420, Guillelmus *d'Arberg* quæcumque Basileensis ecclesiæ beneficio feuda regebat Hartmanno restituere judicis sententia coactus est, et, anno 1421, Henricus de *Geroldseck*, Hartmanno rem urgente, publice spopondit se, post filiæ suæ mortem, *Zwingen* et *Gilgenberg* castra in ejusdem ecclesiæ Basileensis possessionem translaturum; e Basil. Episc. serie a D. Joanne Trouillatio digesta. Tradit quoque Sudanus Minorem Basileam Hartmanni temporibus patrum Carthusianorum monasterio crevisse, Jacobi Syboldi sumptibus erecto. Hæc ipsa sunt memoranda de Jacobo Syboldo Sudani verba : « Is, ordine « senatorio clarus et supremus tribunus ple« bis, auctoritate non minus quam opibus « potens, et, quod omnium caput est, vir« tute vitæque integritate præcellens, mor« tua conjuge, quod hærede careret Chris« tum instituit, meliore hæreditate ab ipso « donandus. Ut ergo propagando Basileæ « impensius cultui divino fortunas suas pie « collocaret, agit cum Hartmanno episcopo « Jacobus, pactusque numeratis pecuniis « locum habitationi religiosæ opportunum « designat, et Carthusiam denique pera« mœnam ad fastigium perducit feliciter, « in qua se ipse denique ad illius instituti « normam formandum Deo consecravit. » Ætate jam provectus episcopatum Hartmannus Basileensem assecutus erat. Ut semet obeundo muneri imparem expertus est, laboris socios, episcopalis scilicet administrationis consortes, instituit Thurignum *Munch* et Joannem Flaxlandum, cognatos, quorum prior archipresbyter erat necnon S. Ursicini præpositus. His res eas procurantibus quæ crudiorem ætatem requirebant, ipse domi commorabatur, non otiosus tamen, ubi præ ceteris virtutibus modestiam, temperantiam et frugalitatem colebat. In postremo denique vitæ suæ decursu, anno
scilicet 1423, Hartmannus se munere prorsus abdicavit, et, consentiente capitulo, in successionem dignitatis dimissæ Joannem sequentem accivit. 1423

LIII. Joannes IV.

Abbatis titulo Joannes Selzensem in Argentoratensi diœcesi conventum regebat, cum ei per summum Pontificem Basileenses infulas capiti suo aptare licuit. Basileam igitur ingressus est 29 Maii 1423, quadringentis et quinquaginta stipatus equitibus, quam præcipui pompam illustrabant Joannes Wormatiensis et Rabanus Spirensis episcopi, ambo Joanni consanguineitate propinqui; e sæpe laudata serie Sudani.
Nonnulla Joannes, sub annos 1423 et 1424, castra toparchis *Ramstein* et *Asuel* tradens legitur. Propositum tamen habebat Hartmanni prædecessoris vestigia sequi, et pro posse suo vel nominibus ecclesiæ suæ respondere, vel alienæ custodiæ traditas ad tempus possessiones recuperare. Anno igitur 1424
1425, postquam Theobaldo, Novicastrensi comiti, pecuniam, ratum redemptionis pretium, obtulerat, cum *Pleujouse*, Auream Rupem et S. Ursicinum, episcopalia olim castra, aliaque clientelis illustria prædia restituere nolentem collectis copiis aggreditur, et, prædictis expugnatis castris, ad pangendas inducias, quem non una clades modestiorem fecerat, compellit. Quia vero de redintegrando bello Theobaldus cogitabat, a Basileensibus oppidanis sex Florentinorum nummorum millia, eis tradito trecentorum eorumdem nummorum annuo reditu, Joannes comparat, et ipse ad renovandam pugnam se suosque strenue accingit. Episcopo siquidem suo in patriam rem restituendam tanto studio incumbenti Basileenses alacriter favent : quare, ubi nuntiatum est eis Theobaldum, ut opportuna celeritate consilia episcopi præverteret, copias movisse, jamque patentes campos occupavisse sibi viam ad amissa castella ferro flammaque facientem, exeunt foras, et, comite *de Thierstein* duce, oppidum *Héricourt*, Novicastrensi præsidio munitum, ruunt 1425

obsessuri. Hoc quoque secundum Joannis
vota bellum cessit. Captum enim oppidum
copiæ Basileenses sub Novembrem mensem
ingressæ sunt et deprædatæ. Occurrunt tunc
temporis Joannes *Reich de Reichenstein*
eques, Basileensis consul, Joannesque præ-
sul de Novicastrensium captorum partitione
componentes. Eodem anno, Sigismundus
imperator Joannem obsequium sibi promit-
tentem in jurium regalium possessionem
1426 mittit. Sequente, Friburgensis comes, ipse
nomine Joannes, pacis inter Novicastrensem
dynastam et Basileensem episcopum fa-
ciendæ adhibitus ab utroque medius arbi-
terque, reconciliationi viam aperit, tran-
siguntque comes et præsul de S. Ursicino,
Chauvelier et *Muriaux*, validis rastellis,
ecclesiæ Basileensi numerata pecunia res-
tituendis. Eo de Novicastrensi bello ejus-
que exitu tam Claudium Sudanum quam
D. Joannem Trouillatium consule. Anno
1427 deinde 1427, Henricæ, Montis Biligardi
comitissæ, trium millium Florentinorum
nummorum pretio, vicos *Chevenez*, *Réclère*,
Damvant, *Fahy* et *Grandfontaine* Joannes
vendit. Joanni *de Morsperg*, anno 1428,
beneficiariam castri *Pleujouse* possessionem
confert, ea vero conditione ut, denuntiato
bello, Basileensibus copiis protinus munia-
tur. Eo quoque anno, agricolis Liberum
Montem et *Muriaux* habitantibus vectigalia
concedit e vinis tam ab ipsis quam apud
ipsos bibendis percipienda, statuens tamen
ut vectigalium quæ libens dimiserat annui
fructus faciendis vel reficiendis hujus saxosæ
1430 regionis viis adscribantur. Anno 1430, cas-
tri *Delemont* et Grandis Vallis incolas immu-
nitatibus Joannes juvat, eosdem aliis, anno
1436 1436, libertatibus donaturus. Sed eo ipso
anno 1436, morbo quem apoplexin vocant
correptus, 20 Decembris interiit, et in ec-
clesia cathedrali sepultus est : cujus mor-
tem generalis concilii, tunc Basileæ congre-
gati, patres honorificentissimis exsequiis
frequentaverunt. A Claudio Sudano lau-
datur Joannes *de Fleckenstein* de episcopatu
præclare meritus. Hic revera civili diœcesis
suæ administrationi sedulam constanter
curam adhibuit; ex ejus tamen quæ nar-
ravimus gestis eum potius principem quam
episcopum egisse comperitur.

LIV. Fredericus II.

ZE RHEIN. Joanne mortuo in duas partes capitulum
scinditur. Alii scilicet e capitularium grege
Frederico *Ze Rhein* favent, cathedralis
ecclesiæ custodi; alii vero Bernardum Bur-
chardumve *de Rathsamhausen*, Basileensem
utique canonicum, episcopali dignitate di-
gniorem semet habere profitentur. Bis, præ-
ter morem, numeratis suffragiis, 9 videlicet
1437 Januarii, necnon 9 Februarii 1437, vix ad-

A versa major Frederici clientela ipso manifes-
tatur scrutinio, et, dubia velut electione, dis-
cordans exoritur clamor. Fredericus tamen
episcopatu 12 Martii potitur, et, Bernardo
incassum ne res conficeretur obstante, so-
lemnem 5 Maii consecrationem adipiscitur.
Summatim dicere sufficit Frederici Bernar-
dique de legitima Basileensis episcopatus
possessione contentionem usque in annum
1440 productam fuisse, et tunc, cedente tan-
dem Bernardo, optatissimum finem habuisse.
Jam vero ante finem anni 1437 Frederico per
Eugenium papam æque et per Sigismundum
B imperatorem episcopum esse licuerat. Occur-
rit igitur Minoris Basileæ venditionem, jam
confirmatam a prædecessore suo, ipse an-
no 1437 sanciens; apud D. J. Trouillatium.
Necdum discesserat Basileense concilium,
ubi multus quotidie sermo de profligatis
ecclesiæ rebus, sed, ipso in dies crescente
animorum æstu, unde nihil in vulgus dela-
tum fuerat nisi desperatior dudum exspec-
tatæ pacis procrastinatio. Legitur Fredericus
in eo concilio sedens, nec humilem sane lo-
cum occupans. Cum igitur summum Ponti-
ficem Eugenium major congregatorum epis-
C coporum pars respuit, officioque interdictum
pronuntiavit, Fredericum eadem pars aucto-
ritate conspicuis præsulibus annumeravit,
quibus, iv cal. Novembris 1439, hanc pro- 1439
vinciam dedit ut novum papam eligerent; e
Concil. Labbæi. Compertum satis est eos Ame-
deum, Sabaudiæ ducem, Eugenio exaucto-
rato subrogavisse, qui Felix V appellatus est.
Basileam postea redux Fredericus nonnullos
excepit Basileensis agri proceres obsequium
episcopo debitum spondentes. Quos ne sin-
gulos nominibus suis recenseamus, memorare
tamen operæ pretium est Smasmannum, *Rap-*
D *poltstein* atque *Hohenech* toparcham, insi-
gni chartula, 11 Aprilis 1440, ipsi rursus a 1440
Frederico præsule collata castra, oppida egre-
giaque jura recognovisse; Alsat. Diplom.,
t. II, p. 363. Apud Sigismundum, ut dixi-
mus, regem, deinde apud Albertum II, Sigis-
mundi successorem, acceptissimus Fredericus
fuerat. Albertum vero postquam immatura
mors sustulit, Germanique proceres ei Frede-
ricum III, archiducis Austriæ filium, suffece-
runt, hujus patrocinium Basileensis præsul
obsequii pignoribus quæsivit. Quem ut adire
potuit, *Ensisheim* oppidum, ubi tunc tem-
E poris ille moram aliquam faciebat, anno
1442 se recepit, ibique, Germanici velut im- 1442
perii principem, imperatori in omnibus obe-
dientem se futurum esse promisit. Suscepto
juramento Cæsar eum in regalium jurium
possessionem misit; imo eumdem mox con-
siliariorum suorum cœtui aggregavit. Eodem
quoque anno Fredericus imperator, qui Basi-
leam venerat cum Felice papa longa confa-
bulatione acturus, valde notabili decreto
prohibuit ne quis cliens famulusve Basileen-

sis episcopi, ne qua sodalitas, vel privata persona, in episcopali vico vel castro sedem fixam habens, coram alio judice quam ipso episcopo sistere postea cogeretur; apud D. J.
1443 Trouillatium. Anno deinde 1443 Fredericus præsul oppigneratum jam aliquot ab annis vicum *Underveliera* Thuringo *Munch de Munchenstein* recipit, conferendæ pro restitutione pecuniæ quadam parte numerata; ibidem. Jam quidem Helvetiis Tigurinisque bellum inter se multis ominosum moventibus, nulla Frederico Basileæ quies. Ut vero tumultu ferbuit omnis ager, Tigurinisque mixti Galli Germanique juxta Basileæ ipsius muros Helvetiis cladem intulerunt, 26 Augusti 1444, tunc Fredericus ad Gallos confugere, seque ipsis committere protegendum. Quam Ludovicus, Caroli regis filius et Gallici dux exercitus, protectionem Frederico promisit, 18 Septembris. Pauca super Frederico postea memorantur. Eugenio tamen IV, 23 Februarii 1447 defuncto, Thomas Parentucellus, natione Tuscus, cardinalium Romanorum suffragiis subrogatur, qui Nicolaus V appellatur. Hunc non multo post legitimum agnoscit Cæsar ecclesiæ catholicæ rectorem, et quem suo patrocinio palam tuetur omnibus imperii Germanici principibus commendat debita submissione prosequendum. Morabatur quidem Basileensis præsul Cæsareum mandatum exsequi, tergiversans et exspectans si quis forte casus sui Felicis rebus succurreret. Imperatore vero etiam atque etiam instante et urgente, metuit Basileensis præsul, ne, secundum Cæsareum edictum, diutius contumax illa cui præerat civitas omni commeatu privaretur. Misit igitur ultra montes Joannem *Gemunger*, Columbariensem decanum, qui, Basileensis ecclesiæ nomine, in media purpuratorum patrum corona, obedientiam fidemque Nicolao V promisit. Ipse
1448 deinde Nicolaus, idibus Julii 1448, Basileensem diœcesim, quam antea sacris interdixerat, suam obsequio gratiam promeruisse renuntiavit; apud Lunigium, Spicileg. Eccles., t. III, p. 140. Joannes quidem *Gemunger*, post reditum suum, quia mandata ipsi injuncta prætergressus erat, carceri, Sudano teste, mandatus est: Felix tamen auctoritatem suam in dies decrescere intellexit, ut ab eo Basileensis episcopus defecit. Occurrit
1449 deinde Fredericus, anno 1449, Guillelmum de *Grieneberg*, qui Rheinfeldam expugnaverat, ad pacem pangendam compellens. Ipse quoque, 19 Septembris 1450, cum Bartholomæo abbate Morbacensi transegit; Alsat. Dipl., t. II, p. 384. Obiit denique
1451 5 Januarii 1451 et in ecclesia cathedrali humatus est.

LV. Arnoldus.

Paucis post Frederici mortem diebus, 19 scilicet Januarii 1451, Basileensium canonicorum suffragia Arnoldum eligunt, juris apostolici doctorem, qui, plures jam in ecclesia Basileensi dignitates adeptus, scholasticus primo fuerat, postea decanus. Eidem insuper Arnoldo genus illustre. Exsurgebat enim vetus validumque castellum *Rotberg* in *Blauen* montis aquilonari clivo, non procul ab eo monasterio quod B. Mariam ad Petram, teutonice *Mariastein*, appellabant, Arnoldoque frater Bernardus *de Rotberg*, inclytus miles, sorores Sophia Agnesque *d'Audlau*. Electionem ejus confirmavit Nicolaus papa V, jussitque ut a tribus episcopis, Constantiensi, Argentoratensi et Wormatiensi, circa ferias Pentecostes consecraretur; e Basilea Sacra. Nec multo post eumdem Fredericus III in regalium jurium possessionem misit. Narrat Sudanus Arnoldum infulis nuper Basileensibus insignitum a Nicolao papa postulavisse ut sibi nummos e clero suo colligere liceret, ad sublevandam gazæ episcopalis inopiam, et Nicolaum prudenter respondisse legitimæ rei faciendæ veniam a summo Pontifice in vanum impetrandam, iniquæ vero minime concedendam: quam Arnoldus ambiguam responsionem in suum commodum interpretatus, diversa clericis suis tributa irrogavit, et, collecta pecunia, episcopales ædes refecit. Occurrit deinde, 9 Julii 1456, Bartholomæo, Morbacensi abbati, suadens ut de jure suo in Lucernense monasterium sponte decedat: atque paulo post, 29 Novembris, pacem renuntians initam inter canonicos S. Theobaldi monachosque Morbacenses; quam Arnoldus, electus jam annosi arbiter dissidii, compositionem ipse proposuerat; Als. Diplom., t. II, p. 391. Obiit denique 7 Maii 1458, 1458
ætatis anno 64, et in sacello Basileensis ecclesiæ sepultus est.

DE ROTBERG.

LVI. Joannes V.

Decanus Basileensis Spirensisque Joannes episcopus eligitur 18 Maii 1458, et a Calixto papa III 12 Julii confirmatur. Deinde fidem archiepiscopo Bisuntino promittit, die Martis infra octavam Paschæ 1459; e Drozianis schedis, t. I, p. 52. Primum ac indubitanter præcipuum Joannis episcopum agentis opus fuit academiæ Basileensis fundatio, quam Pius papa II, 12 Decembris 1459, approbavit. Acceptis Joannes summi Pontificis litteris, Georgium protinus de Andlo rectorem academiæ Basileensis instituit, sibique cancellarii manus vindicavit. Quæ postquam Sudanus retulit, jam dictis sequentia subnectit: « Senatus deinde Basileensis ea jura « studiosis et privilegia confirmavit, quibus « academiæ Bononiensis, Parisiensis, Colo-

DE VENNINGEN.

« niensis, Heidelbergensis, Erfordiensis,
« Lipsiensis, Viennensis hactenus frui con-
« sueverant. Exempti præterea studiosi ab
« omni tributi onere foroque civilis magis-
« tratus, cetera ipsorum cura et potestate
« rectori academico relicta. Ut vero acade-
« miæ hujus perennitati abunde prospectum
« esset, plures canonicatus a variis abjunctos
« ecclesiis eidem academiæ assignavit pon-
« tifex : duos quidem ecclesiæ cathedralis;
« duos item S. Petri Basileæ; quintum, Ti-
« gurinæ ecclesiæ; sextum, ex S. Ursi æde
« Solodori; septimum, ex S. Mauritii in *Zof-*
« *fingen;* octavum, ex S. Martini Colmariæ;
« ultimum denique ex S. Ursicino. » Anno
1460 1460, Fredericus III Joanni Basileensem
principatum pro jure Cæsareo concedit, et
ejusdem episcopalia jura recognoscit. Quam
Nicolaus papa Arnoldo facere dubitaverat
tributa colligendi potestatem, Joannes, anno
1461 1461, per Pium II concessam habuit. Ut igi-
tur nummatior evasit, Montis Biligardi co-
mitem Eberhardum adiit, ab eoque urbem
Bruntutinam, pignori jam multis ab annis op-
positam, pretio 21,000 Florentinorum num-
morum, recuperavit; qua redemptione pacta,
Bruntuti oppidanos in sacrum S. Petro tem-
plum 29 Junii congregavit, et in possessio-
nem antiquorum jurium missos lætus exce-
pit ipsi debitum obsequium spondentes. Sua
quoque eodem anno tam Ajoiæ quam Bura-
rum civilibus præfectis jura confirmavit.
Anno postea 1465 Bruntutinam arcem a fun-
1466 damentis ædificavit. Memoratur, anno 1466,
Sigismundum, Austriæ archiducem, Basileæ
mensa sua communicans exercitationibusque
recreans ludicris, dein Argentoratum eun-
tem sequens. Basileam unde redux, anno
1468 1468, vicum *Soulce*, in Delemontana valle
situm, repignerat. Basileensis igitur res, eam
procurante Joanne, se melius in dies habe-
bat. Cautus quidem ille vigilantissimusque
præsul proximam auguratus mortem, testa-
mentum suum condidit 19 Maii 1469, multa
multis legans. Sed eum falsa prævisio fefelle-
rat, atque suis valde carus non paucos annos
1473 insuper vixit. Anno 1473 Fredericum III Ba-
sileæ excepit. Sub id vero temporis exorto
inter Sigismundum Austriæ archiducem Ca-
rolumque Burgundiæ ducem acerrimo bello,
Bruntutum secessit, ut ex hac arce munitis-
sima Burgundorum incursiones securus pro-
1474 spiceret. Unde anno 1474 legatos Constantiam
misit, qui cum Sigismundo fœdus ferirent;
supra, t. V, col. 815. Basileam sub annum
1476 Joannes rediisse legitur, acturus de
communi pace. Paulo post tamen Bruntutum
1478 rursus se recepit, ubi, anno 1478, capellam
ædificavit et nonnulla de testamento suo,
15 Decembris ejusdem anni, immutavit, 22
ejusdem mensis moriturus, ut Joannes Gros-
sius refert, Epit. Basil. Corpus ejus, sicut ipse
mandaverat, Basileam translatum est, ante

A mensam Domini in templi cathedralis adyto
inhumandum.

LVII. Casparus.

Ex urbe *Mulhausen* in Alsatia oriundus, ZE RHYN.
custos ecclesiæ Basileensis Casparus erat,
cum eum, 4 Januarii 1479, ætatis annum 1479
46 assecutum, unanimes concanonici episco-
pum elegere. Qui 7 Junii se in observanda ca-
pituli Basileensis jura obligavit, et, die Pente-
costes, a Nicolao, Tripolitano præsule, Joanne
Ortwein, vicario Argentoratensi et Daniele
B *Zender de Bruck,* vicario Constantiensi, con-
secratus est, præsentibus S. Blasii et Lucellæ
abbatibus. Post susceptum episcopi munus
Bruntutinas immunitates Casparus confir-
mat : dein, anno 1480 ineunte, quoscumque 1480
Basileensis principis beneficiarios clientes
Basileam convenire jubet, ab eisque debiti
sponsionem obsequii deposcit. Jam non-
nulla eadem et valida castella Basileensis
principatus, Joannis antecedentis tempori-
bus, recuperaverat: ad pangendas hujusmodi
redemptiones intentum fuisse Casparum no-
vimus, qui Liberum Montem et adjacentes
C agros 10 Novembris 1481 repigneravit, per- 1481
solutis Henrico, Montis Biligardi comiti,
ducentis Florentinæ monetæ nummis. Anno
sequente, compescendis in parthenone Clin-
genthalensi turbis curam adhibet. Postquam
enim summus Pontifex Jacobo Stubachio,
Dominicanorum provinciali præposito, hanc
provinciam dederat ut monialium mores cor-
rigeret, negotium injunctum jam implen-
tis conatibus puellæ viriliter obstiterant,
magnos tumultus cientes et propinquorum
auxilium implorantes. His autem dissidiis,
ut refert Sudanus, summus Pontifex Basi-
D leensisque præsul anno 1482 finem impo-
suere. Augustinianas anno 1486 sorores vicus
Kleinenluzel excepit, quas Casparus e Wor-
matiensi *Fischbach* monasterio deduxit;
supra, t. V, col. 711. Sequente, Fredericus
imperator Casparum in legitimam regalium 1487
jurium possessionem mittit : quibus sane Cas-
parus eatenus usus erat, sed Cæsarea quadam
gratia, præstitum ante fidei juramentum.
Sub eumdem annum exorta refertur inter
Basileensem episcopum et Grandivallenses
oppidanos acerba contentio, his postulatam
a Casparo clientelaris obsequii sponsionem
E dare recusantibus. Anno 1493, 12 Augusti, 1493
Maximilianus I imperator et episcopus Basi-
leensis fœdus pangunt, mutuum auxilium in
utraque Rheni parte sibi promittentes. In-
terea vero Basileensis ecclesia, ære alieno
miserabiliter oppressa, comparandæ pecuniæ
vias quascumque quærebat, et Casparum in-
cusabat aut officii sui negligentem, aut ingenio
præditum ad agenda negotia non satis ido-
neo. Ipse, velut omni spe rem episcopalem
instaurandi deposita, Casparus Hieronymum

1500 *de Weisslingen*, 30 Decembris 1500, ad ca-
nonicos legatum mittit, qui cum eis de statu
Basileensis ecclesiæ in melius corrigendo col-
loquatur, et, quanquam graves acerbasque,
status hujus emendationem expostulantium
conditiones acceptas habeat. Malo scilicet
quod per longas moras invaluerat vehemens
adhibendum remedium. Statuunt igitur ut
tenui cultu victurus Basileensis præsul in
Delemontanum castellum secedat : cui sup-
peditabuntur quotannis francicæ libræ quin-
genæ, præter quatuor vini plaustra, quinque
frumenti avenæque modios et quædam alia
rei domesticæ necessaria, hoc tamen pacto,
ut, ea modica mercede contentus, omnes
dimittat fructus e quibuslibet diœcesanis ec-
clesiis, aut prædiis ecclesiasticis, beneficia-
riisve equestris clientelæ possessionibus per-
cipiendos, qui scilicet dissolvendis Basileensis
ecclesiæ nominibus adscribantur. Ecclesias-
ticorum quidem beneficiorum collatio penes
episcopum maneat, temporalium vero capi-
tulo tribuatur. Vicarium denique episcopus
generalem instituat, cui muneris episcopalis
integra procuratio demandetur, usque eo
donec, Basileensi ecclesia ære alieno prorsus
liberata, pristinam Casparo dignitatem re-
cuperare et ad liberiorem vivendi rationem
redire liceat. Postquam ad has conditiones
Casparus descenderat, Christophorum *d'U-
tenheim*, antea Basileensis ecclesiæ custodem,
vicarium suum elegit, annuente capitulo,
1502 24 Septembris 1502; nec multo post, nempe
8 Novembris, Bruntuti interiit. Lucellæ, si-
cut optaverat, sepultus est.

LVIII. Christophorus.

D'UTENHEIM.

Christophorum, perspectæ virum indu-
striæ, juris canonici doctorem, vicarium
ordinis Cluniacensis generalem, nonnullo-
rum prioratuum procuratorem, imo Basi-
leensis episcopatus administrum, Casparo
defuncto jam subrogaverant tam populi
quam cleri Basileensis vota, eum, 1 Decem-
bris, congregatorum canonicorum cœtus
cum episcopum collectis suffragiis elegit. Qui
erga capitulum sacramento semet obligavit
2 Maii 1503, et sub idem tempus a Maximi-
liano I in regalium jurium possessionem mis-
sus est. Sub idem quoque jussit Cæsar ut
Cluniacenses Brisgoiæ et Sundgoiæ domos,
imprimis S. Morando nuncupatum monaste-
rium, adiret, et ad pristinam disciplinæ seve-
ritatem revocaret. Occurrit deinde Christo-
1506 phorus anno 1506, 8 Maii, mutuæ defensionis
fœdus cum Basileensibus oppidanis feriens.
Princeps quidem ille nomine, non re, qui
cives urbem sui principatus caput incolentes
fœderis vinculo sibi devincire cogebatur,
eosdemque sustinere profitentes se nullo ta-
men tempore, et nullius chirographi qualibet
cautione, compellendos esse ad bellum
contra Fœderatos Helvetios adornandum.
Ipse quin imo, quamvis celebratissimus prin-
ceps, subditorum suorum revera cliens hu-
milis erat, cum in eorum nominibus esset,
cumque, 28 Junii 1510, Basileensis consul 1510
se Basileensis episcopi multas optimasque
possessiones, Sisgoiam scilicet et castra *Wal-
denbourg*, *Hombourg*, *Liestall*, *Fülisdorf*,
pretio 31,000 Florentinorum nummorum
redimenda, occupare proscriberet. Non par-
vum tamen anno 1518 incrementum episco- 1518
patui Basileensi allatum. Henrico enim *de
Thierstein* decedente et nullum hæredem di-
gnitatis suæ relinquente, totum comitatus
Thierstein dominium Maximilianus impera-
tor Christophoro condonavit. Sed majora
tunc pericula Basileensi imminebant ecclesiæ.
Exauditus enim non jam e longinquo cleri-
corum quorumdam monachorumve hæreti-
cus clamor, ecclesiasticorum prælatorum
mores, ipsaque etiam catholicæ religionis
dogmata palam per vicos, per urbium com-
pita, impugnantium. Ominosior etiam plebis
et magistratuum civilium horum sermonibus
applausus, qui, libertatem integram capes-
cendi studio, quibuslibet novitatibus facil-
limam aurem præbebant. In eo rerum statu
Christophorus senex invalidusque, nam sep-
tuagenarius erat, a canonicis Basileensibus
poposcit, 25 Maii 1519, ut quemdam mune- 1519
ris consortem ipsi darent. Qui Nicolaum *de
Diesbach*, patria Bernensem, prioratuum
Vallis Clusæ et Grandissoni commendata-
rium, jam ecclesiæ Basileensis decanum, ea
dignitate protinus auxerunt. Episcopalis ta-
men officii quasdam partes Christophorus
retinuit : anno quippe 1524, ætatis licet 1524
gravedine magis magisque laborans, Ratis-
ponensi conventui, propter hæreticos exter-
minandos coacto, adfuisse legitur; apud
Lunigium, Spicil. Eccles., t. I, p. 396. Hæ-
reticorum enim vis quotidie crescebat, nec
tantum in Germania, ubi Martinus Lutherus
ejusque sequaces denuntiatum in propatulo
ecclesiæ Romanæ bellum indixerant, sed
etiam in præcipuis Helvetiæ civitatibus,
quæ Œcolampadium, Ulrichum Zwinglium,
aliosque novitatum præcones audiverant.
Basileæ dissidentium partes, præter ipsum
Œcolampadium, sustinuerant Guillelmus
Rablin, S. Albini sacerdos, Pellicanus, patria
Rubeacensis, Franciscani conventus Basileæ
custos, et Telamontius *Limperger*, ipsius
episcopi Basileensis suffraganeus, qui mani-
festissima religionis desertione multorum
defectionem admaturaverat. His in angustiis
adjutor Christophori Nicolaus non ipsam
modo Basileensis episcopatus administratio-
nem, sed alia quæ possidebat omnia eccle-
siastica munera dimisit, et Vesuntionem
exsul secessit Decembri mense 1526, ubi 15 1526
Junii 1550 mortuus est, anno ætatis septua-
gesimo secundo. Audito quidem hujus exsi-

lii nuntio, Basileenses canonici in Delemontanum castrum conveniunt, 18 Decembris 1526, episcopum novum, ut Christophorum neminem putantes, delecturi. Collecta primum suffragia in duos æmulos æque scinduntur, Philippum scilicet Jacobum d'*Andlau,* ecclesiæ cathedralis cantorem, et Joannem Radulfum *de Hallwyl,* ejusdem ecclesiæ custodem: initis vero iterum suffragiis, omnia Philippus Jacobus confecit episcopusque salutatus est. Ea tamen electio minime valuit, Christophoro, ut videtur, superstite. Is denique, qui Bruntuti fixam sedem ab aliquot annis habebat, ex hac urbe legatos Delemontem mittit, 19 Februarii 1527, qui notum omnibus faciant se persenem infirmumque administrandæ diœcesis labori difficillimis his in temporibus imparem esse, munusque necnon muneris insignia quælibet reponere. Assignant ei canonici pensionem in mensales sumptus. Obiit vero Delemonte paucis interjectis diebus, nempe 16 Martii 1527. Ejus mores abunde Sudanus laudat, quem frugalitatis studiosum luxusque contemptorem fuisse refert, adeo ut vestem sericam nunquam induerit.

1527

LIX. Philippus.

DE GUNDELSHEIM.

Post abdicationem Christophori Delemontem convenientes canonici Philippum *de Gundelsheim,* patria Franconem, episcopum sibi præficiunt, 28 Februarii. Recens quidem decesserat Joannes Radulfus *de Hallwyl:* sed Philippus Jacobus *d'Andlau* cantoris munus etiam tunc implebat. Ei tamen, in quem omnia nuper suffragia coiverant, totus canonicorum concessus renuntiavit, et Philippum elegit, archipresbyterum et vice-decanum. Philippus igitur munere potitur: quo fungens Bruntutinas, 15 Julii, immunitates confirmat. Sed paulo post omnes ecclesiæ Basileensis fortunas in extremo sitas esse profiteri cogitur, hæreticorum in dies crescente numero, conculcato cujuslibet disciplinæ vinculo, imo in infrequentibus templis sacrorum rituum majestate ludificata. Mox agi omnia raptim atque turbate, et præceps quisque in vias a Luthero tritas ruere. Ipsi S. Leonardum incolentes ascetæ, Lucæ prioris ductu, vitam religiosam, imo fidem Romanam ejurare, et derelictæ domus claves magistratui civili tradere. Postea, abrogata jam a Bernensibus missa, exoriuntur Basileæ tumultus. Quos magistratus civilis carceri mandat hæreticos non parva civium pars palam approbat, et denique, seditione facta, urbs quasi tota libertatem novæ religionis inclamat. Secedit Bruntutum Philippus præsul: canonici cathedralis ecclesiæ Novum Castrum juxta Rheni ripas petunt; deinde,
1529 1 Septembris 1529, Friburgum in Brisgoia: ecclesiasticum quoque tribunal, quod officialitatem vocant, Altkircham transfertur. Jam apertæ fuerant cœnobiorum januæ, quæ quidem incolere cuique licitum sine libertatis alienæ offensione: sed, fervidis ultra modum animis, ab imminentibus periculis exsilio se vindicare quilibet in avita fide permanens maluerat. Ubi vero tutus exsulantibus secessus? Biellum enim, Erguela, Grandis Vallis, Lauffenum castrum, aliaque Basileensis tractus oppida eamdem rerum mutationem jam intromisere. Mœstam in Bruntutino castro Philippus vitam agens, paucis manum negotiis adhibet. Auxilium quidem ei Carolus V imperator promittit anno 1539, eumdem in rebus angustis animosum congratulans. Mox autem satis superque compertum habet Philippus semet ab ipso Cæsare inani spe frustratum. Moritur denique Bruntuti 3 Octobris 1553.

LX. Melchior.

DE LICHTENFELS.

Jam ante Philippi mortem canonici Delemontem incolentes Melchiorem de *Lichtenfels,* archipresbyterum ecclesiæ cathedralis, administratorem episcopatus elegerant, 14 Septembris. Beneficiariis vero Basileensis principis clientibus huic administratori juramentum præstare recusantibus, eumdem Melchiorem, persolutis Philippo justis, episcopum Delemontani canonici salutant 8 Octobris 1554, et Paulus papa IV hanc electio- 1554
nem 4 Decembris 1555 confirmat. Anno dein 1556 ab imperatore Ferdinando I in regalium jurium possessionem Melchior mittitur. Consecratio tamen ejus diu dilata; quæ tandem Constantiæ facta est 2 Octobris 1559. Anno 1562, in Tridentinum concilium Geor- 1562
gium de *Hohenwart,* licentiatum in theologia, deputat, qui scilicet absentis episcopi personam impleat. Ipse interea Melchior nonnulla etiam cum rebellibus subditis fœdera pangit, omni ope atque opera enitens ut in levamen afflictæ rei nummos vel paucos comparet. Bruntuti denique moritur 17 Maii 1575, et in ecclesia S. Petri, ante prin- 1575
cipem aram, tumulatur, qui minime otiosam egerat vitam, sed, episcopalis dignitatis imminutione, ingloriam.

LXI. Jacobus I Christophorus.

DE BLARER DE WARTENSEE.

Jacobum Christophorum 11 Maii 1542 natum, canonicum tam Basileensem quam Constantiensem, Delemonte concanonici præsulem elegerunt 22 Junii 1575: qui dies post duos Bruntutum solemniter ingressus est, et, 6 Februarii 1577, a Bellelagiensi nec- 1577
non Lucellensi abbatibus consecratus est, suffraganeoque suo Marco, Lyddæ episcopo. De Jacobo Christophoro multa residua catholicorum natio sperabat: eum enim, ætate quamvis juvenem, disertum noverat divini

verbi præconem, ac pari fortitudinis et prudentiæ laude conspicuum. Ut ille a Radulfo II Cæsare in regalium jurium possessionem missus est, præcipuam dedit operam ineundo cum Helvetiis catholicis fœderi : quod Lucernæ pepigit 28 Septembris 1579, et Brun-
1580 tuti, 28 Januarii 1580, jurejurando firmavit, idem jurantibus septem pagorum qui fidem avitam retinuerant legatis. Deinde totis viribus enisus est in restituendam apud clerum disciplinam. Eo concilio a Carolo Borromeo, Mediolanensi archiepiscopo, Mediolanensium statutorum exemplum poposcit : qui-
1581 bus attente lectis, ipse anno 1581 novas easdemque severiores clero suo leges imposuit, ab ipso sub eumdem annum Friburgi in Brisgoia typis mandatas. Eodem tempore, Societatis Jesu fautor, P. Canisium Bruntutum accivit, eique diœcesanum catechismum condendi curam demandavit. Nec tantum vigilem episcopum et rei sacræ studiosissimum Jacobus Christophorus gessit, sed etiam audacem in suscipiendo et constantem in agendo
1585 principem; qui, anno 1585, concessum a Basileensi consule quibusdam episcopalibus etiam tunc urbibus jus civitatis, rebellionis jam apparatæ sinistrum omen, abrogavit, ipsa Basilea consentiente; nec multo post eidem Basileensi magistratui multa in quæ jam involaverat jura, quæque Bruntutinus episcopus amissa recuperare jam non valebat, libens dimisit, sed sub conditione 200,000 Florentinorum nummorum spoliato principi episcopove persolvendorum. Hanc scilicet conditionem æquam æstimaverant Helvetiorum pagorum legati, quos Jacobus Christophorus Basileensisque consul rei controversæ judices admiserant. Comparata sic pecunia, magnam æris alieni partem episcopus exsolvit, statimque dives e paupere factus, de reconcinnando veterum templorum decore necnon de novis in episcopali sede construendis ædificiis cogitavit. Eum
1590 anno 1590 habemus ab archiepiscopo Bisuntino primum impetrans ut in urbe Bruntuto, quæ scilicet intra Bisuntinæ diœcesis fines tunc temporis complectebatur, quælibet episcopalis muneris officia Basileensis episcopus liber impleret : quam ei factam potestatem litteris publicis Jacobus Christophorus eo anno, 5 Maii, renuntiavit. Eodem etiam mense non paucos Societatis Jesu concionatores sacrarumve scripturarum egregios interpretes ad se vocavit, ipsisque stabilem Bruntuti sedem concessit, in spem collegii paulo post instituendi. Quod scilicet
1591 collegium anno 1591 inchoatum, et per sequentes annos ulla sine laboris intermissione continuatum, anno tandem 1603 consummatum est. Jam vero ab anno 1591 desinente quosdam magistros exceperat, qui doctrinæ pabulum nonnullis scholaribus ministraverant. Collegio peculiare templum consecravit anno 1604 Franciscus *Baër*, Jacobi Christophori suffraganeus, ipso Jacobo Christophoro divinis solemniter operante, permaximo stipatus tam cathedralium canonicorum quam civilium procerum conventu. Obiit denique laudatissimus præsul 18 Aprilis 1608, et in 1608
ea quam ædificaverat gymnasii Bruntutini ecclesia sepultus est. Cujus tumulo appositum est hoc epitaphium, quod ejus in ecclesiam Basileensem præclara beneficia non plus æquo celebrat :

Hic est situs R. Ill^mus Jacobus Christophorus Blarer *a* Wartensée, *episcopus Basileensis, qui cum difficillimis temporibus episcopatum hæresi et alieno ære pene oppressum adiisset, eumque sapientia et singulari constantia locis pluribus utroque malo liberasset, ac fortunas ejus ab avida inhiantium hæreticorum manu admirabili prudentia vindicasset, frugalissima vitæ ratione opulentasset, templum, collegium et gymnasium Societ. Jesu feliciter ædificasset, liberaliterque dotasset, vitam hanc cum meliore commutavit XIV cal. Maii, anno Christi MDCVIII, ætatis suæ LXVI, episcopatus XXXIII.*

LXII. Guillelmus.

Exsequiis Jacobi Christophori cum magno cleri luctu celebratis, Basileenses canonici in oppidum S. Ursicino nuncupatum conveniunt 19 Maii 1608, ibique regendum episcopatum Guillelmo committunt. Hic, Joannis Georgii *Rinck de Baldenstein* et Anastasiæ *Blarer de Wartensée* filius, Jacobi igitur Christophori e sorore nepos, anno 1566 natus erat, et qui jam ecclesiæ Basileensis decanus avunculo suo prudenter usque ad maturam ætatem subservierat, dignus sane videbatur in quo magnam spem omnes reponerent. Consecravit eum summi Pontificis legatus, 12 Julii 1609, in æde gymnasii Bruntutini. 1609
Qua in urbe, 16 Septembris, S. Gregorii abbatem, omni re exhaustum, renuntiavit se quibusdam vectigalibus eximere; apud Luniginum, Spicil. Eccl., t. V, p. 1118. Eodem quoque anno, cum catholicis aliis imperii principibus fœdus inivit. Laudatur imprimis Guillelmus, ut qui, puellari diœcesis suæ juventuti consulens, Ursulinis in urbem Bruntutum accitis domum, templum et scholas addixit. Eis quæ propria fecit ædificia consummata sunt 18 Septembris 1622. Idem 1622
quoque Guillelmus Ensisteimii Patres Societatis Jesu constituit, et Capucinis assignandam conventualem domum Delemonte inchoavit. Nec silent coævi scriptores super ejus in pauperes egenosque beneficientia, quos e vicinis remotisque pagis in urbem Bruntutinam confluentes copiosa stipe reficere solebat. Obiit vero Bruntuti 23 Octobris 1628, et se- 1628
pultus est 30 ejusdem mensis in templo So-

RINCK DE BALDENSTEIN.

cietatis Jesu, juxta Jacobum Christophorum.

LXIII. Joannes VI Henricus.

D'OSTEIN. Præpositus Grandivallensis erat Joannes
Henricus, canonicus et vicarius generalis Basileensis ecclesiæ, cum, post ancipitem, ut
narrat Sudanus, electionem, suffragiis canonicorum in duas partes æqualiter divisis, ex
arbitrorum delectorum judicio in episcopalem sedem provectus est 27 Novembris 1628,
25 Novembris anni sequentis consecrandus.
Idem Sudanus, singula quæ ad ejus electionem consecrationemque spectant fusius describens, Joannem Henricum administrandæ
diœcesis munus in his turbulentis temporibus gravatim suscepisse contendit. Anno
1630 quidem 1630, Delemonte cœnobium patrum
Capucinorum instituere potuit, satis, ut videtur, otii ad id nactus; sed paucos post annos,
ob Suecicos Gallicosve milites, qui scilicet in
Cæsareæ potentiæ perniciem fœderati Bruntuto jam imminebant, episcopalem sedem
relinquere coactus est, et Delemontem primo,
dein Bellelagiam, Bechburgum et Birsechum,
vix in ullo loco tutus, secedere. Delemonte
1646 denique 26 Novembris 1646 moritur, ætatis
anno 67, et in templo patrum Capucinorum
ante majus altare sepelitur.

LXIV. Beatus Albertus.

DE RAMSTEIN. Natus hic 14 Julii 1594 in Sundgoiæ castro *Waltighoffen*, absolutis Bruntuti, dein
Romæ, tam humaniorum litterarum, quam
philosophiæ et theologiæ studiis, Wormatiensis ecclesiæ vicarius generalis creatus fuerat,
postea Basileensis custos. Episcopum eum
denique Basileensem concanonici 29 Novembris 1646 elegerunt, in Beinwilensi Benedictinorum monachorum cœnobio. Anno qui-
1651 dem 1651, calendis Maii, Beatus Albertus
consecratus est; sed paulo post, nempe 25
Augusti, Bruntuti obiit.

LXV. Joannes VII Franciscus.

DE SCHONAU. Ex ecclesiæ Basileensis præpositura Joannes Franciscus in episcopalem sedem a congregatis canonicis traducitur, 18 Septembris
1653 1651, et 15 Junii 1653 Bruntuti consecratur.
Occurrit anno 1655 fœdus olim cum septem
catholicis Helvetiæ pagis initum renovans:
anno dein 1656, 11 Augusti, Carolum S.
Gregorii abbatem instituens; apud Lunigium, Spicil. Eccl., t. V, p. 1124. Eo vero
anno obiit, 30 Novembris, et octiduo post in
templo gymnasii Bruntutini, infra summum
altare tumulatus est. Joannes quidem Franciscus cum ipsis pagis qui a catholica fide
desciverant fœdus inire sibi proposuerat, totam scilicet jam persentiscens Helvetiam

A hosti communi adunatis viribus occurrentem. Id autem consilium exsequi non potuit.

LXVI. Joannes VIII Conradus.

Præpositus quoque Basileensis Joannes DE ROGGENBACH.
Conradus erat, cum, 22 Decembris 1656,
episcopalibus infulis donatus est, suffragiis
canonicorum Delemonte collectis. Hic anno
1657 cum Grandis Vallis præposito pepigit.
Anno dein 1661 a Leopoldo I imperatore in 1661
regalium jurium possessionem missus est.
Quam tamen incolebat Bruntutina civitas Ve-
B suntionensem metropolitam etiam tunc penes
erat; ideo, antecessorum suorum pro more, ab
Antonio Petro *de Grammont*, Vesuntionensi
præsule, poposcit, 14 Augusti 1665, ut
in ea civitate episcopale munus exercere sibi
liceret. Quam sibi datam potestatem 7 Januarii 1666 publicis litteris renuntiavit.
Anno 1681, 26 Octobris, ecclesiam vici *Ar-* 1681
lesheim parochialem, quam recens ædificaverat, Joannes Conradus consecrat, eoque
consentiente Basileensis ecclesiæ canonici,
qui post occupatam ab hæreticis Basileam
Friburgum in Brisgoia, ut diximus, secesse-
C rant, *Arlesheim* tunc temporis veniunt,
ubi fixam sedem usque ad annum 1793 habuerunt. Nihil de Joanne Conrado postea
memoratur quod eum in rebus gerendis
aerem commendet. Obiit Bruntuti 13 Julii
1693. 1693

LXVII. Guillelmus Jacobus.

Adjutor antecedentis Joannis Conradi RINCK DE BALDENSTEIN.
Guillelmus Jacobus creatus fuerat 6 Maii
1690; quo tempore decanatum ecclesiæ cathedralis possidebat. Ut ipse pastorale pe-
D dum consecutus est, litteras 10 Octobris edidit, quibus collatum sibi jus a Vesuntionensi
metropolita Bruntutinam urbem habitandi
renuntiavit. Annis deinceps 1694 regalium
jurium possessionem a Leopoldo I impetravit, et 1695 cum septem catholicis Helvetiæ
pagis initum antea fœdus sancivit, decessurus
11 Junii 1705. 1705

LXVIII. Joannes IX Conradus.

Guillelmo Jacobo canonici Joannem Con- DE REINACH-HIRTZBACH.
radum 11 Julii 1705 subrogaverunt, de quo
nihil insigne refertur. Delemontani tamen
E castri fundamenta anno 1717 posuit, et, anno
1722, in Germanorum procerum hunc con- 1722
sessum quem superioris Rheni circulum vocabant, legatum quemdam, prædecessorum
suorum præter morem, misit. Adjutor ei datur, anno 1724, Joannes-Baptista *de Reinach*,
germanus ipsius frater. Nec prætereundum
Joannis Conradi temporibus magna inter
episcopum ejusque subditos dissidia multis
ominosum exordium habuisse. Obiit 19
Martii 1737. 1737

LXIX. Jacobus II Sigismundus.

DE REINACH-STEIN-BRUNN. E cathedralis ecclesiæ præposito Joanni Conrado Jacobus Sigismundus 10 Julii 1737 sufficitur, Bruntuti, 29 Junii 1738, consecrandus. Nulla vero jam erat exortorum inter episcopum Bruntutinosque oppidanos dissidiorum intercapedo. Cum Ludovico igitur XV, Francorum rege, Jacobus Sigismundus fœ-
1739 dus pangit 11 Septembris 1739, et paulo post, 4 Aprilis 1740, dimarcharum Francorum agmen Bruntuti muros intrat. Civium rebellio principis animos etiam ad crudelitatem acuerat: qui scilicet vindictæ, quam Francorum militum ingressus facillimam fecerat, nimis avidus, quosdam ex inimicis suis capite mulctavit, multos diversis aliis pœnis afflixit. Adnotat insuper hodiernus scriptor, doctissimus vir D. Joannes Trouillatius, sex et octoginta librarum Basileensium millia in alendum Francorum agmen tunc temporis abiisse. Decessit Jacobus Sigismundus 16
1743 Decembris 1743.

LXX. Josephus Guillelmus.

RINCK DE BALDENSTEIN. Anno 1704 natus, 9 Februarii, canonicus postea Basileensis ecclesiæ, Josephus Guillelmus episcopus eligitur 22 Januarii 1744, eodem anno a summo Pontifice confirmatur, et Vesuntione ab ipso metropolita consecratur 21 Novembris. Pauca super eo præsulem agente D. J. Trouillatius tradit; super eodem vero civilem provinciam regente plura. Obiit
1762 13 Septembris 1762.

LXXI. Simon Nicolaus.

DE MONTJOIE D'HIRSINGUE. Simon Nicolaus, 22 Septembris 1692 natus, annum ætatis septuagesimum jam attigerat, cum, 26 Octobris 1762, canonici eum Basileenses sibi suisque rebus regendis præfecere. Eumdem anno sequente, Giaci, Vesuntionensis archiepiscopus consecravit, 10
1775 Julii. Qui interiit 5 Aprilis 1775, apud Bruntutinos oppidanos, quos in fame largiter aluerat, acceptissimus, et intelligens artium æstimator habitus.

LXXII. Fredericus.

DE WANGEN DE GEROLDSECK. Fredericum novimus in vico *Wilvisheim* E

A 12 Martii 1727 natum, canonicum Basileensem postea fuisse, dein episcopum electum 26 Maii 1775, consecratum denique a Vesuntionensi metropolita 29 Maii 1776. Eo sedem occupante, 17 Novembris et 7 Decembris 1779, Joannes-Baptista Josephus *Gobel*, Lyddensis episcopus, Parisiusque Joannes *Fau de Ranze*, Basileensis principis apud Francorum regem legatus, ex una parte, et Petrus, ex altera, *de Fraigne*, vicarius Albiensis archiepiscopi generalis, et ipse archiepiscopi Vesuntionensis Raymundi partes Ch. LXXIX, col. 259. peragens, fœdus insigne Parisiis fecere, B quod, pridie cal. Julii 1780, summus Pontifex approbavit. Hoc fœdere viginti parochias in Germania sitas, quæ spirituali metropolitæ Vesuntionensis jurisdictioni ea tenus subjectæ fuerant, Basileensis episcopus diœcesi suæ adnexuit, et ipse novem et viginti vicos intra fines Alsatiæ Franciciæ positos archiepiscopo Vesuntionensi concessit. Simile deinde pactum Fredericus, anno 1780, cum rege Francorum fecit, cui Dubis amnis sinistræ ripæ contiguum territorium tradidit, acceptis in compensationem quibusdam oppidis ejusdem amnis oram dexteram accolen-C tibus. Moritur vero Fredericus 11 Octobris 1782. 1782

LXXIII. Josephus Sigismundus.

Cui sufficitur, 28 ejusdem mensis, Josephus Sigismundus, Bruntuti consecrandus, DE ROGGENBACH. 28 Septembris 1783, ab archiepiscopo Bisuntino. Mox autem, mutato apud Gallos rerum statu, Bruntutini quoque cives, libertatem civilem assequendi studio, in principem episcopum conjurationes facere, et ipse D Josephus Sigismundus Austriacos dimarchas in auctoritatis suæ præsidium accire. Sed appropinquantibus Gallorum copiis, Biellum 27 Aprilis 1792, secedere cogitur. Nec 1792 multo post, 22 Novembris, Respublica Rauracorum instituitur, ad exiguum tempus duratura. Quæ tamen ut Reipublicæ Franciciæ unita est 23 Martii 1793, Basileensis episcopi temporales possessiones præconi subjectæ sunt. Constantiæ obiit exsul Josephus Sigismundus 9 Martii 1794.

PRÆPOSITI BASILEENSES.

Hi sunt, inter Basileensis ecclesiæ præpositos, quos diligentia nostra potuit assequi :

I. Ezelinus dives erat Basileensis ecclesiæ diaconus, cui, non multo post annum 983, Radulfus episcopus editum quemdam planumque locum, consentientibus oppidanis,

concessit, in quo suis sumptibus ecclesiam S. S. Bartholomæo Leonardoque sacram exstruxit. Id vetus diploma memorat, quod D. Trouillatius publici juris fecit; Mon. Episc. Basil., t. II, p. 2. Ejusdem Ezelini mentionem his verbis fecit S. Leonardi chartularium : *Anno Dom.* 1082, *Ezelinus diaconus, præpositus majoris ecclesiæ, sanctæ etiam fundator hujus ecclesiæ, obiit.* Basileensibus præpositis Ezelinus diaconus pace nostra quidem annumeretur; certe vero jam a longo tempore decesserat cum annus 1082 initium cepit.

II. Otim *Basileensis ecclesiæ præbendarius et præpositus legitur,* 14 Julii 1005, in charta qua rex Henricus II ei plura prædia concedit; Mon. Episc. Bas., t. I, p. 146. Non alius hic forsan ac *Otine* vice-dominus Adalberonis episcopi nuncupatus, anno 1010, in instrumento de pluribus prædiis Monti Salsuginis collatis; ibid., p. 149.

III. Theodoricus, Viselonis comitis filius, e præposito Basileensi et Henrici III, Romanorum regis, capellano Virdunensis episcopus fit anno 1046; ex Hermanni Contracti Chronico. De eodem plura inter Virdunenses episcopos; supra, t. XIII, col. 1187.

IV. Radulfus I occurrit anno circiter 1090, testis Burchardi præsulis S. Albani possessiones recensentis. Idem, anno 1098, litteris Hupoldi, Basileensis vice-domini, subscribit in eumdem S. Albanum benefici. Radulfo quoque præsente, anno 1102, Udalricus, comes *de Sougère,* S. Albani rem auget. Anno denique 1103, Radulfi nomen
Ch. xvii, col. 199. præbet insignis Burchardi episcopi charta pro S. Albano. Eum Urstitius, Sudanus aliique gentilitio nomine *de Hombourg* appellatum fuisse contendunt, et e præpositura Basileensi, anno 1107, in episcopalem sedem evectum.

V. Hesso, anno 1119, 1 Aprilis, interest judicio litis inter Basileensem episcopum et monachos S. Blasii; apud Lunigium, Spicil. Eccl., t. III, p. 140.

VI. Ortliebus *de Froburg* subscribit,
Ch. xx, col. 203. anno 1138, litteris Humberti archiepiscopi et Adalberonis episcopi de fundis abbatiæ Lucellensis singillatim recensitis. Idem, anno 1136, Basileensis episcopus factus est.

VII. Radulfus II, anno 1141, testis est Conradi regis III, sopitam inter Basileensem ecclesiam monachosque S. Blasii controversiam renuntiantis; Mon. Episc. Bas., t. I, p. 383. Idem, anno 1154, litteris Ortliebi
Ch. xxiv, col. 207. episcopi subscribit, S. Albani possessiones confirmantis.

VIII. Henricus I, anno 1169, testis est Ludovici præsulis quamdam feminam, nomine Giselam, ecclesiæ Basileensi condonantis; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 358. Idem, anno circiter 1174, Fredericum I adit, et de bonorum quorumdam abalienationibus, quas Ba-
A sileensis antistes fecerat, querens, litteras obtinet quibus episcopales abusus emendantur; ibid., p. 353. Attente nobis legendum videtur Cæsareum diploma, in quo Basileensis præpositus occurrit causam suam orans in ipsius episcopi præsentia, ejusdemque agendi rationem vehementer increpando singulare præbens ecclesiasticæ libertatis exemplum. Nec minus diligenter ponderes Cæsaris verba, qui, dum episcopi gesta condemnat, sibi supremam totius in ecclesia Basileensi rei temporalis administrationem aperte vindicat. « Noverit, ait Fredericus,
B « universitas vestra qualiter Henricus, Basiliensis ecclesiæ majoris præpositus, Hugo « vice-dominus, Henricus Argentinensium « scholarum magister, litteris nostræ sublimitatis evocati, pro se et capitulo suo venientes ad curiam nostram, ecclesiæ suæ « damna, quæ tam in obligationibus pignorum quam in quibuslibet alienationibus « facta ab episcopo suo fuerant, eo præsente, « satis honeste et prudenter, in præsentia « multorum episcoporum et aliorum principum nobis exposuerunt. Insuper oppressiones et injurias tam clericorum quam
C « laicorum, pro negligentia justitiæ per « episcopum Basiliensem crebro contingentes, ad honorem Dei significaverunt. Nos « autem, inter omnes homines bonæ voluntatis pacem, unde gloria in excelsis Deo « reddatur, esse cupientes, audito verbo « episcopi, bono compositionis ita rem terminavimus. Quod episcopus bannum, monetam et theloneum, decem quoque libras « de abbatia Morbacensi et de valle S. Ursicini alias decem libras... a sua potestate et « possessione... separans, nobis et Hugoni « vice-domino et Hugoni sculteto tali pacto
D « donavit, ut..., singulis annis, de prædictis « officiis et reditibus.., cum trecentarum librarum summa, debita ecclesiasticarum « rerum quæ obligatæ sunt persolvantur, et « quidquid obligatorum a lege pignoris solutum fuerit ad liberandum quod adhuc « oppigneratum est in potestate provisorum, « cum trecentis libris annuatim solvendis, « donec omnia debita reddantur, permaneat. « Sic, quum frustra præteritis malis medemur nisi futuris caveamus, episcopus Basiliensis, data in manum nostram et archiepiscopi Bisuntini dextra, sub pignore
E « fidei firmiter promisit, quod absque consilio nostro et prudentiorum de ecclesia « majori canonicorum et ministralium res « ecclesiasticas amplius nec obligaret, nec « infeodaret. » Anno dein 1175, Henrico præsente, Ludovicus episcopus ecclesiam *Boëcourt* abbatiæ Bellelagiensi confirmat. Inter eumdem Henricum Lucellensemque abbatem de nonnullis decimis lis erat exorta : quam ut componeret Henricus præsul, quadraginta solidos Basileensi præposito quo-

tannis a Lucellensi abbate numerandos esse decreverat. Infra typis mandabimus Lucii III litteras, 25 Februarii 1185 datas, in quibus episcopalis ea judicatio confirmatur. Anno 1184 reperitur Henricus præpositus in litteris Henrici episcopi ecclesiam *Biessisheim* S. Albano restituentis. Anno dein 1185 subscribit solemni inter Henricum VI, Romanorum regem, Basileensemque episcopum de possessione Veteris Brisaci pacto. Testis deinde legitur, anno 1189, Basileensis ejusdem episcopi Benedictinos monachos in monasterium *Schonthal* intromittentis. Cæsarum aliorumve principum institutio claustralia canonicorum Basileensium beneficia ab omni tuitione libera fecerat. Quidam tamen comites militesve, horum se beneficiorum patronos asserentes, non una canonicos molestia affecerant. Re vero ad judicem imperatorium delata, secundum canonicos judex statuit. Quam Henricus præpositus sententiam, anno 1190, publicis mandavit litteris; Mon. Episc. Bas., t. I, p. 419. Anno denique 1194, testis reperitur Lutholdi episcopi Eremique abbatis Ulrichi super ecclesia *Hohenkirch* transigentium, necnon ejusdem Lutholdi Morbacensisque abbatis decimas inter se dividentium; ibid., p. 430, 433.

Ch. XXVI, col. 208.

Ch. XXVIII, col. 210.

IX. Beretholdus *de Neufchatel,* Ulrichi comitis frater, ut non semel in chartis legitur, præposituram Basileensem jam obtinuerat anno 1208, quo rerum quarumdam permutationem fecit cum Joanne, abbate Altæ Ripæ; Monum. Hist. Novi Castri, p. 41. Eo etiam anno cuidam pactioni subscripsit inter Herilaci et Auroræ abbates; ibid., p. 139. Idem, anno 1209, inter fratres Fontis Andreæ et canonicos Novi Castri litem sedat, ibid., p. 44, eodemque circiter anno Herilacensis abbatiæ possessiones, ut unus e dominis Novi Castri et Herilacensis domus advocatis, confirmat. Berchtoldum nonnulli, inter quos doctissimus et sane cautissimus vir D. Egb. Fred. *de Mulinen,* Helv. Sacr., t. I, p. 21, referunt Basileensem insimul præpositum et Lausannensem thesaurarium exstitisse, posteaque, anno scilicet 1212, in episcopalem Lausannæ cathedram evectum fuisse. Hujus vero conjecturæ falsitas jam detecta est. Berchtoldus enim Lausannensis thesaurarius, dein episcopus, Berchtoldi, Basileensis præpositi, ex Ulricho fratre nepos fuit.

X. Diethelmus occurrit, 2 Decembris 1223, in pactionis cujusdam instrumento, qua Basileensis præsul Henricus a canonicis cathedralis ecclesiæ 30 argenteos besses mutuatur. Idem, anno 1226, testis est ejusdem Henrici ab Ulricho, Tigurensi milite, quosdam servos accipientis. Anno dein 1232, reperitur in charta de compensatione episcopo Basileensi a Frederico Ferretensi oblata. Ejusdem consiliis usus Henricus præsul, anno 1233, officia canonicorum in ecclesia S. Petro sacra institutorum singula describit.

Ch. XXXIX, col. 220.

Ch. XL, col. 221.

XI. Henricus II *de Neufchâtel* præpositus ecclesiæ Basileensis legitur 22 Augusti 1238, in litteris quibus Gertrudis *Vorgassen* aquæductum monialibus Horti Dei concedit. Idem, 8 Julii 1241, Lutholdo episcopo suadet ut Burchardo de *Hasenburch* nummos annuos tradat, beneficiariis ejus acceptis prædiis, et, 15 Augusti, ejusdem Lutholdi litteris subscribit, in quibus monialibus Vallis Masonis jura quædam ab Alberto Ferretensi collata memorantur. Henrico præsente Lutholdus ecclesiam *Michelbach* parochialem cœnobio Michelbachensi unitam renuntiat 8 Decembris 1243, et, 17 Januarii 1245, datas capitulo Basileensi ab Ulricho *de Ratolstorf* domos describit; Mon. Bas. Episc., t. II, p. 60. Henricum hunc præpositum, anno 1247, Radulfus Novi Castri comes, fratrem suum appellat, se referens locum *Stattholtz* ordini Præmonstratensi, ad condendam abbatiam, eo annuente dono dedisse; e sch. Drozianis, t. XLIV, p. 177. Eodem suadente, 2 Junii 1248, Lutholdus præsul quam inter se Basileenses lanii sodalitatem instituerant approbat, necnon alteram inter lignarios Basileæ fabros societatem; Mon. Episc. Bas., t. I, p. 573, 579. Anno 1250, 1 Julii, una cum Beretholdo præsule litteras edit publicas, quibus sacerdotum in ecclesia cathedrali divinam rem peragentium numerus augetur; ibid., p. 583. Quo etiam mense Henricus, se non tantum præpositum Basileensem, sed etiam domini papæ capellanum vocans, ecclesiæque in urbe Ulteriori Basilea dicta sitæ rectorem, mox ædificandam juxta pontem Rheni capellam pollicetur; ibid., p. 584. Eumdem denique eodem anno reperimus litteras Radulfi et Gotofredi Habsburgensium in gratiam Morbacensis abbatis obsignantem; Alb. Mantell. cod. 10, fol. 48. Anno postea 1251, 4 Julii, decimarum permutationem cum episcopo Basileensi se fecisse profitetur, Mon. Bas. Episc., t. I, p. 590, et, 23 ejusdem mensis, ejusdem episcopi litteris subscribit de construenda ab Erchenfrido, cantore, domo; ibid., t. II, p. 68. Rursus ejus nomen reperimus, anno 1253, in episcopalis calce decreti, quo *Michelbach* puellare cœnobium Lucellensi abbatiæ adnectitur. Anno 1255, arbiter electus dissidii inter Bellelagiensem abbatiam et Jacobum *de Ratzenhusen* exorti, controversas res abbatiæ adjudicat; ibid., t. I, p. 624. Dein, 18 Januarii 1256, Beretholdo episcopo suadet ut novis litteris antiqua cathedralis ecclesiæ jura firmet, et ipse, 15 Augusti, prohibet ne S. Albanum incolentes monachi ea violent; ibid., t. II, p. 76, 77. Arbiter quoque sedit, anno 1257, inter Morbacensem abbatem Arnoldumque *de Rotemburg;* Als. Dipl., t. I, p. 420. Annuit, 11 Novembris 1258, episco-

Ch. XLII, col. 224.

pali consilio de prædiis *Bischoffingen* et *Kirhhofen* Gotefrido *de Stauffen* emphyteutice tradendis; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 654. Anno sequente, testis assumitur tam ab archimandrita Morbacensi quam ab Habsburgensibus comitibus inter se componentibus; Als. Dipl., t. I, p. 426. Ipso annuente, 14 Novembris 1260, Beretholdus præsul sodalitem Basileensium vestiariorum approbat; Mon. Episc. Basil., t. II, p. 104. Denique, 20 Februarii 1261, cum pluribus aliis tam ecclesiæ quam imperii proceribus adversus Waltherum *de Geroldseck*, episcopum Argentoratensem, ejusque cognatos fœdus pangit; quod scilicet tradit auctor Belli Waltheriani sub hunc annum; Monum. German., t. XVII, p. 107.

XII. Radulfus III *de Habsburg-Lauffenburg*, filius Radulfi comitis e Gertrude *de Regensberg*, alteriusque Radulfi, Romanorum imperatoris, patruelis, præpositus majoris ecclesiæ Basileensis insimul fuit et collegiatæ *Rheinfelden* ecclesiæ. Uti præpositus Basileensis subscribit, 30 Junii 1263, litteris Henrici præsulis in fratres S. Joannis Hierosolymitani munifici. Testis idem, 9 Februarii 1264, ejusdem S. Leonardo ecclesiam *Roggenburg*, et, mense Martio, Minorem Lucellam adscribentis. Eo quoque præsente, 11 Decembris, Otho *d'Erguel* cum Henrico præsule de castro *Erguel* aliisque possessionibus pactus est; Mon. Episc. Bas., t. II, p. 148. Anno 1265, 30 Aprilis, Henrico præsule ecclesiam vici *Laufon* canonicis suis offerente et S. Theodoro sacram ædem sibi vindicante, hanc permutationem Radulfus sancit; ibid., p. 154. Deinde, 20 Martii 1267, in villa *Glanzenberc*, Beretholdo Joannique de *Snabilburch* in Capellam, Constantiensem conventum, beneficis ministerium suum confert; apud D. J. E. Koppium, *Urkunden zur Geschichte der Eidgenossischen Bunde*, t. II, p. 159. Aprili, in oppido *Seckingen* reperitur, ubi cujusdam resignationis testis est ab Anna, filia Richardi de *Glères*, factæ; Mon. Episc. Basil., t. II, p. 173. Ejusdem nomen præbent, 21 Julii et 7 Decembris 1269, 26 Januarii et 7 Julii 1270, chartæ Basileenses a D. J. Trouillatio pariter editæ; ibid., p. 189, 192, 197, 202. Anno denique 1274 Constantiensis episcopus Radulfus efficitur; supra, t. V, col. 916.

XIII. Otho. Inter Othonem Henricumque præsulem anno 1277 de mutuis juribus erat contentio. Aiebant enim præpositus decanusque Basileenses, id secundum veterem consuetudinem ad se pertinere ut Basileensis ecclesiæ foro præsiderent et ex eo præsidatu lucrum facerent : integram contra ju- Ch. L, col. 229.
risdictionis ordinariæ functionem episcopus sibi vindicabat. De qua contentione Basileense capitulum secundum Henricum episcopum statuit. Hic autem præposito decano-

A que sponte quartam partem obventionum judicialium concessit. Litteras edidit Otho 25 Martii 1278, Basileensis episcopi vicarium generalem semet in eis ferens, de Fratribus Ch. LI, col. 230.
Prædicatoribus, quibus in urbe Columbaria conventum instituendi potestatem fecit. Reperitur dein, 25 Aprilis 1283, inter illos Basileensis ecclesiæ ministros quorum usus consilio Henricus præsul multarum ecclesiarum reditus obligavit, pecuniam in subsidium Terræ Sanctæ mittendam mutuans. Anno 1284, 22 Novembris, una cum Henrico præsule, contentionem quamdam sedat de per-
B cipiendis e parochia *Rapolzwilr* decimis; ibid., p. 406. Anno denique 1287, 1 Augusti, litteris Petri episcopi subscribit nonnulla jura cum ecclesia S. Leonardo sacra Ch. LVI, col. 234.
permutantis.

XIV. Lutholdus *de Rœtheln*, alias de *Rotenleyn*, canonicus jam Basileensis erat anno 1264; eo siquidem nomine subscripsit hoc anno Henrici electi cuidam diplomati, apud D. J. Trouillatium, Mon. Episc. Basil., t. II, p. 139. Grandivallensis ecclesiæ postea præpositus fuit : quod munus agens, anno 1286,
C cum capitulo suo de præbendarum administratione litigavit; ibid., p. 430. Anno quoque 1290, 5 Aprilis, Grandis Vallis præpositus legitur in quadam cum Guidone, *Zacort* villico, pactione; ibid., p. 485. Anno vero 1291, 19 Januarii, Basileensem præposituram assecutus, absentis episcopi vices gerebat, ut rem comperimus e litteris Dietheri, *Olenberg* præpositi, agros quosdam Lucellæ vendentis; ibid., p. 497. Nec Grandivallensem præposituram ideo dimisit; nam eo etiam tunc munere fungens, 14 Junii, cum quodam *Chunezet* transigebat; ibid., p. 507. Anno 1292, 16 Octo-
D bris, per Lutholdum episcopo Basileensi Petro licet ut Matthiæ, fratri suo, arcem in monte *Reichenstein* sitam feodi nomine possidendam tradat. Deinde, 7 Maii 1295, litteris renuntiat publicis Ulrichi de *Ensisheim* filios de patronatu ecclesiæ *Stetten* cum S. Leonardi canonicis transegisse; ibid., p. 580. Lutholdi quoque nomen præbent, 30 Maii et 20 Junii, episcopales chartulæ de S. Regulæ sacra ecclesia Lucellæ unita, et de silvis eidem monasterio condonatis. Anno dein 1298 præposito S. Petri hanc provinciam dat ut ecclesiæ *Phaffans* rectorem in-
E stituat; ibid., p. 669. Idem eo anno, 5 Martii, absentis episcopi vices implens, ecclesiam Basileensem Gotofredo de *Eptingen* 30 besses argenteos debere profitetur. Dein testis est, 14 Octobris, Alberti I imperatoris Basileensium oppidanorum privilegia confirmantis; ibid., p. 672. Ut erat non tantum muneris dignitate sed etiam animi prudentia in tota diœcesi conspicuus, cum Henricumque decanum, anno 1299, monachi Morbacenses elegerunt, quorum ex arbitrio exorta de novi abbatis electione dissidia componerentur.

Ch. LIX, col. 237. Monent nos Bonifacii VIII litteræ monachos factum a Lutholdo delectum probavisse. Anno sequente, 29 Septembris, solemnibus subscripsit tam Petri, episcopi, quam Reginaldi de Burgundia litteris de sopiendis quibuslibet inter ipsos jurgiis. Reperitur dein, 28 Januarii 1302, testis ejusdem Petri Conradique Ludovici de villa *Richein* pacisrentium, et, 19 Decembris 1305, Frederici *de* Ch. LX, col. 238. *Toggenburg* ecclesiæ Basileensi urbem *Liestal* castrumque *New-Homburg* vendentis. Eodem præsente, 22 Novembris 1307, Basileensis episcopus et Margarita *de Maggenberg* componunt. Ipse dein Lutholdus, uti Grandis Vallis etiam tunc præpositus, hospitio Grandis Vallis annuos reditus assignat, 3 Maii 1308; Monum. Episc. Basil., t. III, p. 131. Anno 1309, Othone mortuo, Lutholdum canonici Basileenses episcopum elegerunt. Summus vero Pontifex Gerardum Othoni proprio motu, spretis canonicorum votis, subrogavit. Unde magna dissidia orta sunt. Episcopales ædes protinus occupaverat Lutholdus, et episcopale munus exercuerat: quod ut relinquere jussus est, surdis auribus mandatum summi Pontificis excepit, et, conjuratione cum nonnullis Basileæ civibus facta, multas turbas excitavit. Quare Clemens eum papa ipsa præpositura privavit, VIII cal. Julii 1310, imo e fidelium societate segregavit. Ab his vero contentionibus non multo post cessatum est. Anno enim 1313, Gerardus episcopus Lutholdusque, non modo in christianam familiam revocatus, sed etiam in præposituram cathedralis ecclesiæ restitutus, una litteras edebant de 100 argenti bessibus quos Basileensis ecclesia a Conrado *Schrecken* erat mutuata; Mon. Episc. Basil., t. III, p. 191. Anno deinde 1314, 9 Maii, testis idem est Lutholdus cujusdam pactionis inter Margaritam, Joannis *de Barenfels* viduam, Gerardumque episcopum. De eo postea chartæ silent. In necrologio vero Basileensis ecclesiæ legitur: « XIV *cal. Junii, anno Dom.* MCCCXVI, *Lutholdus* de Rœtellen, *præpositus hujus ecclesiæ, obiit. Qui sepultus est in capella S. Mariæ, juxta vetus campanile... Cujus quidem anniversarii ordinatio, seu celebratio, fit in omnem modum sicut anniversarium C.* de Gœszken, *præpositi Werdensis, ejus avunculi.* »

XV. Hartmannus I *de Neuenburg-Nidau*, Radulfi comitis frater, Lutholdo mortuo præpositus creatus est. Hunc quidem Sudanus Hartmannum a concanonicis, anno 1310, episcopalibus infulis donatum fuisse contendit. Sed ipsæ Clementis V, quarum supra meminimus, litteræ, id honoris Lutholdo tunc præposito collatum fuisse ipsissimis verbis testantur. Occurrit primum Hartmannus præpositum agens 29 Maii 1317, qua die *Gotzman Munch*, montis *Buren* beneficiarius dominus, ejus se clientem professus est;

A Mon. Episc. Basil., t. III, p. 260. Anno dein 1318, 27 Decembris, a Ludovico *de Strasberg*, Argentinensi cantore, vicum *Diesbach* emit, necnon castellum *Strasberg*, et anno 1324, 4 Martii, episcopalibus litteris de patronatu ecclesiæ *Feldkirch* monasterio Marpacensi concesso subscribit. Idem Hartmannus SS. Ursi et Victoris, Solodori, præpositus fuerat.

Otho quidem Basileensis ecclesiæ præpositus scribitur necnon Gerardi episcopi generalis vicarius, sub annum 1322, in quadam chartula cujus compendium gallice digestum B D. J. Trouillatius edidit; Mon. Episc. Bas. t. IV, p. 643. Aliqua vero vel nominis vel dignitatis falsa designatio in abbreviatam hanc translationem irrepsisse videtur.

XVI. Ulrichus *de Neuenburg-Arberg*, filius Ulrichi *d'Arberg-Valengin* et Agnetis de Monte Falconis, præpositus primo Grandis Vallis fuit. Quo nomine, 28 Augusti 1315, Grandivallensis ecclesiæ privilegia se constanter defensurum promisit; Mon. Bas. Eccl., t. III, p. 227. Legitur vero thesaurarius ecclesiæ Basileensis anno 1317, in instrumento cujusdam pactionis inter Joannem C *d'Arberg* fratrem suum, Gerardumque episcopum: ibid., p. 250. Nec Grandivallensem præposituram postquam adeptus thesaurariam Basileensem dimiserat: eodem enim anno, præpositus uti Grandis Vallis, capellaniam hospitii ad collegiatam hanc ecclesiam pertinentis Burchardo presbytero confert; ibid. p. 258. Anno denique 1326, 7 Junii, factus e Grandivallensi præposito Basileensis, cum ipsis quibus valedixerat canonicis paciscitur, ab eis nemorum quorumdam usum numerata pecunia comparans; ibid., p. 360. Ulrichi nepos e fratre D Waltherus *d'Arberg* ei tunc in Grandivallensi præpositura successerat: quod eædem de nemoribus ab Ulricho locatis litteræ testantur. Obiit vero Ulrichus Augusto mense 1329. Legitur enim in Basileensis ecclesiæ necrologio: « XVI *cal. Septembris, anno Dom.* 1329, *Ulrichus* de Arberg, *præpositus hujus ecclesiæ, obiit; qui sepultus est in sinistro latere majoris altaris, in capella S. Nicolai.* »

XVII. Thuringus *de Ramstein* occurrit, 31 Januarii 1337, pactioni subscribens inter Joannem episcopum et Guillelmum *de Provo-* E *curt* initæ. Idem, 22 Februarii, instrumentum de venditis castello *Soylières* et molendino *Lauffon* obsignat. Anno 1338, 17 Aprilis, in litteris reperitur quibus Joannes episcopus Walramno *de Thierstein* decimas nonnullas vendit: anno 1339, 1 Februarii, in aliis litteris quibus idem Joannes Joanni *de Hatwilr* beneficiarios quosdam reditus assignat. Dein, 1 Julii 1342, testis est Joannis Ch. LXII, col. 248. episcopi suum in ecclesia Basileensi anniversarium instituentis. Aliis quoque Joannis

prædicti pactionibus subscribit 4 Maii et 23 Octobris 1344. Anno 1347, 7 Septembris, ad eum, uti Basileensium canonicorum principem, Babenbergensis ecclesiæ præpositus quasdam S. Henrici imperatoris reliquias mittit; Mon. Episc. Bas., t. III, p. 595. Rursus annis 1350, 1351, in nonnullis instrumentis episcopalibus quæ D. J. Trouillatius publici juris fecit legitur. Anno 1357, 30 Martii, post adeo calamitosum, cujus supra meminimus, terræ motum, domum *Blatzheim* dictam Petro *de Nuet* canonico tradit, eo pacto ut hujus parietinas ille suis sumptibus suscitet; Mon. Episc. Basil., t. IV, p. 108. Approbat deinceps, anno scilicet 1362, 17 Novembris, collatos reditus in reficienda S. Albani tecta quæ terræ motu corruerant. Occurrit deinde Thuringi nomen, anno 1366, in Joannis episcopi litteris de civium Basileensium rebellione propugnanda. Anno denique 1367, 23 Januarii, Thuringus interiit. Legitur enim in Epitaphiis Basileensibus a Joanne Grossio collectis: « x *cal. Februarii, anno Dom.* 1367, *obiit Thuringus* de Ramstein, *præpositus hujus ecclesiæ.* »

Non paucos post Thuringi mortem annos præpositura Basileensis ecclesiæ vacua permansit. Ab anno scilicet 1367 usque ad annum 1378, Waltherus *de Klingen*, decanus, episcopalibus diplomatibus primus ante sodales canonicos sigillum suum apponit, quasi primam in capitulo, deficiente præposito, sedem occupans. Obiit hic Waltherus 6 Februarii 1380. Post ejus obitum aliquantisper interruptam præpositorum seriem rursus inchoat

XVIII. Conradus *Münck de Landscron*, qui anno 1377, 3 Junii, scholastici munus etiam tunc implebat, ut legitur in episcopali chirographo de nummis ab Ulricho *de Ramstein* ecclesiæ Basileensi mutuo traditis. Anno vero 1380, 5 Junii, jam præposituram ecclesiæ Basileensis assecutus erat; quo munere fungens factam Hennemanno *de Hirtzpach* ab episcopo Joanne venditionem sub hanc diem approbat; Mon. Episc. Basil., t. IV, p. 760. Anno dein 1381, 4 Octobris, concessa Novæ Villæ civibus ab eodem Joanne Viennensi, Basileensium episcopo, privilegia pro suo jure sancit; ibid., p. 769. Prohibuerat enim, ut ipse Conradus ait, Waltheri decani interitus ne Basileenses canonici editum in gratiam Novæ Villæ decretum eatenus firmarent : unde satis apparet Waltherum decanum, vacante præpositura, primas in capitulo Basileensi tenuisse. Eodem anno Conradus, 29 Novembris, instrumentum obsignat Joannis episcopi super *Magden* ecclesia monialibus Horti Dei confirmata. Anno deinde 1382, 28 Julii, ipse litteras edit publicas, quibus, una cum Radulfo *Munck*, decano, qui frater ejus erat, ceterisque capituli Basileensis principibus, se testatur, auctoritate pro sua, confectas et consolidatas inter Walramnum *de Thierstein* Basileensemque præsulem rationes approbavisse; Mon. Episc. Basil., t. IV, p. 417. Interest anno sequente, 15 Decembris, huic Basileensium canonicorum sessioni in qua Imerius præsul, jam fere desperatis episcopatus sui rebus succurrendi studiosus, de propriis bonis octo Florentinorum nummorum millia ecclesiæ Basileensi commodat; ibid., p. 778. Subscribit, 28 Martii 1384, litteris ejusdem Imerii episcopi de vendito quatuor plaustrorum vini reditu, ibid., p. 439, et, 22 Junii, ejusdem cum Joanne Ulricho *d'Asuel* pactioni; ibid., p. 444. Immunitates quoque Liberi Montis incolis concessas, 17 Novembris, approbat. Reperitur deinde Conradus episcopalibus multis litteris, inter Monum. Episc. Basileensis a D. J. Trouillatio editis, sigillum suum apponens, usque ad annum 1393, quo decurrente episcopus ipse Basileensis creatus est.

Humbertum *de Billens*, vel *de Billingen*, qui 7 Februarii 1388 Sedunensis episcopus factus est, D. Egb. Fred. *de Mulinen* in hanc sedem traductum fuisse contendit postquam Basileensem præposituram rexerat; Helv. Sacr., t. I, p. 26. Id autem doctissimi viri pace dixerim testimoniis authenticorum pergamenorum parum consentire, quæ videlicet Conradum ab anno 1377 usque ad annum 1393 ulla sine intermissione præpositum Basileensem exstitisse comprobant.

XIX. Imerius de *Ramstein*, dimisso, ut diximus, episcopatu, Basileensis ecclesiæ præposituram, teste Sudano, adipiscitur, postquam Conradus in cathedram episcopalem erectus est. Anno tamen 1395, cum Conrado *Munck*, episcopo, coram Wildericho, S. Deodati decano, litigans, canonicus Basileensis scribitur, minime præpositus. Obiit autem eo anno, 17 Julii; e Necrol. cathedr. eccles. Imerium igitur inter præpositos Basileenses non sine magna dubitatione collocamus.

XX. Conradus certe *Munck de Landscron* ex episcopo præpositus iterum occurrit, 11 Novembris ejusdem anni, in litteris quæ spectant ad juramentum Theobaldi de Novo Castro, Humbertum filium suum recens electum repræsentantis. Eidem, 11 Januarii 1396, idem Theobaldus 1400 nummos aureos numerat, quos ante Conradus de suis fortunis ecclesiæ Basileensi commodaverat. Nec ea data pecuniæ summa restitutum Conrado quidquid eadem ecclesia semet eidem debere profitebatur : sub hunc enim annum legitur castra oppidaque *Valdenbourg* et *Hombourg* Conrado præposito pro quatuor millibus Florentinorum nummorum oppignerata fuisse, quæ scilicet Conradus, ut eamdem nummorum copiam compararet, Radulfo *de Rœtheln* ipse protinus pariter oppigneravit; Mon. Episc. Basil., t. IV,

p. 850. Anno dein 1399, 12 Augusti, Humbertum ipsum episcopum audivit Conradus in jura Basileensis ecclesiæ sacramentum dicentem, et, 26 Julii 1400, illum approbavit castra oppidaque *Valdenbourg, Hombourg, Liestall* pignori obligantem, necnon plura alia pangentem quorum meminit doctissimus vir D. Joannes Trouillatius; Mon. Episc. Basil., t. IV, p. 866.

Quorumdam præpositorum qui Conrado proxime successerunt nomina desiderantur.

XXI. Georgius *d'Andlau* præpositus ecclesiæ Basileensis legitur anno 1460, quo decurrente Joannes eum episcopus primum academiæ Basileensis rectorem instituit; e Basilea Sacra.

XXII. Joannes I Wernherus *de Flaxland*, Basileensis præpositus, anno 1470 decessisse memoratur a Joanne Grossio; Epit. Basil. Hunc autem annum e Grossii libro tot vitiis scatente eum magna dubitatione transcribimus.

XXIII Hartmannus II *de Hallwyl* præpositus S. Ursicini necnon S. Mariæ Basileensis fuit. Qui 3 Augusti 1506 obiit, teste D. Egb. Fred. *de Mulinen;* Helvet. Sacr., t. I, p. 61.

XXIV. Andreas *Sturtzel* a *Buochheim*, canonici juris doctor, præpositus Basileensis legitur capitularisque canonicorum princeps, 28 Februarii 1529, qua die Philippus *de Gundelsheim* episcopus eligitur; Basil. Sacra, p. 362.

XXV. Wolfgangus Theodoricus *de Raittnaw* capituli similiter sessioni præest anno A 1575, in qua canonici Jacobum Christophorum *de Blarer* episcopum eligunt; ibid., p. 379. Eumdem Wolfgangum Gregorius XIII, anno 1576, adjutorem dat Joanni Ulricho *de Raittnaw*, Morbacensi abbati; apud Lunig., Spicil. Eccles., t. V, p. 1027.

XXVI. Guillelmus Christophorus *de Blarer de Wartensée* interest anno 1628 consecrationi Joannis Henrici, Basileensis episcopi; Basil. Sacr., p. 405. Obiit 9 Maii 1649. Præpositus quoque S. Ursicini fuerat.

XXVII. Joannes II Franciscus *de Schœnau*, tam Bruntuti quam Romæ sacras profanasque B litteras edoctus, Eistettensis canonicus primo fuit: deinde inter canonicos Basileenses cooptatus, hujus ecclesiæ decanatum assecutus est; quo munere fungens summa cum laude, per Suecici belli tumultus, totam diœcesim, exsulante præsule, procuravit. Ideo post Guillelmi Christophori mortem ei collata fuit ejusdem ecclesiæ præpositura, quam usque ad annum 1651 tenuit. Tunc enim Basileensis episcopus salutatus est.

XXVIII. Joannes III Conradus *de Roggenbach* Joanni Francisco successit; qui Basileensis episcopus et ipse creatus est 22 De- C cembris 1656.

XXIX. Henricus III Christophorus *de Liebenfels* ex ecclesiæ cathedralis scholastico præpositus nominatur post Joannem Conradum; ex epistol. dedicat. Sudani.

XXX. Jacobus Sigismundus *de Reinach-Steinbrunn* ex ecclesiæ Basileensis præposito episcopus eligitur 10 Julii 1737.

VETERA BASILEENSIS ECCLESIÆ MONASTERIA.

I. S. Ursicinus. S. Ursicinum, S. Columbani socium, patria Erigenam opinantur, qui, anno circiter 610, Luxovium relinquens, aliquantisper Helvetiam errabundus peragravit, dein vero juxta Dubim fluvium, in Alsgandiensi eremo, constitit, ibique cellam suam posuit. Multos quoque referunt ad ejus exemplar clericos in eumdem locum postea convenisse, eosque non tantum humiles casas, sed etiam ædem S. Petro sacram exstruxisse. Conditor igitur monasterii S. Ursicinus, et ipse monachici gregis pastor. Qui, anno incerto mortuus, 20 Decembris colitur. Anno deinde, ut videtur, 630, S. Wandregisilus, e Campania deveniens, ibidem aliquam moram fecit. Quod sic enarrat Fontanellensis monachus: « In Elisgangium territorium « (S. Wandregisilus) commigravit, ubi et « monasterium construxit pro temporis op- « portunitate, in possessione propria; ibi « namque S. Ursicinus requiescit vene- « rabiliter humatus. » Unde plures conje- D cere S. Wandregisilum a S. Ursicino inchoatum monasterium novis ædificiis auxisse, et post eum eidem monachorum cœtui præfuisse. Id quidem ex obscuro scriptoris loco minime satis compertum habemus. Apparet tamen Alsgaudiense monasterium Wandregisili e Campania migrantis sub tempora restauratum fuisse, atque post hanc restaurationem Ursicini confessoris, quem populi pietas beatorum in album miserat, inclytum nomen induisse. Alia est conjectura Rivetii, Deicolum scilicet, cujus nomen Bobolenus, anno circiter 690, libello suo de vita S. Germani E præscripsit, S. Ursicini abbatem exstitisse. Quod ipsa S. Germani Vita falsum demonstrat. Germanus enim annum circa 640 Grandi Valli surgenti præfectus, non tantum a Wandelberto, Luxovii abbate, ipsam Grandivallensem abbatiam, sed humiliores Vertimam et S. Ursicinum cellas accepit. Wandresigilo igitur nondum mortuo et Deicolo forsan nondum nato, abbatialem S. Ursicinus

dignitatem, quam si possederat olim, amiserat. Verum enim vero abbas-ne S. Ursicinus ipse dictus fuerat? Res est prorsus incomperta. Certe non multo post S. Ursicini mortem Luxoviensis abbas loci tutelam regimenque suscepit, quem, sub annum circiter 640, dotalem veluti fundum, Grandi Valli tradidit. Anno 769, Carolomannus rex, expressis verbis, cellam S. Ursicini Grandi Valli subjectam esse pronuntiat.

De mutata dein hujus monasterii religione sic auctor Vitæ S. Ursicini, quam edidit D. J. Trouillatius, Mon. Episc. Basil., t. I, p. 43: « Usque ad annum 1000 S. Ursicini « ecclesia colentibus monachis stetit. Deinde « vero, Rudolfi ultimi Burgundiæ regis dona« tione, venit in episcoporum Basileensium « ditionem, a quibus mutata fuit in ecclesiam « collegiatam duodecim canonicorum. » Eamdem postea Grandis Vallis rerum suarum eversionem, vel saltem mutationem, experta est.

Anno 1040, Udalrico, Basileensi episcopo, Grandem Vallem, necnon cellam S. Ursicino nuncupatam, Henricus III confirmat; Alsat. Dipl., t. I, p. 159. Quas easdem possessiones Leo IX, anno 1053, ecclesiæ Basileensi, ut ait dominus papa, a Radulfo, Burgundionum rege, quondam traditas, ipse in ejusdem ecclesiæ dominio non tantum recensere, sed stabilire gaudet; Mon. Episc. Bas., t. I, p. 181.

Anno vero 1096 S. Ursicinum Urbanus papa II memorat inter abbatias quas archiepiscopus Vesuntionensis antiquo jure possidet; ibid., p. 211. Unde quidam conjecere S. Ursicinum ecclesiæ Basileensi non prorsus anno circiter 1000 traditum, cujus sane Vesuntionensis archiepiscopus vel temporalem, vel potius spiritualem administrationem retinuerat. Ut ut ea se res habuit, vetus hæc, sicut ait Urbanus II, abbatia, quam antea Vesuntionensis archiepiscopus Basileensisque præsul, aut vicissim, aut una, jurisdictionum scilicet partitione facta, rexerant, in Basileensis ecclesiæ possessionem non multo post annum 1096 integra transiit. Innocentius enim II, 14 Aprilis 1139, ad canonicos S. Ursicinum incolentes scribens, eos « in subjectione Ba« sileensis episcopi, tam in temporalibus « quam in spiritualibus » sub id temporis exstitisse diserte renuntiat; ibid., p. 276. Quem eumdem rerum statum Fredericus I imperator pro jure suo confirmavit anno 1160, sacram S. Ursicino cellam Basileensis ecclesiæ possessionibus tunc annumerans. (Ch. xxv, col. 207.) Nec postea temporalis aut spiritualis quidquam juris in ea domo sibi Vesuntionensis metropolita vindicavit, ut satis rem intelligimus e solemni inter episcopum Basileensem et S. Ursicini præpositum canonicosque inita pactione, sub annum 1210, de tota cunctorum fundorum, imo rerum quarumlibet ad ecclesiam S. Ursicini pertinentium administratione.

Hi jam multis ab annis crebri fundi, iidem et opulenti, sicut eos apostolicæ litteræ singulatim describunt. Quibus olim, postquam scilicet sæcularibus canonicis traditi fuerant, duodecim numero canonici fruebantur.

Fere totius agri Basileensis incolis ab ecclesia Romana sub decimum sextum sæculum declinantibus, ecclesia S. Ursicini collegiata, ut in agro Bruntutino sita, Reformationem, ut aiebant, Calvinianam minime quidem admisit, sed ab eo tamen tempore pristinæ dignitatis imminutionem experta est. Ibi sex tantum anno 1784 canonici reperiuntur, præposito subjecti, quem a canonicis electum Basileensis antistes confirmabat.

Ne plura ad hujus ecclesiæ regimen spectantia referamus quæ sermonem nostrum longius producerent, de S. Ursicini præposito satis sit dicere eum sæpe tam cum episcopo Basileensi quam cum suis canonicis controversorum privilegiorum causa decertavisse. Anno 1381, 16 Martii, Imerio *de Ramstein* tunc præposituram occupante, rursus proscriptæ sunt leges quibus obtemperare jussus est S. Ursicini præpositus. Nullum videlicet vectigal exiget, nisi consentiente capitulo. Nec annuus attribuetur ei reditus præbendam cuilibet canonico assignatam excedens. Nec vicorum quos iidem canonici proprios habent civilem ullum præfectum munere privabit, amotionem hanc improbante capitulo; Mon. Episc. Basil., t. IV, p. 766.

Præpositorum qui S. Ursicino præfuerunt seriem accuratissime, pro more suo, digessit D. Egb. Fred. *de Mulinen*, in libro cui titulus Helvetia Sacra, t. I, p. 61. Primus in ea serie legitur Bucco, qui anno 1120 vivebat. Inter eos qui posteris temporibus eamdem domum rexerunt præcipui memorantur: anno 1173, Hugo *d'Asuel*, Basileensis futurus præsul; Wernherus *Schaler*, anno 1296, canonicus Basileensis; Imerius *de Ramstein*, anno 1381, dein Basileensis episcopus; Casparus *Ze Rhein*, anno 1453, eamdem qui dignitatem assecutus est; Hartmannus *de Hallwyl*, ab anno 1479 usque ad annum 1506, qui simul Basileensis ecclesiæ præpositus exstitit; Joannes Radulfus *de Hallwyl*, ab anno 1517, custos una Basileensis ecclesiæ; Guillelmus *Blarer de Wartensée*, usque ad annum 1649, præpositus ipse Basileensis, ortus e gente quæ multos eidem ecclesiæ ministros præbuit; Thomas Henrici, anno 1651, protonotarius apostolicus et episcopi Basileensis suffraganeus. Ultimus horum præpositorum fuit Joannes Jacobus *Keller*, qui anno 1789 electus, ex ecclesia sua, anno 1792, sicut Franci Bruntuto potiti decreverant, facessere coactus est, quique 10 Februarii 1801 obiit.

II. Grandis Vallis. Monasterium Grandis A Vallis, juxta Birsam amnem situm, S. Germanum abbatem primum habuit. Is, gente Trevirensis, e senatoria familia, cui pater Optardus, fratres Opthomarus et Numidianus, B. Modoaldo, Trevirensi episcopo, litteris excolendus traditus est. Decimum et septimum ætatis annum postquam attigerat, bona sua pauperibus erogavit et vitam solitariam exoptavit. Quo consilio Montem Romarici, dein Luxovium secessit. Luxovio præerat Waldebertus, eum qui sacris ordinibus initiavit, habuitque acceptissimum, utpote quem non minus prosapiæ nobilitas B quam austerioris vitæ studiosissima consectatio æque commendabant. Tunc ad Gundonium, Alsatiæ ducem, nuntius venit, Waldebertum referens idoneum instituendæ monachorum coloniæ locum quærere; nec multo post inclytus dynastes Luxoviensium abbati vallem tradidit uberrimam, quam Grandem ipse Waldebertus vocavit, et in quam monachos protinus duxit. Præfuit his primum Fridoaldus presbyter, qui colendum agrum dumis extricavit. Ut vero de monasterio erigendo cogitavit Waldebertus, C in Germanum conversus, non alium in fratrum grege reperit cui potius nascentis abbatiæ regimen deputaret. Hunc igitur eo misit et benedictione donatum S. Ursicino, Vertimæ et Grandi Valli simul præfecit, ea sub lege ut præcipuam et eminentiorem Grandi Valli sedem haberet. Postea vero Caticus, vel Cadichus, Alsatiæ dux, Grandis Vallis incolas sibimet infensos reputans, eos, accitis e Germania copiis, aggressus est, ipsi monasterio excidium intentans. Ad quem S. Germanus iter fecit, nec tamen sævum ejus animum placare potuit : vallis igitur D omnis ferro et incendio vastata est; imo ad suos regrediens S. Germanus armatorum prædonum turmæ occurrit, cum qui et socium ejus Randoaldum, abbatiæ libris custodiendis præpositum, neci dedere. In basilica S. Ursicini, quam construxisse refertur, sepultus est, 17 Februarii, anno, ut opinantur, 670. S. Germani vitam enarravit Bobolenus, monachus, fere coævus, apud Bollandum, 21 Februarii. Carolomannum, Francorum regem, anno circiter 769, habemus Grandis Vallis possessiones confirmantem; Mon. Episc. Bas., t. I, p. 87. Pippinum regem antecessoresque ipsos Pippini E reges Carolomannus his in litteris inter abbatiæ benefactores recenset, a quibus integram libertatem monachis collatam asserit. Nondum tamen elapso sæculo, anno scilicet 849, Lutfridus comes, dictus defensor, imo *dominus* monasterii, Lothario Ludovici imperatoris litteras exhibet, e quibus constare videtur Grandem Vallem, beneficiarium veluti prædium, avo patrive suo concessam. Lutfridus hic Alsatiæ, ut opinantur, comes Hugonem filium habuit, in litteris Lotharii, Lotharingiæ regis, anno 866 memoratum; ibid., p. 112. Grandivallensis dein abbatia recensetur anno 870 inter monasteria quæ, partitione regni facta, Ludovicus imperator accepit. Eidem postea Grandi Valli Carolus Crassus, 20 Septembris 884, S. Imerio nuncupatam cellam dono dat; ibid., t. I, p. 120. Quæ scilicet donatio satis probat monachicæ vitæ cultum etiam tunc apud Grandivallenses viguisse, ac eorumdem monachicam libertatem usque ad id temporis incolumem perstitisse. Dein vero status hic rerum mutatus est. Radulfus enim II beneficium illud ecclesiasticum alteri Lutfrido, qui gladio militari pariter cinctus incedebat, aliis litteris confirmavit. Quod expressis verbis refert Conradus, Radulfi II filius, 9 Martii 962 : « Ipsius nostri patris culpis exigentibus, cui« dam, Lutfrido nomine, prædictum mo« nasterium concessum est in beneficium. » Dictis autem sequentia subjungit Conradus : « Sed non post longa tempora, non per be« neficium, sed per proprietatem, in poste« ram ejus progeniem divisum, quæ crescens « multiplicata præfatum monasterium et « ejus accedentia destruxit. » Erat igitur anno 962 destructa, ideoque, ut videtur, monachis vacua Grandis Vallis, quam laici proceres, Lutfridi filii, possidebant. Tunc vero Conradus rex, congregato episcoporum comitumque percelebri cœtu, ex eorum sententia imperatorium donum abrogavit, et recuperatum monasterium restaurare, ut ait, studens, pristinas ei possessiones primum restituit; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 134. Anno tandem 999, Radulfus III, Burgundiæ rex, qui Basileensem etiam agrum finibus regni sui comprehensum tenuisse reputatur, « ab- Ch. VIII, col. 191.
« batiam S. Mariæ sanctique Germani, quam « Grandem Vallem appellant » episcopatui Basileensi dono dedit : quam donationem, iteratis litteris anno sequente confirmavit. Eamdem quoque stabiliverunt Henricus III, Romanorum rex, 25 Aprilis 1040, et Leo papa IX, 21 Novembris 1053.

Quod sub tempus S. Columbani instituta Grandis Vallis abjecerit et S. Benedicti regulam amplexa sit nemo posteris tradidit. Translatio tamen domus ad Benedictinos ascetas minime dubia est. Undecimo vero desinente sæculo, inde quilibet monachi depelluntur, et sæculares canonici, præposito subjecti, in eamdem domum intromittuntur. Hanc Grandivallensis cœnobii cladem Casparus Mercklinus, Chron. Als., sic enarrat : « Insaniore « audacia Cæsar (Henricus scilicet IV) in ali« quot ordinis S. Benedicti monasteria desæ« viit, ex quibus abbates et monachos, quos « Gregorio adhærere suspectos habebat, ausu « temerario exterminavit, et canonicos sæcu« lares constituit; hocque infortunium præ « ceteris sensit inclytum et famosum Grandis

« Vallis monasterium, quod Cæsar, ejectis « monachis, in præposituram sæcularem con- « verti fecit, instigante, ut creditur, et procu- « rante Basiliensi episcopo, quem, uti et Se- « dunensem et Lausannensem, non longe « ante ad principum fastigium sublatos, sibi « totos constrinxit. Postquam vero Cæsar iste « exauctoratus fuit, graves et diuturnæ inter « episcopum et Grandis Vallis advocatos, vi- « delicet comites de *Eggisheim*, *Soëgern*, « *Froburg*, *Hasenburg*, etc., qui monachos « restituendos volebant, exortæ sunt discor- « diæ, quæ non aliter sopiri potuerunt quam « ut totus tractus, quam longe lateque a « *Soëgern* trans Birsam et Ararim usque patet, « cum omni dominio, deinceps dictis advoca- « tis eorumque hæredibus proprius foret et es- « set; canonicis vero noviter institutis cetera « loca et bona ad Grandem Vallem ex antiquo « spectantia remanerent, et episcopus, ad « placandum divini numinis et S. Benedicti « indignationem, pro congregandis mona- « chis ex Grandi Valle eliminatis, sine mora, « aliud ejusdem ordinis monasterium con- « strui efficeret; quam conditionem exacte « adimplevit... » Hic agitur de monasterio S. Albano sacro, quod Burchardus præsul anno 1083 condidit. Prædictis adjungit Casparus Merchlinus : « Memorati advocati in « tractu ulteriori Soegernensi alterum S. « Benedicti monasterium, quod Beinvillense « vocant, condiderunt. » Magnam Grandis Vallis cladem anno 1271 experitur. Tunc enim Radulfus comes monasterium pluresque adjacentes villas exurit; ex Ann. Basil., inter Monum. Germ., t. XVII, p. 194. Anno dein 1356, tot Basileensis agri castris urbibusque perniciosus hoc quoque monasterium terræ motus evertit. Anno denique 1367, Bernenses contra Joannem, Basileensem episcopum, bellum gerentes, Grandem Vallem ceperunt, idque monasterium tot damnis afflixerunt, ut, e delectorum virorum arbitrali sententia, episcopo tria millia Florentinorum nummorum persolvere coacti fuerint. Oppidi Grandivallensis civibus catholicam fidem, anno 1532, ejurantibus, canonici Delemontem secedunt.

Innotuere nobis quorumdam abbatum nomina Grandivallensium. Hæc sunt :

S. Germanus primus abbas Grandis Vallis fuit, cujus vitam a Boboleno scriptam supra contraximus. Obiisse creditur anno 670.

Leudemundus, anno circiter 690, eidem abbatiæ præsedisse reputatur. Ejus quidem nomen Bobolenus libello de vita S. Germani præscripsit : mera tamen conjectura Grandivallensibus abbatibus eum annumerant.

Gundoaldus anno circiter 769 abbas erat : cui Carolomannus, Francorum rex, domesticas possessiones confirmavit; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 78.

Ebruinus anno 866 Grandi Valli præfuisse videtur; e Lotharii regis diplomate quod sub hunc annum D. Joannes Trouillatius edidit; ibid., p. 112. Eum tamen minime Lotharius abbatem, sed fratrem appellat.

Abbatia postea in collegiatam ecclesiam mutata, clariores inter hujus ecclesiæ præpositos fuere Bercthaldus Ferretensis, anno 1243, qui deinde Basileensem cathedram conscendit; Henricus Novicastrensis, ab anno 1249, idem qui Bercthaldo tam in Grandivallensi præpositura quam in episcopatu Basileensi successit; Lutholdus, anno 1286, inclytus ejusdem ecclesiæ Basileensis præpositus; Ulrichus Novicastrensis, anno 1315, qui Basileensis pariter præpositus fuit; Conradus *Senn de Munsingen*, anno 1349, et post eum Theobaldus *Senn de Munsingen*, anno 1359, quorum domus tot dignitatibus præcellentes in ecclesia Basileensi viros genuit. Ultimus vero Grandivallensium præpositorum fuit Joannes-Baptista *de Buchenberg*, anno 1789. Eorumdem seriem integram cum summa diligentia digessit D. Egbertus Fredericus *de Mulinen*, Helv. Sacr., t. I, p. 49.

III. Grandisgurges. Grandisgurges, gallice *Grangour*, inter oppida *Delle* et Bruntutum, Cluniacensis, ut ferunt, primo prioratus fuit. Postea vero desertam hanc domum Ludovicus, Bellelagiensis abbas, pretio comparavit, eamque ædificiis auctam Præmonstratensem abbatiam fecit, anno 1187. Quam scilicet hoc anno fundationem Clemens III approbavit. Primus Grandis Gurgitis abbas Radulfus memoratur, ab ipso Ludovico institutus. Eo vero defuncto, S. Morandi Altkirchensis monachi hanc abbatiam sibi vindicaverunt, Bellelagiensibus non multo post restituendam. Ab ea tamen restitutione imminuta Grandis Gurgitis dignitas evasit : quæ domus tunc in prioratum mutata hanc conditionem usque ad annum 1793 retinuit, Bellelagiæ subjecta. Vide Mon. Basil. Episc., t. I, p. 386.

Grandisgurgitis priores ab anno 1266 usque ad annum 1793 recensuit D. Egbertus Fredericus *de Mulinen*; Helvetia Sacra, t. I, p. 217.

IV. Schonthalum. Benedictini certe monachi Schonthali claustra, non procul a castro *Waldenburg* sita, olim incoluere. Qui an abbati priorive tantum paruerint dubium relinquere cogimur. Doctissimus tamen vir D. Joan. Trouillatius Schonthalum abbatiam vocat Benedictinam, eamque, sub annum 1130, ab Adalberto, Froburgensi comite, ejusque uxore Sophia conditam asserit; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 622. Ineunte postea quarto decimo sæculo Benedictinæ moniales, ex hospitio *Hauenstein* appellato deductæ, ibi monachos excepere : quarum possessiones Imerius episcopus anno 1387 confirmavisse traditur. Anno vero 1416, conventuales mo-

nialibus fundos male, ut videtur, administrantibus, sub eadem tecta acciti sunt canonici, observandæ S. Augustini regulæ subjecti. Iterum igitur ab ea ætate floruit Schonthalum; sed post unius sæculi spatium, anno scilicet 1525, Rusticani belli temporibus, funditus ea domus eversa est.

Abbates Schonthalo si qui præfuerint horum nomina posteris nemo tradidit. Præpositorum Benedictinorum seriem D. Egb. Frederic. *de Mulinen* ab anno 1237 usque ad annum 1323 ministrat; Benedictinarum magistrarum, ab anno 1308 usque ad annum 1411; præpositorum denique Augustinianorum, ab anno 1409 usque ad annum 1509; Helvet. Sacr., t. I, p. 122.

V. Vallis Gratiæ. Vallis Gratiæ, teutonice *Gnadenthal*, intra Basileæ mœnia, ad sinistram Rheni ripam, monialium conventus fuit S. Claræ institutis addictarum. Antiquissima quæ de ea domo fidem faciunt diplomata annum 1285 præbent. Eo tamen tempore ibi considentes puellæ Claristæ non erant. Reformatam a S. Clara vivendi normam 17 Aprilis 1289 amplexæ sunt. Earumdem postea ecclesiam sub S. Pauli apostoli vocabulo solemniter consecravit, 29 Januarii 1346, Henricus Albertis, Joannis episcopi generalis vicarius. Anno vero 1529, postquam Romanam fidem Basileensis urbs ejuravit, Vallis Gratiæ moniales quædam aliorsum abierunt, nonnullæ sæcularem vestem induerunt.

Claristarum abbatissarum seriem accuratissime condidit D. Egb. Fred. *de Mulinen*; Helv. Sacra, t. II, p. 207 : quam nos hic subjungimus.

I. Margarita I anno 1293 reperitur.

II. Anna I *de Vislis* ab anno 1300 usque ad annum 1306.

III. Guta, quæ Annæ I non immediate successisse videtur, e tabulis anni 1330 innotescit.

IV. Margarita II, anno 1336.

V. Agnes I *de Rosen*, Basileensis, anno 1374.

VI. Catharina *de Gun*, anno 1400.

VII. Agnes II *de Ramstein*, Thuringi *de Ramstein* et Adelaidis Novicastrensis filia, Catharinæ defunctæ vices excepisse videtur, sed anno incerto.

VIII. Anna II *de Randegg*, Joannis *de Randegg* et Dorotheæ *de Blumenberg* filia, annis 1478, 1502.

IX. Ursula *de Lauffen* ex abbatiæ priorissa abbatissa dein facta est.

X. Margarita III *de Frankenmund*, 1509, 1511.

XI. Anna III *Peyrerin*, alias *Bayerin*, *Bairin*, 1513, 1529; quæ post occupatam ab hæreticis abbatiam in Friburgensem Claristarum domum secessit, ibique 13 Aprilis 1546 obiit.

Vallis Dei. Vallem Dei, teutonice *Gottesthal*, Benedictinam abbatiam, ædificavit, anno 1295, in Alsatiensi tractu, inter *Altkirch* et *Belfort*, Theobaldus, Ferretensis inclytus comes. Postea vero Austriæ duces hanc domum societatis Jesu sodalibus vicum *Ensisheim* incolentibus dono dedere; apud Schœpflinum, Als. Illustr. VI.

E Vallis Dei abbatibus unus tantum nobis innotuit, Bernardus scilicet *de Minstrol*, qui, anno 1493, summi Pontificis mandato, Gualterum *de Wilsperg*, Morbacensem abbatem, instituit; ex Albor. Mantell. cod. 10, p. 194.

Michefeldum. Michefeldensis non adeo procul a civitatis Basileensis mœnibus abbatia, a Berchtoldo, Basileensi episcopo, et ejus Ulricho fratre fundata, Cistercienses anno circiter 1252 moniales excepit, quarum e grege, sub annum 1257, duodecim discessere virgines, quæ Vallem Liliorum, germanice *Tenniken*, in Constantiensi diœcesi, alteram non minoris nominis abbatiam, condidere. De Michefeldensis monasterii fortuna copiose disseruit hodiernus scriptor D. *Sabourin de Nanton*, in opere cui titulus *Revue d'Alsace*, anno 1860. Ex eo comperimus ædificatam in summa colle domum; Rheni tamen enormiter tumescentibus undis, anno 1267, dirutam fuisse. Nec ea tantum recentem abbatiam clades affecit. Postquam enim circumjacentes agros amnis effluvium in paludes mutaverat, aeris herbis putribus vitiati malignitatem moniales sustinere non potuerunt. Eas igitur, hoc anno 1267, Basileensis præsul in salubriorem *Blotzheim* locum transtulit, ac Michefeldum solitudini tradidit. Desinente tamen tertio decimo sæculo, vel quarto decimo incipiente, deserta Michefeldi claustra rursus incoluerunt quædam puellæ quas Beguinas vocant. Anno deinde 1402, earumdem possessio in sæculares manus traducta est. Transactis iterum aliquot annis, anno 1409, tertio monacharum examini, Claristarum scilicet Basileensium, Michefeldensis domus obvenit, eam quæ anno 1512 vendidere. VII.

De virginibus in locum *Blotzheim* episcopi Basileensis beneficio translatis dicere superest eas ibi fixam sedem usque ad tempora concilii Basileensis habuisse. Tunc vero, anno scilicet 1442, puellis Felix papa V viros suffecit. Dein, anno 1450, ruinam, incendio superante, domus dedit, et exsulantium monachorum semiruta tecta Cisterciensis ordinis generale capitulum Lucellæ possessionibus adjunxit.

ABBATIÆ SUPERSTITES [1].

Sunt illæ numero novem.

Duas tantum in diœcesi Basileensi abbatias Sammarthani suo tempore superstites memorant, Morbacum scilicet Lucellamque. Earum ideo plerasque neglexerunt. Hæ sunt de quibus pauca pluravc tradere nobis licet :

ORDINIS S. BENEDICTI.

Virorum.

Morbacum, *Murbach.*
S. Gregorius, *Munster en Gregorienthal.*
B. Maria ad Petram, *Mariastein.*

ORDINIS S. AUGUSTINI.

Feminarum (2).

Vallis Masonis, *Masmunster, Masseraux.*
Ottmarsheimum, *Ottmarsheim.*

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Virorum.

Lucella, *Lützel.*

Feminarum.

Parisium, *Pairis.*
Ortus Dei, *Olsberg.*

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

Bellelagia, *Bellelay.*

MORBACUM.

Hermanni Contracti Chronicon, sub annum, ut videtur, 727 : « S. Pirminius, ob « odium Caroli a Theodebaldo, Gothefridi « ducis filio, ex Augia pulsus, Eutonem pro « se constituit abbatem, et ipse Alsatiam, « alia constructurus cœnobia, petiit : » Rer. Gall. Script., t. III, p. 330. Primum et præcipuum inter monasteria quæ Pirminius exsul constituit Morbacense. *Muorbach* vetus loci nomen erat, super fluvio *Rotbach*, in decanatu Citra Colles Ottonis, asperis nigrisque Vogesi montis apicibus circumsepti, quem Eberhardus comes, Adalberti ducis filius, suo sub jure tenebat. Postulatam a Pirminio sedem Eberhardus dono dedit, cœnobiumque protinus in honorem B. Mariæ, necnon SS. Petri et Pauli, Michaelis Archangeli et Leudegarii martyris inclytus vir ædificare cœpit. Nonnullos autem secum Pirminius adduxerat exsilii piique laboris socios. Ut vero in Morbacensi, alias Maurobaccensi, agro constitere, Vivarius Peregrinorum dictus est. Fundationem hanc Theodericus, Francorum rex, 12 Julii 727 approbavit. *Cu. II, col. 185.* Ampliori mox instrumento quascumque surgenti domui multas opulentasque villas dederat Eberhardus descripsit, anno 728, apud Schœpflinum, Alsat. Dipl., t. I, p. 8; et, perinde ac si Morbacensis vallis Argentoratensis diœcesis tunc pars esset, Widegernus, Argentoratensis præsul, 13 Maii ejusdem anni, Morbacensium monachorum immunitates solemni decreto recognovit; ibid., p. 10.

Hæc de Morbaci fundatione pauca. Subjungantur de monachorum professione pauciora; non prætermittenda tamen, cum ipse Schœpflinus falsam ea de re sententiam auctoritate sua commendare videatur. Peregrinos enim cœnobiarchas in asperam hanc Alsatiæ regionem a S. Pirminio ductos patria Scotos fuisse conjecit. Scotorum autem instituta monachica S. Columbanum auctorem sibi vindicant. Sed pro certo teneatur S. Benedicti regulam ab ipsis conventus initiis Morbaci viguisse. Id enim non semel ipse Widegernus testatur, in diplomate supra laudato quod anni 728 notam præbet.

Potens erat divesque Eberhardus Alsatiæ comes. Quos igitur exceperat peregrinos divitiarumque suarum participes ab origine fecerat, aliis etiam deinceps donationibus auxit. In eosdem, octavo sæculo decurrente, beneficus reperitur quidam Amalricus, unus ex Augustaugensis agri proceribus. Ideo post breve tempus res eorum satis prospera pollensque fuit. Anno deinde 831 Morbacum recensetur inter abbatias quibus Ansegisus morbo laborans dona quædam assignat; Mabill., Annal., t. II, p. 542. Eamdem abbatiam, anno 870, Carolo Calvo Ludovicoque imperatore regnum inter se partientibus, Carolus Ludovico adscribit. Sed anno, ut ferunt, 925, Hunni Hungarive in Alsatiam irruentes Morbacum vastant. Nec fugit hujus cladis narratores septem Morbacenses monachos, desolatis tectis profugos, in vicum *Morfeldt* secessisse ibique comprehensos fuisse et trucidatos. Tunc in congregationis dissipatæ possessiones quilibet e clericis laicisque proceribus involare : quos inter Basileensis præsul *Hettenheim, Wattwiler* et Tutenowam, annuente Henrico, Romanorum rege, occupare. Sed postquam, elapsis non paucis annis, renasci Morbacum cœpit et tot damna resarcire, ipse Basileensis episcopus a Conrado imperatore coactus est, anno 1025, con-

(1) Quædam etiam nunc, aliæ usque ad annum circiter 1792.

(2) Antecessores nostri puellarum Romarici Montem incolentium historiam describentes, eas inter Benedictinas monachas recensuere, ut quæ regulam S. Benedicti primum amplexæ in canonicas absque summi Pontificis permissione desierant. Eodem, ut videtur, modo tam Vallis Masonis quam Ottmarsheimi moniales ab antiqua disciplina defecere. Minime saltem comperimus eas Benedictinam vestem ex auctoritate summi Pontificis deposuisse. Quamobrem eas, antecessorum nostrorum exemplum sequentes, Benedictinis virginibus hic annumeramus.

culcato monachorum jure subducta prædia restituere. Ab illo scilicet tempore novam rerum prosperarum seriem Morbacensis domus sortita comperitur.

E prælaudato Widegerni decreto, qui Morbacum *infra*, id est *intra parœciam suam* situm expressis verbis declarat, quidam scriptores Basileensem episcopatum conjecerunt, arctioribus olim terminis circumseptum, Argentoratensis dein possessiones pervasisse. Alii vero, quos inter doctissimus vir D. J. Trouillatius, Morbacum in Basileensis episcopi territorio semper situm fuisse contendunt, Argentoratensis vero præsulis spirituali tutelæ, ab origine subjectum; Mon. Basil. Episc., t. I, præf., p. 64. Ut ut ea res in ipsis hujus conventus exordiis se habuit, Morbacensis sane congregatio semet ab omni tam Basileensis quam Argentoratensis episcopi jurisdictione liberam, ex auctoritate Widegernensium litterarum, constanter asseruit. De qua libertate postquam diu decertatum fuerat, ut rem, anno 1313, ex episcopi Basileensis protestatione comperimus, cassam hanc exemptionem concilium Basileense anno 1447 fecit, eamdem vero Romana curia, ex arbitrorum quos rei cognitores elegerat sententia, ratam anno 1450 habuit, et quod Basileensis episcopus sibi vindicaverat jus invalidum esse pronuntiavit. Anno 1512, post Gualteri *de Wilsperg*, abbatis, decessum, Georgium *de Massmunster*, jam Luthræ abbatem, Morbacenses monachi sibi præficiendum exoptaverunt. Quorum votis annuit Leo papa X, et, 7 Januarii 1513, præmoratum Georgium utraque Luthræ Morbacique mitra donavit. Ab illo tempore creber, tam Luthræ quam Morbaci, de duobus abbatiis in perpetuum uniendis sermo fuit. Joannis Radulfi *Stoër*, qui Georgio successerat, petitionem exaudiens Joannes, cardinalis Mauronus, sedis apostolicæ in Germaniæ partibus legatus, hanc unionem 12 Martii 1554 constituit, ea sub conditione ut eam summus Pontifex approbaret. Quæ tamen approbatio usque ad annum 1560 dilata est, quum Pius IV pontificatum suum auspicaretur. Anno denique 1764, 11 Augusti, Clemente XIII rem approbante, Morbaco Benedictini monachi cessere, et in eorum locum nobilium canonicorum sodalitas subrogata est. (Ch. LXXVIII col. 258.)

Egregiis olim Morbacensis abbas privilegiis gaudebat, qui scilicet ab anno 1228 imperii Romani princeps dictus fuerat. Penes igitur eum dominicum jus non tantum in multis opulentisque fundis, sed etiam in ipsis urbibus Lucerna, *Gnebweiller*, *Watriker*, S. Amarino, et in tota valle Morbacensi. Tantæ prædiales ei divitiæ, ut, teste Bruschio, quingenos, sub annum 1260, equos aleret. Militaris quoque ejusdem vis a nemine vicinorum magnatum spernenda. Quod expertus est, tertio decimo sæculo decurrente, Theodericus, Montis Biligardi comes. Is enim, qui contra Morbacensem abbatem nimis confidenter bellum moverat, ab eo captus est et carceri mancipatus.

Usque ad annum 1680 Morbacensis vallis Germaniæ pars fuit, Cæsarumque imperio subjecta. Tunc vero Franci Morbaco potiti sunt, quibus non multo post fœdera, in urbibus *Ryswyck*, *Rastadt* et *Bade* pacta, superioris Alsatiæ possessionem confirmavere. Ab illo tempore, cum superbiori Ludovici XIV animo destinatum esset regiam auctoritatem in quibuslibet ecclesiasticis negotiis interponere, non leve Morbacensium monachorum libertas damnum passa est. Etenim qui suum antea abbatem eligebant, tunc ab eo jure destituti tres candidatos præsentare jussi sunt, reservata regi abbatem nominandi potestate.

Abbatum Morbacensium brevem quidem indicem, sed cui densa diplomatum ad eorum regimen spectantium silva apposita, præbet Joannis Christiani Lunigii Spicilegium Ecclesiasticum, t. V, p. 940. Multa quoque ejusdem abbatiæ diplomata transcripta præbet Alborum Mantellorum codex 10, in Maxima Parisiorum Bibliotheca.

Series abbatum.

I. S. Pirminius ex Augiæ Divitis abbate Morbacensis congregationis institutor rectorque anno 727 exstitit. De eo sub hunc annum Theoderici regis prælaudatum diploma fidem facit. Eumdem posteris commendat Widegerni, Argentoratensis episcopi, charta. Animadversum sane eum in his Widegerni litteris necnon in Theoderici regis diplomate episcopum vocari. Warmannus quoque, monachus Augiensis, qui vitam S. Pirminii undecimo sæculo scripsit, eum *in castello Meltis appellato* episcopum sedisse refert. Unde plures eum Metensium, aut Meldensium ecclesiæ præfuisse conjecere. Eorum vero conjecturam refellit Mabillonius, Annal. Bened., t. II, p. 73; cui tamen S. Pirminium chorepiscopum, aut episcopum vagantem, fuisse non displicet. De episcopis abbatibus plura suppeditat Cangii Glossarium, verbo *Episcopus*. Ut ut ea se res habuit, S. Pirminius in eremo Morbacensi non diu constitit; nam anno sequente Romanus monachis eo jam accitis præerat. Pirminii vitam, a Warmanno digestam, præbent Acta SS. ord. S. Bened., sæc. 3, part. 2, p. 140. (Ch. II, col. 185.)

II. Romanus anno 728 reperitur in Eberhardi quarum jam sæpe meminimus litteris. Eidem, anno 730, Theodo quidquid in vico olim dicto *Hamaristad*, dein *Hammerstatterhof*, possidebat vendidit. Quem iterum Eberhardus anno 731, possessionibus auxit, ecclesiis scilicet in honorem S. Mariæ et S. Desiderii seu S. Andochii, in loco Petrosa nuncupato, exstructis; Alsat. Diplom., t. I, p. 14. (Ch. IV, col. 189.)

Ch. v, col. 190. Exstant insuper ad eumdem scriptæ precariæ Hildradi et Hildefredi litteræ, annis 735, 736. Annalium brevium auctor, apud *Grandidier*, Hist. Alsat., t. I, prob., p. 95, Romanum sub annum 744 e Germania in Alsatiam venisse memorat. Hanc temporis notam, de qua jam paucis disseruimus, authentica diplomata refellunt.

III. Baldebertusne Romano, anno 752, ut Mabillonius opinatur, nullo medio successit? Minime quidem compertum habemus Romanum usque ad annum 752 supervixisse, nec certius est Baldebertum ab eo anno Morbacensibus monachis præfuisse. Ipsum præterea Mabillonium hæc habemus enarrantem: « Exstat in bibliotheca Morbacensi, inter alios « codices, unus franco-gallicis scriptus lit- « teris, Hieronymi epistolas continens, in qua- « rum fine hæc clausula legitur, initio paulu- « lum detrita... *ricus hunc librum scribere* « *abbas rogavit anno III regni Childerici re-* « *gis.* » Hactenus Mabillonius, Annal. Benedict., t. II, p. 200. In ea autem clausula de Childerico III certe agitur, cujus regnantis tertius annus Christi 744 fuit. Ea igitur nostra est conjectura incerti nominis abbatem, cujus codex franco-gallicus meminit, inter Romanum et Baldebertum Morbacensi rei præfuisse. Baldebertus tamen, anno circiter 760, confirmatam a Pippino rege Eberhardinam donationem impetravit; apud Schœpflinum, Als. Dipl., t. I, p. 34. Eidem, eodem anno, Rudmundus clericus quidquid in villa Heloldovillari possidebat, et Richbaldus alia plura prædia, nec non in eis commanentes colonos gregesque, anno 761, contulere; ibid., p. 36.

Prælaudata Rudmundi chartula Baldebertum *episcopum, seu abbatem*, vocat. Episcopi forsan nomen abbati honoris causa datum. Mabillonius vero, Annal., tom. II, p. 207, nec non Buquetius, Rer. Gall. Script., t. V, p. 199, Baldebertum, Morbacensium abbatem, unum eumdemque reputant ac Basileensem ejusdem nominis sub idem tempus episcopum. Baldebertus tamen abbas anno 762 obiit, ex Annalibus Francorum quos Nazarianos dicunt, et Baldebertus Basileensis episcopus anno 765 Attiniacensi concilio interfuit. Conjectura igitur Mabillonii nonnihil dubitationis habet.

IV. Haribertus, vel Aritpertus, quem Nazarianorum Annalium scriptor et auctor Chronici S. Galli anno 762 Baldeberto successisse tradiderunt, e diplomaticis instrumentis innotescit anno 768, quo precarias ab Herchenildi, matrona, litteras accepit; Schœpfl., Als. Dipl., t. I, p. 40. Eodem quoque anno, Usetericus in eumdem beneficus fuit; ibid. Hariberto postea Carolus Magnus, anno 772, immunitatis privilegium concessit; ibid., p. 44. Anno dein 774, IV id. Aprilis, eidem quidam Williarius agrum tradidit certis limitibus circumscriptum. Quo occubuit anno, tam e Nazarianis Annalibus quam e Chronico S. Galli. Is est Haribertus quem, anno 767, post Pauli papæ I decessum, Pippinus rex legatum Romam misit. Idem sane ad ipsum Paulum ab eodem Pippino jam antea deputatus fuerat, e monacho tunc recens abbas, anno videlicet 763, ut epistola Pauli testatur apud Buquetium; Rer. Gallic. Script., t. V, p. 524.

V. Amico ex eisdem Nazarianis Annalibus Hariberto successit anno 774. Solemnem quoque domesticarum possessionum confirmationem a Carolo Magno impetravit, pridie nonas Aprilis 775; Alsat. Diplom., t. I, p. 48. Ad eumdem, anno 784, missæ sunt precariæ Aschirici de villa *Berechwiler* litteræ; ibid., p. 53. Cui etiam, anno 786, Wolfradus et Hadwinus duos agros vendidere; ibid., p. 54. Carolo Francorum, Longobardorum et Romanorum regi, post annum scilicet 774, scripsisse videtur Amico nuper typis vulgatam hanc epistolam, in qua legimus, exorta tunc temporis inter Alamannos et Alsatas contentione, multos e Morbacensi familia servos, turbatarum rerum occasionem nactos, aut libertatem sibi vindicavisse, aut in tutelam cujusdam comitis sane mitiorem involavisse: quos Morbacensium innominatus abbas aut ingenuitatem mentientes, aut alienæ dominationi subjectos, ab ipso rege sibi restitui postulat. Hanc reperies epistolam inter Formul. e San-Gallensi codice a doctissimo viro D. E. *de Rozière* editas, p. 17. Ibidem aliæ leguntur Amiconis nomen suum eloquentis litteræ, in quibus de quodam, eodem forsan, comite, Morbacensium possessionum direptore, queritur, p. 18.

Sigimiarum abbatem, quem Augiense necrologium laudat, Amiconis defuncti vices implevisse Mabillonius conjecerat; Annal. Bened., t. II, p. 200. Ea vero conjectura non apud ipsum Mabillonium diu valuit. Exiguum enim est temporis intervallum inter postremum diploma quod nomen Amiconis præbet et primum quod Sindberti. Sigimiarus præterea non alius videtur a Sigmaro, vel Sigismaro, infra sub certam diem collocando. Id, ipse semet castigans, animadvertit Mabillonius, Annal. Bened., t. II, pag. 230.

VI. Sindbertus, quem e regia stirpe deductum Sudanus asserit, *episcopus atque abbas*, abbas certe Morbacensis, epistolam conscripsit ad quamdam matronam; inter Analecta Mabillonii, t. IV, p. 323. Idem duobus his dignitatibus ornatus legitur in alia ad regem epistola, quam nuper D. E. *de Rozière* publici juris fecit; Form. e San-Gall. cod. edit., p. 22. Certe ab Adilmaro precarias Sindbertus, anno 789, accepit litteras, quas Schœpflinus typis mandavit; Als. Dipl., t. I, p. 54. Is etiam, anno 790, a quodam Udalrico prædiis, silvis, pratis, necnon mancipiis in agro

Mattenheim possidendis auctus est; ibid., p. 55. Quo etiam anno ad eumdem Theatardi, et, anno 791, vel 792, Caroli Magni vicesimo quarto, Hartaldi precariæ litteræ missæ sunt; ibid., 56. Nec alia post hunc annum in Morbacensibus fastis de Sindberto episcopo atque abbate mentio reperitur.

Cujus autem episcopatus rector exstiterit dubia res est et attentius investiganda. Sigismundus adest, Augustanus monachus, qui Sindbertum, Morbacensium abbatem, ecclesiæ Vindeliciorum Augustanæ præfuisse tradit, ejusque testimonio Sudanus et Mabillonius assentiunt; Ann. Ben., t. II, p. 229. De quodam præterea Simperto, vel Sindberto, episcopo, fidem faciunt Annales Loiseliani dicti, a quibus Carolum Magnum in Pannoniam secutus occubuisse memoratur anno 791, cum Francorum exercitus in sua castra rediret; Rer. Gall. Script., t. V, p. 48. Quod iisdem fere verbis Chronica Moissiacense et San-Gallense referunt; ibid., p. 73, 360. Adnotatores vero recentiores, principe Buquetio, Sindbertum hunc episcopum, cujus Annales Loiseliani meminerunt, Ratisponensem fuisse opinati sunt, et alius sane fuit ab Augustano cujus vitam Mabillonius in annum 809 protrahit. Quod si ad Augustanum episcopum et Morbacensem abbatem spectare putes quæ de Sindberto, incertæ sedis episcopo, concordes annalistæ posterorum memoriæ tradiderunt, conjecturam hanc tuam fasti Morbacenses comprobant. Quare vero his Morbacensibus in fastis nulla de Sindberto abbate mentio post annum 792? Anno scilicet 792 ad medium decurrente, Pippinus, Caroli filius, nefandis patrem insidiis impetivit, pluresque episcopos ac magnates, quos tanti sceleris socios Pippinus habuerat, variis pœnis rex plecti jussit. Morbacensisne abbas Sindbertus, idem et Augustanus episcopus, eorum numero adscribendus qui vel morte, vel exsilio, læsæ majestatis rei, damnati sunt? Id si non verum, vero tamen simile : Sindberto enim fastis Morbacensibus cedente, prodit illico Carolus ipse Magnus Morbacense monasterium, *pastoris* nomine gubernans : quod, cum ab usu regum prorsus abhorreat, aliquid ibi præter solitum accidisse significare videtur. Nunc ab incertis ad certa.

Quomodocumque Sindberti præfectura finem habuerit, Carolus rex Morbaci pastor nuncupatur, et per Ingermegilmarum, vel Agilmarum, decanum et procuratorem, abbatiale munus exsequens, anno 792, quo prædia quædam Morbacensis conventus cum Regingero commutat. Inusitatæ prorsus rei testificatio consignata est in Regingeri prædicti litteris, quas Schœpflinus publici juris fecit; Alsat. Dipl., t. I, p. 57. Similiter, anno 794, Morbacensi monasterio, *ubi rex Carolus pastor præesse videtur,* Waharius vineam quamdam in tractu *Ongirnhaim* dono dedit; ibid. Non diu tamen abbatialem hanc dignitatem rex retinuit, nam

VII. Aighilmarus *monachus vel abbas* Morbaci legitur VIII cal. Septembris 794, qua die Amalrichus hæreditarium prædium, in *Augustaunginsi* pago situm, monachis tradidit; Als. Dipl., t. I, p. 58. Aighilmarus ille non alius forsan ab Ingermegilmaro, vel Agilmaro, cujus Regingeri prælaudata chartula meminit : nuper vero delegatum officium implens *decanus* dicebatur, nunc dignitate quam rex dimisit honestatum *abbatem* eumdem legis. Animadvertenda hæc iterum verba : *monachus vel abbas*. Antea rei Morbacensis erat administratio penes Sindbertum episcopum, Augustano scilicet vel alii cuidam sæcularis cleri gregi præfectum; nunc ad Aighilmarum sub monachica veste militantem transiit. Post Aighilmarum vero, cujus breve regimen fuit, alius Morbaco præficitur episcopus;

VIII. Gerohus scilicet, Eistetensis, ut Mabillonio videtur, episcopus, cui Reginboldus et Hato exiguum in tractu *Pancinhaim* agrum anno 795 tradidere; Als. Dipl., t. I, p. 58. In eumdem quoque, anno 796, Hicho Folcuinusque beneficî; ibid., p. 59. Anno denique 805, Caroli imperantis quinto, ab Egilmaro et *Folchott* precarias litteras accepit; ibid., p. 60. In his quidem Egilmari litteris *Kerhoh* episcopus vocatur; exiguum vero inter *Kerhoh* et *Geroh* discrimen.

IX. Guntramnus a Ratlinda, matrona, prædiis augetur in loco *Hosthaim* sitis, anno 811; Alsat. Dipl., t. I, p. 61. Eidem anno 816 Ludovicus imperator duo diplomata concessit, unum de liberis Morbacensis monasterii clientibus, alterum de naviculis plaustrisque monachorum quolibet vectigali exemptis; ibid., p. 64. Ch. VI, col. 190.

X. Sigismarus, anno 829, Geroldusque comes plura commutantes occurrunt; Als. Dipl., t. I, p. 73. Idem anno 835, 30 Maii, a Ludovico imperatore confirmationem obtinuit permutationis alterius quam cum Hagilone pepigerat; ibid., p. 76. Eodem anno, Hartmanno, advocato suo, Sigismarus potestatem fecit tres monasterii servos, tribus aliis in permutationem acceptis, manumittendi. Præcipua hujus permutationis materia fuit, ut his verbis utamur, quidam Ethardus, servus S. Leodegarii, qui, postquam nobilem puellam uxorem duxerat, servus tamen ipse permanens onerosum servitutis probrum in filium suum Gerardum filiamque Eteardam transfuderat. Reperitur etiam Sigismarus usque ad annum, ut videtur (1), 840, quo Lotharius rex, eo postulante, Luciarense, vel Ch. VII, col. 191.

(1) Non easdem omnes huic diplomati chronicas notas tribuunt. Concordant apud Lunigium, Spicil. Eccl., t. V, p. 959, annus Lotharii regis 21 et ind. III. Lotharius enim ad anno 820 regnum Italiæ possidebat.

Lucernense, monasterium, Pippini regis temporibus ædificatum, inter Morbaci possessiones confirmavit; ibid., p. 79. De Lucernensi monasterio disseruerunt antecessores nostri, supra, t. V, col. 932.

XI. Fredericus post Sigismarum a Lunigio, vel indicis quem typis mandavit auctore, recensetur. Occurrit certe Fredericus anno Caroli Crassi regis primo, Christi 877 (1), in ipsius Caroli diplomate de libera, secundum regulam S. Benedicti, Morbacensium abbatum electione; apud Lunigium, Spicileg. Eccles., t. V, p. 960. Eidem anno 879, ind. XII, tertio Ludovici regis, Ludovicus, ut videtur, Germanicus jam antiqua monasterii Morbacensis jura confirmavit (2); ibid. Legitur deinde Fredericus anno Caroli imperantis primo, Christi 881, IV non. Septembris, in litteris Egilmari cum Morbacensi conventu prædia commutantis; Als. Dipl., t. I, p. 60 (3). Idem denique, anno 885, mutuam orationum communionem instituit cum Bernardo, S. Galli abbate; supra, t. V, col. 953.

XII. Wandbertus a Conrado rege I, anno 913, confirmata monasterii privilegia impetravit; Als. Dipl., t. I, p. 111. Eo, ut videtur, Morbacum regente devenerunt Hunni, Hungarive, qui, monachis partim expulsis, partim trucidatis, nequidem ædificiis pepercerunt.

XIII. Berengerus, alias Berangarius, legitur V cal. Maii 976 in Ottonis II diplomate de pristinis Morbacensis conventus juribus; Als. Dipl., t. I, p. 129. Eidem, anno 977, ab Adelhaide imperatrici nuper data idem Otto rursus adscripsit; ibid.

XIV. Helmericus, anno 988, domesticorum privilegiorum confirmationem ab Ottone III obtinuit; Als. Dipl., t. I, p. 133.

XV. Degenhardus innotescit anno 1023 ex Henrici II diplomate quo renovata sunt antiqua Morbaci jura; Als. Dipl., t. I, p. 150. Haud ita multo post, anno scilicet 1025, ejusdem tenoris litteras idem, Henrico mortuo, a Conrado II obtinuit; ibid., p. 155.

XVI. Eberhardus, anno 1041, Hugonem, Bisuntinum archiepiscopum, supplex adiit, ab eoque poposcit ut ecclesiam S. Desiderio sacram, quæ scilicet, in Bisuntina diœcesi A sita, ad Morbacensem abbatiam nihilominus pertinebat, dedicaret: quod Hugo perfecit, et optimis juribus insuper eamdem ecclesiam, VIII id. Novembris, in diœcesana synodo sedens, adornavit; Monum. Episc. Basil., t. I, p. 172. Transcribenda quædam hujus chartæ pars; in qua scilicet legimus S. Desiderio nuncupatum vicum, juxta Bruntutum, a regali perveterique abbatia originem suam duxisse, atque in ea quondam abbatia S. Desiderii et S. Ragenfridi corpora tumulata fuisse. Hæc enim Hugonis archiepiscopi verba sunt: « Suprascripta ecclesia (S. De- B « siderii) olim fuit regalis abbatia, sed ab « antiquis regibus S. Leodegario Murba- « censi per præceptum tradita, sicque dein- « ceps mansit illi subdita, sicut ceteræ ab- « batiæ nostra in parochia. Postquam autem « sanctorum martyrum Desiderii et Ragen- « fridi corpora a supradicto loco ad Murba- « censem sunt ecclesiam delata, stimulante « invidia, inardescente avaritia, ecclesiæ « nostræ ministri, qui penes nos vocantur « archipresbyteri, plus æquo diligentes for- « mam nummi, hanc voluere esse sub tri- « buto. Sed non accidit res ex toto, sicut C « proposuerant animo. Retulerunt ad archi- « episcopum, cujus nos occupamus locum, « quod turpiter circatæ ibi largum posset « servitium accipere, ut sic deinceps facerent « illam tributariam, quam prius invenerant « liberam. Quod minime est peractum, quia « faciendi non erat licitum. Tamen parvum « sibi usurparunt servitium, sex scutellas « cum flasca, dum fieret ab episcopo cir- « cata..... Taliter usque ad nostra tempora « res est acta. Postquam enim effectus sum « archiepiscopus, domnus abbas supra- « scriptus cœpit mihi ita esse familiarissi- D « mus, cum suis omnibus, quod non magis « suum quam meum diligebat commo- « dum.... » Sermonem igitur suum persequens Hugo præmemoratam ecclesiam prorsus liberam efficit. Desiderantur quælibet alia de sacris S. Desiderio claustris documenta.

XVII. Wolferadus, anno 1049, ab Henrico III litteras obtinet de præcipuis abbatiæ privilegiis, necnon de prædio *Hostheim* quod monachis ablatum ipsis restitui Leo papa jusserat; Lunig., Spicil. Eccles., t. V, p. 967.

E XVIII. Robertus, anno 1056, testis est Henrici III imperatoris advocatorum comitumque jura describentis in ecclesia S. Maximini Trevirensi; apud D. *Calmet*, Hist. Lothar., t. II, instr., p. 313.

XIX. Udalricus Roberto successisse videtur, idem qui Lanreshamensis in ecclesia Wormatiensi et Morbacensis in Basileensi abbas fuit, et anno 1075 decessit: de quo supra, t. V, col. 703.

XX. Samuel Morbacensis abbatiæ regi-

(1) Carolo Calvo mendose Lunigius hoc diploma tribuit. Luitwardi cancellarii nomen id jussu Caroli Crassi conscriptum fuisse aperte demonstrat.

(2) Annum Christi incarnati 877 editio Lunigiana præbet. Alibi legitur 878. Annus vero 879 tam cum tertio Ludovici regnantis anno quam cum indict. XII concordat.

(3) Chartam hanc Schœpflinus sub annum 801 edidit, Caroli Magni imperantis primum. Satis vero constat Fredericum Caroli Crassi nuper ad imperium elati coævum exstitisse: Gerolius enim episcopus ab anno 995 ad annum 805 Morbacense gubernaculum, ut supra diximus, indubie rexit, eidemque assidens Sigismarus comperitur anno Caroli Calvi primo. In ipsa quoque charta nonnulla deprehenduntur verba quæ nonum sæculum desinens potius quam incipiens significant.

men anno, ut ferunt, 1080 adipiscitur. Anno deinde 1084 ab ipsis S. Gregorii monachis postulatus abbas, utrique congregationi verisimiliter usque ad annum 1090 præfuit. Tunc Witzemburgensis effectus est abbas, anno 1097, secundum Bucelinum, moriturus.

A Samuelis recessu usque ad Berctholdi sequentis electionem non pauci quidem anni præteriisse videntur. Hanc lacunam explere forsan liceret Samueli quemdam Erlorfum subrogando, quem Morbacensis abbatiæ regimen sub annum 1114 dimisisse nonnulli tradunt et Fuldensem abbatiam obtinuisse. Aliis vero visum est Erlorfum non ex abbate, sed tantum e monacho Morbacensi Fuldensem præfecturam assecutum esse. De eo sane nulla quam legimus Morbacensis chartula mentionem facit. Vide supra, t. V, col. 614.

XXI. Berctholdus I, alias Berthulphus, ab anno 1122 reperitur. Hic Argentorati, anno 1125, Cæsaris litteris subscripsit quibus liberæ jus advocatiæ S. Blasii monachis, ab episcopo Basileensi vexatis, confirmatum est. Deinde Basileæ reperitur, VIII id. Februarii 1130, ubi litteras obsignat Lotharii imperatoris pro præpositura S. Felicis et Regulæ Turicensi; Als. Dipl., t. I, p. 479. Nec multo post, nempe VI id. ejusdem mensis, in eadem urbe, conventui interest in quo Odalricus, Constantiensis episcopus, S. Blasio Burgulum rursus confert. Anno 1133 Beretholdum memorant a D. Carolo *Zeerleder* diplomata recens edita; sub hunc scilicet annum Lotharii quibusdam litteris pro Interlacensi monasterio subscribentem; *Urkunden für die Geschichte der Stadt Bern*, t. I, p. 73. Ipse dein, anno 1135, canonicos regulares in San-Amariniana valle constituit, cellam eis Goltbacensem adscribendo. E chartula fundationem hanc enarrante compertum habemus annum Christi 1135 Beretholdi ordinati tertium decimum fuisse: ab anno igitur 1122 Berctholdus Morbaco præerat. Ad eumdem missæ, III id. Aprilis 1139, Innocentii papæ II litteræ de singulis abbatiæ juribus; Als. Dipl., t. I, p. 219. Deinde, V id. Julii 1143, Argentinæ, Beretholdo præsente, Conradus III abbatiæ Selsensi cudendæ monetæ privilegium confirmavit; ibid. p. 224. Anno denique 1144, in eadem urbe, Berctholdus ejusdem Conradi testis est ecclesiam Hagenoæ a parochia *Schweighausen* dividentis; *Dumge*, Reg. Bad., p. 135.

XXII. Egilolfus, eodem anno 1144, testis est Frederici, Ferretensis comitis, monasterium *Feldpach* condentis; Monum. Basil. Episc., t. II, p. 709. Idem Colmariæ præsens erat, III cal. Februarii 1153, qua die Fredericus I jura monasterii *Altorph* confirmavit; supra, t. V, Instr., col. 483. Anno sequente,
Ch. xxiv, col. 207. Ortliebi, Basileensis episcopi, possessiones S. Albani iterato diplomate stabilientis, testis fuit.

XXIII. Conradus I ab *Eschebach*, ab anno, ut ferunt, 1160. Hic anno 1173, X cal. Martii, Frederici I testis fuit Interlacensis abbatiæ possessiones recognoscentis. Dein, anno 1178, Ulrichi, fratris sui, Lucernensis præpositi, consilio, eligendi Lucernensis curionis rationem proscribit. Hanc rem referens chartula Conradum *electum* appellat, nondum igitur consecratum. Anno denique 1184 Conradus Henrici, Basileensis episcopi, testis est S. Albano ecclesiam *Biessissheim* restituentis; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 394.

XXIV. Widerolfus anno 1189 memoratur. Qui, cum Fredericus I bellum contra Sarracenos gerendum adornaret, otii, ut aiunt, potius quam Asiæ adeundæ laudisque comparandæ appetens, quoddam Cæsari prædium obtulit, ut semet alio quovis officio expediret. Turpis quidem ignaviæ pretium Fredericus libens accepit; sed potentibus Morbacensis monasterii clientibus haud ita res placuit. Widerolfus ideo insidias subodoratus, sibique tunc in ipso Morbaci claustro timens, abbatiale cubiculum monachosque suos clam deseruit.

XXV. Suitbertus litteras Cœlestini papæ III accepit, XI cal. Junii 1190, in quibus abbatiæ Morbacensis quælibet jura singulatim sunt recensita; Als. Dipl., t. I, p. 293.

XXVI. Arnoldus, e prosapia baronum *Gyrsberg*, in Alsatia, deductus, occurrit anno 1194, quo scilicet decurrente hic abbas Lutholdusque, Basileensis episcopus, super decimis transigunt quæ ab ecclesiis ad conventum Morbacensem pertinentibus deposcebantur; Als. Dipl., t. I, p. 301. Anno dein 1196, litteris publicis Arnoldus commendat donationem ab antecessore suo Conrado Morbacensium canonicorum collegio factam; ibid., p. 304. Anno 1200, cum Rudegero de *Uffholtz* litigans, sententiam obtinet; ibid., p. 310. Anno 1207, cum Lutholdo, Basileensi episcopo, de decimis in ecclesiis ad Morbacensem abbatiam pertinentibus colligendis iterum transigit; Mon. Episc. Bas., t. I, p. 431. Basileæ testis idem, anno 1212, Lutholdi præsulis inter abbatem *Beinwcil* nobilesque viros agri *Thierstein* Ch. xxvi, col. 214.
compositionem initam pro suo jure confirmantis. Ipse, anno 1213, et Hegenensis ecclesia possessiones quasdam commutant; Alsat. Dipl., t. I, p. 327. Statuta denique collegiatæ S. Amarini basilicæ dedit anno 1216, quæ, cum consuetudines quasdam memorent an- Ch. xxxii, col. 215.
tiquitatem olentes, infra proscribemus.

XXVII. Hugo *de Rothembourg* Ulmæ testis Ch. xxxiv, col. 217.
est, 13 Septembris 1218, Frederici II Basileensis civitatis concilium abrogantis. Hagenoæ, 21 Martii 1219, ejusdem Frederici diploma pro Tennebachensi conventu sigillo suo firmat, Hist. Fred. II Dipl., t. I, p. 113; ejusdem quoque, 23 Martii, litteris in gratiam Alberti, Magdeburgensis archiepiscopi,

datis subscribit, ibid., p. 618; quo etiam anno, et in eadem urbe, 17 Augusti, Henrici, Basileensis episcopi, comes assiduus, una cum eo Frederici diploma pro conventu *Neuenburg* laudat, ibid., p. 665; deinde, 11 Septembris, Frederici testis est urbem Argentinam protegendam suscipientis, ibid., p. 679, eodemque mense, omissa tamen diei nota, litteris Frederici ad Honorium III subscribit, quibus conceditur ut episcoporum electiones liberæ sint, eumdemque Fredericum Honorio sacramentum dicentem approbat; ibid., p. 676, 677. Rursus Hagenoæ, 4 Februarii 1220, Hugo testis reperitur Frederici Mollesheimensibus civibus Cæsareum præsidium promittentis, et, 10 Februarii, ejusdem monasterium Interlacense protegendum suscipientis. Deinde ad suos Hugo rediit, aliquantisper neglectam monasterii rem curaturus. Inter eum scilicet et canonicos S. Amarini de mutuis juribus lis erat: quibus decretoria definitione tandem circumscriptis, inter se pepigere x cal. Novembris 1222; Als. Dipl., t. I, p. 348. Nec multo post Fredericum imperatorem iterum comitatur. Cum eo enim Capuæ reperitur, Februario mense 1223, ejusque litteras laudat quibus ecclesia *Lodenaken* ecclesiæ S. Servatii Trajectensi rursus adscripta; Hist. Dipl. Fred. II, t. II, p. 307. Martio dein mense, Ferentini, pluribus ejusdem imperatoris diplomatibus subscribit, quæ eadem Frederici Hist. Diplom. nobis præbet, t. II, p. 333, 339, 341. Anno 1224 desinente, Hugo vestigiis Henrici regis addictus occurrit. Tulli scilicet, 17 Novembris, prædicti regis testis est Gemblacensem abbatiam in tutelam recipientis, ibid., t. II, p. 813. Bernam dein ejusdem comes se recepit, ubi, 28 Decembris, tribus minimum ejus diplomatibus subscripsit, in eadem Frederici II Historia Diplomatica legendis, t. II, p. 493, 818, 820. Ad latus vero Frederici redierat, et cum eo Parmæ conversabatur, Junio mense 1226, ut imperatoris testantur litteræ erga Magdeburgensem archipræsulem benefici; ibid., p. 603. Nec tantum intra fines imperii Fredericum consistendi parum scientem Hugo frequentissime secutus est, sed etiam cum eo Hierosolymam profectus est, ut rem ab ipsius Hugonis ore Richerius Senonensis semet accepisse testatur; Acher. Spicileg., t. II, p. 631. Ejusdem itineris fidem facere videtur insigne Frederici diploma, Acone datum, mense Septembri 1228, in quo egregia Hugonis officia remunerantur; Hist. Dipl. Fred. II, t. III, p. 78. Animadvertendum Hugonem in Cæsareis litteris *principem* imperii nuncupari: quæ tunc primum, ut Schœpflinus censet, dignitas ei collata. Ea vero quæ nostro Hugoni jura Fredericus in præmemorato diplomate concesserat Henricus rex eidem anno 1229 confirmavit. Anno dein 1231, 31

Ch. xxxvii, col. 219.

A Decembris, Henrico regi villam *Tattenried* in oppidum convertendam concessit; ibid., t. IV, p. 559. *Principem* quoque *nostrum* in chartula concessionem hanc referente rex eum vocat. Et revera non minus sæcularis quam ecclesiasticus Hugo princeps erat, qui, validas ducens armatorum cohortes, indictum ab ipso vicinis magnatibus bellum gerebat, et in alienos agros ipse signa ferebat cuilibet pertimescenda. Sic, anno circiter 1232, Theodoricum, Montis Biligardi comitem, aggressus, eum cepit carcerique aliquantisper mandavit: sed, anno sequente, idem B Theodoricus aderat ad vindictam pronus, et, Alsatiæ fines ingrediens, impari præsidio munitas arces deprædabatur, cum, orto clamore populi, receptui canere et pedes retro ferre coactus est: quod ab auctore Annalium Morbacensium traditum habemus; Monum. German., t. XVII, p. 177. Eodem anno 1233, fidum Hugoni obsequium Petrus *de Bollewilre* promisit; Als. Dipl., t. I, p. 370. Anno sequente, Henrici, Romanorum regis, diploma ab Hugone nuper latam inter capitulum Solodorense civesque Solodorenses sententiam approbat; Hist. Dipl. Fred. II, C t. IV, p. 641. Quo etiam anno, mense Maio, Hugo societatem precum cum Theobaldo, vel Simone, Luxovii abbate, pepigit, et, mense Septembri, cum Henrico, episcopo Constantiensi, de collatione Lucernensis ecclesiæ composuit. Columbariæ postea, Martio mense 1236, litteris Frederici II in gratiam civium Argentinensium subscribit; ibid., p. 820. Sed quo decesserit anno minime comperitur. Castrum *Hugstein*, inter Morbacum et *Gebwyller* situm, Hugo, teste *Laguille*, condidit; Hist. Alsat., lib. XX, p. 233: in quod castrum postea sæpe Mor- D bacenses abbates, militares utpote viri, secesserunt, forumque suum, utpote vallis adjacentis domini, habuerunt.

XXVIII. Albertus I *de Fronburg*, anno circiter 1239. Ulrichus quidem Morbacensis abbas sub mensem Martium 1236 legitur in Cæsareo pro episcopo Raceburgensi diplomate, quod D. *Huillard-Bréholles* typis vulgavit, Hist. Dipl. Fred. II, t. IV, p. 823. Nonnulla vero in eo diplomate vitia jam ipse cautissimus vir D. *Huillard-Bréholles* animadvertit. De Ulricho abbate Morbacensi ibi certe falsa mentio. Nisi plura super Alberto, cer- E tiora tamen traduntur. Coævus enim Annalium Basileensium scriptor, Monum. Germ., t. XVII, p. 200, eo ordine Morbacensium seriem abbatum describit: « Abbates Morbacenses: Hugo, Albertus gyppus *de Fronburg*, Theobaldus, Bertholdus *de Steinenbrun*. » Hic sane Albertus *gyppus*, gibbusve, per paucos annos Morbacum rexit. Debita vero testi fides ejus qui nomen recensuit ignotum hunc ea tenus abbatem nobis prætermittere non permisit.

XXIX. Theobaldus *de Faucogney*, e Burgundiæ regulis, ut ferunt, ortus, abbas jam Luxoviensis, Morbacensi quoque mitra, anno 1240, a Gregorio papa IX donatus est. Ch. XLI, col. 223. Qui utramque simul abbatiam rexit. Hic Conrado *de Horburg* quamdam nummorum summam mutuo credit, Decembri mense 1244. Anno sequente, cum Ulricho, comite Ferretensi, qui nonnulla damna Morbacensi rei attulerat, memorandum pactum facit, cujus ex præscripto promittit Ulrichus, inter alia, se Theobaldo præsto fore castrum in valle San-Amariniana ædificare studenti. Administrandæ abbatiæ magnam curam Theobaldus habuisse videtur: negotia saltem plura expedivit. Sic, anno 1253, occurrit a Walthero *de Horburg* fructuosissima jura pretio comparans; Als. Dipl., t. I, p. 408 : anno sequente, a Lucarde, Hugonis vidua, prædia quæ prius eidem vendiderat donationis titulo redipiscens; ibid., p. 409 : anno 1255, castrum in valle quam S. Amarinum vocant ædificans; ex Annal. Colmariens. minor., inter Mon. Germ., t. XVII, p. 190 : anno 1257, adversus Arnoldum *de Rotenburg* litigans, eumque ad dimittenda quæcumque sibi vindicabat compellens; ibid., p. 419 : anno denique 1259, similem sententiam contra Rudolfum et Gottfridum, *Habsburg* comites, obtinens; ibid., p. 426.

XXX. Berctholdus II *de Steinbrunn*, ex equestri apud Sungundos familia, Walthero *de Geroldseck*, Argentoratensi episcopo, quadam sanguinis copula conjunctus erat : qui scilicet ex ejus amita genitus ab Annal. Hospit. Argent. auctore refertur; Mon. Germ., t. XVII, p. 105. Ideo prædicto Walthero primam, 2 Februarii 1261, missam in ecclesia Argentoratensi majore, quia recens episcopatu donatus fuerat, solemniter celebrante, eo se recepit Berctholdus, equitibus quingenis stipatus, ut qui tanto vis militaris apparatu sacrosanctis mysteriis servientem propinquum suum cohonestaret; ibid. Eodem anno Waltherus contra cives ipsos Argentoratenses bellum adornavit, quibuscum de juribus nonnullis contendebat; tunc ei cum multis armatis Berctholdus auxilium tulit; ibid., p. 106. Testis deinde reperitur, 17 Aprilis 1262, induciarum inter Waltherum Argentinensesque cives pactarum; Als. Dipl., t. I, p. 436. Sub id vero temporis Berctholdus, abbatiali licet munere fungens, diaconus tantum erat. Ideo, VIII cal. Decem- Ch XLIV, col. 225. bris 1263, Urbanus papa IV ad episcopum Lingonensem scribit ut presbyterum eum efficiat. Dein, anno 1266, Berctholdus pacem testatur inter Argentinenses et Waltherum *de Geroldseck* compositam; ibid., p. 454. Eo tempore Basileensis totus ager bellorum æstu fervebat. Ipse Berctholdus, cum jam in eo esset ut castrum San-Amarinianum, in quod Hartmannus ipsi infensus confugerat, obsi- A deret, eumdem Hartmannum ad conditiones descendentem benignius suscepit, anno 1268; ibid., p. 460. Quo et anno testis reperitur Conradi, Hermanni et Eberhardi *Waldenère* cum episcopo Argentinensi transigentium; ibid., p. 462. Pro suo, ut videtur, jure Berctholdus prohibebat ne quis præter Morbacensem abbatem quoddam in valle San-Amariniana castrum possideret: vel certe jus illud comes Ferretensis Ulrichus semet præsidio suo defensurum anno 1269 promisit; ibid., p. 464. Anno dein 1270, ecclesiæ Beronensi Berctholdus decimam e villa B *Culmbe* exigendam vendidit; ibid., p. 467. San-Amarinianum interea castrum, Morbacensis conventus possessionibus periculosum, Berctholdi jussu destructum fuerat : cum vero S. Amarini toparchæ, qui castrum hoc *feodaliter*, sub Morbacensis abbatis patronatu, ea tenus occupaverant, ex eversione præmemorata damnum essent perpessi, eo super damno Berctholdus cum eis transegit, 8 Januarii 1272; ibid., p. 469. Occurrit deinde 5 Januarii 1273, censum annuum oppidi Gebwillani confirmans; ibid., t. II, p. 34. Anno dein sequente, Aprili mense, C Theodorico III de Monte Biligardi, pretio 450 bessium argenteorum, *Delle* aliaque prædia vendit. Berctholdum referunt apud Radulfum imperatorem, præ cæteris imperii principibus, acceptum exstitisse. Vel certe cum inclytus ille princeps Basileæ sub Julium mensem 1276 commoraretur, in ejus comitatu Berctholdus erat, ejusque litteris subscribebat quibus *Rheinfelden* civibus eximia jura concessa. Magna mox inter Berctholdum et Basileensem episcopum dissidia. Monasterii scilicet sui jura Berctholdus viriliter tuebatur, quæ præsul totis viribus im- D pugnabat. Mentibus ultra modum exacerbatis, conjurationem inter se monachi fecere, et coram eis abbas juravit, 18 Aprilis 1282, se ad nullam cum hoste domestico pactio- Ch. LIII, col 232. nem venturum, quam prius cognitam probatamque fratres non habuissent. Berctholdo strenuus animus et ad obeunda pericula alacer. Hic ut subditos monasterio colonos tueretur, quibus nobiles undique prædones minas intendebant, *Gebwyller* et *Watteville* mœnibus fossisque munivit, arcesque præterea plures exstruxit, *Hohenrupff* scilicet in excelso supra Morbacum monte, Fridber- E gam in valla San-Amariniana, et *Hirzenstein* prope *Watteville*. Contra Reginaldum, Montis Biligardi comitem, ipse bellum gessit, et comprehensum stricto carceri mandavit, quousque illata Morbaco damna plene pensaret. Anno denique 1285 obiit Berctholdus *de Steinbrunn*, quem diuturno monachi desiderio prosecuti sunt

XXXI. Berctholdus III *de Falkenstein*, antea decanus, abbas postea reperitur, cujus electio nonnihil difficultatis habuit.

Scissis enim in contrarias partes animis, non secundum totius conventus vota, sed ex delectorum quorumdam monachorum arbitrio, per compromissi viam, electus est. Quem deinde Joannes, tituli S. Ceciliæ presbyter cardinalis, IV cal. Martii 1286 confirmavit; apud Lunigium, Spicil. Eccles., t. V, p. 976. Anno 1288, Petri, Basileensis episcopi, fidejussor hic Berctholdus occurrit, cum jam multus sermo de pace inter Basileensem ecclesiam et Reginaldum, Montis Biligardi comitem, facienda; Mon. Episc. Basil., t. II, p. 454. Eumdem referunt non tantum Morbacensis conventus ærarium exhausisse, sed etiam divitem olim domum ære alieno gravavisse. Certe, sub annum 1291, oppidum Lucernense, opulentissimam Morbacensium possessionem, Alberto archiduci quadam sane necessitate coactus vendidit. Qui vero fœnebrem sæpius, ut videtur, pecuniam acceperat, in fœneratores animosus exstitit. In Colmariensibus enim Annalibus sub annum 1293 legitur : « Cauwirceni in *Gebiwilre* « turpiter capiuntur ab abbate Morbach« censi; » Mon. Germ., t. XVII, p. 220. Anno postea 1295, cum persolvendos San-Amarinianis toparchis nummos ob eversionem castelli præmemoratam solvere non posset, adiit cum Cuno, Hartmanni defuncti frater, cui, III nonas Aprilis, sex parva albi vini dolia quotannis se præstiturum promisit, donec promissos nummos numerare, et sic nominibus suis respondere valeret. Eodem anno, Jovis die post Ramos Palmarum, ad fundationem Dominicani conventus in Gebwillano oppido manum admovens Berctholdus reperitur; Alsat. Dipl., t. II, p. 62. Anno denique 1296 Berctholdus legitur, veteres Leonis IX litteras pro monasterio S. Crucis *Woffenheim* sito laudans; ibid., t. I, p. 164. Obiit anno 1298, vel anno potius 1299, secundum annalistam Colmariensem, eum qui perperam Albertum *de Valchinstein* appellat; Mon. Germ., t. XVII, p. 225.

XXXII. Albertus II *de Liebistein*, e nobili Sungaudiensi stirpe genitus, Berctholdo successit. Berctholdo scilicet mortuo congregatus electorum cœtus nihil, post multum sermonem, decreverat. Tunc vero, compromissi viam ingressi, peragendam electionem præposito decanoque Basileensis ecclesiæ demandaverunt, a quibus Albertus, Morbacensis antea monachus, abbas renuntiatus est. Ivit tunc ad summum Pontificem Albertus atque ab eo III non. Augusti 1299 confirmatus est. (Ch. LIX, col. 236.) De eo sic auctor veteris indicis quem Lunigius publici juris fecit : « Erant « tum præpotentes in Alsatia superiori re« guli, quos de Domo, *von Hauss*, voca« bant. Horum blanditiis inescatus Albertus, « cum eorumdem tutelæ se suosque commi« sisset, prædones et tyrannos brevi exper« tus est quos patronos putabat; et sane de

A « Morbaco conclamatum erat, nisi Alberto « ad plures abeunte nobiles, illi advocati « de Domo votis excidissent : id quod eve« nit anno 1303. » Hactenus indicis auctor. E cujus dictis facile crederes Albertum meris blanditiis, nulla vero necessitate eo adductum fuisse ut prædictorum nobilium se suosque calamitosæ tutelæ committeret. Id tamen alio prorsus modo contigit. Habemus enim Alberti litteras ea de re, anno 1300 editas, quibus Dietricho et Joanni Ulricho de Domo, militibus, omnes Morbacensis abbatiæ reditus ad tempus obligat, ea vero sub condi-B tione, ut, his opportunam opem præbentibus, abbatia, ære alieno intolerabiliter oppressa, quibuscumque debitis prorsus liberetur; Monum. Episc. Basil., t. II, p. 697. Nummos pariter ut compararet Albertus Lucellæ, 340 bessium argenteorum pretio, medium *Luterbach* dominium aliaque prædia, anno 1301, vendidit; Mon. Episc. Bas., t. III, p. 679. Eidem denique abbatiæ, eodem sane consilio, prædium *Heimsprung* 17 Januarii 1303 contulit; ibid., p. 35.

Alberto mortuo, novæ discordiæ abbatis electio materiam præbuit. Monachorum C enim suffragia in duos æmulos discessere, Berctholdum scilicet Lucernensis monasterii præpositum, et Matthiam, Morbaci custodem. Qui summum Pontificem insimul adierunt, alter alterius irritam electionem conclamitantes. Petro Sabinensi episcopo, rem hanc investigandam summus Pontifex commisit. Nec adeo multo post coram eo Berctholdus Matthiasque omnem muneris abbatialis ambitum ejuraverunt, et tunc Benedictus papa XI, V non. Martii 1304, ipsum Sabinensem episcopum jussit successurum Alberto Morbacensis conventus rectorem eligere; ex D Albor. Mantell. cod. 10, p. 77. Qui Conradum sequentem designavit.

XXXIII. Conradus II *de Stauffenberg*, Mauri Monasterii antea monachus, postquam biennium totum pessima Morbacensis domus discordia mixta fuerat, anno tandem 1305 abbas creatus est, et Sabbato post festum B. Martini hiemale, data S. Petro fide, (Ch. LXII, col. 240.) in sedis abbatialis possessionem missus est. Abbatem agens primum occurrit 26 Septembris 1307, qua die patronatum ecclesiæ *Heimsprung* ad Lucellensem abbatiam pertinere recognovit; Mon. Bas. Episc., t. III, E p. 117. Quis vero tunc Morbaci status! Ædificia nempe ruinosa Conradus intravit, ingemuitque videndo neglectum ibi Dei cultum : imo ipsi renuntiatum est, jam abalienatis monachorum possessionibus, abbatiam tantum æris alieni contraxisse, ut quinque millia bessium deberet. Occurrit Conradus, die post Circumcisionem 1310, cum Conrado ad Solem, cive Basileensi, transigens; ex Albor. Mantell. cod. 10, p. 76. Anno dein 1312, præbendam Gebvillanæ ecclesiæ rectori de-

bitam recognovit auxitque, quatuor dolia albi vini et duo rubri ei in singulos annos assignans; ibid., p. 81. Cui subscripsit recognitioni Henricus de *Stauffenberg*, ipsius Conradi abbatis dictus frater. Anno 1313, vel 1314, 4 Februarii, cum Morbacensis conventus ære alieno ultra modum oppressus esset, quædam prædia Conradus præceptori domus S. Antonii in vico *Isenheim* vendit. Eodem anno statuit ut præbenda cuilibet monacho assignata, per unum annum post cujuslibet monachi mortem, in pios usus, ecclesiæ scilicet Morbacensis ornatum, impendatur, nisi tamen hujus præbendæ fructus a creditoribus fratris defuncti requirantur; ex Alb. Mant. cod. 10, p. 87. Ab antiquis licet temporibus Morbacensis abbatia se Romanæ sedi nullo medio subjectam esse iterum iterumque asseruisset, non semel tamen eam ordinariæ jurisdictioni submittere Basileenses episcopi conati erant. Sic, anno 1316, Basileensis antistes exactoribus suis præcepit ut nummos e quibusdam Morbacensibus ecclesiis, in subsidium episcopalis mensæ, deposcerent : quibus colligendis viriliter Conradus obstitit; ibid. Anno 1321, 15 Novembris, legitur Conradus in instrumento de castello *Angraett*, juxta *Guebwiler*, instaurando. Anno postea 1324, præpositum Lucernensis monasterii fratresque in eo monasterio degentes, qui super nonnullis juribus a longo tempore jam litigabant, ad ineundam pacem compulit; ibid., p. 95. Dives erat tunc temporis, aut saltem sui prodigus, Waldenarus, Morbacensis ecclesiæ præpositus : cui scilicet erga capellam S. Catharinæ sacram, in vico *Buhel* sitam, benefico Conradus, anno 1330, egregia privilegia concessit; ibid., p. 101. Pepigit, 1 Augusti 1332, cum Burchardo *Le Vidome*. Anno denique 1333, feria secunda post Inventionem S. Crucis, memoratur Conradus in litteris Basileensis officialis de præbenda a Rutimanno, Guebvillano cive, in ecclesia Morbacensi instituta; ibid., p. 102. Decessit anno, ut ferunt, 1334. Diuturnum igitur Conradi *de Stauffenberg* regimen fuit, minime vero quietum. Non tantum enim eum prædicta gens *von Hauss* multis ærumnis affecit, sed infensos etiam expertus comarchos arcem *Angraett* incolentes, ad hanc arcem expugnandam æquandamque solo compulsus est. Laudatur conventualis rei parcus, qui scilicet, omni fastu seposito, quoslibet abbatiæ reditus in nomina dissolvenda prudenter impendit.

Ch LXIV, col. 241.

XXXIV. Conradus III Wernherus *de Murnhard*, ex equestri in Alsatia inferiori prosapia genitus, *electus* tantum legitur 27 Maii 1335, in chartula qua præbendas monachorum suorum et canonicorum in ecclesia Morbacensi degentium ordinat; Als. Diplom., t. II, p. 150. Quæ ordinatio ei probro fuit, cum postea monachi, sero antiquatæ disciplinæ studio, communem mensam desideraverunt. Anno dein 1341, ecclesiam parochialem *Celle*, apud Lutenbachum, mensæ capituli sui Conradus assignat; ibid., p. 173. Eidem, anno 1342, Ludovicus IV, Romanorum rex, vetera abbatiæ privilegia confirmat; apud Lunigium, Spicil. Eccles., t. V, p. 981. Anno denique 1343, II cal. Julii, monachorum suorum præbendas quibusdam reditibus Conradus Wernherus auget; ex Alb. Mant. cod. 10, p. 124. Quo decessit anno. Conradus hic quoque, ne laude sua fraudetur, inter optimos Morbacensis ærarii procuratores recensetur.

XXXV. Henricus *de Schawenburg*, 3 Martii 1345, fœdus pangit cum Argentinensi episcopo Beretholdo et multis aliis proceribus pro tuenda publica pace; apud Wenckerum, Disq. de Ussburgeris, p. 59. Idem, anno 1347, Ludemanno *de Uttenheim* prædia nonnulla vendit, nominibus suis responsurus; ex Alb. Mant. cod. 10, p. 129. Denique, 22 Maii 1350, Bertholdi ejusdem, Argentinensis episcopi, suasu, cum Hugone, comite Hohenbergensi, super *Uffholtz* transigit; Als. Dipl., t. II, p. 189. Decessit anno 1354.

XXXVI. Joannes I *Schultheiss de Gebwiler* Henrico successit anno 1354. Quo scilicet anno, 2 Novembris, tam Morbacensium monachorum quam canonicorum ecclesiam S. Mariæ sacram intra septa Morbacensia incolentium præbendas auxit; ex Alb. Mantell. cod. 10, p. 132. Deinde, 23 Aprilis 1356, decreto prohibuit ne Morbacensis abbas, sine capituli sui consensu, possessiones domesticas alienaret; Als. Dipl., t. II, p. 212. Hic enim mos, qui jam multis ab annis invaluerat, quam maxima Morbacensi rei damna attulerat. Pro sua quoque parte monachi, soluto quolibet disciplinæ monachicæ vinculo, in abbatis defuncti bona reditusve, ut sedes abbatialis vacabat, involare consueverant, eaque sibi communiter aut privatim vindicare. Cui etiam deprædationi Joannes, congregato solemniter capitulo, remedium attulit, anno 1360. Idem, 25 Maii 1362, Columbariæ, cum permultis proceribus fœdus init adversus Anglos Alsatiæ tunc imminentes; Schilterus, ad Kœnigsh. Chron. Argent., p. 887. Deinde Joanni possidendi muneris legitimam traditionem Carolus IV impertit, 30 Aprilis 1305; apud Lunigium, Spicil. Eccles., t. V, p. 983. Basileam Joannes se receperat, ut Cæsari morem gereret in hac civitate aliquantisper commoranti. Reperitur postea Joannes anno 1366, 17 Octobris, instrumento subscribens de pace Alsatiæ in biennium stabilita; Als. Dipl., t. II, p. 250. Idem quoque, 8 Januarii 1370, secundum Leopoldi, ducis Austriæ, sententiam, cum Theobaldo de Novo Castro in Burgundia fœdus init; ibid., p. 260. Nec prætereundæ

monalium Goldbacensium litteræ, eum quæ verum conventus sui advocatum, 5 Decembris 1371, profitentur; ibid., p. 265. Joannis obitus anno 1376 adscribitur.

XXXVII. Guillelmus I *Stoer de Storenburg*, ex illustri et perantiqua in territorio Morbacensi familia, monasterii decanus erat, cum, audita Joannis morte, Gregorius XI eum motu proprio designavit abbatem, v cal. Februarii 1377; Lunigii Spicil. Eccles., t. V, p. 984. Exustum suo tempore Guillelmus Morbacum rursus ædificari curavit. De qua eum cura multum gratulantur. Animadvertunt quoque eumdem, in ea infelici ætate per quam duorum paparum ambitus omnia miscebat, partibus Clementis VII adhæsisse, Germania fere tota Urbano VI favente. Ideo, nonis Junii 1380, Clemens, Avenionensis papa, ad eum scribebat, jubens ut debitos apostolicæ cameræ octingentos nummos Florentinæ monetæ persolveret. Id erat beneficiariæ largitionis pretium a Gregorio XI Guillelmo collatæ. Misitne Guillelmus postulatam a Clemente pecuniam? Non adeo multo post, nempe XIII cal. Julii 1381, Paulus, cardinalis tituli S. Praxedis, Urbani VI mandato, simili Guillelmum epistola monuit ut Romanæ cameræ, ob ejusdem dignitatis donum, septingentos Florentinæ monetæ nummos numeraret; Albor. Mant. cod 10, p. 143. Æmulorum paparum utrique sane Guillelmus obtemperare, præsertim cum fortunis eversæ domui præsideret, minime valebat. Certe Pauli cardinalis monitum despexit. Postea vero, Junio scilicet mense 1387, Urbanus, contemptæ dignitatis vindex, alias ad Imerium, Basileensem electum, litteras dirigebat, quibus hanc ei provinciam dabat ut Guillelmum, pervicacem Clementis asseclam, abbatiali baculo privaret, Radulfumque, Lucellensem abbatem, in abbatiam Morbacensem administrandam induceret; ibid., p. 144. Implevit Imerius Urbani vota, et, litteris 31 Martii 1388 editis, Guillelmum ejecit, Radulfum in vacua sede collocavit.

XXXVIII. Radulfus *de Watteville*, eques, Auroræ primum abbas, in diœcesi Constantiensi, fuerat, dein, ab anno scilicet 1379, Lucellæ. Dimisso vero, anno 1387, Lucellæ regimine, Basileam in ædem S. Albano sacram secesserat, ibique Cluniacensium vestem induerat. Eum inde, anno 1388, episcopus Basileensis eduxit, Morbaco præficiendum. Reperitur 21 Septembris 1390, eum nonnullis Alsatiæ superioris optimatibus fœdus faciens adversus *landgraviale* judicium; Alsat. Dipl., t. II, p. 288. Pauca hæc de Radulfo, sed acerba, auctor indicis quem Lunigius vulgavit : « Præterea prioratibus S. Valentini Rubeaci « et S. Petri Colmariæ auctus (Radulfus), « merum et putum ventris et abdominis mancipium fuit, brevique omnem monasterii « substantiam decoxit; quæ præpostera vi-

A « vendi ratio haud dubie mortem illi accele- « ravit, apoplexia namque tactus vivere « desiit anno 1393. » Obiit certe pænultima mensis Februarii die 1394, secundum hodiernam computationem.

XXXIX. Guillelmus II *de Wasselnheim*, a majore tantum capituli parte 18 Martii 1394 electus, de Morbacensi baculo diu cum Guillelmo Sculteto de *Gebwiler* litigavit. Re tamen ad Bonifacium IX delata, secundum *Wasselnheim* dynastarum vota summus Pontifex contentionem hanc sopivit. Occurrit Guillelmus *de Wasselnheim* fœdus pangens,
B 5 Aprilis 1397, cum colonis Morbacensibus in villa *Watteville* degentibus; Alsat. Dipl., t. II, p. 299. Eo quoque anno, 11 Novembris, sedis apostolicæ mandato, litteras edit publicas de monasterio *Schœnensteinbach* monialibus Dominicanis adscribendo; ibid., p. 301. De variis deinde juribus Guillelmus cum capitulo suo transigit, 5 Februarii 1405, ibid., p. 312. Anno 1406, 6 Aprilis, ab abbate Luthrensi capellam S. Antonii, *Uffholtz* sitam, accipit; ibid., p. 315. Idem reperitur 28 Martii 1411, Nicolaum *Bruder*, Lucernensem præpositum, munere privans; dein
C 24 Junii 1412, Susannæ Ferretensi diversos quosdam reditus vendens, ibid., p. 321, et, anno 1416, cum Joanne *Nortwint* de rebus in valle S. Amarini sitis paciscens; ibid., p. 323. Missæ ad Guillelmum, 18 Januarii 1418, Martini papæ V litteræ, quibus ei Morbaci vetera jura confirmata; apud Lunig., Spic. Eccl., t. V, p. 987. Anno denique 1428 Guillelmus obiit, magno bonorum omnium desiderio prosequendus.

XL. Petrus *d'Ostein* post Guillelmi decessum a monachis eligitur. Ea autem electio irrita fuit. Martinus enim papa V Guillelmo
D successuri abbatis nominationem sibi servaverat. Ipse tamen Petrum eodem munere donavit. Hic, 26 Octobris 1428, statuta condit quæ præbet Alsatia Dipl., t. II, p. 345. Moribundus postea Petrus, ut scilicet fratrem suum successorem haberet, validis circumjacentes arces præsidiis implevit, quæ opportunum monachis suffragia ferentibus terrorem incuterent. Spem autem ejus eventus fefellit; nam, spretis præsidiariis, sequens electus est.

XLI. Theodericus de Domo, a monachis electus, ab Eugenio papa dein instituitur
E VII id. Julii 1433; Albor. Mant. cod. 10, p. 220. Hic anno 1437, v id. Aprilis, a synodo Basileensi generali litteras obtinet, quibus clericis laicisve e Morbacensis rei quotidiana deprædatione ditescentibus imperatum, ut quæcumque bona juraque Morbaco restituant, ipsis antea clericis laicisve, apostolicis etiam litteris, in commune monachorum præjudicium collata; Albor. Mant. cod. 10, p. 179. Idem Theodoricus de Domo Joanni *Spieklin de Geilhausen*, vicario Lu-

tenbachensis ecclesiæ perpetuo, plenum propriorum honorum usum concedit; ibid., p. 170. Dein, anno 1444, decretum edit de morientium abbatum hæreditate; ibid., p. 171. Denique, 22 Junii 1445, cum ordine Prædicatorum de parthenone Gebvillano transigit; ibid., p. 378. Vigil disciplinæ custos Theodoricus fuit, qui anno 1447 mortuus perhibetur.

XLII. Bartholomæus *d'Andlau* Theodorico, avunculo suo, unanimi eligentium calculo subrogatus est. Hic vixdum electus, nempe 3 Maii 1447, coram notario publico, Basileensis episcopi jurisdictionem detrectavit; ex Alb. Mant. cod. 10, p. 139. Dein vero cum eodem episcopo Basileensi transegit 19 Septembris 1450; Alsat. Dipl., t. II, p. 384. Anno postea 1456, 12 Maii, Conrado de *Hungerstein* vicos *Bergholz* et *Celle* oppignerat; ibid., p. 388. (Ch. LXXVI, col. 256.) Solemnius est Bartholomæi decretum, 9 Julii ejusdem anni prolatum, quo Morbacensis conventus in Lucernensem S. Leodegario sacram ædem, canonicis sæcularibus tradendam, omni jure semet abdicat. Inter alia notatu sane digna quæ documentum hoc continet, animadverte Bartholomæum semet Arnoldi, Basileensis episcopi, consanguineum dicere. Eodem anno, 29 Novembris, Arnoldus is præsul jam diuturnam inter Bartholomæum et capitulum S. Theobaldi in Thannis de variis juribus litem diremit; ibid., p. 391. Erga eumdem abbatem Fredericus III, 19 Februarii 1464, beneficus fuit; cui scilicet in oppido *Watteville* duas nundinas annuas et mercatum hebdomadalem concessit; ibid., p. 399. Caroli vero, Burgundionum ducis, ministros, et præcipue Petrum *de Hagenbach*, ejus in Alsatia superiori baillivum, infestissimos expertus est, eo tempore videlicet quo Fredericus imperator contra prædictum Carolum bellum adornaret; anno, ut conjicere fas est, 1475. Accusatorias Bartholomæi adversus Petrum *de Hagenbach* litteras præbet Alsat. Dipl., t. II, p. 409. Ærumnas etiam quasdam alias expertus ab aliis circumjacentis agri proceribus, obiit Bartholomæus in arce *Hugstein*, calendis Julii 1476. « Nostro judicio, ait auctor indicis a Lunigio « typis mandatus, nomen et immortale decus « Bartholomæo peperit gratiosa ejusdem in « litteratos et rem litterariam propensio; ut « enim nihil dicam de rarissimis manuscrip- « tis quibus bibliothecam Morbacensem « exornavit, complures adolescentes paupe- « res copioso ære juvit, ut, humanioribus « imbuti litteris, patriæ quandoque decori « essent. »

(Ch. LXXVII, col. 258.) XLIII. Achatius *de Griessen*, nobilis Alsata, a Sixto papa post Bartholomæi decessum abbas creatur XV cal. Decembris 1476, et, aliquot interjectis annis, in legitimam possessionem mittitur a Frederico III, 19 Januarii 1480. Quo etiam anno, 19 Junii, ei per eumdem licet nundinas et mercatum hebdomadalem in oppido San-Amariniano instituere. Achatio gravis fuit cum Simone Weckhero, comite Bipontino, de quibusdam juribus controversia. Obiit anno 1489.

XLIV. Gualtherus *de Wilsperg*, Achatio mortuo, tam a monachis quam a canonicis Morbacensibus concorditer eligitur, ejusque electionem Innocentius papa IV cal. Junii 1489 approbat. Quin vero munere potiretur diu prohibitus est. Non multo post enim eamdem electionem e monachorum grege nonnulli ad summum Pontificem veluti simoniæ ream detulerunt, nec ea contentio ante annum 1493 sopita est, quo decurrente, 8 Octobris, Bernardus *de Minstrol*, abbas Vallis Dei, Alexandri VI mandato, Gualtherum instituit. Hic, anno 1500, a Romana curia litteras obtinet, quibus centum dies de injunctis pœnitentiis relaxati fidelibus quibuscumque adjutrices ad resarcienda Morbaci ædificia manus porrigentibus; Alb. Mant. cod. 10, p. 189. Idem, 6 Aprilis 1507, Rappoltsteinenses dynastas beneficos experitur; Als. Dipl., t. II, p. 446. Anno 1512 Gualtherus obiit, Morbacensisque conventus, damna magna passus, ideoque pristinarum opum imminutionem, Luthrensem abbatem sibi præfici exoptavit, ut duorum beneficiorum in eumdem conjunctione is ditior esset, ipsisque monachis rei auctoribus majorem domesticorum redituum partem traderet. Quod fecerant Leo X, 7 Januarii 1513, approbavit.

XLV. Georgius *de Massmunster* duplici Morbaci Luthræque mitra apostolicis litteris insignitus legitur 7 Januarii 1513. (Ch. LXXVIII, col. 258.) Eo regente, anno 1525, rusticorum seditio coorta est, quæ totam fere Germaniam miscuit. Postquam vero horum turbulentorum armata manus Gebvillanam urbem occupaverat, Georgius, cum expedita suorum manu, eos adortus est, et magna cum strage fudit. Acerba postea referuntur inter Georgium et ipsos Gebvillanos oppidanos dissidia, his temporale, ut dicitur, Morbacensis abbatis regimen detrectantibus. Quæ scilicet contentio plus Georgio sudoris quam quæstus attulit. Adjutorem ei Paulus III Joannem Radulfum *Stoër*, anno 1536, dedit, eumdemque Georgii futurum successorem tam Luthræ quam Morbaci prænotavit; apud Lunigium, Spicil. Eccles., t. V, p. 1005. Obiit Georgius anno 1540, vel, ut aliis placet, 1542.

XLVI. Joannes II Radulfus *Stoër*, abbas una dictus Morbaci Luthræque, a Ferdinando I imperatore, 7 Julii 1542, in regalium jurium possessionem mittitur. Nihil hic Joannes antiquius habuit quam ut jam temporariam duarum abbatiarum unionem perpetuam efficeret. Quod, 12 Martii 1554, ei a Joanne cardinali Morono concessum est; apud Lunigium, Spicil. Eccles.,

t. V, p. 1017. Summi vero Pontificis confirmatio usque ad annum 1560 dilata est. Obiit Joannes Radulfus 16 Junii 1570, qui successive tres adjutores habuerat, Fredericum scilicet *de Thiersberg*, Philippum *de Helmstatt* et Joannem Ulrichum *de Raittnaw*. De eo plura inter Luthrenses abbates.

XLVII. Joannes III Ulrichus, vel Udalricus, *de Raittnaw*, antecedentis ab anno 1560 adjutor, ei tam Morbaci quam Luthræ successit. Ipsi postea *de Raittnaw*, calendis Augusti 1576, muneris adjutorem obeundi Gregorius XIII Wolfgangum Theodoricum *de Raittnaw*, præpositum ecclesiæ Basileensis, concessit; ibid., p. 1027. Eum anno 1580 decessisse supra dictum est, col. 171, sed quadam typographi culpa. Obiit enim calendis Februarii 1587.

XLVIII. Wolfgangus Theodoricus *de Raittnaw* avunculi sui vices excepit; sed non nisi per duos menses abbatiam rexit, namque mox Salisburgensem cathedram conscendere jussus, tam Luthrensi præfectura quam Morbacensi semet abdicavit. Nondum Wolfgangus Theodoricus monachum induerat, cum ecclesiam Salisburgensem administrandam accepit; nondum igitur consecratus fuerat.

Eo abeunte monachi Gabrielem *Gyet*, vel *Gyel, de Gielsperg*, ipsius Morbacensis abbatiæ monachum, eligunt. Tunc vero Marco *de Rye* Luthram cum armata caterva occupante, metu perculsi Morbacenses in Andream, Austriacum cardinalem, se convertunt, 11 Julii 1587.

XLIX. Andreas igitur, cardinalis Austriacus, Maximiliani II imperatoris e fratre nepos, bullis apostolicis a Sixto V donatur 14 Octobris 1587; apud Lunigium, Spic. Eccles., t. V, p. 1033. Anno sequente, 28 Septembris, in utramque abbatiam possidendam a Radulfo II mittitur; ibid., p. 1036. Obiit Romæ 12 Decembris 1600. Præter Morbacum et Luthram Constantiensem et Brixinensem episcopatus Andreas rexerat.

L. Joannes IV Georgius *de Kalkenriedt*, nobilis Suevus, a majore capitularium parte Morbaci Luthræque abbas eligitur, et apostolicis litteris confirmatur VI cal. Aprilis 1602; ibid., p. 1039. Ei quidem Claudius *de Mugnans*, sed infeliciter, obstat. Elapsis aliquot annis, anno 1614, Joannes Georgius in gratiam sequentis munere semet abdicat.

LI. Leopoldus I *d'Autriche*, episcopus Argentoratensis electus et Austriacus archidux, Joanne Georgio abbatis nomen servante, administrator Morbaci et Luthræ, anno 1614, ab ipso Paulo V nuncupatur. Sacris tamen ordinibus minime initiandus, Claudiam Mediceam, Etrusci ducis filiam, uxorem duxit anno 1625, munusque in gratiam sequentis, e fratre nepotis, tunc dimisit.

LII. Leopoldus II Guillelmus *d'Autriche*, vix tum ex ephebis evadens, Morbacum et Luthram, præter Argentoratensem et Passaviensem episcopatus, anno 1626 assecutus est. Ei quidem Morbaci viam intercludere conatus est Joannes Henricus *Brimbsing d'Herblingen*, decanus S. Gregorii; sed operam perdidit. Tunc antiquatam disciplinam eximii viri Columbinus Tschudius et Paulus *de Lauffen* instaurandam agressi sunt. Mox vero bellorum furor, ferrique necnon pejor flammarum licentia in eo tractu omnia sternere. Leopoldus Guillelmus vivendi finem fecit 10 aut 20 Novembris 1662.

Columbanum *d'Andlau*, obsoleta jura sibi vindicantes, monachi postea elegerunt, XV cal. Januarii 1663, et munus hic nimirum per aliquod tempus administravit. Postquam vero Franciscus Egon, Argentoratensis episcopus nominatus, Morbacum Luthramque eo nomine sibi vindicavit, cassa evasit Columbani adlectio.

LIII. Franciscus I Egon *de Furstemberg*, episcopus idem Argentoratensis, abbas Stabulensis et Malmundariensis, insuper commendatarius Morbaci Luthræque abbas a summo Pontifice creatus fuerat pridie cal. Aprilis 1664. Postea, Columbano *d'Andlau* munus quod implere diutius nequiverat dimittente, iteratis Franciscus litteris, anno 1666, in Morbacensis Luthrensisque commendarum possessionem ab Alexandro VII missus est; apud Lunigium, Spicil. Eccles., t. V, p. 1052. Hic administratoris egregii laudem meritus est, sed procellosus reipublicæ status prohibuit ne exspectata ex ejus prudenti regimine commoda Morbacensis conventus perciperet. Obiit 1 Aprilis 1682.

LIV. Felix Egon *de Furstemberg*, ex antecedentis adjutore, dum iter Londinense, legatus ad Jacobum II missus, adornat, in ipso ætatis flore moritur, Martio mense 1686.

LV. Philippus Eberhardus *de Lœvenstein Werthein*, Guillelmi Egonis, cardinalis *de Furstemberg*, e sorore nepos, obiit anno 1720. Decanus idem Argentoratensis fuerat.

LVI. Cœlestinus *de Beroldingen Gundelhart*, ab anno 1720 usque ad annum 1737, quo munus dimisit.

LVII. Franciscus II Armandus Augustus *de Rohan-Soubise*, Argentoratensis episcopus, obiit anno 1756.

LVIII. Leodegarius *de Rathsamhausen* usque ad annum circiter 1780.

LIX. Casimirus Fredericus *de Rathsamhausen* usque ad annum 1790.

S. GREGORIUS.

Anno, ut ferunt, 634, Romani quidam patria monachi, S. Benedicti regulam ipso S. Gregorio magistro edocti, nivosa Alpium juga trajiciunt, atque in Alsatiam devenien-

tes, in eo desertæ vallis frigidiori loco consistunt, ubi duo rivuli *Fecth* amnem efficiunt, ibique monasterium ædificant ab ipsis patrono suo Gregorio nuncupatum. Ea vero de peregrinis monachis narratiuncula testem juratum adhuc requirit. Nempe quæ de præmemoratis monachorum Benedictinorum claustris antiquissima fidem faciunt documenta, domum ab eis habitatam Confluentem, Confluentemve, ex ipsius loci situ, appellant, nec aliud quid super grata Gregorianorum discipulorum memoria nobis tradunt. Ipse qui sub finem duodecimi sæculi vixit S. Gregorii monachus, historiamque hanc domesticam conscripsit ab Edm. Martenio typis mandatam, Thes. Nov. Anecd., t. III, p. 1434, Romanorum advenarum nullam mentionem fecit. Ait enim sub annum 633 : « Hoc anno in primis inceptus « est hic locus a monachis habitari. » Dein, sub annum 660 : « Circa Dominicæ Incar« nationis 660 annum, sub Vitaliano papa, « imperatoreque Constantino, filio Constan« tini Heraclii triumphatoris, sub Hil« derico filio Clodovæi, nepote Dagoberti, « fratre Clotharii et Theodorici, rege tunc « Francorum, Rotharioque Argentinæ civi« tatis episcopo et duce Bonifacio, quinqua« gesimo quinto a transitu beati patris nostri « Gregorii anno, inceptus est hic locus a « monachis inhabitari, sicut ejusdem regis « scripta testantur quæ apud nos hactenus « inviolata conservantur... » Unde conjicere forsan liceret ignotam hanc duodecimo sæculo de Latinorum monachorum migratione fabulam, tertio decimo sæculo confictam fuisse. Nec minus dubium est, quod quidam referunt, SS. Justum et Maximinum, Rothariumque, Argentinenses episcopos, Confluentem antea dictum monasterium, abbatiale tunc pedum gerentes, gubernavisse; nihil enim certi super hujus domus initiis traditur ante annum 661, quo scilicet decurrente Childericus II, Austrasiæ rex, nonnullos agros ad fiscum regium pertinentes monachis ibi degentibus dono dedit, suadente Rothario Argentinensi episcopo; Diplom., Chart., t. II, p. 121. Sed ab eo tempore multa crescentem in dies eorumdem monachorum rem diplomata testantur. His enim, anno 673, Childericus idem rex vectigalia satis ampla concedit. Anno dein 747, in eosdem beneficum se præbet Bodalus, Hugonis filius. Eidem monasterio, non secus ac Morbacensi, morbo laborans Ansegisus, anno 831, libram unam condonat; apud Mabill., Annal., t. II, p. 542. Meminit ejusdem, sub annum 870, hujus memoratissimi fœderis instrumentum quod in insula supra Mosam Carolus Calvus et Ludovicus Germaniæ rex solemniter pepigerunt, Lotharingiæ regnum inter se partientes. Obtigit Ludovico S. Gregorius; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 115. Nec multo post, anno scilicet 896, Zuenteboldus, Lotharingiæ rex, possessiones S. Gregorii confirmans, hæc oppida opulentave prædia singillatim recenset : Bonifacii Villare, *Turckheim, Onenheim, Muhlbach, Jebsheim,* Sundhovam, Balgovaam, *Hardt* silvam, *Matzenheim*, Ratpoldesvillare, *Wizzilistat*, necnon in *Sornegau* pago plura. Unde comperimus San-Gregorianos monachos, non modo divitiarum quæstu sed etiam earumdem custodia solertes, ad hoc potentiæ fastigium ante finem noni sæculi devenisse, ut nihil jam nisi mutabiles humanarum rerum vices pertimescendum haberent.

Ex his quæ retulimus quædam separatim adnotanda, quæ prolixiorem sermonem requirunt.

Bodali scilicet charta, anno 747 edita, monasterium etiam tunc Confluentem appellatum S. Gregorio tamen papæ jam ab aliquo tempore nuncupatum fuisse refert. Subjiciendum est Confluentem id nomen paulatim abhinc obsolevisse, et S. Gregorium in usu tantum fuisse. Postea vero domum eamdem nec Confluentem, nec S. Gregorium, sed, quadam verborum redundantia, Monasteriensem in San-Gregoriana valle abbatiam primo circum degens rusticana plebs, deinceps omnis Alsatiensis tractus incola dicere consuevit.

Hoc insuper, quod majoris momenti videtur, adnota, San-Gregoriani monasterii fundationem a Childerico II vel inchoatam, vel confirmatam, Rotharii suasu Argentoratensis episcopi. Unde nonnulli, quos inter doctissimus rerum Alsatiensium scriptor *Grandidier,* hanc abbatiam primis temporibus Argentoratensis intra diœcesis fines sitam collegerunt, postea episcopo Basileensi traditam fuisse. Quorum sententiam D. Joannes Trouillatius impugnat, nullam veteris Rauraciæ partem ab episcopi Basileensis dominio tunc disjunctam fuisse contendens, nec adeo inusitatum reputans quempiam temporibus illis episcopum, inordinato videlicet tam civilium quam ecclesiasticarum rerum statu, episcopi finitimi coram rege personam egisse. His quæ nuper D. J. Trouillatius Argentinensium quorumdam auctorum conjecturæ prudenter opposuit addamus pro Marte nostro Zuenteboldum, anno 896, Lotharingorum regem, S. Gregorii possessiones rogante Salomone Constantiensi præsule rursus firmavisse : unde nemo sane conclusit eamdem per aliquod tempus abbatiam episcopo Constantiensi subjectam exstitisse.

Sequentibus sæculis non una S. Gregorium clades affecit. Anno enim 1182, 4 Maii, omnia fere monachorum ædificia longe lateque serpens incendium sustulit. Anno deinde 1272, vel 1273, Radulfus comes S. Gregorio nuncupatam vallem fero milite complevit, a

quo monasticis iterum possessionibus tædæ fuerunt illatæ; tam ex Annalibus Colmariensibus, quam e Basileensibus, inter Monum. Germ. a D. Pertzio typis mandata, t. XVII, p. 192, 195. Anno denique 1354, non tantum San-Gregoriana claustra, sed oppidum etiam ipsum e monasterii vicinitate teutonice *Munster* dictum, exitialis ignis sustulit. Ædes denuo totæ anno 1470 suscitatæ sunt. Postea vero, diversi quidem, sed non minus infausti, San-Gregorianæ congregationi casus intervenere, quibus in novissimorum exspectationem adducta est. Anno scilicet 1536, hac illac circumfluentibus hæreseos Lutheranæ torrentibus aquis, ipse San-Gregorianus abbas Burchardus *d'Altenschonestein Nagel* novæ religionis dogmata palam professus est; imo, postquam vestem monachicam exuerat, uxorem duxit, conculcato perpetuæ castitatis juramento. Id sane manifestum erat indicium eversæ jam multis ab annis disciplinæ. Nec abeunte Burchardo et ad hostilia tabernacula transmigrante, monachorum mores emendari : at contra quælibet eorumdem res in pejus ire. Sub idem tempus, anno nempe 1539, omnes S. Gregorii hospites, professis duobus tantum exceptis, horrenda peste consumpti interierunt. Qui valde lamentabilis casus vacuam per multos annos abbatiam fecit, ut fusius infra dicendum est. Anno denique 1659, 14 Martii, Carolus *Marchand,* abbas, San-Gregorianam, vel Monasteriensem abbatiam congregationi S. Vitoni reformatæ stricti vinculo fœderis univit. Hoc abbatiæ Monasteriensi fœdus adeo profuit, ut eam suo tempore Mabillonius inter florentissimas Benedictinæ sodalitatis domos merito recensere potuerit.

Plura ad abbates S. Gregorii spectantia præbet Lunigius, Spicil. Eccles., t. V, p. 1076. Breviorem insuper eorumdem seriem reperies inter eos quos vocant residuos San-Germanensis armarii codices, Monast. Benedict., t. XXX.

SERIES ABBATUM.

I. Colduwinus primus S. Gregorii abbas appellatur. De eo tamen nihil aliud antiquitas tradidit. Colduwinus nec Romanum, nec Germanum Francumve nomen. Hoc potius Scotum opinamur.

Ch. t. col. 183. II. Valedius anno 673, 4 Martii, a Childerico II, Austrasiæ rege, vectigalia quælibet e servis *Monesensishaim* et *Onenhaim* incolentibus percipienda accipit.

III. Wolfchisus sub annum 712 ab auctore Monasteriensis chronici recensetur.

IV. Adalricus sub annum 734 in eisdem fastis legitur. Ejus vero authentica nulla monumenta meminere.

Adalrico quidam successisse ferunt Ettonem Hettonemve, qui, anno 734, ex Augiæ Divitis abbate episcopus Argentoratensis effectus est. Eum vero qui S. Gregorii abbatibus annumerant S. Gregorium ante Augiam Divitem rexisse contendunt. Meram hanc, ut videtur, conjecturam nulla diplomata tuentur, nulla refellunt. Verumtamen animadverte antecessores nostros, de Ettone, tam Augiæ Divitis abbate, quam Argentoratensi episcopo, disserentes, eum inter veteres S. Gregorii abbates minime collocavisse.

V. Agoaldus, anno, ut videtur, 747, a Bodalo, Hugonis filio, nonnullas possessiones accepit. Hujus donationis meminit insigne diploma, quod, post Lunigium, Martenium et Schœpflinum, edidit *de Bréquigny;* Diplom., Chart., edit. nov., t. II, p. 406.

Data legitur Bodali præmemorati charta sub annum Childerici regnantis sextum. Hanc si ad Childerici II tempora referas, anno 665 scripta videbitur. Unde, ut conjicimus, Monasteriensis auctor Chronici Agoaldum abbatem in hoc anno 665 posuit. Bodalum vero, filium Hugonis, Childerici III coævum fuisse satis apparet ex alio ejusdem pro monasterio Hohenaugiensi diplomate. Sub annum enim 723 ab Adalberto conditum Hohenaugiense, alias Honoviense, in diœcesi Argentoratensi monasterium, cui, anno 748, Dubanus abbas, antecessoribus nostris incognitus, ut ipsa testatur Bodali chartula, præerat. De eo Bodalo consule Mabillonium, Annal., t. II, p. 146, 697.

VI. Remigius, e Monasteriensi Chronico, anno 768 S. Gregorium regebat. Eumdem postea Argentinensem episcopum, post annum scilicet 778, fuisse nonnulli opinati sunt. Silente domestico de Remigii episcopatu Chronico, ea jam oritur suspicio recentiores historicos unum ex duobus Remigiis fecisse. Attentius deinde rem investiganti mox compertum fit annum hunc 768, quem veteres fasti præbent, Remigii abbatis ultimum fuisse : regiæ enim litteræ de Restwino, Remigii successore, sub annum 769 fidem faciunt. Abbas igitur ab episcopo distinguendus.

VII. Restwinus anno 768 Remigio subrogatus legitur in Monasteriensi Chronico. Quem perturbaverunt ordinem, Remigium scilicet Restwino sufficientes, qui Remigium ex abbate Monasteriensi episcopum Argentinensem fuisse perperam contenderunt. Restwino abbati Carolomannus rex, anno 769, nonnulla prædia confirmat; Alsat. Diplom., t. I, p. 42.

VIII. Urolfus post Restwinum ab auctore Monasteriensis Chronici recensetur, sub annum 771.

IX. Rachio, Rathove, ex abbate S. Gregorii Argentinensis episcopus effectus est, post annum videlicet 803, quo Remigius decessit. Eumdem antecessores nostri Rachionem una

San-Gregorianum monasterium et Argentinensem ecclesiam usque ad annum 815 rexisse conjecerunt; supra, t. V, col. 785. Favent quidem huic conjecturæ omnia quæ legere fas nobis fuit diplomata. A

X. Gothofredus sub annum 815 abbas erat; e Chronico Monasteriensi. Anno certe 817 ejus meminit Aquisgranense de monasteriis Franciæ constitutum : hoc enim S. Gregorium inter monasteria quæ tantum orationes imperatori debent his verbis recenset : « Monasterium S. Gregorii in diœcesi Basileensi, ubi tunc Gothefridus abbas; » apud Mabill., Annal., t. II, p. 437. Anno dein 823 B Gothefridus a Ludovico imperatore quasdam villas accipit; Als. Dipl., t. I, p. 69. Idem, anno 825, in ejusdem Ludovici litteris legitur, cui scilicet et Bernoldo, Argentinensi episcopo, commissa cura detrimentum æstimandi ecclesiæ Curiensi a Roderico comite importatum; apud D. Th. *Mohr,* Cod. Diplom., part. I, p. 33 (1). Anno postea 826 antiqua monasterii sui jura tam a Ludovico quam a Lothario imperatore confirmata Gothofredus obtinet; Als. Dipl., t. I, p. 72. Anno denique 831 designatur a Ludovico Gothofredus inter investigatores quorumdam C damnorum quæ Fabariensis conventus passus erat; ibid., p. 75.

XI. Winidolfus post Gothofredum memoratur. Ejus vero nomen nulla ad nos delata charta præbet.

XII. Bercthóldus I, alias Beraheroldus, juribus quibusdam a Lothario imperatore, anno 843, augetur; ibid., p. 80. Eidem, anno 856, Lotharius prisca S. Gregorii privilegia confirmat; ibid., p. 86. Anno deinde 864, Lotharii scilicet regis decimo, reperitur Bercthóldus a Richino quoddam prædium accipiens; apud Lunigium, Spicil. Eccl., D t. V, p. 1099.

XIII. Ratholdus, non alius forsan ac Bercthóldus antecedens, in veteribus abbatiæ fastis post eum occurrit.

XIV. Crino Ratholdo successisse memoratur.

XV. Engilfridus e certioribus documentis innotescit. Huic enim, anno 896, Zuentebóldus, Lotharingiæ rex, domesticas possessiones confirmat; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 125. In eumdem quoque beneficum se præbet, anno 898, *Herimuodt,* inclytus vir, quem ducem nonnulli vocant; Alsat. Dipl., E t. I, p. 98.

XVI. Henricus I post Engilfridum recensetur.

XVII. Diétherus post Henricum.

XVIII. Adalbero post Dietherum.

XIX. Hermannus, quem Hezemannum quoque appellant, Adalberoni, veteris indicis pro fide, successit.

(1) Sub annum 822 apud Schœpflinum, Als. Dipl., t. I, p. 68; sed mendose.

XX. Wichardus, Guichardusve, ex abbate S. Gregorii archipræsul Bisuntinus anno circiter 983 factus est, secundum Franciscum Belleforestium. Id autem teste caret cui tuta fides adhibeatur.

XXI. Adelardus suo tantum nomine posterorum memoriæ commendandus pertransiit.

XXII. Immo, vel Emmo, dicitur frater Ekkehardi, auctoris Casuum S. Galli, a D. Pertzio, Mon. Germ., t. II, p. 75.

XXIII. Chæno in indice tantum antiquo reperitur.

XXIII *bis.* Abbo capellam *Mulbach* ædificavit, quam anno 1068, Abbone, ut videtur, superstite, Berengarius, Basileensis episcopus, consecravit.

XXIV. Reginherus obiit anno 1084; e Chronico Monasteriensi.

XXV. Samuel, jam Morbacensis abbas, S. Gregorii præfectura quoque donatur anno 1084 : quem utramque simul abbatiam usque ad annum 1090 rexisse conjiciunt. Eo certe anno 1090, Witzemburgensis creatus abbas, S. Gregorii clavum reliquit.

XXVI. Rudpertus Samueli anno 1090 successit et anno 1099 obiit; e domestico Chronico.

XXVII. Adalbertus I, ab anno 1099. Munere postea semet abdicavit, eique subrogatus est

XXVIII. Eggohardus, qui pari modo abbatialis rei curam anno 1110 dimisit, anno 1128 obiturus.

XXIX. Conradus I, præfecturam S. Gregorii anno 1110 auspicatus, anno 1122 decessit. Tunc

XXX. Adalbertus, in quem sane monachorum vota rursus convenerant, novum inchoavit regimen; sed elapso circiter biennio nimis, ut videtur, gravidum onus iterum deposuit.

XXXI. Conradus II anno 1125 Adalberto successit, abbatiamque per decennium rexit. Memoratur enim anno 1135 abbatem exuens.

XXXII. Egilolfus I ab anno 1135 usque ad annum 1154, quo decurrente, secundum Monasteriense Chronicon, vitæ metam attigit.

XXXIII. Ortliebus occurrit eo anno 1154, testis Ortliebi præsulis S. Albani possessiones confirmantis; Mon. Episc. Bas., t. I, p. 326. Anno vero 1158 munus dimisisse legitur.

XXXIV. Egilolfus II dimissum ab Ortliebo regimen anno 1158 suscepit, et anno 1169 obiit.

XXXV. Thuringus ab anno 1169; qui, anno 1178, pridie Ascensionis Domini, coram imperatore munere cessit.

XXXVI. Henricus II abbas fit anno 1178, e præposito S. Albani, secundum Monasteriense Chronicon. Prior tamen hujus domus appellatur anno 1175 in duobus instrumentis quæ D. J. Trouillatius typis vulgavit; Mon.

Basil. Episc., t. I, p. 357, 359. San-Gregoriani abbatis munus dein exsequens, testis est, anno 1184, Henrici præsulis possessiones S. Albani recensentis; Mon. Episc. Bas., t. I, p. 392. Idem, anno 1187, Ludovici, Ferretensis comitis, diplomati subscribit, quo abbatiæ Parisiensi quædam donatio confirmata; Hugo, Mon. Sacræ Antiq., t. II, p. 281. Munus vero dimisit Henricus, obiturus anno incerto, v non. Martii, et in sinistra capituli parte tumulandus.

XXXVII. Bernardus, anno, ut videtur, 1196, litteris Arnoldi Morbacensis abbatis subscribit de quodam beneficiario prædio ecclesiæ Morbacensi collegiatæ tradito (1). Testis est, anno 1207, Lutoldi episcopi et Morbacensis abbatis de permultis decimis paciscentium. Idem, anno 1210, ab Innocentio III litteras accipit, quibus ei vetitum ne præbendas ecclesiæ suæ laicis conferat (2); Epist. Innoc. III a *La Porte du Theil* edit., t. II, col. 1100.

XXXVIII. Fredericus, anno 1235, insigne cum Frederico II imperatore pactum fecit. Jam enim in valle San-Gregoriana Cæsar advocati munus implebat : nonnulla tamen jura ad ipsam advocatiam spectantia monachi usque ad id temporis, quasi propriam jurisdictionis partem, retinuerant : quæ tunc Fredericus, Cæsari nimis, ut aiunt, obsequens, dimisit; Alsat. Dipl., t. I, p. 372. Opibus minime dives erat abbatia, cujus possessiones vastaverant vicini dynastæ, armorum vi inter se decertantes. Fredericus tamen, anno 1259, nonnulla prædia dimisit, ut eorum annui fructus in condendam et sustentandam Columbariæ sacram S. Martino collegiatam ecclesiam impenderentur. In ea igitur ecclesia San-Gregoriani abbates multa jura semper habuere, sicut refert *Laguille*, Hist. Alsat., part. I, p. 234.

XXXIX. Gerardus, 30 Maii 1261, acerbe queritur de Burchardo, *Geroldseek* comite, castellum *Schwartzenberg* monachis ominosum ædificante. Idem Gerardus, 17 Novembris 1265, ab Henrico præsule litteras accepit, quibus abbati S. Gregorii sub certis conditionibus concessum est ut ecclesiæ S. Leodegario sacræ reditus ipse colligeret, et abbatiæ subsidio quam maximis damnis afflictæ adscriberet; apud Lunigium, Spicil. Eccles., t. V, p. 1104. Obiisse fertur Gerardus anno 1269.

XL. Henricus III anno, ut memorant, 1278 decessit.

XLI. Steinungus, anno 1297, cum civili Monasteriensis urbis præfecto de juribus

A nonnullis pactus est. Eum sub id temporis vitæ metam attigisse credunt.

Idem sane Sigismundus a quibusdam appellatur, hunc qui Sigismundum anno 1287 abbatiæ præfuisse referunt.

XLII. Berctholdus II pauca administrationis suæ monumenta posteris tradidit. Eum anno circiter 1306 obiisse conjiciunt.

XLIII. Joannes I cum civibus urbis *Turkeim* non semel composuit. Joannis mortem anno circiter 1312 adscribunt.

XLIV. Hugo Joanni successit, cujus nudum nomen recens index præbet.

B XLV. Marquardus ab anno 1329 innotescit. Anno 1339, 4 Februarii, insigne fœdus cum civibus Monasteriensibus Marquardus pepigit, cujus instrumentum reperies apud Schœpflinum, Als. Dipl., t. II, p. 163. Ex eo nobis cognita sunt singula jura quibus in territorio Monasteriensis urbis abbas S. Gregorii tunc fruebatur. Anno sequente Marquardus obiit.

XLVI. Richardus anno 1348 vita cessit.

XLVII. Carolus I usque ad annum circiter 1356 abbatiam administravit.

XLVIII. Otho superstes memoratur usque

C ad annum 1380.

XLIX. Guillelmus Steinungus de conculcatis abbatiæ juribus querens, fœdus cum Columbariensibus oppidanis fecit, adjacentesque protinus urbi *Turkeim* agros, armatæ dux catervæ, populatus est : tunc ad Guillelmum *Turkeim* urbs legatos misit, ejus qui mentem ad ea componenda dissidia inclinaverunt. Obiit circa finem anni 1402.

L. Wernherus *de Rakurt,* anno 1403 electus, Columbariæ consecratus est eo anno, 21 Januarii, et 22 ejusdem mensis regendam abbatiam ingressus est. Nec multo post

D eum reperimus, sub annum scilicet 1404, apud Innocentium papam VII de injuriis monasterio suo illatis a Guillelmo, Argentinensi episcopo, querentem; supra, t. V, col. 813. Eidem, anno 1411, Wenceslaus imperator singula confirmavit privilegia S. Gregorii monachis jam ab antecessoribus suis collata; apud Lunigium, Spicil. Eccles., t. V, p. 1107. Eamdem deinde, anno 1414, confirmationem Wernherus a Sigismundo obtinuit; ibid., p. 1108. Obiit, ut ferunt, 27 Augusti 1434.

LI. Andreas *Cypolt,* alias *Eypolt,* litteras

E Frederici III imperatoris eadem privilegia rursus stabilientes, anno 1441, impetravit; ibid., p. 1109. Quem anno 1446 decessisse narrant, 12 Aprilis.

LII. Thomas *de Ramstein,* Andreæ successor, anno circiter 1450 obiit.

LIII. Joannes II Radulfus *de Loubgatz,* anno 1481, altaris portatilis usum a Burchardo *Stoer,* sedis apostolicæ nuntio, obtinuit; Lunig., Spicil. Eccl., t. V, p. 1114. Obiit anno 1485, 25 Septembris.

(1) Hanc chartam transcribens Schœpflinus, Alsat. Dipl., t. I, p. 304, Bernardi nomen corrupit eumque falso Burchardum appellavit

(2) Easdem bis litteras Schœpflinus typis mandavit, quas sub annum 1143 Innocentio II tribuit, sub annum 1211 Innocentio III. Vide Als. Dipl., t. I, p. 223, 321.

LIV. Christophorus *de Montjustin*, 9 Octobris 1485 electus, electionis suæ confirmationem ab episcopo Basileensi deposcit. Hic vero confirmationis pretium, sexcentos scilicet monetæ Florentinæ nummos, sibi deberi protinus contendit. De qua re multus inter eos fuit sermo. Christophorus tamen, imminutas abbatiæ suæ possessiones, deperdita pleraque jura, et fere exhaustum ærarium testificans, obtinuit ut in posterum duceni tantum nummi confirmationis ab episcopo Basileensi impetrandæ pretium constituerentur. Intercessit deinde Christophorus, anno 1488, ut conventio temporaria, quam inter se provincialis Alsatiæ advocatus comitesque Luffenses fecerant, perpetua efficeretur. Obiit denique 23 Novembris 1514; ex ejus epitaphio. Magnis eum laudibus cohonestavit ejus qui nomen S. Gregorii necrologio inscripsit, ut legere est apud Lunigium, Spic. Eccl., t. V, p. 1090.

LV. Burchardus *d'Altenschonestein Nagel* occurrit anno 1517, cum quibusdam Argentorati civibus de numeranda pecunia litigans; quam Leo X litem episcopo Curiensi cognoscendam committit; ibid., p. 1115. Anno deinde 1521, a Carolo V imperatore litteris munitur, quibus abbatiæ privilegia confirmata; ibid. Anno vero 1536, Burchardus, qui Reformatorum militiæ nomen dederat, S. Gregorii præsidatu exutus est.

LVI. Conradus III *de Rulst*, alias *de Ruest*, electus anno 1536, anno 1539 decessit.

LVII. Petermannus *d'Aponex* ab anno 1539. Horrenda peste sublatis aliis S. Gregorii monachis, duo tantum superfuerant. Cum vero secundum S. Benedicti regulam quævis electio tria minimum suffragia requireret, superstites duo monachi peragendum inter eos abbatis delectum episcopo Basileensi demandaverunt, qui Petermannum elegit. Obiit anno 1550. Post ejus mortem vacua legitur abbatia.

LVIII. Joachimus *Breming*, alias *Brimming*, vel *Bruning*, prior S. Georgii in Hercinia Silva, in abbatiam S. Gregorii regendam, postquam annos quinque ne unus quidem in silentibus claustris niger cucullus apparuerat, anno 1555, ab episcopo Basileensi accitur. Hic, ut præfecturam aggressus est, quæ Monasterienses oppidani vacuæ abbatiæ jura possessionesque sibi vindicaverant recuperare conatus est; rem vero infeliciter gerens munere semet anno 1560 abdicavit. Post eum inanis iterum domus fit, ideoque abbatiale munus iterum vacat. Residuas abbatiæ possessiones sæcularis procurator administrat.

LIX. Henricus IV *Diesteten*, alias *de Jesteten*, munus anno 1568 accipit. Opportunitate vero temporis usi Monasterienses non tantum in singulos omnesque cœnobii fun- A dos involaverant, sed etiam, ut eorum plerique Lutheranam sectam erant amplexi, quidquid juris abbas ad abbatialem dignitatem in San-Gregoriana valle pertinere contendebat acerbe denegabant. Ipse Maximilianus II imperator Henrico frustra et conventualibus S. Gregorii possessionibus Cæsaream protectionem anno 1570 promisit; Lunig., Spicil. Eccl., t. V, p. 1116. Armata enim Monasteriensium oppidanorum turma, anno 1575, abbatiam expugnavit, Henricumque fugam, dimisso officio, arripere coegit.

LX. Adamus *de Holsaffel*, decanus Spirensis ecclesiæ, administrator abbatiæ sub annum 1575 legitur; dein, sub annum 1577, abbas. Obiit 31 Januarii 1578. Post eum abbatiam sex annos procurator rexit.

LXI. Georgius *Musinger de Frondest* abbas creatur 23 Augusti 1584, et munus deponit anno 1588. Annos octo post ejus abdicationem vacua sedes permansit.

LXII. Cosmas *Gab*, vel *Gub*, anno 1596, abbatia potitur, quam duos tantum annos administravit. Cosma tunc abdicante, vel moriente, Georgius *Musinger* iterum munere donatur; id vero sine mora iterum ejurat.

LXIII. Joannes III Henricus *Bremsy de Herblingen*, decanus jam Morbacensis abbatiæ, in administrandum S. Gregorio sacrum Monasterium ab episcopo Basileensi, 23 Februarii 1600, abbatis titulo exornatus intromittitur; quem in eo munere Clemens VIII, 29 Octobris, confirmat. Ad eum deinde, 29 Maii 1602, Cæsareæ missæ litteræ, quibus antiqua abbatiæ privilegia stabilita; Lunig., Spicil. Eccl., t. V, p. 1117. Multis autem ab annis ea privilegia jam in vanas voces desierant. Eam enim pristina San-Gregoriani abbatis auctoritas ruinam fecerat, ut in urbe Monasteriensi sacerdotem unum ipse Lutheranum, Lutheranumque ludi magistrum, ex ære pauperrimæ domus prorsus exiguo, alere cogeretur: quamobrem, anno 1609, Basileensis episcopus eum in extremam omnium rerum inopiam demersum e quovis tributo eximebat; ibid., p. 1118. Annis iterum iterumque 1612 et 1620 Matthias et Ferdinandus, imperatores, privilegia sæpe laudata novis litteris, ad Joannem nostrum Henricum missis, firmaverunt. Nemo vero, nec ipse Cæsar, adeo inclinatas abbatiæ Gregorianæ res instaurare jam poterat. Ipse denique Basileensis præsul, de paucorum qui S. Gregorium incolebant monachorum perditis, ut aiebat, moribus querens, abbatem huic corruptelæ minime medentem ad se vocavit, posteaque segniter episcopali mandato parentem comprehendi jussit, 9 Maii 1627. Tunc Joannes Henricus S. Ursicinum ductus est, ibique per annos quatuor captivus in ipso carcere interiit. Interea abbatiam rexit Ernestus *Toller*, supprior *Ochsenhausen* monasterii, in quod Benedictina quam Suevicam appellant

reformatio ab aliquo tempore fuerat intromissa.

LXIV. Gregorius *Blarer de Vertensée* ab episcopo Basileensi Monasteriensis abbas nominatur, anno, ut videtur, 1631. Hic, Ochsenhusani conventus alumnus, una cum Ernesto *Toller* in San-Gregorianam abbatiam accitus fuerat, ibique cellarii munus impleverat. Ut vero abbatiali pedo donatus est, quam maximis ærumnis afflictus Columbariam secedere coactus est, inde Brisacum, postremo Vindobonam. Anno 1638, 8 Decembris, monasterium suum, episcopo Basileensi annuente, Suevicæ congregationi adjunxit; Alsat. Dipl., t. II, p. 492 : dein, Cæsareas litteras obtinuit, 13 Decembris, quibus abbatiæ bona juraque firmata. Sed eo tempore Columbarienses cives captam abbatiam deprædati sunt. Obiit Gregorius 14 Maii 1649.

LXV. Henricus V *de Stouben* e decano Morbacensi abbas ab ipsis monachis eligitur, in urbe *Kaisersberg* decessurus anno 1653.

LXVI. Alphonsus *Kleinhaus*, Veldtkirchensis, Henrico secundum monachorum vota successit; qui, anno 1656, Alberspacensis abbas electus est, futurus anno 1658 Ochsenhusanus.

Ei adversatus erat princeps *d'Harcourt*, qui munus abbatiale pro filio suo requirebat. Hic vero frustra totis viribus in depellendum Alphonsum insudavit; nec Basileensis præsul, nec summus Pontifex, legitimæ abbatis electi possessioni injuriosum finem dare voluerunt. Alphonso vero cedente,

LXVII. Carolus II *Marchand*, Benedictinus Lutetiæ professus in regali S. Germani Pratensis monasterio, Gallorum regi ab eleemosynis, tunc temporis principi *d'Harcourt*, Alsatiæ gubernandæ præfecto, famulans, abbas Monasteriensis ab episcopo Basileensi Joanne Francisco instituitur, 11 Augusti 1656; apud Lunigium, Spicil. Eccles., t. V, p. 1124. Qui scilicet eodem die instituendus abbas subjectionem et obedientiam episcopo præmemorato spoponderat; ibid., p. 1125. Anno 1659 Carolus Monasteriensem abbatiam congregationi S. Vitoni univit, obiitque 5 Aprilis 1581, optimi abbatis laudem meritus. Tunc abbatiæ prior erat Antonius *de l'Escale*, cujus quasdam, necnon ipsius Caroli, epistolas nuper typis vulgavit D. Alphonsus *Dantier; Archives des missions scientifiques*, 1857.

LXVIII. Ludovicus *de La Grange* ex antecedentis adjutore abbatialis officii possessionem assequitur 15 Septembris 1681. Hic, anno 1683, in supremo Alsatiæ concilio sedit. Moritur vero 18 Januarii 1713, et post eum vacua per aliquod tempus sedes manet.

LXIX. Gabriel *de Rutant* ex abbatiæ suppriore abbas electus est 6 Decembris 1714 et ab ipso Gallorum rege 6 Januarii 1715 confirmatus. Hic quoque anno 1725 in supremo Alsatiæ concilio sedebat.

Reliquos S. Gregorii abbates frustra quæsivimus. Nulla eorum vestigia nostris oculis subjecta sunt.

BEATA MARIA AD PETRAM.

Beinwyl, latine Beinwila, Ossavilare, vel Ossium Villa, in Solodorensi tractu, non procul *Thierstein*, Benedictinos, anno circiter 1085, monachos excepit, e Sueva *Hirschau* dicta abbatia deducti. Idoneam claustris ædificandis sedem et circumjacentes quosdam agros primis hujus monasterii institutoribus dederant Oudelhardus, Notkerus Frohurgensis, Ulrichus Egisheimensis Burchardusque, quos ob hoc munus B. Petro collatum laudat Eugenius papa III, monachorum possessiones anno 1147 recensens. Ex eisdem Eugenii litteris et Frederici I confirmatione præterea comperimus surgentem domum sub Omnium Sanctorum et S. Vincentii patronatu fuisse consecratam. Fervente anno 1499 quod Suevum vocant bello, magnas abbatia Beinwilensis clades passa est; majores anno 1527, cum rustica gens, in cujuslibet auctoritatis excidium seditione facta, tantis deprædationibus Basileensem tractum afflixit. Dissipatis, ut videtur, tunc temporis Beinwilæ monachis, ecclesiæ domesticarumque possessionum cura abbates minime postulavit : quæ scilicet administratoribus demandata est, tam regularibus quam sæcularibus. Anno vero 1589, Solodorenses oppidani, quibus ab ipsis *Thierstein* comitibus jam multis ab annis Beinwilæ tutela fuerat commissa, Benedictinis ascetis Einsiedelnensem abbatiam Eremumve B. Mariæ, in Constantiensi diœcesi, habitantibus Beinwilensia claustra in solitudinem redacta tradiderunt, eo scilicet pacto ut in his Dei cultum et quamdam saltem pristini status imaginem restituerent. Nonnullos quidem e suorum fratrum grege abbas Eremi eo misit : non eos tamen permisit abbati proprio parere, procuratori vero cuidam subjecit, cujus castigandi potestatem penes ipsum permanere jussit. Anno postea 1633, Solodorensibus oppidanis placuit Beinwilenses monachos ex antiquis tectis amovere, in locum Petram nuncupatum, teutonice *Im-Stein*, juxta *Lanskron*, ducendos, et, incremento dignitatis, sub peculiaris archimandritæ regimine instaurandos. Anno quidem 1648, postquam extruendorum ædificiorum opus consummatum est, ea monachorum Beinwilensium migratio contigit. Qua peracta, B. Mariam ad Petram, teutonice *Mariastein*, locum appellare consueverunt. Novam eamdemque decora compage insignem ecclesiam Basileensis præsul 31 Octobris 1655 consecravit. Non tamen ab eo tempore Beinwilensis domus

prorsus derelicta est : eam vero, in cellam prioratumve conversam, pauci quidem monachi, quos abbas B. Mariæ delectos eo misit, incoluerunt.

Quam subjungimus abbatum seriem jam accuratissime digesserat D. Egbertus Fredericus *de Mulinen*, Helvet. Sacra, t. I, p. 69.

PRIOR SERIES ABBATUM.

I. Hesso I Beinwilæ primus abbas memoratur, Suevus origine, qui popularium monachorum postquam ductor fuerat, eis præfuit, obiitque 27 Decembris, anno, ut opinantur, 1133.

II. Wernherus ab anno 1133 innotescit. Is, 23 Julii 1147, occurrit in litteris Eugenii III abbatiæ possessiones recensentis. Superstes erat anno 1151.

III. Gerungus, quem Germicum quoque diplomata quædam appellant, ab anno 1174 occurrit. Hic Gerungus, anno 1207, testimonio suo firmavit compositionem inter Basileensem episcopum et Morbacensem abbatem initam. Eumdem 22 Julii 1212 occubuisse referunt.

IV. Henricus I, anno 1212, cum Radulfo, *Thierstein* comite, Beinwilensis abbatiæ advocato, de diversis juribus litigans, quæ scilicet ille sibi Radulfus in monachorum damnum vindicabat, Berctholdum, Zaringiæ ducem, dissidii arbitrum elegit. Secundum Henricum abbatem Berctholdus in ea re statuit, et sententiam ejus illico Lutholdus, Basileensis præsul, omnibus notam fecit. Eamdem, 18 Augusti 1226, Henricus VII, Romanorum rex, approbavit; Mon. Episc. Basil., t. II, p. 42. Obiit vero Henricus 18 Augusti 1240.

Cb. xxxi, col. 214.

V. Otto, ab anno 1246. Quem circa annum 1273 vitæ metam attigisse putant.

VI. Ulrichus, anno 1278, 28 Septembris, cum Conrado, Henrici *Pfirter* filio, quarumdam rerum permutationem fecit; Mon. Episc. Basil., t. II, p. 296. Idem, anno, ut opinantur, 1291, in Basileensem ecclesiam beneficus, ei montium octo cacumina dedit; ibid., p. 56. Obiit anno 1293.

VII. Petrus anno jam 1294 Beinwilensis abbatiæ gubernaculo præsidebat. Nec super eo postea domesticæ chartæ silent. Memoratur enim, 20 Decembris 1317, cum Burchardo, Wernhero Thuringoque *de Ramstein* quædam commutans; ibid., t. III, p. 263. Decessit 4 Maii 1329.

VIII. Henricus II, ab anno circiter 1329 usque ad annum 1368.

IX. Jacobus præfecturam anno, ut putant, 1368 auspicatus est et anno 1396 obiit. Hic, 16 Februarii 1384, Henrico de Thunis mediam decimarum partem in vico *Ederschwiler* percipiendarum, omniaque ad se pertinentia in vico *Roggenbourg* jura, pretio sexaginta Florentinorum nummorum vendit; Mon. Episc. Bas., t. IV, p. 438.

X. Conradus, ab anno 1396, qui munus dimisit anno 1410.

XI. Joannes I *Walraff*, 1410.

XII. Henricus III *Rotacker* e Beinwilensi abbate Sigensis episcopus fit anno 1425 et Basileensis episcopi suffraganeus. Beinwilensi tamen præfectura non ante annum 1430 semet abdicavit; qui 20 Januarii 1441 decessurus erat.

XIII. Joannes II *d'OEtingen* obiit 19 Octobris 1443.

XIV. Joannes III *Streng*, ab eo anno 1443 usque ad annum circiter 1462.

XV. Joannes IV *Muller*, ab anno 1462 usque ad annum circiter 1484.

XVI. Radulfus *de Saal*, anno 1485. Obiit 8 Februarii 1500.

XVII. Joannes V *Kerkel*, anno 1501; sed munus dimisit anno 1503.

XVIII. Nicolaus *Zeigler*, anno 1503, obiturus 9 Augusti 1513.

XIX. Ludovicus *Rapp*, 24 Januarii 1514 electus, abbatialem sedem occupabat, cum, æstuante bellorum civilium tumultu, monachorum cœtus rescissus est.

Ab eo tempore, et per multos annos, administratoribus data provincia Beinwilam desertam incolis, sed fundis etiam tunc locupletem, procurare. Administratores hi fuerunt : Conradus *Wescher*, ab anno 1527 usque ad annum 1555; Jodocus *Strehler*, patria Lucernensis, a 22 Martii 1555; Ursus Galliculus, germanice *Hani*, presbyter sæcularis Solodorensisque præpositus, a 20 Augusti 1565; Ægidius *Bürgi*, canonicus Schonenwerdensis, a 29 Augusti 1567; Joannes *Schmid*, canonicus ejusdem ecclesiæ, a 31 Augusti 1573; Ursus *Reinhard*, canonicus Solodorensis, a 24 Junii 1579.

Anno vero, ut diximus, 1589, Beinwilam quidam monachi redierunt, Eremo B. Mariæ deducti. Quibus præfecti sunt regulares veste animoque rectores, obedientiæ tamen strictæ vinculo abbatibus Eremi conjuncti. Ili fuere : Wolfgangus *Spiess*, a Februario mense 1589; Gregorius *Zehender*, anno, ut videtur, 1600 electus; Maurus *Hoffmann*, eodem munere 28 Decembris 1621 donatus; Ursus *Buri*, eodem, 15 Septembris 1622. Obiit hic Ursus 11 Aprilis 1633, atque post ejus decessum nova series abbatum incepit, qui nunc singulatim recensendi.

POSTERIOR SERIES ABBATUM.

XX. Fintanus *Kieffer*, patria Solodorensis, electus abbas 10 Maii 1633, Beinwilenses monachos in B. Mariæ ad Petram claustra duxit, et, completo 42 annorum regimine, munus anno 1675 dimisit, decessurus 9 Novembris 1677.

XXI. Augustinus I *Reuti*, anno 1645 natus, 13 Decembris 1665 professus, 30 Decembris 1675 electus abbas, 1 Aprilis 1695 mortuus est.

XXII. Hesso II *Glutz*, Solodorensis, ex abbatiæ priore abbas creatus est 19 Aprilis 1695 et 16 Martii 1710 interiit.

XXIII. Maurus *Baron*, idem quoque Solodorensis, 16 Martii 1710 electus, 29 Januarii 1734 decessit.

XXIV. Augustinus II *Glutz*, a 23 Maii 1734. Obiit 7 Junii 1745, dimisso, ut videtur, ab aliquot diebus regimine. Augustino frater erat

XXV. Malachias *Glutz*, abbas S. Urbani Lucernensis, in diœcesi Constantiensi.

XXVI. Hieronymus I *Altermatt*, a 5 Julii 1745 usque ad 30 Aprilis 1765.

XXVII. Hieronymus II *Brunner*, a 3 Junii 1765; qui 20 Aprilis 1804 decessit, multas passus anno 1798 ærumnas, actis scilicet in exsilium monachis ab eo tempore usque ad annum 1803.

MASONIS VILLA.

Masonis villa, vel monasterium, teutonice *Masmunster*, gallice vero *Massevaux*, urbs nunc est Sungoiæ, in Vogesi montis saltibus, juxta *Doldre* amnem. In eodem loco, anno circiter 730, operis auctore Masone, Alsatiæ duce, Adalberti filio, hujusque Eberhardi qui Morbacum condidit germano, ædificatum est templum in honorem S. Leodegarii martyris, applicatumque templo monasterium virginibus excipiendis accommodatum. Masonem hunc regem posteritas appellavit; namque in tumulo quem diu moniales honoratum habuerunt legebatur : *Hic jacet sepultus filius regis Masonis, fundatoris hujus monasterii* (1). Abbatialisne ea domus ab exordio fuit? Ambiguam rem relinquere quidem cogimur. Ex ipsius vero Ludovici Pii verbis, monialium jura possessionesque anno 823 recensentis, apud Rer. Gallic. Script., t. VI, p. 535, certo comperimus Masonis villam tunc abbatiam exstitisse.

S. Benedicti regulam, ut conjicitur, hæ primo virgines observavere. Deinde vero, mitiorem legem amplexæ, canonicas se vocare cœperunt. Sub ultimi sæculi finem duodecim in ea domo puellæ recensebantur, tam ex patre quam ex matre nobiles, omnesque intra fines Alsatiæ genitæ.

Abbatiam protegebat castrum, validis munimentis circumseptum, quod priscis temporibus episcopum Basileensem penes erat; Mon. Episc. Bas., t. IV, p. 188. Anno 1663, castrum hoc obsident Sueci capiuntque, Cæsareo quamvis præsidio firmatum; apud *Laguille*, Hist. Alsat., part. II, p. 111. Sed postquam Alsatia sub decimum septimum sæculum in Francorum ditionem traducta est, villa Masonis in urbem franciscam desiit.

(1) Filius Masonis unicus amne Olruna inter balneandum submersus, aquis oppressus fuerat; Mabillonii Annal. Bened., t. II, p. 78.

Perpaucæ Masonis monasterii abbatissæ nobis innotuerunt. Hæ sunt :

Alicia *de Rotberg*, quæ, 15 Januarii 1399, a Leopoldo, Austriæ duce, domesticarum immunitatum confirmationem obtinuit; Mon. Episc. Basil., t. IV, p. 859.

Magdalena *de Rebstochs*, quæ, anno 1572, Masonis monasterii administratione relicta, Andelacensis abbatissa facta est, in Argentinensi diœcesi; supra, t. V, col. 881.

OTTMARSHEIMUM.

Situm erat hoc monasterium in Alsatia superiori, quinque leucis Basilea, tribus *Ensisheim* distans. Quod, anno circiter 1060, condidit Radulfus, Habsburgensis comes, et monialibus Benedictinis addixit. Abbatiale paulo post templum in honorem B. Mariæ Virginis Leo IX consecrari curavit. Deinde vero S. Benedicti regula monialibus hanc domum incolentibus nimium aspera visa est; quæ, mutata veste, canonicæ factæ sunt. Sub exitum igitur ultimi sæculi Ottmarsheimum incolebat puellarum nobilium exiguum examen, abbatissa, pro veteri more, præsidente.

Sunt qui dicunt abbatiam hanc nomen suum a S. Othmaro, S. Galli clarissimo abbate, desumpsisse; quæ scilicet sententia Schœpflino et Ludovico *Laguille* placuit. Sed idem alii nomen ducunt e Marti quondam, ut ferunt, sacro templo, cujus etiam nunc insignes reliquiæ remanent, et doctissimorum antiquariorum scientiam periclitantur. Pro certo quidem habendum est Romanos in eo loco consedisse, et satis frequens incolis Ottmarsheimum tunc fuisse. Id enim multa monumentorum eversorum vestigia confirmant. Urbem monasterio adjacentem expugnavit, anno 1269, Henricus Basileensis præsul, adversus comitem Habsburgensem Radulfum belligerans. Anno postea 1445, Basileenses oppidani, armis iterum in Cæsareas aquilas conversis, Ottmarsheimense castrum deprædantur, et ipsi monasterio vim inferunt; apud *Laguille*, Hist. Als., part. I, p. 342.

Ex Ottmarsheimi abbatissis paucas tantum novimus. Hæ sunt :

Agnes *de Steinbrunn*, quæ, anno 1323, quosdam agros *Obermorschviller* sitos vendidit; Mon. Episc. Basil., t. III, p. 717.

Verena *Tegelin de Wangen*, quæ postquam Gunterinam Vallem in ecclesia Constantiensi sex annos rexerat, Ottmarsheimum est translata, anno circiter 1540, sicut tradit Martinus Gerbertus, Hist. Nigr. Silv., t. II, p. 370.

Alias ejusdem Ottmarsheimensis monasterii abbatissas, Agnetem silicet *de Dormenz,* Victoriam *Reutner de Weil* Evamque *de Pfirdt,* Gunterina Valle pariter deductas fuisse Martinus idem Gerbertus asseruit. Earum vero tempora minime nobis nota fecit. Ultima Ottmarsheimensium abbatissarum exstitit :

N. *de Flaxland,* quæ anno 1757 abbatiæ præfecturam adepta, anno 1790 superstes erat.

LUCELLA.

Lucella, vel, ut quidam aiunt, Luciscella, teutonice *Lutzel, Gross-Lutzel,* ad Sungoiæ fines, exordium habuit 15 Martii 1123, fundatoribus Hugone, Amedeo et Richardo, Montis Falconis comitibus. Cujus fundationis Necrologium domesticum his verbis meminit : « VIII cal. Aprilis. Hodie fundamenta prima « posita sunt monasterii Lucellensis, anno « Incarnati Verbi MCXXIII; » inter Mon. Episc. Basil., t. III, p. 665. Ædificandorum claustrorum opus intra unius anni spatium consummatum est; in eodem enim Necrologio legitur : « VIII id. Aprilis. Hac « die fundatum est monasterium Lucellense « anno MCXXIV, et Stephanus primus ab- « bas est directus; » ibid., p. 666. Abbatialis ecclesia B. Mariæ Virgini nuncupata est. Ut erat locus in Basileensi diœcesi situs, impigram operi perficiendo manum adhibuit Berctholdus Novicastrensis, Basileensis antistes, Hugonis, Amedei et Richardi de Monte Falconis avunculus : ut vero fundatores, Montis Falconis scilicet dynastæ, Burgundiam superiorem incolebant, placuit eis Burgundos ex abbatia Bellævallensi monachos deducere, eisque Lucellam tradere. Cisterciensem autem vivendi normam monachi Bellævallenses observabant : Cisterciensis igitur domus ipsa Lucella fuit. Anno jam 1125, VI id. Januarii, Henricus imperator institutionem abbatiæ recentis approbavit, præsentibus Bisuntino, Basileensi, Argentinensi præsulibus, et multis imperii Germanici proceribus. Ejusdem Eugenius III, anno 1147, jura possessionesque confirmavit. Quam vero Bellævallensis, ut aiunt, genuerat, ipsa mox Lucella multarum abbatiarum fœcunda genitrix exstitit : ex ejus enim visceribus anno 1128 prodiit Novum Castrum, aliter Neoburgum, in Argentoratensi diœcesi; nec multo post Cæsarea, teutonice *Kaisersheim,* ultra fines Helvetiæ, in Austriaco territorio; Aurora, teutonice *Freinisberg,* anno 1131; Locus Crescens, anno 1133, non ingloria apud Sequanos domus, cujus historiam supra descripsimus; anno 1137 Salemium, in diœcesi Constantiensi (quam tamen abbatiam nonnulli Bellævallis filiam asserunt); anno denique 1138, Parisium in Alsatia, quæ postea domus rectore

Ch. XIX, col. 200.

A proprio destituta Mulbrunno adnexa est. Tanta progenie conspicuam abbatiam multi tam Sequaniæ, quam Alsatiæ Helvetiæque proceres beneficiis suis auxerunt, inter quos memorandi Ferretenses comites, Montis Biligardi præpotentes dynastæ, necnon *Hasembourg* et *Mœrsberg* toparchæ. Eamdem optimis juribus imperatores donaverunt. Quod satis liquet ex hoc loco solemnioris instrumenti, quod, 18 Februarii 1370, Carolus IV ad Lucellensem abbatem misit : « Declara- « mus quod abbas, conventus atque officiati « monasterii de Lucella, per nostra alio-
B « rumque Romanorum imperatorum ac re- « gum privilegia, plenariam et absolutam « sibi habeant concessam potestatem in « suos homines, famulos, mercenarios, in- « colas, colonos atque alios, intra illorum « territorium et districtum deliquisse de- « prehensos et repertos, jurisdictionem « temporalem exercendi, delinquentes ca- « piendi, arrestandi, detinendi, et sen- « tentias judiciales proferendi, atque pro « delicti qualitate, servatis sacri imperii « constitutionibus, puniendi et mulctandi; « et quod appellationes ab eorum senten-
C « tiis non alio quam ad solam imperialis « nostræ celsitudinem dignitatis provocari « et devolvi possint ac debeant. Imperiali « auctoritate statuentes ne præfatus abbas « de suis bonis, possessionibus, hominibus, « villanis, municipibus, famulis, mercena- « riis, colonis, aliisque pertinentiis et rebus « universis ad ullum judicium sæculare pro- « trahi, vel alicubi, nisi coram nobis, nos- « trisque successoribus Romanorum regi- « bus, aut coram imperialis judicii nostri « præside, conveniri possit aut respondere « teneatur; » Mon. Episc. Basil., t. IV, p.
D 292.

Non multo post datas a Carolo IV litteras, anno nempe 1375, Angli per Basileensem agrum debacchantes, quos Enguerrandus *de Coucy* ducebat, Lucellam occupaverunt et spoliatam lamentabili clade affecerunt; anno postea 1499 incendium eidem abbatiæ illatum est, exorto inter Cæsarem Helvetiosque bello; anno denique 1525 eamdem rursus exitiales tædæ vastaverunt, quo tempore Alsatarum agricolarum seditio fervebat. Sed novis deinde semet opibus Lucella renovavit, et usque ad exitum
E proxime elapsi sæculi satis florens exstitit.

Hujus historiam scripsit Bernardinus *Buchinger,* abbas ipse Lucellensis, cujus liber Epitome Fastorum Lucellensium inscribitur. Præbet hic liber seriem abbatum accurate digestam. Eamdem vero ampliorem et majori fide dignam nuper fecit multæ sedulitatis vir D. Egbert. Fred. *de Mulinen,* Helv. Sacr., t. I, p. 180.

SERIES ABBATUM.

I. Stephanus, natione Burgundio, Morimundensis monachus fuerat, deinde Bellævallensis. Ingressus anno 1124 Lucellam recens conditam, primus hujus cœnobii abbas exstitit, obiitque 3 Januarii, anno incerto.

II. Christianus, anno 1131, ab Udelardo *de Seedorf* locum *Frienisberg* appellatum accipit, in quo Cisterciensem abbatiam, non prorsus ingloriam olim Lucellæ filiam, ædificet. Frienisbergensis ea abbatia Aurora latine dicta est, in Constantiensi diœcesi (1). Interest deinde Christianus, anno circiter 1134, Loci Crescentis fundationi. Eidem, anno 1136, Humbertus Bisuntinus archipræsul et Adalbero Basileensis episcopus domesticas possessiones confirmant. Confirmationis hujus monumentum insigne jam typis mandaverat Schœpflinus; Als. Dipl., t. I, p. 212: quod rursus et emendatius D. J. Trouillatius edidit; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 262. Unde comperire licet quæ intra paucos annos incrementa Lucellensis res susceperit e vicinorum toparcharum beneficio, Hugonis scilicet, Amedei et Richardi de Monte Falconis, Burchardi et Henrici de *Asuel,* Huzonis de Pluvioso, Guillelmi et Henrici *de Granges*, Joceranni de Rocha, multorumque aliorum quorum nomina episcopale diploma præbet. Innocentius postea II, 18 Martii 1139, ad Christianum scriptis litteris, præcipuos Lucellæ fundos recensuit, eosdemque Conradus III, Romanorum rex, 28 Maii ejusdem anni; ibid., p. 272, 278. Subscripsit, anno 1144, Christianus Frederici, Ferretensis comitis, instrumento de *Feldpach* monasterii fundatione; ibid., t. II, p. 707. Anno, ut videtur, 1145, Ortliebus, Basileensis præsul, parochialem Chalmillarum ædem, cujus jam Lucella fundum possidebat, imo Christiano superficiariam donavit, eum in possessionem mittens cujuslibet ecclesiastici juris in ea exercendi; ibid., t. I, p. 289. Quod circa tempus prædium *Curthelmaltrut* dictum, permutatione quadam dominio Lucellensi adjunctum, idem Ortliebus approbavit; ibid.,

A p. 292. Ibidem, p. 304, legere est Eugenii papæ III bullas, quibus Christiano jam ab apostolica sede confirmatæ possessiones iterum iterumque recensentur, 17 Julii 1147. Ibidem quoque, p. 320, exstant Ortliebi præsulis litteræ, cuncta Lucellæ prædia describentes, in quibus Christiani nomen abbatis occurrit, anno 1152. Lucellam scilicet Ortliebus caram habuisse videtur Christianumque amicissimum: cui etiam, annum circa 1156, omnes dimisit decimas quas antea Basileensis ecclesiæ gaza e Lucellensium agrorum fructibus perceperat; ibid., p. 329. Anno deni- B que 1164, testis legitur Christianus Herberti, Vesuntionensis electi, jura Bellævallensibus a Hugone de Rocha tradita confirmantis. Nec ejus postea chartæ nomen præbent. Nonnulli tamen scriptores Christiani vitam in 21 Maii 1188 producunt, eumque referunt ad summam hanc senectutem pervenisse, postquam anno jam 1178 abbatiali munere semet abdicaverat. Annus quidem in quo terrenis Christianus curis exemptus est non ex indubio testimonio nobis compertus est: sed clarum hunc apud Lucellenses abbatem longe ante annum 1178, vel otii libera consectatione, vel C fati decreto, abbatiæ, cui tamdiu jam præfuerat, gubernaculum reliquisse certe novimus. Anno enim 1180, Rogerius, Lausannensis præsul, singulas confirmans possessiones quas temporibus Herberti schismatici Bellævallensis abbatia comparaverat, incrementorum horum testes non modo Christianum, sed Alberonem quoque Lucellæ abbatem fuisse memorat. Has infra lege Rogerii litteras inter Instrumenta Vesuntionensis ecclesiæ. Desiit autem Herberti schismatici metropolitanus præsidatus anno 1172. Hunc igitur ante annum 1172 Christiano suffectus fuerat D apud Lucellenses Albero.

III. Albero tunc primum Lucellensibus abbatibus annumeratur. Confidenter tamen ejus nomen scribimus, ex authentico nempe diplomate. Is est sane qui dictus *Abbo, abbas de Lucela*, testis anno 1166 fuerat Stephanelli clerici cum Bellævallensibus paciscentis; inter Drozianas schedas, t. IX, p. 657.

IV. Alexander legitur 11 Octobris 1175, Hugonem, S. Ursicini præpositum, testans Belleclagiæ *Boëcourt* altare concessisse; Mon. Basil. Episc., t. I, p. 357. Eumdem abbatem 3 Octobris 1179 decessisse ferunt. For- E san tamen hic Alexander non alius fuit ac Albero Abbove antecedens.

V. Archenfridus, nobilis, ut aiunt, Vesuntionensis, occurrit XI cal. Julii 1180, in litteris Alexandri papæ III de singulis Lucellæ possessionibus; ibid., p. 380. Obiit vero 1 Novembris 1181.

VI. Conradus I, alias Cuno, coram Ludovico Ferretensi, anno 1182, de quorumdam prædiorum possessione cum *Reiningen* incolentibus fratribus paciscitur; Mon. Episc.

(1) De primis Auroræ temporibus, necnon de fundatore hujusce domus, nihil antecessores nostri certi tradiderunt; supra, t. V, col. 938. Quamobrem ex Udelardi charta sequentia decerpere, quæ videlicet dubitationem omnem solvunt, utile ducimus : « Notum fieri volumus tam futuris « quam præsentibus, quod ego Udelardus, comes dictus *de* « *Seedorf,* et uxor mea *Adelheid,* laudante matre mea Chunza, « obtulimus, pro remedio animæ nostræ parentumque nos- « trorum et filiorum, omnipotenti Deo et beatæ Dei geni- « trici Mariæ, liberum ac proprium nostri juris allo- « dium, *Freinisberg* nominatum, per præstitutos terminos.... « Facta est hæc donatio omni firmitati subnixa in manu « Domini Christiani, Lucellensis abbatis, ejusque religio- « sitati tradita, ut, sicut supradictum est, abbatia ordinis Cis- « terciensis ibi Domino serviens in perpetuum consistat. « Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo trice- « simo primo, indict. IX, concurr. VII, sedi apostolicæ præ- « sidente piissimo papa Innocentio, Romanorum regnum « obtinente Ludhero.... » Monum. Episc. Basil., t. I, p. 259.

Basil., t. IV, p. 642. Idem subscribit, anno 1184, Henrici præsulis litteris de *Biessissheim* ecclesia monachis S. Albani restituta; Alsat. Dipl., t. I, p. 280. Dein, anno 1185, cum Basileensi præposito super quibusdam decimis litigabat. Postquam autem dissidii judex Henricus præsul statuerat ut Lucellensis abbatia quadraginta quotannis solidos Basileensi præposito persolveret, Lucius III sententiam hanc approbavit. Legitur quoque Conradum a Ludovico, Ferretensi comite, qui nonnullis Lucellam damnis afflixerat, *Monfol* prædium accepisse; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 412. Charta vero Ferretensis hujus comitis post mortem Conradi data videtur, quem scilicet 4 Maii 1185 decessisse memorant.

Ch. xxvi, col. 208.

VII. Wezilo, alias Wizelo, e vico *Tiefenthal* in Alsatia oriundus, domesticas possessiones a Gregorio papa VIII confirmatas habet 31 Octobris 1187; Mon. Episc. Bas., t. I, p. 408. Eumdem, anno 1189, Henricus, Basileensis episcopus, censu quodam immunem facit, una scilicet ceræ libra quam Lucellenses quotannis ecclesiæ Basileensi conferebant, ob datum ab ea fundum in quo ipsa sita erat abbatia. Decessisse videtur Wezilo eo anno 1189.

Ch. xxix, col. 210.

VIII. Conradus II *Radelstorf* ab anno 1189 Lucellensis abbatiæ gubernaculo assidens memoratur. Violatis autem aliquo modo ordinis legibus institutus fuerat. Hoc enim occurrit in Cisterciensium Statutorum quam Martenius collegit farragine : « Abbas Morimundi, quia posuit in Lucella abbatem « præter formam ordinis,.... tribus diebus sit « in levi culpa, uno eorum in pane et aqua. » Singularis est ejus ad Conradum, S. Urbani abbatem, epistola, quam hic integram transcribere operæ sane pretium est: « Frater Cunradus, dictus abbas de Lucella, dilecto filio « nostro venerabili Cunrado ad S. Urbanum « vocato abbati, se ipsum quantus est. Desiderastis a nobis vos et qui vobiscum sunt « filii quondam ecclesiæ nostræ Lucellensis, « ut novum Missale, quod Fr. Helinandus « exaravit pro usu novi chori nostri, transcribi faceremus. Opus hoc per nos sibi injunctum idem frater, ex singulari quem « erga vos gerit dilectionis affectu, feliciter « et fideliter citius completum reddidit. Illud « igitur suscipite, et ex eo in voce exsultationis Altissimo jubilate, cantantes Domino « canticum novum, cujus laus in ecclesia vestra sancta indeficiens perseveret. Nec tamen id vobis damus hæreditarium, sed « transcriptum pro divini operis indigentia « nobis reddendum in Domino confidimus. « Inter cetera Deum præ oculis habete, et « cavete ne multitudo nobilium, qui in caritatis vestræ cœtu conversari volunt, humilis instituti nostri opprimat paupertatem. « Divites sunt, potentes sunt, multi sunt. Divinam igitur super eos implorate clementiam, ut qui sub sancta præceptorum re« gula stare incipiunt, non cadant in opprobrium sempiternum. Fratres salutate quos « in antea de hac ecclesia assumpsistis vobiscum mysteriorum Dei dispensatores, nostros et vestros filios. Datum Lucellæ, anno « 1196. Fr. Cunradus, abbas Lucellensis. » Conradus hic abbas Lucellensis abbatiam S. Urbano sacram, in Lucernensi tractu, ipse ædificaverat, ibique consobrinum suum Conradum *de Biederthal* abbatem instituerat. Ambo quoque memorantur anno 1197, in instrumento quod Bernardinus Buchingerus laudavit. Ex eo comperimus diplomate Huzonem *de Radelstorf* Conradi Lucellensis germanum exstitisse, Lutholdum vero *de Biederthal* eodem affinitatis vinculo Conrado S. Urbani abbati adhæsisse. Idem est Conradus Lucellensis abbas cui, anno 1199, capitulum Cistercii generale piacularem pœnam, levem tamen, irrogavit, ob diutius procrastinatam Loci Crescentis, Lucellensis coloniæ, visitationem. Idem, anno 1210, donationi subscribit quam Loco Crescenti facit Fredericus Ferretensis. Hanc referens donationem diploma infra legendum est inter ecclesiæ Vesuntionensis instrumenta. Occurrit deinde Conradus, 11 Julii 1212, cum Burchardo *de Hasenbürch* de molendino *Loufen* dicto paciscens; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 457. Quod circa tempus, Lutholdus, Basileensis episcopus, R., *Sogron* comitem, testatus est ab avis quæcumque Lucellæ data Conrado confirmavisse; ibid., p. 459. Conradi vitam regimenque Bernardinus Buchingerus in diem 7 Decembris 1221 producit. Cui suffragari videtur sententiæ cujusdam instrumentum tam ab Henrico præsule quam a C., abbate Lucellensi, anno 1221 editæ, de jurgiis inter Honbergensem comitem monachosque S. Albani compositis; Mon. Episc. Basil., t. II, p. 39. Animadvertit vero Schœpflinus, Als. Dipl., t. I, p. 328, Fredericum, Ferretensem comitem, Berchtoldi, Lucellensis tunc abbatis, nomen in charta quæ præbet annum 1215 scripsisse. Quare Conrado Berctholdum ante annum hunc 1215 suffectum autumat. Quod sane Schœpflino concedendum erit, nisi Frederici comitis litteras in falsam temporis notam desinere, aut saltem quodam interpolationis vitio laborare comprobes.

IX. Bertholdus, ut diximus, anno 1215 a Frederico Ferretensi dynasta memoratur : Buchingerus vero et hodierni plerique scriptores eum non Lucellensis abbatiæ regimen ante annum 1221 suscepisse contendunt. Hic avis atavisque clarus, Eginonis, *Urach* comitis, filius erat, et Conradi, S. Rufinæ cardinalis, necnon Helwidis, Ferretensis comitissæ, frater. Portæ Cœli, in Constantiensi diœcesi, germanice *Tennenbach*, Berthol-

dus primo abbatem agens præfuerat: ut vero Lucellam, ubi Cisterciensem, ut videtur, vestem junior assumpserat regendam habere potuit, Constantiensem abbatiam Basileensi potiturus illico deseruit. Mox autem eum monachosque ipsi subjectos gravis calamitas afflixit; nam, IV cal. Martii 1223, ut rem domestici fasti referunt, Mon. Episc. Basil., t. III, p. 669, « dispersus est conventus Lucellensis, » post annos quinque, eorumdem pro fide, revocandus. Quis vero fuerit hujus depulsionis auctor non traditur. Certe Berctholdus apud Richardum, Montis Biligardi comitem, mense Junio 1223 conversabatur; quod sub tempus ejus litteris suscripsit, Gerardo, metropolitæ Vesuntionensi, agrum quem Vineam Archiepiscopi appellabant restituentis: eodem quoque anno Berctholdus Richardum eumdem in villam *Verces,* una cum Bellæ Vallis, Loci Crescentis et Gratiæ Dei abbatibus, secutus, ab eo vicos *Dalote* et *Taillecourt* dono datos obtinuit; quod non modicum attulisse videtur Lucellensi rei incrementum. Habemus denique, 20 Decembris ejusdem anni, Henricum regem Bercetholdo quascumque Lucellæ possessiones confirmantem; Mon. Episc. Bas., t. I, p. 492. Quas scilicet easdem singulaque monachorum jura ampliores Honorii III litteræ, 9 Maii 1224 datæ, recensent; ibid., p. 494. Anno postea 1225 Fredericus, comes Ferretensis, cum Bercetholdo, super diversis prædiis quæ tam sibi quam Berctholdo hæreditate obvenire poterant, componit. Nihil ex eo pacto Berctholdus de dominio ipso recipiet, nullus scilicet (Ch. XXXVI, col. 218.) ei Ferretensis comitatus irrogabitur ager, sed tam ipse quam ejus successores abbates Lucellenses amplissimis in eo comitatu juribus frui in perpetuum gaudebunt. Berctholdum fasti Lucellenses VII id. Januarii 1230 decessisse memorant; ibid., t. III, p. 670. Eo secundum Bernard. Buchingerum anno minime mortuus est, sed munere semet abdicavit. Bernardini quidem Buchingeri testimonium in eo tueri videtur instrumentum de sopitis, anno circiter 1234, inter Henricum episcopum et Ferretenses comites jurgiis; cui scilicet instrumento Berctholdi Lucellensis abbatis nomen, abdicato forsan munere, legitur appositum; ibid., t. II, p. 537. Quod si vero Berctholdus usque ad hunc annum 1234 superstes vixit, ante principium anni 1230 munus certe dimiserat, idque Richardus sequens acceperat.

X. Richardus enim, 20 Septembris 1229, una cum Guillelmo Loci Crescentis et Conrado Maris Stellæ Cisterciensibus abbatibus, litteras edit de collatis Bellæ Valli donis tam a Simone de Nova Villa quam a Lamberto de *Fondremant;* inter Drozianas schedas, t. X, p. 42. Quem e priore factum abbatem opinamur: anno enim

A 1223 Richardi, Montis Biligardi comitis, diplomati supra laudato Richardus alter quidam, Lucellæ dictus prior, subscribebat. Anno vero 1238 decessisse perhibetur.

XI. Thiemo, alias Theobaldus I, filius Hermanni, baronis *Ramstein* et *Gilgenberg,* atque Agnetis *Thierstein* comitissæ, quædam cum Odone de Rocha permutat, mense Junio 1239; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 552. Obiit VII cal. Februarii 1257.

XII. Wernherus occurrit, 30 Martii 1258, ab Ulricho Ferretensi quorumcumque jurium dimissionem impetrans, quæ scilicet ea tenus potens hic dynastes in villa et circa villam *Moos,* Lucellensem coloniam, exercuerat; ibid., p. 650. Ærumnas quoque graves Wernherus, abbatiæ regimen aggressus, expertus est. In fastis enim Lucellensibus, sub annum 1258, legimus: « Nonis Novembris dispersus est conventus « Lucellensis. Evolutis vero duobus annis « et quinque mensibus, revocatus est; » ibid., t. III, p. 671. Basileam, ut videtur, tunc temporis Wernherus secessit. Basileæ enim reperitur anno 1259, Ludovico, Ulrichi Ferretensis filio, certam pecuniæ summam numerans; qua accepta prædictus Ludovicus Lucellensi conventui monasterii *Michelenbach* dicti *advocatiam* tradit; ibid., t. II, p. 92. Wernherum decessisse refert vetus codex idibus Januarii 1258, sed quodam, ut videtur, scriptoris peccato. Minime vero Bernardini Buchingeri sententiam approbamus, ejus qui vitam in annum 1268 producit. Certe prius occubuerat, ut testatur non una ad Conradum sequentem spectans chartula.

XIII. Conradus III, cognomento Prudentia, patria, secundum Bernard. Buchingerum, Basileensis, abbatialis rei curam anno circiter 1260 suscepit. Hic enim anno 1264 abbas jam Lucellensis legitur in pacto quodam cum S. Leonardi conventu; inter Mon. Episc. Bas., t. II, p. 144. Anno deinde 1265 villam *Meyenheim* adiit, in quam nobilium Alsatarum cœtus, Radulfo præside, Habsburgensi comite, convenerat, ibique, Lucellensis conventus orator, contra Ludovicum *de Rochsheim* causam dixit, qui scilicet prædium ad monachos pertinens occupaverat. Prædium hoc Conrado Radulfus præses restitui jussit; ibid., p. 160. Sub annum 1279 in Cisterciensibus, quæ Martenius edidit, Statutis legitur: « Quoniam non « absque dolore cordis casus horribilis ter« ribiliter intonuit auribus capituli genera« lis, videlicet quod quidam filii iniquitatis, « non timentes Deum, non homines re« verentes, in abbatem de Lucella, anno « præterito, a capitulo revertentem ma« nus sacrilegas injecerunt, et, eum de « equo turpiter deponentes, ignominiose

« detraxerunt per terram diutius, et eumdem detruserunt in carcerem, ipsum ibidem per aliquot dies impie detinentes; unde capitulum generale eidem abbati valde condolens, et non solum illi sed etiam toti collegio injuriam factam reputans, committit abbati de Loco Crescente quatenus cum litteris capituli personaliter accedat ad dominum archiepiscopum Bisuntinensem et ad dominum comitem Burgundiæ, et ad alios principes, in communibus expensis procuret pro viribus quod tantus excessus animadversione congrua puniatur, et passo injuriam conveniens fiat satisfactio secundum Deum et ordinis honestatem. » De eodem Conrado sic Bernardinus Buchingerus : « Propter hostiles in fines Lucellenses irruptiones bis solum vertere adactus, iisque tandem fessus anno 1288 vivendi finem fecit. » Eo forsan anno 1288 Conradus obiit, sed tunc ex abbate monachus. Nicolaus enim sequens ante hunc annum 1288 Lucellensis abbas erat.

XIV. Nicolaus I, ex oppido *Sulz*, in Alsatia, oriundus, exortam inter Loci Crescentis monachos et Wernherum *de Mulhausen* contentionem interventu suo sedat, anno 1286; Mon. Episc. Bas., t. II, p. 436. Idem Basileæ, anno 1287, eumdem Wernherum non obsequium modo, sed etiam illatorum damnorum compensationem, abbati Loci Crescentis promisisse testatur; ibid., p. 452. Anno denique 1291, 21 Septembris, a benedictinis Thuricensis monasterii puellis Nicolaus villam *Chonsheim* emit; ibid., p. 513. Obiit Nicolaus anno 1292, die S. Luciæ sacro, quo tempore monasterium Parisiense visitabat, et in oppido *Sulz* natali sepultus est, secundum Bern. Buchingerum.

XV. Jordanus, Lucellensis antea cellarius, quo nomine fundos a Niblungo, *Mulhausen* cive, venditos anno 1280 accepit, Mon. Episc. Basil., t. II, p. 328, paucos menses abbatiam rexit. Bellæ Vallis, in Bisuntina diœcesi, quidam Jordanus abbas legitur anno 1299 : quem non alium ac nostrum hunc Lucellensem nonnulli opinantur. Eo posito, Basileensem agrum Jordanus, patria, ut aiunt, Burgundus, in Vesuntionensem Cisterciensis ordinis abbatiam transferendus, deseruit.

XVI. Petrus I, in vico *Charmoille* natus, e cellario quoque abbas fit, anno, ut videtur, 1294. Hic, 20 Junii 1295, quasdam parvi momenti litteras scribit, inter Mon. Episc. Bas. legendas, t. II, p. 585. Anno vero 1298, non uno morbo laborans munus dimisit, et Bellam Vallem, cui Jordanus tunc præerat, se recepit.

XVII. Burchardus *de Landskron*, 27 Junii 1298, ecclesiæ *Phaffans* præficiendum sacerdotem præsentat; ibid., p. 667. Paciscitur, 22 Decembris 1299, de quibusdam juribus cum abbatissa S. Claræ Basileensis. Anno deinde 1300, 26 Januarii, pactionem approbat inter monachos Auroræ monialesque Fontis Mariæ initam; ibid., p. 694. Obiit 7 Aprilis 1303.

XVIII. Joannes I, cognomento Demetrius, occurrit ab anno 1303. Anno 1308, 3 Februarii, quoddam dissidium inter Grandis Vallis et Bellelagiæ ascetas exortum sententia dirimit; Mon. Episc. Basil., t. III, p. 124. Idem in minoris momenti chartulis, annis 1310, 1314, legitur; ibid., p. 166, 200. Obiit vero 30 Decembris 1319; e domestico necrologio.

XIX. Haimo nemora quædam locat 13 Januarii 1320, et exiguum agrum, 24 Aprilis 1321, numerata pecunia comparat; ibid., p. 281, 709. Idem, 2 Aprilis 1326, in ecclesia S. Ursicino sacra, sigillo suo litteras obsignat Joannis, presbyteri, altare quoddam in ecclesia prædicta instituentis; Mon. Episc. Bas., t. IV, p. 644. Dein, 26 ejusdem mensis, Alberto Austriaco fundos confirmat, quos scilicet prædecessores ejus a Lucellensibus monachis olim beneficiario jure tenuerant; ibid., t. III, p. 359. Idem quoque, 22 Januarii 1330, quasdam litteras sigillo suo firmat quarum D. J. Trouillatius meminit; ibid., p. 741. Anno denique 1332, 25 Augusti, cum præposito S. Ursicini litigans de juribus in territorio vici *Cornol* exercendis, inita pactione controversam rem dimittit; Mon. Episc. Basil., t. IV, p. 645. Haimonem decessisse perhibent 25 Aprilis 1336.

XX. Joannes II, 1336, 1340.

XXI. Radulfus I *de Wiegenheim*, Alsata, in vico *Uffholz* natus, e cellario abbatiæ creatur abbas anno 1340. De eo sub annum 1343 antecessores nostri meminerunt; supra, t. V, col. 851. Munus vero dimisit 26 Aprilis 1349, decessurus 1 Januarii 1351. De eo sic Lucellense necrologium : « Calendis Januarii, obiit R. P. Rudolfus abbas, sub quo consecrata est tota ecclesia hujus monasterii, cum summo altari, octava die Aprilis cadente in vigiliam Palmarum, anno 1346. »

XXII. Joannes III de Calmis, gallice *de Charmoille*, filius Ulrichi d'*Asuel*, ab anno 1349 reperitur. Hic, 31 Maii 1352, statuit ut 30 Florentinæ monetæ nummi in emendos quindecim albos cucullos, monachis alternatim tribuendos, quotannis impendantur; Mon. Episc. Bas., t. IV, p. 23. Idem, 10 Februarii 1360, Radulfo cuidam, *Chestelat* villico, prædium in hoc vico situm locat; ibid., p. 150. Decessit vero 30 Januarii 1362; ibid., p. 685.

XXIII. Joannes IV, *Achalz* comes, in Boemia, munus anno 1362 aggreditur, obiturus 30 Augusti 1379.

XXIV. Radulfus II *de Watteville*, abbas

antea Auroræ in diœcesi Constantiensi, Lu- A
cellam anno 1379 regendam ingreditur. Hic, 28 Februarii 1382, Basileæ tunc moram aliquam faciens, ab Anna, Erhardi *Reich* uxore, reditu quodam donatur. Sed anno 1387 Radulfus abbatiale munus apud Lucellenses dimittit, Cluniacensis monachus in æde S. Albano sacra tunc futurus, unde postea Morbacensis electus abbas exiit.

XXV. Nicolaus II *Meuwelin* ex abbatiæ priore salutatur abbas 22 Septembris 1387. Anno vero 1397, III non. Martii, obiit; Mon. Episc. Basil., t. IV, p. 855.

XXVI. Henricus I *Stockelm*, e vico *Cernay*, B
in Alsatia, abbas fit anno 1397 moriturque 21 Decembris 1411, sed munere jam dimisso.

XXVII. Conradus IV *Holzacker*, patria Basileensis, e S. Urbani monacho prior Lucellensis factus fuerat, e priore futurus abbas anno 1408. Annis 1416, 1417, 1418, sedit in Constantiensi concilio; apud Tschudium, Chron. Helvet., t. II, p. 108. Idem, anno 1439, in concilio Basileensi sedens reperitur; quem et Franciscum Gebennensem Fredericumque Basileensem episcopos concilium prædictum, IV cal. Novembris, electores Pontificis Romani designat; e Concil. C
Labbæi. Fuit quoque generalis Cisterciensis ordinis in Germania vicarius. Obiit 4 Aprilis 1443.

XXVIII. Nicolaus III *Amberg*, Basileensis, baccalaureus in theologia, ab anno 1443. Quem reperimus anno 1447 Friderici III Cæsaris vice-cancellarius. Obiit 25 Martii 1467.

XXIX. Joannes V *Stantenat*, cui natale solum *Uffholz*, e Lucellæ cellario et priore Vallis Rheni abbas Lucellæ fit anno 1467. Anno vero 1471 abbas Salemitanus electus, e Basileensi diœcesi in Constantiensem tra- D
ducitur.

XXX. Ludovicus *Jager*, doctor theologiæ, anno 1471 Joanni abeunti suffectus est, et 11 Octobris 1495 decessit.

XXXI. Theobaldus II *Hyllweg*, Alsata, 15 Octobris 1495 electus, abbatiale munus 20 Maii 1532 dimisit, 20 Aprilis 1535 decessurus. Eum præ cæteris Lucellæ abbatibus laudat Ludovicus *Laguille*, Hist. Alsat., part. prim., p. 194; quem ter flammis dirutam abbatiam instauravisse memorat, et hæreticæ pestis contagio viriliter obstitisse.

XXXII. Henricus II *Sapper*, *Ensisheim* in E
Alsatia natus, magister artium et abbatiæ cellarius, abbas creatus est 23 Maii 1532 obiitque 24 Martii 1542.

XXXIII. Nicolaus IV *Rosenberg*, patria Thannensis, abbas e cellario 4 Aprilis 1542 salutatus, decessit 23 Maii 1566.

XXXIV. Radulfus III *Kuchenmann*, e vico *Ensisheim*, Luterbachensis domus antea administrator, Lucellensis abbas fit 9 Junii 1566 et 28 Decembris 1573 moritur.

XXXV. Joannes VI *Kleiber*, in vico *Altkirch* natus, ipse quoque e Luterbachensi domo, cujus administratio penes eum aliquantisper fuerat, in regendam Lucellam accitur 14 Januarii 1574. Obiit vero 30 Aprilis 1583.

XXXVI. Beatus *Pape*, e *Gebwiler* in Alsatia, 15 Maii 1583 electus, 14 Januarii 1597 terrenæ vitæ metam attigit.

XXXVII. Christophorus *Birr*, e *Morschwyler* juxta *Altkirch*, 22 Januarii 1597 abbatiali baculo donatur, qui Minoris Lucellæ antea monachus fuerat. Pessimi vero administratoris famam consecutus, ab ordinis generali procuratore munere privatus est Christophorus 24 Junii 1605.

XXXVIII. Joannes VII *Hanser*, in vico *Ensisheim* natus, e cellario nominatur abbas 28 Junii 1605, obiturus 8 Septembris 1625.

XXXIX. Laurentius *Lorillard*, patria Bruntutinus, theologiæ doctor, a 4 Junii 1648 usque ad 2 Novembris 1654.

XL. Norbertus *Ganbach*, natus in vico *Ensisheim*, e priore fit abbas, decessurus 2 Novembris 1654.

XLI. Bernardinus *Buchinger*, in vico *Kientzheim*, apud Alsatas, 22 Januarii 1606 natus, Parisium nondum renatis dentibus ingressus est. Deinde Ensisheimum missus, Lucellam denique anno 1623 accitus memoratur, ubi, 7 Aprilis 1624, monachicam vitam professus est. Eum postea Lucellæ reperimus philosophiam necnon theologiam profitentem, et custodiendis abbatiæ libris præpositum. Postea vero Mulbrunnensis anno 1642 abbas creatus est, in quo munere magnam doctrinæ sapientiæque laudem comparavit : vide supra, t. V, col. 758. Denique Lucellensis abbas eligitur Bernardinus 16 Novembris 1654. Reperitur anno 1658 in supremum Alsatiæ concilium advocatus, quod scilicet, 24 Novembris in vico Ensisheimo coactum, id negotii susceperat ut invalescentem jam, quæ tamen non satis eatenus coaluerat, in ea regione Gallorum auctoritatem communiret. Cum vero procerum cœtus in ecclesiam Ensisheimi parochialem se reciperet sacris interfuturus, ædis ante januam stans Bernardinus solemniter incedentes aliquantisper moratus est, ut ad eos orationem haberet; ex Historia Concil. Alsat., quam nuper typis mandaverunt doctissimi viri DD. *Pillot et de Neyremand*, p. 36. Obiit hic doctissimus et laudatissimus abbas 5 Januarii 1673.

XLII. Edmundus *Quiquerey*, natus Grandi Fonte juxta Bruntutum, Bernardino, cujus adjutor fuerat, anno 1673 successit. Hic quoque, anno 1674, in supremo Alsatiæ concilio sedebat. Munus 1 Februarii 1677 dimisit, eodem anno decessurus, 13 scilicet Decembris.

XLIII. Petrus II *Tanner*, Colmariensis, na-

tus anno 1634, 2 Februarii 1658 professus, Lucellensem præfecturam 1 Februarii 1677 assecutus est, et 14 Maii 1703 interiit.

XLIV. Antonius *de Reynold*, patria Friburgensis, ex abbate Altæ Ripæ Lucellensis abbas fit 28 Martii 1703, decessurus 17 Martii 1708.

XLV. Nicolaus V *Delfils*, natus in vico *Vaufrey*, apud Sequanos, 11 Februarii 1683, anno 1704 professus, et 20 Novembris 1708 abbas Lucellensis electus, huic abbatiæ præfuit usque ad 6 Septembris 1751. Hic quoque, sicut Antonius antecedens, vicarius generalis ordinis fuerat per Helvetiam, Alsatiam et Brisgoiam.

XLVI. Gregorius *Girardin*, in vico *Delle* juxta Bruntutum genitus 24 Februarii 1709, monachicum habitum anno 1727 induerat. Abbas creatus 6 Septembris 1751, obiit 9 Aprilis 1790.

XLVII. Benedictus *Noblat*, ultimus Lucellensium abbas fuit. Anno 1736 natus in vico *Courtavon*, anno 1761 professus fuerat. Gregorio defuncto protinus successit, sed eum mox Franci abbatia potiti exsulem ejecerunt. Obiit 7 Decembris 1802.

PARISIUM.

Propter Alsatiæ superioris et Lotharingiæ fines *Orbey* vicus conspicitur, incolis nunc frequens, olim nomine vix notus, qua scilicet ætate *Orbey* vicina florebat, in decanatu quem ultra Colles Ottonis appellabant, Parisiensis domus, hodie prorsus ingloria. Cisterciensem hanc domum in angusta valle, ad montium abruptorum radices, condidit Hugo, *Egisheim* comes, anno 1138, secundum Bernardinum Buchingerum. Munsterus quidem, Cosmogr., p. 1152, hanc fundationem sub annum 1144 enarrat, eamdemque Lazius anno 1148 adscribit: potior vero Bernardino Buchingero in eo fides adhibenda videtur; primos enim Parisio monachos Lucella præbuit, et qui Lucellenses fastos diligentissime scrutatus erat Buchingerus, et ipse per aliquot annos Parisiensis abbas fuerat, authentica sane legerat ad id spectantia documenta. Hic quoque corrigenda Angeli *Manriquez* sententia, qui, Ann. Cisterc., t. II, p, 416, Parisium a Bella Valli procreatum memorat. Lucellensis enim abbas usque ad hesterna tempora Parisii pater, et merito quidem, tam in Cisterciensium generalibus statutis quam in peculiaribus Lucellæ Parisiique diplomatibus, semper appellatus est. Secundam Parisium fortunam per multos annos habuit. Quinto vero decimo decurrente sæculo, cum in tota desæviret Alsatia bellorum plusquam civilium furor, Parisienses monachi, quorum plerique genere nobiles erant, ideoque bellicarum tubarum signo nimis audientes, tam Dei cultum quam ipsam bonorum domesticorum curam adeo neglexerunt, ut rebus incolisque fere exhaustam abbatiam Pius papa II, sub annum 1453, Mulbrunnensi conventui, in Spirensi diœcesi sito, conjunxerit. Id referens Bruschius, quem Albertus Miræus et Angelus *Manriquez*, Annal. Cisterc., I, p. 360, pari modo sequuntur, addit Parisium tunc temporis, suppressa dignitate abbatiali, in prioratum conversum fuisse. Quod non prorsus verum est. Priori quidem ab eo tempore commissa est incorporati, sicut aiebant, monasterii cura; Parisiensis tamen domus, amissa re, abbatiæ nomen retinuit. Etenim ab anno 1453 Mulbrunnenses abbates Parisienses abbates quoque appellati sunt, usque ad annum 1537, sub cujus finem Lutheranæ hæreseos contagium Mulbrunnenses monachos Parisium secedere coegit. Tunc sane in melius Parisii res ire, sed per paucos annos. Anno enim 1557 Mulbrunnum Christophorus, Wirtembergensis dux, occupat, et, qui Lutheri partibus addictus erat, hanc Lutherani cultus ministris abbatiam tradit habitandam. Rupto sub id tempus quod Parisium Mulbrunno jungebat vinculo, Parisiensis domus regimen Lucellensis abbas sibi vindicavit. Operam vero perdidit. Pristinum quidem decus assequi Parisium minime valuit, sed liberum permansit. Mulbrunnum dein, anno 1630, Cisterciensibus monachis ab imperatore Ferdinando II restitutum est; tunc vero Suecci superiorem Alsatiam cum magno bellorum apparatu permeantes, Parisium incendio tradunt. Vanum igitur post hanc cladem Parisium permansit usque ad annum circiter 1642: tunc enim Bernardinus *Buchinger*, Mulbrunnensis abbas, monachos Parisium nonnullos reduxit, ibique piæ sodalitatis quamdam imaginem rursus inchoavit; nec multo post, anno scilicet 1649, Mulbrunnum Wirtembergensibus ducibus, e fœderis Monasteriensis præscripto, collatum est, Parisiumque Francis obtigit. Ut ea pacta sunt ordini Cisterciensi Spirensis domus ablata est, Basileensis vero, Francorum regum gratia, dignitatis abbatialis integra jura recuperavit

De Parisio plura tradiderunt antecessores nostri Mulbrunnensium abbatum seriem describentes; supra, t. V, p. 756. Quædam alia, sed pauca, de Parisiensibus abbatibus nobis Basileenses tabulæ suppeditaverunt. Imperfectam igitur horum seriem relinquere cogimur.

QUIDAM ABBATES.

Wernherus, anno circiter 1187, ab Henrico, Basileensi episcopo, pascuum quemdam agrum accipit; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 407. Idem, anno 1188, ejusdem Henrici litteris subscribit in Locum Crescentem beneficî; ibid., p. 416.

Martinus anno circiter 1200 occurrit. De quo sane, sub annum 1206, statuta capituli Cisterciensis, apud Martenium, Thes. Nov. Anecd., t. IV, p. 1304 : « De abbate de *Paris,* qui recepit novitium ter in « die comedentem, et pavones habet in « claustro, et utitur pro infirmitorio hospitio, committitur abbati Morimundi, qui « inquirat diligenter et corrigat, et qualiter « correctum fuerit sequenti capitulo denuntiet. » Martinum quidam referunt orientales ad oras, suscepta cruce, iter fecisse, et, anno 1204, Constantinopoli a militibus christianis capta vastataque, ex ea civitate pretiosissimas reliquias detulisse; *Laguille,* Hist. Alsat., prim. part., p. 211.

Philippus *de Rathsamhausen*, anno 1306, ad summum Pontificem mittitur a Joanne *d'Ochsenstein* Argentinensem episcopatum sibi vindicante; supra, t. V, col. 806.

Ludovicus, anno 1368, 10 Novembris, quosdam fundos reditusve Fratribus oppidi *Guebwiller* Pœnitentibus adscribit, ea sub conditione ut quæ Parisiensis conventus pauperibus hujus oppidi annua subsidia eatenus suppeditaverat prædicti Fratres deinceps præbeant; Mon. Episc. Bas., t. IV, p. 713.

Beretholdus, anno 1389, 28 Septembris, cum Guillelmo *Staër,* equite, de quibusdam jurgiis paciscitur; Mon. Episc. Basil., t. IV, p. 809.

Joannes *de Winsheim* abbas Parisiensis et Mulbrunnensis anno 1462 legitur, qui obiit 15 Julii 1467.

Nicolaus *de Brettheim* anno 1475 decessit, sed dimisso jam ab aliquot annis tam Mulbrunni quam Parisii regimine.

Albertus, ab anno 1473. Hic quoque anno 1475 obiit, VII cal. Junii.

Joannes *Ruescher de Laudenburg* annis 1476, 1488. Utraque dein præfectura semet abdicavit.

Stephanus *Ottinger* obiit anno 1492, XVI cal. Octobris.

Joannes Burrhus, ex oppido *Brettenheim* oriundus, monachis suis nimis severus disciplinæ cultor visus est. Eum igitur tot molestiis affecerunt ut munus dimiserit, VII cal. Februarii 1503.

Joannes *Umbstatt* breve regimen sortitus est. Ulricho scilicet, Wirtembergensi duce, et principe Palatino super advocatia Mulbrunnensi decertantibus, exsulare Joannes coactus est, Spiræ decessurus anno 1504.

Joannes iterum *Ruescher de Laudenburg,* anno 1504, collectis suffragiis abbatiæ præficitur; sed monachorum vota Ulrichus dux sprevit et sequentem ipse utroque munere donavit.

Michael *Scholl,* ex Albæ Dominorum abbate. Anno vero 1512, Albam Dominorum regressus est.

A Joannes *Entefves de Underovisheim*, ab anno 1512 usque ad annum 1517. Deinde, antecessorum suorum pro more, cessit.

Joannes iterum Burrhus ab anno 1517; qui elapso quinquennio rursus munus dimisit.

Joannes *de Lenzingen*, vel *de Lintzingen,* Parisium anno 1537 secessit. Anno vero 1547, tam Parisio quam Mulbrunno ejectus, in claustro Einsildensis cœnobii decessit.

Henricus *Reutter*, alias *Reytter,* dictus de *Nordlingen,* e Parisii priore Parisiensis et Mulbrunnensis abbas eligitur anno 1547,
B anno 1557 obiturus.

Joannes *Senger* de Waiblinga obiit eodem anno, sexto regiminis mense.

Christophorus *Schaller* Mulbrunnensis creatus abbas anno 1630, titulum insimul Parisiensis abbatis obtinuit; sed Suecorum vis prohibuit quin Parisiensia claustra ingrederetur.

Bernardinus *Buchinger*, Mulbrunnensis et Parisiensis abbas dictus anno 1642, Parisiensem dein abbatiam anno 1649 instauravit; quam postea reliquit anno 1654, Lucellensis archimandrita futurus.

C Abbates Parisii ceteros assequi non valuimus.

HORTUS DEI.

Hortus Dei, teutonice *Olsberg,* vel *Gottes Garden*, juxta *Rheinfelden*, in Argovia decanatuque Sisgaudiæ, a Cadolocho comite conditus memoratur anno 1083. Nonnulli quidem scriptores eam putant abbatiam anno tantum 1114 fundatam fuisse; quo scilicet tempore Albertus occurrit, Habsburgensis comes, decem tritici modios Horti
D Dei monialibus condonans. Ex ipsis vero Alberti quas Herrgottus edidit litteris, Geneal. Habsb., t. I, p. 90, satis apparet hoc eum fecisse donum virginibus Hortum Dei jam ab aliquot annis incolentibus. Quas vero virgines Bernardinus Buchingerus primo S. Benedicti regulam observavisse refert, dein, sub annum 1171, Cisterciensium institutis semet addixisse, atque earumdem correctionem tunc abbati Lucellensi demandatam fuisse. Postea vero, decurrente scilicet elapso proxime sæculo, Horti Dei tutelam Salemii et Portæ Cœli vicissim abbates suscepere.

E Inter præcipuos Horti Dei benefactores recensendi Ludovicus Froburgensis, Radulfus Simonque de *Thierstein*, Ludovicus et Hermannus de *Hombourg*, Theobaldusque Ferretensis. Hujus quoque monasterii jura, privilegia opulentosque fundos confirmaverunt Gregorius IX anno 1234, Innocentius IV annis 1249 et 1254, Alexander IV annis 1257 et 1259, ne singulos memoremus ecclesiæ Romanæ Pontifices qui virginibus Horti Dei consuluere. Nec mireris eas agri Basileen-

sis proceres tot donationibus locupletavisse. Nobiles enim Horti Dei puellæ horum erant filiæ, sorores, vel saltem propinquæ. Hujus tamen domus fortuna non semper stetit. Vastavit eam incendium anno 1427, quod vetustissimarum chartarum farraginem consumpsit. Anno deinde 1632 Suecorum militum agmen fugientium monialium claustra occupat, et earumdem ecclesiam deprædatur. Ineunte igitur octavo decimo sæculo, qui multum æris alieni contraxerat monialium conventus jam non suis nominibus respondere valebat. Anno denique 1805, in solitudinem fere redacta domus quibusdam sæcularibus gymnasiarchis addicitur.

Horti Dei abbatissas recensuit D. Fred. Egb. *de Mulinen*, Helvet. Sacra, t. II, p. 125, non tantum ex editis libris, sed etiam e manuscriptis permultis codicibus quos publica privatave servant armaria. Nos vero doctissimi viri dictis perpauca subjunxisse profitemur.

ABBATISSARUM SERIES.

I. Agnes I *de Morsberg*, gallice *de Morimont*, prima Hortus Dei abbatissa dicitur, anno 1084; e Sebastiani Munsteri Cosmogr.

II. Agatha *de Ramstein* ei successit, anno 1116; ex eodem.

III. Cunegunda *de Hombourg*, anno 1136.

IV. Gisela *de Hardenberg*, anno 1160.

V. Anna I *de Frobourg*, anno 1172, soror Ortliebi, Basileensis episcopi.

VI. Gertrudis de *Froburg*, anno 1197.

VII. Gutta *de Schliengen*, anno 1199. Harum abbatissarum nomina tantum posteris tradita sunt.

VIII. Bertha I *de Thierstein*, anno 1203.

IX. Junta *de Muspach*, 1212, 1215.

X. Bertha II *de Munchenstein* ab anno 1253 reperitur. Eadem, 16 Junii 1255, cum Berctholdo *de Ramstein* milite quosdam fundos permutat, Mon. Episc. Basil., t. I, p. 623, et, 24 Maii 1258, domum Basileæ sitam a Conone *de Muspach* accipit; ibid., p. 652. Superstes erat anno 1271. Quidam duas tunc Berthas Horto Dei præfuisse putant, quarum prior anno circiter 1260 vitæ metam attigit, posterior usque ad annum 1271 vixit. Ea autem conjectura sufficienti teste carere videtur.

XI. Mechtildis *de Schauenbourg*, anno 1278.

XII. Agnes II *Rych* a 29 Januarii 1283 occurrit, quæ eo anno, 30 Maii, nonnullas res permutat; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 380. Eamdem usque ad annum 1307 sedem tenuisse referunt.

XIII. Anna II *Spyser*, Reinfeldensis, Ezelini *Spyser* filia, 12 Martii 1311 innotescit.

XIV. Junta, annis 1314, 1327.

XV. Suzanna *Zielempen*, 1330.

A XVI. Elisabetha I *d'Eptingen*, annis 1330, 1335, 1339.

XVII. Elisabetha II *de Herkon*, 1343, 1355.

XVIII. Agnes III *Matzerer*, 1359, 1366.

XIX. Romana *de Tegerfelden*, 1370, 1371.

XX. Margarita I *de Baaden*, 1374.

XXI. Agnes IV *de Morsberg*, 1378, 1380, 1382.

XXII. Verena *Schaler*, Basileensis, 1388.

XXIII. Clara *Truchsessin*, Rheinfeldensis, 1391.

XXIV. Anna III *de Ramstein*, 1399.

B XXV. Wibelina, 1414, 1415, 1432.

XXVI. Margarita II *de Hungertein*, Solodorensis, 1440.

XXVII. Margarita III *de Tachsberg*, 1463; obiit 1486.

XXVIII. Anna IV *Muller* ab anno 1486, anno 1517 decessura.

XXIX. Catharina I *de Schonberg* ab anno 1517 usque ad annum 1525.

XXX. Agnes V *Kufer*, Rheinfeldensis, 1525.

XXXI. Catharina II *de Hersberg*, 1558, 1588.

C XXXII. Maria-Ursula *Schmozer*, a 22 Martii 1588 usque ad 6 Decembris 1645.

XXXIII. Maria-Catharina II *Kohler*, ab anno 1645 usque ad annum 1670.

XXXIV. Maria-Francisca *d'Eptingen* obiit, anno ætatis 73, 27 nempe Aprilis 1707, postquam abbatiam a 8 Julii 1670 rexerat.

XXXV. Maria-Bernarda *de Fribourg*, annos 82 vixit. Quæ vero Horti Dei regimen anno 1707 susceperat obiit 4 Maii 1732. Patruelis ei Bernardus *de Fribourg*, abbas Rhenovii in ecclesia Constantiensi.

D XXXVI. Maria-Joanna *de Roll de Bernau*, anno 1675 nata, Horti Dei præfecturam 10 Maii 1732 adiit, decessura 14 Martii 1757.

XXXVII. Maria-Victoria *de Schonau*, ex abbatiæ suppriorissa abbatissa creata est anno 1757 et 18 Februarii 1785 mortua est.

XXXVIII. Maria-Josepha *de Freyenthal*, superstes erat anno 1790.

BELLELAGIA.

Bellelagiensis abbatiæ fundationem, non adeo procul Delemonte, his verbis Suданus enarrat, Basil. Sacr., p. 206 : « Anno
E « 1150 jacta sunt fundamenta Bellelagiensis « cœnobii, Præmonstratensis ordinis, ab er« rore fortunato Sigerandi (1), præpositi « Grandis Vallis, inchoata. Is in venatione « aprum insectatus acrius, atque a sociis « procul imprudenti cupiditate abreptus « per avia et devia obnoxiaque periculis ru« pium præruptarum loca, inexplicabili de« mum se labyrintho implicuit. Tentato sæpe

(1) Lege Sinigandi.

« variis anfractibus et ambagibus exitu, fa-
« tigatum et in solitudine errantem nox
« tandem occupavit. Exacto sub frigido
« Jove nocte, simili eventu postridie, cum
« vociferanti nulla socii responsa ferrent,
« fractis tam anxia et frustanea discursa-
« tione viribus, in ipsis denuo ferarum lus-
« tris, pavidum horrorem incutientibus,
« pernoctare cogitur. Tertia ubi dies il-
« luxit, cum nulla adhuc spes evadendi hos
« errores affulgeret, suæ jam dubius vitæ,
« fusis ad Deum precibus, voto se obstringit
« se Deo sacram ædem, æternum accepti be-
« neficii monumentum, erecturum, si The-
« seum infelicem a suis expediret erroribus
« cœli favor. Nec mora, ad socios longiori
« absentia consternatos salvus et voti reus
« revertitur. Nec diu post, voti memor,
« assentientibus canonicis, eo quo aberra-
« verat loco templum cœnobiumque ex-
« struxit, cui nomen ob conspectum pul-
« chrum illic aprum *belle laye* est indic-
« tum. » Huic narratiunculæ parva pace nostra fides tribuatur, præsertim cum Bellelagiensis conventus initium annum 1150 præcesserit. Hujus monasterii fundationem doctissimus vir D. Richardus Raimbaldo, S. Pauli Vesuntionensis canonico, adscribit, atque in anno 1134 collocat; Hist. abb. Gratiæ Dei, p. 17. Quod nisi de fundatore certius, de tempore tamen fundationis verius ab eo scriptum est. Regulares Bellelagiæ canonici regulam primo S. Augustini veterem observarunt; quorum jura privilegiaque ab Innocentio II anno 1141, Eugenio III anno 1148, Honorio III anno 1225 (ut de recentioribus ecclesiæ Romanæ Pontificibus taceamus) confirmata fuere. Asperioris deinde vitæ studio, Præmonstratenses iidem fieri voluerunt. Diu piis frequens incolis Bellelagiensis domus fuit, ideoque inter ejusdem ordinis conventus summo cum honore habita. Ejus abbati pontificalibus ornamentis uti licitum.

Seriem abbatum jam conscripserat D. Fred. Egbert. *de Mulinen*, Helv. Sacra, t. I, p. 205.

SERIES ABBATUM.

I. Geroldus e Lacus Jurensis, vel potius Humilis Montis, canonico Bellelagiensis primus abbas fuit. Ei Innocentius II recentis abbatiæ possessiones anno 1141 confirmans, ecclesiam tantum *Noerot* recenset, Ruscam vallem, *Boëscort* villam, vineasque juxta lacum Biennensem sitas. Unde comperimus initia Bellelagiensis abbatiæ modica fuisse. Reperitur dein, anno 1147, chartæ subscribens quæ Gratiæ Dei fundationem apud Sequanos refert; qua scilicet in charta *Hyrodus* mendose scribitur. Anno 1148, 17 Maii, missæ ad Geroldum Eugenii papæ III litteræ Bellelagiæ possessiones iterum recensent. Postea, 11 scilicet Octobris 1175, Geroldum Bertholdus Henricusque *d'Asuel* adeunt, patremque suum Burchardum agnoscentes inique cum Bellelagiensibus canonicis super ecclesiæ *Boëcourt* possessione dimicavisse, hanc ipsis ecclesiam sponte transmittunt. Solemnis quidem ea transmissio, eo ipso die facta quo defuncti Burchardi filii paterno funeri justa solvebant; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 356. Basileæ Geroldus 25 Maii 1177 reperitur, testis Landrici præsulis decimas quasdam Fonti Andreæ tradentis. Anno denique 1179, præsente Geroldo, Ulrichus de Novo Castro Fonti Andreæ silvam Vavram quædamque alia jura concedit. Obiit, ut ferunt, anno 1180. De eo sic Humilis Montis necrologium : 27 *Aprilis, commemoratio Girardi, primi abbatis Bellelagiæ, qui fuit assumptus de ista ecclesia.* Alii eumdem 31 Martii decessisse contendunt.

(Marginal notes: Ch. XXI, col. 203. — Ch. XXIII, col. 205.)

II. Ludovicus Geroldo successisse videtur. Basileensium enim fastorum studiosissimus investigator D. Joannes Trouillatius eum Grandem Gurgitem, Cluniacensem olim prioratum, in Præmonstratensem abbatiam, anno 1187, annuente Clemente papa III, convertisse memorat; Mon. Bas. Episc., t. I, p. 386. Eumdem tamen Ludovicum idem D. J. Trouillatius, e Bellelagiensium abbatum veteri quodam indice, 18 Aprilis 1202 decessisse refert. Adamus autem sequens post annum certe 1187 et ante annum 1202, cum Othone, Herilacensi abbate, composuit. Ut igitur inter se tempora conveniant in quibus D. J. Trouillatius Ludovici regimen apud Bellelagienses obitumque collocavit, conjiciendum est hunc abbatem munere jam ab aliquot annis dimisso decessisse. Adamum D. Egbertus *de Mulinen* ante Ludovicum recensuit.

III. Adamus, anno circiter 1195, occurrit in charta quæ rerum quarumdam permutationem inter Herilacensem ac Bellelagiensem abbatias peractam memorat; Mon. Novi Castri, p. 35.

IV. Richardus, anno 1229, litteris publicis renuntiat se quemdam agrum, Balmasiam dictum, ab Hugone et Conone *de Curtedu*, cum quibus antea super hoc agro dimicaverat, demum, omnibus amotis jurgiis, accepisse; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 514.

V. Henricus I, e vico *Soulce*, in valle Delemontana, oriundus, occurrit, anno 1239, in charta qua Lutholdus episcopus eum memorat cum Burchardo *Babuat* de quodam prædio transegisse; Mon. Episc. Basil., t. I, p. 551. Eidem, 11 Martii 1242, Jacobus et Henricus *de Rathsamhausen* venditos ab Hugone, fratre suo, fundos confirmant; ibid., p. 561. Alios, 24 Augusti 1243, a Guepa, Burchardi *de Undervelier* filia, agros accipit;

ibid., p. 562. Postea vero cum Jacobo *de Rathsamhausen* de rebus ab Hugone supra memorato venditis litigat, et, 3 Julii 1255, super eisdem coram præposito Basileensis ecclesiæ transigit; ibid., p. 624. Eodem anno, Septembri mense, legitur Henricus in charta Novicastrensi ad fundationem Loci Dei spectante. Eodem denique, 3 Novembris, Albertus ei *Saunier* quasdam vineas dono dat. Obiit Henricus, ut ferunt, 16 Octobris 1256 in abbatia S. Martino sacra Laudunensi, in quam se receperat capitulo Præmonstratensium generali interfuturus.

VI. Jacobus I, cujus nomen nulla ad nos delata chartula præbet, obiit 22 Maii 1258, anno regiminis sui secundo; ex indice Bellelagiensi. Hujus vero indicis fidem ad Conradum sequentem spectantia diplomata minime tuentur.

VII. Conradus enim legitur jam abbatem agens 26 Octobris 1255, eoque nomine a Conone *Gipsere* tunc agros in territorio *Telsperg* sitos emens; Mon. Basil. Episc., t. I, p. 630. Chronicam hujus chartæ notam alius testis, Henricum, ut diximus, 16 Octobris 1256 superstitem memorans, falsi quidem arguit. Quæ si falsidica reputetur, Conradus iterum occurrit 14 Martii 1257, testis Ulrichi *de Schwanden* ecclesiam *Buttenberg* Loco Dei tradentis; ibid., p. 646. Difficile ergo videtur indici Bellelagiensi prorsus confidere Jacobi regimen sub annum 1256 inchoanti et in medium annum 1258 producenti. Conradus postea reperitur, nempe 23 Aprilis 1263, a Beretholdo *de Bévilard* quasdam res emens, ibid., t. II, p. 132, et, 7 Decembris 1264, cum Petro *Silline* paciscens, ibid., p. 148, obiturus, ut ferunt, 10 Novembris 1270.

Ignotus nomine quidam abbas anno 1276 decessisse videtur. Tunc enim inter Lacus abbatem Basileensemque præsulem controversia de confirmandi Bellelagiensis abbatis examinatione orta est. Ea ipsis delata controversia, statuerunt decanus, scholasticus et camerarius Basileenses abbatis nuper electi examinationem ad Lacus archimandritam pertinere, ad episcopum vero solam ejusdem benedictionem; Mon. Episc. Bas., t. II, p. 275.

VIII. Petrus I, anno 1289, 24 Novembris, prædium *Chindon* a Joanne de Biello numerato pretio comparat; ibid., p. 474. Idem, anno 1293, de quibusdam reditibus in vico *Montignez* percipiendis, ibid., p. 561, et, 29 Januarii 1296, de Reginaldi *d'Undervelier* hæreditate transigit; ibid., p. 606. Falso igitur eum Bellelagiensis index 23 Februarii 1292 decessisse refert.

IX. Burchardus, e vico *Boëcourt* oriundus, Petri, prædecessoris sui, meminit, 21 Octobris 1298, pactionem ab eo factam confirmans; ibid., p. 672. Idem, Maio mense 1299, quamdam vineam a Theodorico, sacerdote, accepit; ibid., p. 677. In aliis quoque minimi momenti chartulis Burchardus reperitur, 24 Junii 1302, 9 Octobris et 29 Novembris 1303, Novembri 1308, 9 Junii 1310, 8 Septembris 1311, 15 Februarii 1312, 23 Junii 1313 et 11 Novembris 1314; ibid., t. III, p. 681, 682, 683, 688, 158, 174, 692, 695, 697. Eum obiisse memorant 19 Februarii 1316.

X. Lambertus, antea ecclesiæ *Boëcourt* rector et Bellelagiæ prior, abbas fit anno 1316; quo decurrente, 1 Julii, domum Bielli sitam Jordano *Rathier* sub conditione census tradit; Mon. Episc. Bas., t. III, p. 238. Eodem anno, 5 Novembris, nemus *Lugney* contiguum emit; ibid., p. 700. Anno dein 1320, plura diplomata obsignat; ibid., p. 705, 707. Denique, 9 Maii et 1 Augusti 1321, necnon 27 Februarii 1323, in diversis chartis reperitur; ibid., p. 293, 294, 322. Falso igitur eum 18 Julii 1320 decessisse memorant. Lege potius 1326.

XI. Petrus II primum anno 1326 occurrit, 17 Septembris, pactum quoddam sigillo suo confirmans; Mon. Bas. Episc., t. III, p. 724. Idem Petrus reperitur usque ad diem 14 Octobris 1335, diversis in chartulis quas eadem Basileensis episcopatus Monumenta, a D. J. Trouillatio edita, t. III, præbent. In his vero de minimi momenti rebus agitur. Petrum hunc quidam 26 Decembris 1336 obiisse referunt; sed eumdem iidem Petrum *de Sancey* nominantes, in aliquo certe peccant. Petrus enim *de Sancey* 14 Novembris et 21 Decembris 1347 *quondam* abbas legitur, superstes vero, et nonnulla tunc temporis negotia fratrum Bellelagiensium nomine procurans; ibid., p. 853, 855. Petrus ille forsan, 26 Decembris 1336 mortuus, Petrus *de Vares* fuit, cujus *quondam* abbatis Henricus, 8 Julii 1337, meminit. Si vero Petrus inter Bellelagienses abbates numero primus Petrus *de Vares* a quibusdam jure dictus est, nullus anno 1336 Petrus decessit, sed Petrus tunc *de Sancey* munere semet abdicavit. Chartas Bellelagienses a D. J. Trouillatio traditas et Bellelagiensium abbatum indicem ab eodem doctissimo viro conscriptum conciliare non potuimus.

XII. Henricus II *de Bassecourt* ratum habet, 8 Julii 1337, pactum quod Petrus *de Vares*, quondam abbas, fecerat; Mon. Episc. Bas., t. III, p. 471. Idem in aliis chartulis legitur, 20 Junii 1340 et 28 Maii 1344; ibid., p. 789, 824. Anno deinde 1346, 11 Junii, litteris Joannis, Basileensis episcopi, subscribit, quibus Bellelagienses canonici nobilibus viris Monachis de *Lantzkron* 191 libras casei quotannis debere renuntiantur; ibid., p. 581. Obiit, ut ferunt, 18 Martii 1350.

XIII. Petrus III ei successit. Petrum hunc nonnulli Petrum *de Vennes* appellant, eum-

denique Lacus Jurensis abbatem antea fuisse contendunt. Petrus sane *de Vennes* e Lacus Jurensis abbate canonicus Bellelagiensis postea effectus est, qui, conventus Bellelagiensis nomine, prati cujusdam partem emit 10 Novembris 1322; Mon. Basil. Episc., t. III, p. 714. Non vero satis compertum habemus eumdem usque ad annum 1350 vixisse et tunc Bellelagiensis monasterii regimen suscepisse.

XIV. Jacobus II certe, *de Bienne* dictus, Bellelagiensis abbas erat 31 Julii 1353, qua die nonnullos fundos sub conditione census tradidit; Mon. Episc. Basil., t. IV, p. 659. Idem, 9 Martii et 30 Maii 1357, pascuum quemdam agrum domumque *Damphreux* sitam numerata pecunia comparavit; ibid., p. 667, 669. Denique, 11 Martii 1358, Bielli, alios nonnullos agros ab Ortulpho de Lapide, 140 Florentinorum nummorum pretio, emit; ibid., p. 672. Eo anno Jacobus obiit, 21 Augusti.

XV. Joannes I deinde *de Bassecourt* eodem munere fungens occurrit anno 1362; quo incipiente, 5 Aprilis, pactionem quamdam facit cum Gualtero dapifero; ibid., p. 686. Idem, 20 ejusdem mensis, a Theobaldo *de Rocourt* domum Bruntuti sitam, 95 nummorum Florentinæ monetæ pretio, comparavit; ibid. p. 190. Joannem postea habemus, nempe 17 Septembris hujus anni, cum Catharina, Richardi *de Morimont* vidua, quædam minimi momenti pangentem; ibid., p. 689 : eumdem, 18 Aprilis 1365, ab Henrico *Teste* nonnullos agros ementem; ibid., p. 696 : eumdem, 26 Augusti ejusdem anni, cum Ortulpho de Lapide supra memorato coram Joanne episcopo de possessione cujusdam decimæ paciscentem; ibid., p. 697. Sed paulo post decessit, 3 Octobris.

XVI. Joannes II ei *de Séprais* successit, anno 1365 nondum expleto. Qui, 24 Aprilis 1372 reperitur, Reginaldo, Belli Campi apud Sequanos abbati, quamdam argenti summam commodans; ibid., p. 725. Anno dein 1373, 19 Martii, ab Hartmanno *de Crymecken* modicum ceræ vectigal emit : cui pacto subscribens legitur Joannes alter, Loci Dei apud Lausannenses abbas; ibid., p. 731. Anno denique 1374, 18 Novembris, a Wernhero, Arnoldoque *de Berenfels*, militibus, plura Longæ Aquæ sita et patronatum hujus ecclesiæ dato pretio comparavit, hanc emptionem approbante Simone *de Thierstein*, eas qui beneficiarias res prædictis Arnoldo Wernheroque tradiderat; ibid., p. 340. Joannis *de Séprais* interitum 2 Decembris 1374 accidisse referunt.

XVII. Joannes III *de Pontenet* postea memoratur, cui dono adscriptus a Joanne *de Nans*, 14 Maii 1380, hortus juxta Novam Villam situs; ibid., p. 760. Nec de Joanne hoc abbate silent anni 1381 tabulæ : quo nempe anno decurrente, 19 Martii, traditum

A a Reginaldo *d'Undervelier* prædium opulentum numerata pecunia remetitur; ibid., p. 767. Anno deinde 1393, 2 Martii, Nicolao, monacho Bellelagiensi, permittit, ut Niklino fratri condonet omnia ipsi bona post mortem Perroneti patris obventura; ibid., p. 832. Ejusdem anno 1395 tabulæ Bellelagienses meminere; ibid., p. 843. Sed 23 Octobris 1398 obiit.

XVIII. Joannes IV *Donzeletti* post eum, e Grandis Gurgitis priore. Hic 8 Januarii 1400 Delemonte reperitur contra Guillelmum *d'Orsans*, militem, litigans; ibid., B p. 863. Paulo post, brevem sortitus præfecturam, 23 Septembris 1401 decessit.

XIX. Henricus III *Neer*, Delemonte natus, baccalaureus in decretis, quem Tschudius perperam Hermannum vocat, Joannis *Donzeletti* in Bellelagiensis conventus administratione successor fuit. Huic, anno 1405, Humbertus præsul inter saxosos *Undervelier* saltus locum dedit, in quo ferrariam officinam exstrueret; Mon. Episc. Basil., introd., t. I, p. 115. Annis deinde 1415, 1416, 1417, 1418, concilio Constantiensi Henricus interfuit : quod sub tempus ei ejusque successo- C ribus Martinus papa V jus pedi et infulæ concessit; Basil. Sacr., p. 208. Obiit vero, sicut ferunt, 27 Decembris 1418.

XX. Heinschmannus I *Girardin*, e vico *Courfaivre* juxta Delemontem oriundus, anno 1418 abbatiale munus consecutus est, 21 Septembris 1426 moriturus. Lenem ejus indolem scriptores historiæ Basileensis approbant.

XXI. Joannes V *de Chételat*, docti peritique viri laudem meritus in concilio Basileensi, ab anno 1426 reperitur; qui 12 Aprilis 1434 obiit.

D XXII. Petrus IV *Martini*, in vico *Sarathoine* natus, concilio pariter Basileensi interfuit. Sed post annos paucos, 13 Octobris 1438, vitæ metam attigit.

XXIII. Heinschmannus II, Delemontanus, decem annos Bellelagiæ præfuit, usque scilicet ad 11 Septembris 1448.

XXIV. Joannes VI *Rier*, e castro *La Neuveville*, munere semet abdicavit anno 1456, decessurus 5 Augusti 1458.

XXV. Joannes VII *Grier*, vel *Griel*, Biellensis, ab anno 1456 Bellelagiæ præsidere cœpit usque ad diem 26 Maii 1483, quo ter- E renis curis functus obiit.

XXVI. Joannes VIII *Barth* ab anno 1483 usque ad 17 Septembris 1490.

XXVII. Joannes IX *Brullard*, e vico *Tavannes*, 1 Julii 1508 munus dimisit, eodem anno moriturus, 21 Decembris.

XXVIII. Nicolaus I *Schnell*, Biellensis, e priore Grandis Gurgitis abbas fit Bellelagiæ anno 1508. Ut erat vir optimæ famæ, creatus est anno 1515 Præmonstratensium cœnobiorum in Burgundia, Alvernia, necnon Sa-

bandia visitator. Obiit 12 Junii 1530.

XXIX. Joannes X *Cognat*, e vico *Bellefonds* prope *Goumois*, apud Sequanos, prior quoque Grandis Gurgitis erat, cum Julio mense 1530 Nicolao defuncto subrogatus est. Obiit 6 Maii 1553.

XXX. Servatius *Fridez*, Delemontanus, Grandem Gurgitem et ipse rexerat. Moritur vero, Bellelagiæ tunc abbas, 14 Maii 1561.

XXXI. Antonius *Fottel*, alias *de la Foge*, e Nova Villa oriundus, prior Grandis Gurgitis sicut antecedentes primo fuerat. Obitus ejus diei 25 mensis Februarii 1574 adscribitur.

XXXII. Joannes XI Simon *Feunat*, e vico *Buren* ad amnis *Aar* ripam, apud Bernenses, Grandis quoque Gurgitis prior, non diuturnum apud Bellelagienses regimen habuit. Pedum enim abbatiale anno 1574 asseeutus, 9 Februarii 1579 decessit.

XXXIII. Wernherus *Briselance*, teutonice *Spiessbrecher*, Bruntutinus, per annos tres et triginta abbatiam rexit, qui scilicet 31 Augusti 1612 obiit.

XXXIV. David *Juillerat*, e vico *Monible* prope Bellelagiam, scientissimus abbatiæ gubernator scribitur, qui contra Basileensem episcopum de jurisdictione solerter litigavit. Obiit 17 Februarii 1637.

XXXV. Joannes XII Petrus *Cuénat*, e vico *Coeuve*, juxta Bruntutum, anno 1616 professus, anno 1637 abbatiale regimen adeptus, 4 Martii 1666 mortuus est. Non tantum hic ære alieno Bellelagiam liberavit, et melius colendis abbatiæ prædiis impigram operam adhibuit, sed ipsam disciplinam strenue restituit.

XXXVI. Joannes XIII Georgius *Schwaller*, Solodorensis, anno 1630 Præmonstratensem regulam amplexus erat. Electus dein abbas 11 Martii 1666 usque ad 26 Martii 1691 vixit. Germanus ejus Beda Benedictinæ præpositturæ *Fahr* appellatæ, in Argovia, administrationem 25 Aprilis 1666 assecutus est. Junior deinde utriusque frater Thaddæus præpositus *Fahr* fuit, necnon Bellinzonæ. De tribus his *Schwaller* consulendus præsertim D. Egbert. Fred. *de Mulinen*, Helv. Sac., t. I, p. 72, 88, 89, 208.

XXXVII. Norbertus *Periat*, natus *Fahy* juxta Bruntutum, parochialem primo vici *Bassecourt* ecclesiam rexerat. Bellelagiensis autem abbatiæ regimen 9 Martii 1691 assecutus, paulo post mortuus est, nempe 12 Novembris 1692.

XXXVIII. Fredericus *de Staal*, Solodorensis, 5 Aprilis 1651 natus, anno 1668 professus, 29 Novembris 1692 abbatiali pedo donatus est. Decessit vero 23 Aprilis 1706. Frederico frater germanus erat Jacobus Wolfgangus, qui S. Leodegarii Claræverdensis et Grandis Vallis, collegiatarum ecclesiarum, una præpositus exstitit.

XXXIX. Joannes XIV Georgius *Voirol*, e vico *Genevez* juxta Bellelagiam, protonotarius apostolicus. Hic 12 Aprilis 1672 natus, observandis Præmonstratensium institutis 25 Martii 1696 sacramento semet addixerat. Postea Bellelagiæ prior creatus fuerat; quo munere fungens abbas electus est, 4 Maii 1706. Obiit 17 Augusti 1719.

XL. Joannes-Baptista *Sémon*, anno 1674 natus, theologiam Bellelagiæ primo docuerat, postquam tamen anno 1697 Præmonstratensi militiæ nomen dederat. Eumdem deinde priorem abbatiæ legimus, et salutatum e priore abbatem 21 Augusti 1719. Decessit 29 Maii 1743.

XLI. Gregorius *Joliat*, e vico *Courtetelle* prope Delemontem. Hunc D. Egb. Fred. *de Mulinen* 24 Aprilis 1703 natum, 20 Aprilis 1738 professum, 17 Junii 1743 electum abbatem et 30 Novembris 1771 mortuum memorat.

XLII. Nicolaus II *Deluce*, vel *de Luce*, Bruntutinus, ab eodem scribitur 16 Novembris 1726 natus, 20 Septembris 1750 professus, anno 1764 prioris munus implens, 10 Decembris 1771 abbas nominatus, et 24 Martii 1784 mortuus.

XLIII. Ambrosius *Monnin*, e vico *Bassecourt* oriundus, abbatum ultimus fuit. Natus erat 23 Junii 1738, et 11 Januarii 1761 S. Norberti regulam professus. Eum postea creatum abbatem habemus 1 Aprilis 1784. Anno vero 1797, irruentibus Francis, in exsilium abiit, moriturus 1 Decembris 1807.

ECCLESIA BELLICENSIS.

Quam olim complectebatur Bellicensis episcopatus regio, Gallica seu Celtica semper fuit, a Sebusianis et Allobrogis habitata, eamque a Caio Julio Cæsare orbi Romano adscriptam Augustus, cum omnes Gallicas civitates in provincias redigeret, Primæ Lugdunensis, cujus Lugdunum caput, partem constituit. Ubi victa gens victricis mores induit, mitioresque Deos humaniori cultu prosequi exorsa est, quæ belli tantum olim coluerat, pacis artes didicit, et, ducibus atque principibus operum Romanis, itinera saxis stravit plaustrorum subvectionibus accommodata, imo lapideas domos et aquæ ductus exstruxit, quorum etiam nunc ruinæ supersunt. Antiquissima tamen quæ prodierunt hactenus ex agro Bellicensi effossa Gallo-Romana monumenta quarti sæculi desinentis notam præbent. Illa vero quæ Cæsaris Augusti tempore in eodem solo posuerat jam ædificandi peritior Sebusianorum Celtarum manus ætas excedit, aut barbarorum furor diruit.

Cum enim tot bellis quæsitum imperium jam retinere Roma non valuit, et nimis late patentes provincias non unius nominis barbaries invasit, Bellicensem tractum, Stilicone viam monstrante, Burgundi occupaverunt; unde postea a Francis fuerunt expulsi. Circa mediam sexti sæculi partem, Clothario I, Clodovæi filio, Bellicium parebat, cujus proximos deinceps heredes Burgundicorum fastorum scriptores jam multi recensuerunt. Totum deinde Burgundicum regnum in Caroli Magni dominationem cessit. Sed cum, post miserrimam Ludovici Pii mortem bellaque inter ejus filios longius producta, utilitati communi congruum visum est subjectas Francis gentes in æquas partes distribuere, obtigit Lothario quæcumque ad sinistras Araris Rhodanique ripas regio circumjacebat : in ea scilicet ager Bellicensis, nempe Brixia, Bressiave, et Bengesia, necnon Sequania et Sabaudia Delphinatui conjuncta. Ne singulas memorem partitiones, mutuasque traditiones populorum quæ turbulentis illis temporibus toties veteris Galliæ faciem mutaverunt, occurrit Boso, sub annum 879, vetere Burgundia, Provincia et Arelatensi tractu in unum coactis, hujus quod ipse audaci fecerat industria regni regem se ferens. Ab ea tempestate civitas Bellicensis, Francorum imperio penitus divisa, Arelatensibus modo Burgundisque regulis, modo Germanorum Cæsaribus submissa est, donec Henricus IV comiti Sabaudorum Amedeo II, anno 1137, hanc civitatem et circumjacens territorium dono dedit. Adscripti Sabaudiæ dynastis Bellicenses fortuna usi sunt indulgente, quamvis nonnullos ex his principibus experti sint suis juribus pertinaciter infensos. In Francorum tamen ditionem post multos annos erant redituri. Occasione quidem magis quam jure Franciscus I, sub annum 1535, in Brixiam et Bengesiam aliasque Sabaudi regis possessiones involavit; sed provincias secundo Marte partas adverso perdidit, et, anno 1559, Cameracense fœdus Bellicensem agrum Sabaudorum regi restituit. Denique vero, anno scilicet 1601, 17 Januarii, accedentibus ad pactionem Henrico IV, Francorum rege et Carolo Emmanuele, Sabaudiæ duce, Bengesia Brixiaque Gallorum regno in perpetuum adnectuntur et Sabaudiæ marchionatus Salucensis vicissim traditur.

Hactenus de civilibus Bellicensis populi rebus dictum est. Ejusdem nunc annales ecclesiastici in compendio narrentur.

Civitas nobilis Bellicium, quam medii ævi scriptores Belismam quoque Belisamamve appellant, non episcopalis primitus fuit. Vetus enim juxta Lemanni lacus oram urbs Nividunum, quam Coloniam Equestrem antiquitas vocaverat, episcoporum olim sedes fuisse perhibetur, penes quos Bengesiensis necnon Brixiensis tractus tutela. Eadem fama fertur Nividunenses episcopos, casu quodam adversæ fortunæ profligatos, Helvetiorum postea fines deseruisse, Belliciumque secessisse, ibi postea illustrius domicilium habituros. Hoc narrant inter alios Chiffletius et Christianus Urstitius, neque certis argumentis impugnare hactenus quisquam potuit. Quamvis autem indubio res testimonio indigeat, cui verisimile videbitur Nividunensium episcoporum memoriam ab ipso populo Bellicensi jam olim falso nomine adscitam fuisse? Ut translatam Bellicium episcopalem sedem jure quisque contendat, ita confitendum est hujus translationis tempus prorsus incognitum esse.

In provincia Maxima Sequanorum Coloniam Equestrem pariter et Bellicium, alio nomine castrum Argentariense, Notitia Galliæ vetus collocat. Ideo Bellicensis ecclesia Vesuntionensi fuit ab origine subjecta, Lausannensi Basileensique dignitate minor. Non adeo modicis tamen Bellicensis episcopus privilegiis utebatur : quippe quem penes urbis Bellicensis administratio civilis diu fuit; et qui Cæsarum olim fidus cliens exstiterat, usque ad novissima tempora princeps imperii Germanici dictus est. Hic quoque memorandum insigne Innocentii papæ II decretum, qui scilicet canonicorum Bellicensium, anno 1142, postula-

tionem ratam habens, statuit ut regulares efficerentur, utque præficiendus ipsis episcopus in aliquem monachorum sodalitatem antea jam aggregatus fuisset. Talis ecclesiæ Bellicensis mos fuit usque ad annum 1578. Tunc a Gregorio papa XIII iidem canonici sæculari toga donati sunt. Omnes tamen etiam ab eo tempore usque ad exitum proximi hinc sæculi Bellicenses episcopi, canonicis licet sæcularibus præfecti fuerint, ipsi regulares exstitere.

De peculiari capituli Bellicensis diversis temporibus statu aliquid subjungendum. Ante annum 1142, nondum scilicet edito quod supra memoravimus Innocentii II decreto, quatuor et viginti sæcularibus canonicis capitulum Bellicense constabat. Ut regulares fiunt inter eos qui major est auctoritate prior appellatur; post quem ceteras dignitates archidiaconus, infirmarius, camerarius, decanus, thesaurarius, sacrista possident. Peracta vero anni 1578 reformatione, canonici Bellicenses novemdecim recensentur, quibus imperat decanus, ac præcipuas post decanum in capitulo sedes occupant archipresbyter, primicerius, sacrista, thesaurarius et theologus. Capitulo tamen Bellicensi, quod toties rerum suarum commutationi studuit, fixa sedes semper fuit, ecclesia videlicet S. Joanni Baptistæ nuncupata ob insignes hujus sanctissimi præcursoris reliquias, quas ibi pia populi fides asservatas confirmabat. Hanc, ut ferunt, ædem Ansemundus præsul anno 722 restituit : sed postea non unam eidem injuriam intulit annorum decurrentium inclementia, et non semel ei reconcinnandæ Bellicenses episcopi multam operam dederunt. Ecclesiæ post S. Joannem Baptistam Bellicii præcipuæ S. Franciscus et S. Laurentius. Adde quod totam diœcesim archipresbyteratus octo dividebant, quorum tres in Beugesia, tres in Sabaudia, in Delphinatu duo.

In diœcesi Bellicensi duas Sammarthani superstites memorabant abbatias, S. Sulpitium Cisterciensibus monachis adscriptum, et *Bons* monialibus ejusdem ordinis. Prioratus in eadem octo : Conziacum et *Inimont* ordinis Cluniacensis; S. Genesius, S. Benignus Spina, ordinis S. Benedicti; Corbelinum Ordinatumque, gallice *Ordonax*, ordinis S. Ruffi. Nec prætereamus Carthusianum monasterium Petræcastri situm, et Carmelitanarum puellarum sodalitatem Pontembellum incolentium. In ipsa civitate Bellicensi quatuor alii conventus recensentur, in quibus Minores de Observantia, Capucini, monialesque tam a Visitatione S. Mariæ dictæ quam S. Ursulæ regulam professæ.

Episcoporum Bellicensium res gestas litteris mandaverat anno 1642 Samuel Guichenon, quam typis traditam inscripserat Episcopor. Bellic. Seriem chronologicam. Deinde vero, postquam non unam in hanc Seriem mendam irrepsisse cognoverat, his offensus maculis novos castigatosque eorumdem episcoporum annales confecit, et Historiæ suæ Brixiæ et Beugesiæ adnexuit, anno 1650. Quorum annalium Sammarthani maximam partem se mutuatos esse professi sunt. Guichenone quoque præeunte viam fecimus, non semel tamen ab eo declinavimus : prudenter an inconsulte, nostrarum controversiarum diremptores eruditi perpendant. Adjutorem quoque operis nostri habuisse renuntiamus doctissimum virum D. *Depery*, cujus Bellicensis Hagiologia quorumdam episcoporum vitas accurrate digestas nobis suppeditavit.

EPISCOPI BELLICENSES.

I. Audax.

Primus Bellicensium episcopus Audax in priscis codicibus legitur : quem Sammarthani sedem episcopalem Nividuno Bellicium transtulisse referunt. E jam veteri conjectura circa annum 412 vixit. Aliud ei tempus sane tribuendum esset, si tuta fides hodierno scriptori haberetur, qui scilicet ipsam episcopalem Nividuni sedem anno circiter 500 conditam asserit, a S. Amando Vesuntionem, quam Hunni civitatem ferro flammisque pervastaverant, fugiente; Vit. SS. Sequan., t. I, p. 152. Cum super Audaci nihil e certa scientia narretur, fingere multa forsan licet et prorsus diversa.

II. Tarniscus.

Post Audacem Tarniscus recensetur, quem Tarniscum quoque appellant. Eo episcopatum Bellicensem, ut ferunt, occupante, congregatum est anno 517 Epaonense concilium. Postquam autem incertum Sirmondo fuerat quod sit hodie loco nomen quem veteres Epaonum nuncupabant, conjecit Chiffletius locum hunc *Yenne* juxta Rhodanum fuisse, in diœcesi Bellicensi. Id quidem cautissimo viro *de Bréquigny* parum probabile fuit : quod si verum esset, inquit, mirum videretur episcopum Bellicensem huic concilio in diœcesi sua celebrato non interfuisse. Huic autem interfuit *Tauricianus episcopus*, ut acta ferunt typis mandata, *Nivernensium civitatis*. Animadverte vero oscitantis librarii calamum *Nivernensium* forsan pro *Nivedunensium* scripsisse, atque Tauricianum et Tarniscum parum inter se differre. Præter quod adnota nostros antecessores Tauricianum hunc episcopis Nivernensibus ob id tantum interposuisse, quod ejus Epaonensis acta concilii meminerint. Chiffletii igitur conjectura non primo, ut *Bréquigny* censuit, aditu spernenda.

III. Migetius.

A

Migetius Tarnisco veterum pro fide successit. Eumdem nonnulli critici Megethium hunc *papam* episcopumve fuisse reputant, cui Sidonius Apollinaris, anno circiter 450, insignem epistolam scripsit, typis jam sæpe mandatam. Id vero conjicere facilius fuit quam probare. Accipe Migetii nudum nomen, quem sub ætatem nobis prorsus dubiam vixisse profitemur.

IV. Vincentius.

Concilio Parisiensi secundo, quod Childebertus rex, de Saffarei episcopi negotio sol-
555 licitus, congregaverat, interfuit, anno 555, Vincentius, episcopus ecclesiæ Bellicensis; Conc. Labb., t. V, col. 812. Anno deinde 567 sex Lugdunensis concilii canones subscriptione sua Vincentius idem firmavit : quod Philippus quoque Labbæus, eodem Concilior. suorum tomo, memoriæ posterorum commendavit.

V. Ebroldus.

Ebroldus, Evroldusve, deinde recensetur, e codice quem Chiffletius in armario Bisuntino legit.

VI. Claudius I.

Nec alia plurave de Claudio testimonia, cujus tantum nomen præbere cogimur.

VII. Felix.

Felicem Samuel Guichenon et Sammarthani Matisconensi concilio secundo sub annum 588 interfuisse, et ex eo redeuntem Lugduni occubuisse memorant. Id tamen conjectura falsa dixere. Concilium hoc Matisconense secundum, quod Baronius quidem anno 588, anno 597 Sigebertus, congregatum fuisse tradiderant, Sirmondus Biniusque
585 anno 585 verius adscripserunt. Huic vero minime Felix interfuit, sed quidam absentis *Felicis a Belica* missus; Concil. Phil. Labbæi, t. V, col. 989. Unde tamen comperimus Felicem sub annum 585 ecclesiæ Bellicensi præfuisse. Eumdem, ut videtur, Felicem, anno secundum Ruinartium 589, Gunthramnus rex Augustodunum accivit : cujus scilicet nomen occurrit inter episcoporum nomina qui ad Gundegisilum Nicasiumque de tot cædibus cruentata S. Hilarii Pictaviensis basilica insignem epistolam scripserunt, a Gregorio Turonensi posteris traditam; Rerum Gallic. Script., t. II, p. 358. Animadvertendum vero nec Felicis, nec cujusquam ex aliis episcopis, peculiarem sedem in eo diplomate designari.

VIII. Aquilinus.

Aquilinus tam a Guichenone quam a Sammarthanis memoratur, ex antiqua schedula. Parum autem abfuit quin ignotus pertransierit, namque in nullo episcoporum conventu sedens deprehenditur.

IX. Florentius.

Florentius, alias Florentinus, Aquilino successit; e veteri Vesuntionis ecclesiæ codice. Hic Bellicensem semet episcopum revera
B profitens, Cabilonensi concilio anno circiter
650 interfuit; Concil. Labb., t. VI, col. 392. 650

X. Hippodimius.

Hippodimium post Florentium vetus quem jam sæpe laudavimus codex collocat.

XI. Pracmatius.

Pracmatius, vel Pragmatius, post Hippodimium ponitur.

C

XII. Berterius.

Ex eodem codice Berterius innotescit.

XIII. Ansemundus.

Ansemundus, quem post Berterium veteres fasti recensent, majus ecclesiæ Bellicensis altare, necnon octo circumvicina, minora tamen, altaria consecravit, ut ferunt, 5 Aprilis 722.

XIV. S. Hippolytus.

D

S. Hippolytum ante Felicem Samuel Guichenon, in sua Bellicensium Episcoporum serie, sub annum circiter 588, collocaverat. Nævum autem hunc postquam animadvertit, S. Hippolyti Bellicense regimen in anno 754 inchoavit. Fasti sane Condatescenses S. Hippolytum abbatem primo Condatescensem exstitisse, postmodum vero Bellicensem episcopum, et ab eo tempore usque ad extremos vitæ dies abbatialem una episcopalemque sedes occupavisse memorant. Minime tamen anno jam 765 episcopus vi-
E detur : nam rerum in Attiniacensi concilio gestarum tunc temporis instrumentum obsignans, semet abbatem profitetur, nullo modo præsulem; Concil. Labbæi, t. VI, col. 1702. Mabillonius igitur Bellicensem S. Hippolyti episcopatum post annum 765 exordium habuisse non infeliciter opinatus est; Annal. Bened., t. II, p. 183. Quibusdam placuit eumdem Hippolytum quam plurimis tam a Pippino, quam a Carolo regibus donis ornatum fuisse, postea tamen, episco-

palis muneris tædio, aut nimio vitæ monachicæ cultu, Bellicensis gregis curam deseruisse, et in monasterium S. Claudio nuncupatum, postquam terrenis negotiis æternum vale dixerat, secessisse. Id vero potius conjicitur quam probatur. Hippolytum antecessores nostri sub annum 776 obiisse dixerunt; supra, t. IV, col. 245. Eum certe, quem sanctorum albo pia populi recordatio quondam adscripserat, officio peculiari Vesuntionensis et Bellicensis ecclesiæ die 20 Novembris jam multis ab annis cohonestant.

XV. Gundoaldus.

Gundoaldi nomen tantum indices prisci præbent.

XVI. Agislus.

Eadem membrana Agislum nobis notum faciunt.

XVII. Eulogius.

Nihil de Eulogio præter nomen superest.

XVIII. Adeonpertus.

Adeonpertus idem et Adorepertus appellatur. Adotpertus forsan legatur, quod minus insolens viri nomen est.

XIX. Etmunbertus.

Etmunberti veteres fasti tantum meminere.

XX. Rotgerius.

Rotgerius Etmunberto eorumdem pro fide successit. Rotgarius quidam, Rotgeriusve, sine designatione sedis episcopus legitur anno 840 in eo Ingelheimensi conventu qui Ebbonem ab aliquot annis exsulem Remensi cathedræ restituit; Rer. Gall. Script., t. VII, p. 281. Cum eidem conventui Amalwinus Vesuntionensis archiepiscopus Davidque Lausannensis præsul interfuerint, non sane mirum videbitur Rotgerium nostrum in eodem sedisse.

XXI. Rhitfredus.

Rhitfredus, melius forsan Ruotfridus, post Rotgerium nominatur.

XXII. Stephanus I.

Post Rhitfredum index vetus duos vicissim Stephanos recenset. Sed perperam, ut videtur. Posterior enim Stephanus Berengarii

A Vesuntionensis archiepiscopi coævus exstitit, Berengariusque Libonis, Lausannensis episcopi, sub annum 927. Gravior fuit Guichenonis error, qui, in sua Bellicens. Episc. serie Chronol., p. 16, Stephanum priorem Berengarii temporibus et anno 790 vixisse contendit, tam Vesuntionensium quam Bellicensium præsulum seriem sic omnino perturbans. Per nos sane licet ut priorem Stephanum Rhitfredo subrogatum fuisse contendant, eum dummodo sub medium nonum sæculum ecclesiæ Bellicensis clavum rexisse concedant.

B

XXIII. Ringuinus.

Ringuinus, forsan Richwinus, deinde memoratur, sed ulla sine temporis nota.

XXIV. Sigoldus.

Sigoldus post Ringuinum, nec tamen eo notior.

XXV. Adalbaldus.

C Adalbaldus, anno 886, in ecclesia S. Marcello sacra, concilio Cabilonensi interfuit, 886
quod, inter alia, possessiones a Geilone, Lingonensi præsule, S. Stephano Divionensi datas confirmavit; apud Marten., Thes. Nov. Anecd., t. IV, p. 69. In eodem quoque concilio Adalbaldus sigillo suo concessum Carilocensi monasterio privilegium firmavit; Rer. Gall. Script., t. IX, p. 313. Conjectura tamen anno 888 memoratur Radulfo, Conradi filio, regium diadema assumenti ministravisse. Certius, anno 899, Viennam, Ludovici 899
regis mandato obsequens, se recepit, ibique,
D una cum pluribus aliis episcopis, Ragenfridum, in quem cleri populique suffragia convenerant, Viennensem archiepiscopum instituit; e Chartul. Gratianopol. His Adalbaldus verbis Vesuntionensi metropolitæ fidem juraverat: « Ego Adalbaldus, misericordia Dei adhuc vocatus episcopus, debitam obedientiam et condignam subjectionem, veluti antecessores mei, ecclesiæ scilicet Bellicensis, obedierunt rectoribus Vesuntionensis ecclesiæ, promitto deinceps servare, et obedire; » apud Sammarthanos.

E

XXVI. Helisachar.

Helisachar, quem Elisiardum quoque manu scripti codices appellant, cum Aymino metropolita sedit, anno 915, in Cabilonensi 915
concilio; apud Martenium, Thes. Nov. Anecd. t. IV, p. 71. Idem, anno 927, Berengarium, 927
Vesuntionensem postea archipræsulem, secutus, una cum eo Cavorniacum se recepit, ibique interfuit electioni Libonis, Lausan-

nensis episcopi; e Chartul. Lausann., p. 57. Unde satis patet hunc nostrum Helisacharum Bellicensem episcopatum ante Stephanum quem infra collocabimus procuravisse. Stephanus enim Berengarii coævus et adjutor comperitur. Minime igitur hic Stephanus, sicut a veterum tabularum auctoribus traditum est, antecessor Helisachari vixit, ante scilicet annum hunc 915, in quo Cabilonense concilium habitum est.

XXVII. Stephanus II.

Stephani II episcopatum prisci codices, ut diximus, retroduxerunt. Exstat enim minime contemnendus testis, eum qui refert Berengario, Vesuntionensi archiepiscopo, vicariam operam impendisse. Id autem munus Stephanus aggressus est postquam Berengarius oculos perdidit, post annum, ut conjicere fas est, 927. Eumdem Sammarthani Stephanum e Vesuntionensi decano Bellicensem cathedram conscendisse referunt. Nullus quidem tunc in ecclesia Vesuntionensi decanus Stephanus nomine reperitur : sub id vero temporis S. Joanni sacram ædem, quæ collegium postea canonicorum decano peculiari subjectorum excepit, administrabat abbatis titulo quidam Stephanus, cujus Conradus rex meminit. Isne Bellicensis episcopus mutata veste factus est? Quod sane conjicere licet, minime vero probare, cum rei testis coævus deficiat.

XXVIII. Isaac.

Isaaci nomen tantum veteres indices præbent. Ejus, ut videtur, breve regimen fuit.

XXIX. Hieronymus.

Hieronymus a Girfredo, Vesuntionensi præsule, consecratus est. Quam nonnulli consecrationem sub annum 922 peractam fuisse falso referunt. Anno 932 tam a Sammarthanis quam ab hodiernis quibuscumque fastorum Vesuntionensium criticis sane verius eadem adscribitur, quæ recentior etiam fortasse fuit.

XXX. Hericius.

Hericius, Henricusve, e veteri catologo innotescit.

XXXI. Desiderius.

De gestis Desiderii æque silere cogimur, cujus nomen tantummodo novimus.

XXXII. Odo I.

Odonis quoque veteres soli codices meminere.

XXXIII. Herdulfus.

Nullum pariter diploma Herdulfi nomen posteris commendavit. Is est forsan quem doctissimus vir D. Pitra Henricum appellat, postquam eum in Musei Britannici quodam codice legerat archiepiscopo Vesuntionensi fidem anno 985 promisisse; *Arch. des Miss.*, t. IV, p. 103.

XXXIV Aymo.

E veteri Bellicensis ecclesiæ chartulario Stephanotus ea quæ sequuntur depromsit : « Ego Aymo, Bellicensis episcopus, terram « quæ sita est in comitatu Bellicensi, quam « pater noster Amedeus sub nomine præ- « stariæ habuerat, ecclesiæ S. Joannis-Bap- « tistæ in perpetuum dimisi. » Quem scilicet Amedeum, Aymonis patrem, Gislæ filium fuisse ex alio diplomate Stephanotus didicit, eumdemque Bellicensium comitem exstitisse conjecit; e San-Germ. codice 565, p. 124, 125. Ea licet conjectura dubitationis aliquid habeat, minime tamen præcipiti festinatione rejicienda nobis videtur. Occurrit Aymo episcopum agens ab anno certe 1032, quo decurrente a quodam Berlione ecclesiam SS. Prothasio et Gervasio, in Gratianopolitana diœcesi, sacram accepit, eique vice versa San-Germanensem, in Viennensi pago sitam, ecclesiam tradidit. (Ch. XLV, col. 305.) Sub idem circiter temporis Aymo Saviniaci reperitur, testis non unius donationis monachis factæ; e Savin. Chartul., p. 351. Anno denique 1044 insignibus Hugonis, archiepiscopi Vesuntionensis, pro S. Paulo litteris subscripsit. 1044

XXXV. Gauceranus.

Gauceranus, una cum Achardo, Cabilonensi præsule, signum suum apposuit chartæ qua Drogo, Matisconensis episcopus, erga S. Petrum Matisconensem beneficus, res huic domui ablatas quascumque restituit; supra, t. IV, col. 1063. Male vero Sammarthani chartam hanc Drogonis notis chronicis carentem anno 1072 adscribunt. Anno enim 1071 decurrente Cabilonensis Achardus, et anno 1072 incipiente Matisconensis Drogo decessisse videntur.

Inter Gauceranum Pontiumque sequentem Samuel Guichenon et Sammarthani quemdam B. collocant, cujus, ut ferunt, exstat memoria in monumentis anni 1080. Ea nobis incognita monumenta profitemur. Anidmadvertimus præterea vetustiorem Bellicensium episcoporum seriem, ipsi Guichenoni a Chiffletio traditam, Pontium post Gauceranum, nulla hujus B. mentione facta, recensere. Coævus autem Pontii fuit qui se riem illam digessit. Unde suspicamur eam nullo vitio laborare, sed imperitum quemdam

librarium in monumentis a Guichenone laudatis litteram B pro littera P. scripsisse.

XXXVI. Pontius I.

1091 Anno 1091 Pontius reperitur, testis rerum S. Claudio collatarum a Guidone, Gebennensi præsule; Bibl. Sebus., p. 229. Anno dein circiter 1094, Viennam primo, mox Rotmanos, gallice *Romans*, se recipit, ubi Gratianopolitani præsulis Hugonis causam tuetur, adversus Guidonem, archiepiscopum Viennensem, de possessione Salmosiacensis agri litigantis; Rer. Gall. Script., t. XIV,
1099 p. 757. Postea, sub annum scilicet 1099, cum Hugone, Lugdunensi archiepiscopo, multisque aliis magni nominis præsulibus, conventui Pontius interest Petræ Scissæ juxta Lugdunum habito, qui S. Robertum, Molismensem abbatem, Molismum regredi jussit. Huic Pontium conventui interfuisse ipsius Hugonis ad Robertum, Lingonensem episcopum, scriptæ litteræ testantur; ibid., p. 111. Quo etiam anno testis fuit Guidonis, Gebennensis episcopi, inter Gebennenses canonicos monachosque S. Victoris Cluniacenses diu desideratam pacem ferientis. Ille scilicet Pontius non parvam prudentiæ laudem, ut videtur, jam consecutus erat, qui dein negotiis quam plurimis manum adhibuit, et permultis Galliæ orientalis comitiis
1103 interfuit. Sic, anno 1103, in Massiliensi concilio, sane procul a diœcesis suæ finibus, sedebat; apud Martenium, Thes. Nov. Anecd., t. IV, p. 126. Eodem quoque anno Cluniaci reperitur, ubi celebratum aliud, præsidente Milone legato, concilium; e Stephanoti schedis, in San-Germ. armario, num. 565, p. 60. Quod erga Cluniacense, veluti caput ordinis, monasterium eodem circiter tempore beneficum se Pontius præbuit, Cluniacensibus scilicet Luimontis monachis non tantum ipsum quem incolebant
Ch. II, col. 306. montem, sed etiam ibidem situm altare, silvas multas, multa prata, arabiles agros fontesque tradidit, consentiente Bellicensi capitulo (1). Vesuntione Pontius est anno
1111 1111, ubi Guillelmi archipræsulis sententiam obsignat, adversus eos latam qui Vesuntionensem monetam e loco ipsi assignato in alium transferre auderent. Anno
1115 denique 1115 interfuit Pontius huic non incelebri concilio Trenorchiensi, quod de privilegio maternitatis inter S. Joannis et S. Stephani Vesuntionenses ecclesias statuit.

XXXVII. Amico.

Post Pontium Guichenon et Sammarthani quemdam ignoti nominis episcopum ponunt, littera tantum I. ab ipsis designatum. Huic deinde I. Guillelmum subrogant, non multo notiorem, quem anno circiter 1120 sedem occupavisse conjiciunt. Pace quidem nostra de istis episcopis dubitare liceat. Tunc vero inter Bellicenses episcopos occurrit Amico, tam Guichenoni quam Sammarthanis incognitus, de quo certiorem Saviniacenses tabulæ fidem faciunt. Hic enim, una cum Bosone Tarentasiensi archipræsule et Guidone, Gebennensi episcopo, conventui legitur synodali interfuisse, et judex in eo cujusdam contentionis inter Ulrichum, Tannii sacerdotem, et monachos Talverenses exstitisse. Chartulam hanc Saviniacensem anno circiter 1121 ipse cantissimus vir D. Augustus Bernardus adscripsit; Chartul. Savin., p. 486. Nec adsunt argumenta quibus hanc temporis notam de falsitate postulemus.

XXXVIII. Pontius II.

De hoc Pontio multa proferuntur. Is, quem Pontium de Berzillis appellat Amedei Sabaudi comitis chartula pro S. Sulpitio, in Lugdunensi diœcesi, ex antiqua Balmetana familia, genitus, Nortboldo patre, Balmeti toparcha, a teneris artes annis liberales didicit. Lugdunum deinde missus, ibi canonicus, magister artium, pœnitentiariusque fuit. Anno 1116, consentientibus fratribus Ch. III, col. 306.
suis Guarnerio de Balmeto et Guillelmo de Dorchia, vallem Majorævum, vel Mariacum dictam, quam hæreditario jure possidebat, fratribus Carthusianis dono dedit, in qua domum ordinis sui ædificarent. Postquam vero ea domus condita est, Pontius, rerum humanarum pertæsus, a Gauceranno, Lugdunensi archiepiscopo, poposcit ut ipsi potestas daretur eam ingrediendi atque ordini Carthusiano nomen dandi. Quod ut ei licitum est, Carthusianus, mutata veste, fit, et anno 1118 Majorævi prior eligitur, Stephano defuncto. Anno dein 1121 Bellicensem eum episcopum, licet invitum, clerus populusque salutant. Interest, anno 1124, con- 1124
cilio Viennensi; apud Marten., Thes. Nov. Anecd., t. IV, p. 136. Anno 1128, Lug- 1128
dunum ab archiepiscopo Lugdunensi, sedis apostolicæ legato, præsul noster accitur, eique ministrat ædem Carthusiæ Portarum consecranti. Sequente, una cum Stephano, 1129
Viennensi archiepiscopo, litem sedat inter San-Benignianos Luxoviensesque monachos de cellis Clari Montis et Vangionis Rivi; Steph. Perard., Collect., p. 224. Episcopalis sane muneris administrator egregius Pontius fuerat, qui, pietate nativa insignis, clero suo non tantum honestæ sed etiam pacificæ vitæ exemplum præbuerat, quique divini cultus eximie sedulus vetustate collabentem S. Joannis-Baptistæ ecclesiam restituerat,

(1) Huic donationi subscripsit inter Bellicenses canonicos Humbertus de Grandimonte, idem sane qui postmodum Gebennensis episcopus fuit.

aliaque multa episcopatus sui monumenta posteritati tradiderat. Quanquam tamen convenienter oblatæ dignitati par in omnibus exstiterat, eum arctioris disciplinæ desiderium subiit, ideoque a summo Pontifice postulavit ut pastorale pedum deponenti ad eremum remeare liceret. « Qua facultate, « ut ferunt, adepta, ne commissum sibi « gregem sine pastore relinqueret, annuente « Pontifice maximo, Berlionem, clero po- « puloque eligente, successorem sibi pro- « nuntiavit. Ipse gaudens, conscenso equo, « Majorævum revisit. » Quem sub annum Pontius episcopali munere semet abdicaverit non satis notum habemus; eum vero Majorævi idibus Decembris 1140 obiisse tradunt. Vitam ejus scripsit auctor anonymus, eum qui summis laudibus cohonestat; apud Guichenonem, Prob. Hist. Brix. et Beug., p. 6.

XXXIX. Berlio I.

Berlio, alias Werlio, concilio Pisano, anno 1134, interfuisse videtur. Petrus enim Venerabilis, ad Innocentium papam II scribens, episcoposque recensens Gallos qui Pontremuli capti fuerant et quam plurimis ærumnis afflicti, Bellicensis inter alios meminit; Rer. Gallic. Script., t. XV, p. 630. Berlionis nomen præbet Saviniacense Chartularium, ubi refertur in urbe Vienna, in quam Humberti metropolitæ comes se receperat, dissidium inter Guidonem, Lausannensem episcopum, et ecclesiam Lustriacenam composuisse; Chart. Savin., p. 507. Id quidem enarrans diploma notis chronicis caret : anno vero circiter 1135 a D. Augusto Bernardo adscribitur. Idem circa tempus Berlio fundationem S. Sulpitii confirmavit, terminosque descripsit intra quos Amedeus, Sabaudiæ comes, Pontiniacenses monachos constituerat. Chartam quæ hujus confirmationis memoriam posteris tradidit infra transcribemus.

XL. Nanthelius I.

Nanthelius, Nanthelmusve, ex ecclesiæ Bellicensis æditui Portensis monachus factus est, et deinde vacantem morte Berlionis cathedram, ut ferunt, monachum exuens conscendit, post aliquod tempus in Portensem eremum secessurus. Id tamen non nihil dubitationis habet. Non enim alius forsan hic Nanthelmus ac ejusdem nominis Portensis anno 1139 monachus, qui postea Bellicensis episcopus fuit.

XLI. Bernardus I.

DE PORTES. Bernardus deinde recensetur, qui, professione Carthusianus, Portarum antea monachus exstiterat, in diœcesi Lugdunensi. Idem Portarum postea prior fuit. Cumque sub idem circiter temporis duo Portensem prioratum Bernardi rexerint, valde operosum est discernere quæ ad unum alterumve sint potius referenda. Noster certe Bernardus Portenses inter priores secundus ordine fuit. Anno quippe 1135, III non. Maii, Richardus quidam de Benuntia Portarum rem nonnullis fundis augens, hos semet agros in manus Bernardi prioris transtulisse refert, teste Bernardo de Porta, monacho, Bosone procuratore et Stephano de Chalmeto novitio. Unde colligitur Bernardum cognomento de Porta humilem Carthusiani monachi vestem usque ad annum 1135 retinuisse; quod sub tempus Bernardus alter, dictus *de Varan*, prioris titulo Portensem domum procurabat. Paulo post vero, circa scilicet annum 1136, cathe- 1136
dram Bellicensem Bernardus ille de Porta conscendit. Nec eam diu retinuit. Guillelmus enim ei jam anno 1141 subrogatus et Bellicensem episcopum agens reperitur. Contendunt nonnulli, inter quos Petrus Franciscus Chiffletius, Manual. Solitar., Bernardum, postquam Bellicii sedem deseruerat, Marianensem episcopum fuisse. Bernardus enim quidam Maurianensis sub id circiter temporis episcopus fuit; auctores vero Historiæ Franc. Litter. hunc a Bernardo de Portis prorsus distinguendum asserunt. Noster certe Bernardus Portas, depositis infulis, redux, hanc anno 1147 domum incolebat; quo tempore factus post Bernardi *de Varan* abdicationem ipse Portarum prior, litteras edebat de confirmatis a Giraldo de Benuntia Majorævo fundis. In his Ch. VI, col. 309
animadverte litteris Bernardum de Portis semet olim Bellicensem episcopum fuisse profiteri. Obiit autem XVII cal. Januarii 1152.

Amicissimum habuerat Bernardum, Claraevallis abbatem. Testatur inclytus hic abbas, anno 1135, se Bernardi, Portensis monachi, crebris precibus obsequentem, sermones aliquot in Cantica Salomonis scripsisse. Bernardus idem Clarævallensis abbas, postquam sub id circiter temporis audierat Bernardum Portensem quodam apud Longobardos episcopatu, Innocentii papæ III beneficio, mox donandum esse, Romam illico litteras misit, summum Pontificem exorans ne lenem indole juvenem et quadam nativa corporis imbecillitate laborantem tam indocili populo præficeret. Scriptas ad eum et super eo Bernardi, Clarævallensis abbatis, epistolas Samuel Guichenon et Sammarthani publici juris fecerunt. Quas vero ipsius Bernardi, Portarum prioris, epistolas memorant Sammarthani in Portarum armario suo tempore asservatas, Bernardo *de Varan* recentiores critici tribuunt.

De utroque consule Hist. Franc. Litter., A
t. XII, p. 420.

XLII. Guillelmus I.

Abeunte Bernardo, in Carthusianum
quemdam monachum, nomine Natalem,
cleri Bellicensis suffragia convenisse refe-
runtur. Huic vero, cujus electionem pro re
satis comperta non habemus, episcopatum
assequi non licuit. Incertum tamen nobis
est quem sub annum relictam a Bernardo
cathedram Guillelmus conscenderit. Epi-
scopalibus certe redimitus infulis jam erat B
1141 anno 1141, quo decurrente, cum Falcone
Lugdunensi archiepiscopo et Ismione Am-
broniacensi abbate, judex fuit litis inter
Portarum fratres et canonicos S. Rufi de
limitibus quorumdam agrorum exortæ;
supra, t. IV, Instr., col. 16. Animad-
verte vero Guichenonem, Episc. Bellic.,
p. 24, id sub annum 1145 falso referre :
Amedeus enim anno 1144 archiepiscopus
Lugdunensis erat, Falcone mortuo. Anno
1142 deinde 1142, pridie nonas Decembris, ad
Guillelmum nostrum scribens Innocentius
papa II quam ipse Guillelmus optaverat C
ecclesiæ Bellicensis reformationem appro-
bavit. Sæculares scilicet ea tenus fuerant
canonici Bellicenses : tunc autem, annuente
summo Pontifice, regulares effecti sunt se-
Ch. iv, col. 307. cundum S. Augustini instituta. Statuit in-
super summus idem Pontifex ut nemo post
Guillelmi decessum Bellicensis episcopus
efficeretur, nisi regularem antea vivendi
normam professus. Guillelmus postea, anno
1146, testis est Amedei comitis S. Sulpitii
fundationem confirmantis. Deest quidem
Guillelmi nomen in hujus confirmationis
instrumento quod Samuel Guichenon typis D
primus mandavit; sed in apographo perve-
teri Divionensis archivi legitur. Deinde, ca-
lendis scilicet Decembris 1149, discordibus
tamen quibusdam temporum notis, Viriacum
Majorem se recepit, ubi, præsente nume-
rosa procerum Bellicensium caterva, agnovit
se militibus Templi locum ubi jam Cohia-
Ch. vii, col. 309. cenam ecclesiam ædificaverant dedisse,
ipsamque hanc ecclesiam se in honorem
B. Mariæ consecravisse : cujus vero muneris
denuntiationi cautus appinxit se nullas de-
cimas, nullos vel e mortuorum sepulturis
fructus, huic Templariorum basilicæ, in E
territorio Bellicensis ecclesiæ sitæ, conces-
1155 sisse. Anno 1155 S. Sigismundum una ve-
nerunt Heraclius Lugdunensis archipræsul,
Stephanus Viennensis, Petrus Tarentasiensis,
nonnullique dignitate minores, inter quos
Guillelmus noster Bellicensis, episcopi,
hique exortum inter Gebennensem comitem
et ejusdem urbis præsulem dissidium op-
1156 portuno judicio sopivere. Anno 1156
S. Mauricius Agaunensis Abundantiaque,
magni nominis abbatiæ, inito fœdere, mu-
tuam sibi caritatem spondent, præsentibus
inter alios Guillelmo, Bellicensi episcopo;
Monum. Patriæ, Chart. t. II, p. 368. Repe-
ritur anno deinde 1157 Guillelmus, S. Sul- 1157
picii monachos agris juribusque nonnullis
augens. Vesuntionem denique, anno 1160, 1160
ab Humberto metropolita, Landricum, Lau-
sannensem episcopum, consecraturo, acci-
tus, ibi judex sedit litis inter thesaurarium
Vesuntionensem et canonicos B. Mariæ
Magdalenæ.

Nec prætereamus oblatam ecclesiæ Belli-
censi Guillelmi temporibus a Petro de Balma
Veromensi satisfactionem. Humbertus sci-
licet Petri pater ac ipse Petrus in Melaveram,
episcopale prædium, sibi multa jura vindi-
caverant, de quibus cum ecclesia Bellicensi
diu et acerrime decertatum jam fuerat. Mortui Ch. viii, col. 310.
vero Humberti fratribus Arveriæ Carthu-
sianis apparuit imago, cum lacrymis gemi-
tuque procedens, eosque suppliciter rogans
ut Petrum adirent et a lacessendo deinceps
Guillelmo deterrerent. Quod prædicti fratres
fecerunt, Petrusque in ecclesiam Belli-
censem se recipiens controversa diu jura
dimisit.

XLIII. Pontius III.

Pontium *de Thoire*, ex illustri apud Beu- DE THOIRE.
gesianos domo, S. Guichenon dixit ex abbate
S. Claudii factum Bellicensem episcopum.
Verumtamen id tam Chiffletius quam ante-
cessores nostri jam impugnaverunt; supra,
t. IV, col. 249. Regularis sane fuerat Pontius
ante susceptas infulas, namque Innocentius
papa II, ad Guillelmum scribens, prohi-
buerat ne quis sæcularium indutus veste
Bellicensem cathedram conscenderet; sed
prorsus nobis ignota domus in qua regulari
militiæ nomen dederat. Episcopus erat Pon-
tius, ut ferunt, anno 1162.

XLIV. S. Anthelmus II.

Magna in Bellicensibus fastis Anthelmi DE
fama, quem nonnulli Nanthelmum appellant. CHIGNIN.
Hic patria Sabaudus erat, ex ea satus illus-
trium prosapia dynastarum *de Signin*, alias
de Chignin, quorum non adeo Chamberiaco
procul, in scopuloso saltu, patrium castrum,
robustis munitionibus clausum, exsurgebat.
Imo patrem Anthelmo fuisse referunt Har-
duinum, ex antiqua domo *de Migain* oriun-
dum. Ut qui militiæ nomen ecclesiasticæ
parentum consilio daturus erat, litteras
Anthelmus a puero didicit, tam sacras quam
profanas. Deinde, ut aiunt, præpositus ec-
clesiæ Gebennensis et Bellicensis æditus
exstitit. Certius comperimus eum, adoles-
centia jam defervescente, in acerbum Car-
thusiani sodalitii jugum alacriter involavisse,

et monachicam vestem Portis, quas Bernardus *de Varan* tunc regebat, induisse. Nec multo post Carthusia Magna monachis indigente, postquam devolutus ingentium saxorum lapsus non modo tecta, sed multos etiam piæ domus incolas oppresserat, Hugo, Gratianopolitanus episcopus, Portarum priorem exoravit uti repositum in tanta spe juvenem ipsi traderet. Anthelmus igitur Magnam Carthusiam, annuente Bernardo, ingressus, hujus domus procurator, deinde prior electus est, anno circiter 1139. Elapsis autem aliquot annis Portas rediit; cujus monasterii priorem agere maluit quam in spectabiliori scena majores honores consectari. Bernardo igitur de Portis, anno 1152, in administratione Portensis prioratus successit. Eo quoque munere fungebatur Anthelmus anno 1156, cum Lugdunensis archipræsul Heraclius, e metropolitanis mœnibus a Guidone, Forensi comite, depulsus, Portas secessit; quem et quamplures tanti præclaros hospitis comites Anthelmus
1163 humanissime excepit. Anno denique 1163 Bellicensis antistes electus est. Hoc quidem primo munus recusavit, ut cui sæculum remigrare prorsus acerbum. Eum tamen Alexander papa III, nullum vel obstinatiori locum deprecationi relinquens, die Nascenti Virgini sacro Bellicensem præsulem confirmavit. Bituricis tunc temporis Alexander papa moram aliquam faciebat; quo semet Anthelmus apud eum receperat. Paulo post vero Bellicium redux, ad Ludovicum, Gal-
Ch. x, col. 311. lorum regem, qui scilicet Portas nuper inviserat, epistolam parvam scripsit, quemdam suum ei nepotem, litteras Parisiis discentem, commendans. Totus dein ad Bellicensis ecclesiæ negotia incubuit. Pauca supersunt ad ejus administrationem spectantia diplomata. Annum tamen 1164 præbet ejus insignita
Ch. xi, col. 312. nomine chartula, qua semet Majorævi memorat, adstante frequenti tam clericorum monachorumve quam sæcularium procerum corona, jam annosam inter Majorævi monachos et Rubeimontis dynastas litem sopivisse. Hoc scilicet Anthelmus nomen post paucos annos assecutus erat, ut Alexander III, non tantum consilio sed etiam auctoritate prævalentem episcopum requirens, cui componendi inter Anglorum regem et Cantuariensem archiepiscopum dissidii provinciam daret, eum anno 1169 e cunctis unum delegerit, et litterarum suarum latorem in Anglia miserit; Rer. Gallic. Script., t. XVI, p. 330. Irrita vero summi Pontificis officia in eo fuere; ferorem enim regis animum ipsa Anthelmi industria lenire non valuit. Bellicium redux Anthelmus anno
1174 1174 legitur, 25 Augusti; hoc enim die, admonitionibus ejus obsequens comes Gebennensis Amedeus quæ S. Mauricio damna fecerat, ipso Anthelmo præsente, donis æqualibus compensavit; Mon. Patriæ, Chart. t. II, p. 1045. Anno 1175, Fredericus im- Ch. xii, col. 313.
perator, scriptis ad Anthelmum litteris, singula Bellicensis episcopi jura recognoscit: e quo novimus instrumento totam civilis potestatis prærogativam tam in episcopali civitate quam in ejusdem suburbiis ad eum pertinuisse. Sub annum sequentem acerba referuntur inter Humbertum Sabandum nostrumque Anthelmum exorta dissidia. Sacerdotem scilicet quemdam Bellicensem Humbertus comprehendi jusserat et carceri mandari. Mox eumdem libertate donatum insidiatrix sicariorum manus aggressa est, cujus gladiis confossus cecidit. Tunc Humbertum Anthelmus, patratæ cædis, ut videbatur, conscium, e fidelium consortio segregare, et apud sedem apostolicam Humberti querimonia deferri. Inclyti vero præsules, quibus causam hanc cognoscendam summus sine mora Pontifex commisit, secundum Anthelmum, testibus auditis, decreverunt. Unde sævior in Anthelmum Humberti mens et procrastinatus horum dissidiorum finis. Pœnituit tandem Humbertum imbellem virum et tantæ pietatis fama conspicuum diutius persequendi. Obiit Anthelmus vi cal. Julii, anno, ut ferunt, 1178 (1), in album sanctorum inter- 1178
cessorum ob egregiam vitæ sanctitatem grata popularium fidelium memoria mittendus. Bellicensis ipsa civitas hujus sibi nomen induit, quæ scilicet in authenticis diplomatibus non semel Anthelmopolis appellata legitur. Terrenæ S. Anthelmi exuviæ in ecclesia Bellicii cathedrali sepultæ sunt, dextrorsum quidem atque ante chori portam. Postquam vero indecorum tumulum ætas effecerat, fumo, squalore et arenarum telis obsitum, jussit, rem petente capitulo, Joannes *de Passelaigue*, ipse Bellicensis episcopus, Anthelmi corpus in capellam recens erectam transferri. Ad hanc translationem, 26 Junii 1630 peractam, plura spectantia instrumenta supersunt, quæ nuper doctissimus vir D. *Depery* publici juris fecit; Archiv. Sanct. Bellicii, p. 54 et seq. Nec tanto viro defuerunt veterum hesternorumque scriptorum præconia, cujus Vitam reperies tam apud Surium quam apud Bollandum, 26 Junii, et quem eisdem laudibus prosecuti sunt Guillelmus de Nangiaco sub annum 1177, Polycarpus *de La Rivière*, Ann. Carthus., auctor vitæ S. Petri Tarentasiensis, cap. 19, necnon anonymus Carthusianus de religionum origine, apud Marten., Ampliss. Collect., t. VI, p. 38. Transcribenda Guil-

(1) Ea quidem temporis nota ab omnibus fere scriptoribus confirmatur. Dies vero Junii vicesimus sextus, qui sub annum 1630 Anthelmi translationi illuxit, non certus nobis est, sub annum 1178, mortis ejusdem dies. Tomus enim Monument. Patriæ secundus, p. 1067, Anthelmum præbet, 23 Augusti 1178, Gebennensis comitis testem San-Mauriciano abbati obsequium promittentis.

lelmi de Nangiaco verba, e quibus cognoscitur
eum jam antiquitus miraculis clarum exsti-
tisse : « Florebat, ait, Anselmus, Bellicensis
« episcopus, ad cujus tumulum, post mortem
« ejus, lampades accensæ sunt divinitus,
« excepta una cui ministrabat pabulum
« usurarius, et illa non potuit accendi. »
Superest etiam quædam ab eo, sicut videtur,
scripta ad amicum qui curam pastoralem
abjicere conabatur epistola, quam Marte-
nius typis mandavit; Thes. Nov. Anecd.,
t. I, p. 210.

XLV. Reginaldus.

Reginaldus e Magna Carthusia, ætate
venerabilis et pietate insignis, a clero po-
puloque in procurandam ecclesiam Belli-
censem accitur, et ab Eberardo, Vesuntio-
tionensi metropolita, consecratur, anno
1178; apud Dunodium, Hist. Eccl. Vesunt.,
1179 t. I, p. 159. Anno sequente, concilio Late-
ranensi interest; cujus in actis a Luca Acherio
editis, Spicil., t. I, p. 638, male Rantaldus
1181 scribitur. Post annum deinde 1181, a Lucio
scilicet papa III, hoc mandatum Reginaldus
accipit, ut monachos Portarum et Inimontis
inter se litigantes ad ineundam pacem com-
pellat. Eadem insimul ab eodem papa
Joanni, Lugdunensi archiepiscopo, com-
missa cura. Samuelem vero Guichenonem et
Sammarthanos castiga, hunc qui Joannem
dictum a Bellis Manibus Joannem *de Talaru*
perperam appellavere. Idem quoque Gui-
chenon ex annis quos Reginaldus vixit
plures exemit. In Carthusianorum quidem
illustrium indiculo legerat : *Rainaldus ex
Carthusiano Bellicensis episcopus, effusæ
sanctæque bonitatis, obiit anno Domini*
1184. Indiculus autem ille non adeo priscus
ut ei sit tuta fides. Reginaldi certe decessum
anno 1184 perperam adscripsit. Authen-
ticum quippe diploma Reginaldum judicem
præbet 11 Octobris 1188 dissidii quod inter
canonicos Maurianenses Lambertumque
præsulem exortum erat; Hist. Bellicii ha-
giol., t. I, p. 317. Ejusdem obitum scriptor
qui vitam Artholdi sequentis enarravit sub
ultimam Novembris diem contigisse refert,
anni vero mentione prætermissa. Minime
repugnantia testimonia miscebit qui Regi-
naldum 30 Novembris 1188 interiisse con-
jiciet.

XLVI. Artholdus.

DE SOTHONOD. Artholdum e nobili toparcharum *Sotho-
nod* stemmate auctor ejus vitæ deducit. Qui
Carthusiam Portensem, Bernardi prioris
temporibus ingressus, inde in diœcesim
Gebennensem missus est, ut novas ibi cellas
conderet. Anno igitur 1132, in valle quam
Cœmeterium appellabant tuguriola exstruxit
A quæ decem annos incoluit. Postquam vero
incendium humiles Artholdi sociorumque
casas absorbuerat, Auducius, Gebennensis
præsul, ei suasit ut in alium locum se
suosque conferret. Tunc in abrupto saxo,
cujus radicem minaciter fragosus torrens
abluit, monasterium novum ædificavit, ex
ipso torrentis nomine Alveria, vel Alveriæ
dictum. Hujus loci limites descripsit Lu-
cius papa II anno 1144. Præerat Artholdus
gregi in illam desertissimam solitudinem
compacto, cum ad eum, anno circiter
1164, Alexander papa III scripsit, de
B Frederico imperatore querens; Max. Bi-
blioth. Patr., edit. Lugd., t. XXIV, p. 1519.
Hæc summi Pontificis epistola satis probat
quanti priorem Arveriarum fecerit. Eum
enim non tantum veluti fidissimum sibi
clientem alloquitur, sed coram eo veluti
judice causam ipse suam multis verbis orat.
Annis jam gravis erat Artholdus cum Belli-
censem præsulem Reginaldum iniqua mors
sustulit. Cui successurus omnium votis
exoptatur. Tantum vero munus deprecans,
in silvarum latebras fugit. Unde, licet invitus,
abducitur et in vacantem cathedram erigitur.
C Ab eo tempore episcopus quidem Artholdus
nomine fuit, sed habitu monachus, et in eo
quod ad victum spectat asperrimæ Carthu-
sianorum legi constanter obtemperans. Dein
tamen, anno circiter 1190, ad suas Arverias, 1190
depositis infulis, rediit, ubi eum Hugo
Lincolniensis episcopus, ut ferunt, invisit.
Ibidem obiit pridie non. Octobris 1206,
ætatis anno 105. Anno 1640, 9 Augusti,
Joannes *de Passelaigue*, Bellicensis epi-
scopus, Artholdi superstites exuvias, sub
lapideo tumulo, Arveriis invenit. Sanctis
quoque intercessoribus Artholdum populus
D annumeravit, et, sub diem 6 Octobris, pe-
culiari commemoratione cohonestavit.

XLVII. Odo II.

Odonem tradunt, virum probum et apud
omnes agri Bellicensis incolas acceptissimum,
Artholdo sub annum 1190 subrogatum
fuisse. Nihil autem amplius de eo compe-
ritur.

XLVIII. Bernardus II.

E Carthusiano quoque Bernardus ordini
nomen dederat priusquam in Bellicensem
cathedram vocaretur. Hic anno 1198 epi- 1198
scopum agens reperitur; quod sub tempus
inter S. Sulpicii et Arveriarum monachos
litem de pascuis agris quamdam componit.
Anno dein 1200 annosum jam inter Inimontis
Portarumque ascetas dissidium super Comba
S. Martini, Arenario campo nonnullisque
aliis fundis, Hugonis, Cluniacensis abbatis, Ch. XIV, col. 314.
mandato, dirimit, Portensibus scilicet favens,

lnimontensium vero prorsus irritam querelam pronuntians. Memoratur quoque Bernardus anno 1204. Eumdem etiam, anno 1206, Arverias ivisse et Artholdi morientis novissimum spiritum excepisse tradunt. Sed
1207 anno 1207 obiit.

XLIX. Benedictus.

DE LANGES. Ch. xv, col. 316.

Benedictus ipse suum genus descripsit. Fratres enim suos Lambertum memoravit et Arthaudum de Langiis; nepotem vero Bosonem, Arthaudi, sicut videtur, filium. Unde Benedictus de Langiis a plerisque scriptoribus dictus est patriaque Baugiacensis. *Langes* revera castrum est vetus, juxta S. Ragnebertum situm. Benedictus
1208 quidem, Octobri mense 1208, in urbe Lugduno, non infrequentis cœtus pars fuit, qui scilicet Lugdunensis archiepiscopi sententiam approbavit de jurgiis inter Cluniacenses monachos et Menatensem in Alvernia conventum; supra, t. IV, col. 135. Anno deinde
Ch. xv, col. 316. 1209 Arandatum se recepit et hujus ecclesiam vici consecravit : quo in loco sua Portarum monachis jura confirmavit, inter cetera præcipiens ne quævis mulier intra limites Portensium prædiorum fixam sedem haberet. Cujus consecrationis confirmationisque,
1210 anno 1210, memoriam litteris mandavit. Nec multo post, ut ferunt, episcopale munus ejuravit et in San-Claudianum monasterium secessit. Falso tamen Samuel Guichenon eum asserit postea, sub annum scilicet 1225, S. Claudii abbatem fuisse.

L. Bernardus III.

DE THOIRE.

Pontii nepos ex fratre Guillelmo Bernardus primo Nantuacensis prior fuit. Eum vero, anno circiter 1212, munus dimittente Benedicto, Bellicensem episcopum salutaverunt. Eumdem nonnulli reputant e priore Nantuacensi jam S. Claudii Jurensis abbatem electum fuisse, antequam scilicet Bellicensem cathedram conscenderet. Aliis visum est eum ex episcopo Bellicensi creatum abbatem, episcopalis rei curam deposuisse, abdicatæ vero dignitatis nomen retinuisse. A nobis
1214 certe legitur mense Januario 1213, vel 1214, secundum hodiernam computationem, episcopus insimul Bellicensis abbasque S. Claudii, in instrumento quo decimas quasdam Alionis monachis sub id tempus tradit; Comm. et Doc. ad Helv. Rom. Spect., t. XII, pr. p., p. 166. Anno postea 1215, Bellicensis æque præsul et Jurensis abbas scribitur in quodam pacto de pianda prioris Cussiacensis nece; apud Sam. Guich., Bibl. Sebus., p. 62. Novimus denique Bernardum usque ad annum 1230 utriusque dignitatis titulis semper insignitum exstitisse. Id enim testantur plura et eadem indubiæ fidei diplomata quorum antecessores nostri meminere; t. IV, col. 249. Sed æque certum est Bonifacium sequentem ei jam multis tunc ab annis in episcopatus Bellicensis administratione subrogatum fuisse. Obiit anno 1232.

LI. Bonifacius I.

DE THOIRE DE VILLAR.

Bonifacius *de Thoire*, quem Samuel Guichenon Bonifacium quoque de Villariis, nec immerito quidem, appellat, patre gaudebat Humberto *de Thoire*, matre Aleide *de Coligny*. Eidem Bonifacio fratres inclyti Stephanus, miles, et Pontius, Matisconensis episcopus. Asserunt tam Samuel Guichenon quam Sammarthani Bernardum antecedentem Bonifacio nepoti Bellicenses infulas anno jam 1213 tradidisse. Ut ut ea se res habuit, pro comperto sane tenemus hunc Bonifacium anno 1218 Bellicensem episcopum 1218
egisse; quo scilicet nomine litem tunc temporis inter ipsum San-Claudianum abbatem et S. Stephani Bisuntini capitulum sopivit; inter schedas Drozianas, t. V, p. 589.

LII. Joannes I.

Joannis hujus *de Rotoire* nomen tantum nobis Guichenon notum fecit. DE ROTOIRE.

LIII. Petrus I.

Petrum e stirpe dynastarum San-Cassinensium, in Sabaudia, deductum Samuel Guichenon asserit. Ipse vero Petrus Jacobum Radulfumque de Ponte, milites, fratres suos fuisse tradit. Æque Sabauda domus a Ponte dicta. Insuper in his litteris quibus gentis suæ nomen Petrus consignavit, se quoque memoravit, sub annum 1209, monachicam vestem Altæ Ripæ induisse : quas infra leges litteras inter Instrumenta Lausannensis ecclesiæ. E Cisterciensi igitur monacho Bellicensis episcopus electus est. Ignotum vero relinquitur per quod temporis spatium eo munere functus sit. DE PONT.

LIV. Bonifacius II.

DE SAVOIE.

Bonifacio pater, ex omnium scriptorum testimonio, Thomas, Sabaudiæ comes, qui plurimos habuit liberos, inter quos Amedeum comitem, Valentinensem episcopum Guillelmum, Amedeum episcopum Maurianensem, Thomam qui frustra Lausannensem dein Lugdunensem cathedram assequi conatus est, Philippum denique Lugdunensem postea archiepiscopum, præter Bonifacium hunc nostrum, memorabimus. Matrem autem ejus Albericus et antecessores nostri Margaritam appellant *de Faucigny*, Sammarthani Beatricem *de Genève*. Carthusianus primo, sicut referunt, dein, sed nondum emissis

votis, Nantuacensis prioratus præfectura donatus, quo munere, apud Carthusianos scilicet reversurus, se non multo post abdicaverat, a canonicis postremo Bellicensibus Bonifacius, cum vicesimum septimum ætatis annum impleret, episcopus postulatus est. Ei quidem minor ætas ea quam episcopalis dignitas requirebat : sed, præter Bellicenses canonicos, qui conspicuum hunc natalibus virum sibi præfici summopere exoptabant, Viennensis et Tarentasiensis archiepiscopi, necnon Gratianopolitanus et Maurianensis episcopi multique Cisterciensis ordinis abbates, missis ad sedem apostolicam litteris, eumdem de meliore nota commendabant : ideo Gregorius papa IX ad Bisuntinum
Ch. XVI, col. 316. archipræsulem 6 Julii 1232 scripsit, jubens ut episcopatus procurator institueretur, ad subdiaconatus ordinem intra paucos dies promovendus. Eidem anno Albericus Bonifacii provectionem in Bellicensem cathedram adscribit; Rer. Gallic. Script., t. XXI, p. 606 : falso tamen eum Bernardo successisse memorat. Animadverto Bonifacium ab eo quidem tempore procurationem ecclesiæ Bellicensis sumpsisse, eumdem vero electum, non episcopum, appellatum fuisse. Sic Amedei Sabaudi litteris de condita juxta Villam Novam Domo Dei subscribunt, VII cal.
1236 Januarii 1236, fratres Amedei Guillelmus et Bonifacius Valentinensis et Bellicensis *electi*; e schedis Drozianis, t. XLIV, p. 159. Eidem etiam *electo*, necnon S. Sulpitii abbati, Gre-
1238 gorius IX XVII cal. Januarii 1238 scribit, mandans ut domino Bellijoci crucem suscipienti subsidium de pecunia votiva faciant assignari; e schedis D. *La Porte du Theil*, Supplem. Lat., in Max. Paris. Biblioth., num. 1580. Hanc Bellicensem ecclesiam
1243 Bonifacius usque ad annum 1243 circiter rexit. Tunc vero Cantuariensem ei metropolim in Anglia summus Pontifex regendam commisit. Sic de eo auctor Sabaudi Chronici, inter Monumenta Historiæ Patriæ editi, t. I, p. 605 : « Bonifacius, septimus comitis « Thomæ filius, et sextus frater comitis « Amedei, fuit vir prudens, probus, catho« licus, in theologia et decretis vir eruditis« simus, magnus et formosissimus inter « omnes et præ cunctis sui temporis viris, « adeo quod præ nimia formositate parvus « Absalon ab omnibus nuncupabatur. Va« cante archiepiscopatu Cantuariensi papa « ecclesiam Cantuariensem ei contulit, et « inde Angliam proficiscens Londoniæ a « rege multum honorifice fuit receptus et « dilectus. » De eodem vero prorsus aliud Matthæi Paridis testimonium. « Consecratus « est, inquit, a papa, Lugduni, in archi« episcopum Cantuariensem Bonifacius, na« tione Provincialis, plus genere quam « scientia coruscus, plus armis martialibus « quam spiritualibus formidabilis, qui pro« curantibus rege Angliæ et regina nepte « sua ad hanc promotus est dignitatem. » Decessit anno 1250. Ejus mortem his verbis auctor Sabaudi chronici narrat : « Gravi « morbo granellæ, seu arenoso, percussus « obiit, et voluit Altæcumbæ cum præde« cessoribus sepeliri, ubi corpus ejus so« lemniter delatum fuit per Petrum de Sa« baudia, ejus fratrem, anno 1270, ubi claret « miraculis; » Mon. Patriæ, t. I, p. 605. Densa chartarum ad ejus præsertim Cantuariensem archiepiscopatum spectans farrago in Museo Britannico servatur, ut notat D. Pitra, *Archiv. des Miss. Scient.*, t. IV, p. 110.

LV. Bernardus IV.

Bernardus Guichenoni primum incognitus pertransierat. Eum vero idem postea Bonifacio subrogavit, et sub annos 1242, 1244, Bellicensem cathedram rexisse, e quadam Bellijoci chartula, conjecit. Quæ de Petro sequente ex authentico instrumento infra memoranda sunt valde dubiosum hujus Bernardi episcopatum nobis faciunt.

LVI. Petrus II.

Certe vacabat ecclesia Bellicensis VIII cal. Aprilis 1244, qua die ad episcopum Gra- 1244
tianopolitanum et abbatem S. Michaelis de Clusa scripsit Innocentius papa IV, jubens Ch. XVII, col. 317
ut Bellicensibus canonicis diem ad eligendum episcopum præfigerent. Certe quoque sub eumdem annum, Bellicensem tunc regens ecclesiam, Petrus litteras edebat de quodam inter monachos Altæ Ripæ et Aimonem de Pratellis inito pacto; quas scilicet litteras infra typis mandabimus, inter Instr. Lausannensis ecclesiæ. De hoc tamen Petro plura subjungere non licuit.

LVII. Thomas I.

Thomam de Grandi Monte, aliis Belli- DE GRAMMONT.
censium fastorum scriptoribus ea tenus incognitum, Bonifacio successisse conjecerat Samuel Guichenon Seriem Bellicensium episcoporum Chronologicam describens, sed conjecturam hanc suam non sine manifesto dubitationis indicio proposuerat. Deinde tamen, quo scilicet tempore Beugesiæ Brixiæque Historiam scripsit, Thomam eumdem Bellicensibus episcopis post Bernardum confidentius annumeravit, sub annum 1250. Pace tamen nostra de hoc episcopo ambigatur. Thomam enim quemdam prætermisit Guichenon infra collocandum, nec satis compertum habemus duos eodem hoc nomine præsules Bellicensem cathedram vicissim occupavisse.

LVIII. Joannes II.

Guillelmo, Vesuntionensi archiepiscopo,
Joannes fidem et obsequium promisisse
memoratur. Hujus autem juramenti, cujus
ipse meminit, diem Drozius aut nescivit, aut
referre prætermisit. Occurrit certe Joannes
Bellicensibus redimitus infulis 16 Februarii
1255 1255, secundum hodiernam computandi
rationem, quo scilicet tempore publicis
litteris mandat latam ab ipso electisque aliis
arbitris sententiam, de vocandis ad heredi-
tatem Thomæ de Sabaudia, qui nuper sine
testamento justo decesserat; Monum. Pa-
triæ, Chartar. t. II, p. 1521. Idem Joannes,
1258 sub Decembrem mensem 1258, de variis
juribus cum Humberto, S. Eugendi Jurensis
abbate, transegit. Jurensis scilicet abbas et
Bellicensis episcopus patronatum Sarronia-
cenæ ecclesiæ, in Bisuntina diœcesi sitæ,
sibi certatim et pari studio vindicabant.
Asserebat insuper idem abbas ecclesiam loci
Virieu parochialem, in agro Bellicensi, an-
nualem sibi censum debere, de quo Belli-
censis præsul cum eo concertabat. Ambo
denique Joannes et Humbertus prædicti
S. Martinum de Fraxino convenerunt, et
utrinsque controversiæ judicium Ambro-
Ch. xvii, col. 317. niacensi abbati demandaverunt; qui omne
jus in ecclesia Sarroniacena monachis, in
ecclesia *Virieu* episcopo tribuit, utraque
1260 parte consentiente. Anno postea 1260, e
Guichenonis Serie, Petro *de Gerbais* rupem
Fortem, nobile castrum, sub feodali jure
Joannes mancipavit. Eumdem supra jam
laudatæ Drozii schedæ, t. VII, p. 94, Bisun-
tinorum canonicorum societati aggregatum
1268 fuisse tradunt anno 1265. Anno 1268, cum
aliis Sabaudiæ proceribus, matrimonio Petri
Burgundi cum Beatrice Sabauda interfuit,
et testamentum Petri, Sabaudiæ comitis,
1269 sigillo suo stabilivit. Anno denique 1269
idem apposuit sigillum publico cuidam in-
strumento inter Aalidem, Sabaudiæ comi-
tissam, Othelinum filium ejus et Philippum
Sabaudiæ comitem.

LIX. Bernardus V.

Bernardum Bellicensem episcopum Sa-
muel Guichenon memorat, e quodam Bel-
lijocensis archivi pergameno, Jovis die ante
Pentecosten anni 1272, transactioni inter-
fuisse inter Amedeum de Sabaudia, Thomæ
fratrem, et Ludovicum Bellijocensem initæ,
de solvenda dote Eleonoræ de Sabaudia,
Ludovico matrimonii vinculis adnexæ; Hist.
Brix. et Beug., prim. part., p, 56. Nihil
autem aliud de hoc Bernardo comperimus,
quem certe post Berlionem Guichenon in-
consulte collocavit.

LX. Berlio II.

Berlio, alias Werlio, patria Sabaudus, D'AMESIN.
quem ex Amasina gente oriundum dicunt,
ab anno 1280 innotescit, quo decurrente, 1280
xi cal. Julii, Thomam III de Sabaudia et
Guillelmum de Monte Ferrato testatur mu-
tuorum dissidiorum oblivionem sibi invicem
promisisse; Mon. Patriæ, Chartar. t. I,
p. 1527. Aliud ad idem fœdus spectans di-
ploma expressis verbis Berlionem Belli-
censium et Aymonem Vercellensium epi-
scopos 11 Julii 1280 S. Mauricium devenisse
memorat, ut suo iterum testimonio initam
compositionem firmarent; ibid., p. 1532.
Quod sane diploma manifestam Guiche-
nonis culpam detegit, qui scilicet alibi (in
eodem nempe volumine, p. 1528) designatum
sub 11 Julii 1280 littera W., aut V., Belli-
censem episcopum, Wilhelmum confidenter
appellat, et a Berlione, multis jam ab annis,
ut opinatur, mortuo distinguit. Nullus tunc
temporis Bellicii præsul nomine Wilhelmus
exstitit: ad Werlionem vero Berlionemve nos-
trum litteram W. præmemoratam spectare
melius interpreteris. Idem quoque Berlio,
eodem anno, 13 Augusti, Guillelmo de Monte
Ferrato, jussu Thomæ III, cum qui carcere
liberum fecerat, obviam ivit, et secure du-
cendum comitatus est; ibid., p. 1542. Anno
dein 1282, 15 Aprilis, Matiscone, Henricus, 1282
Basileensis episcopus, cui Romanorum rex
Radulfus provinciam hanc dederat ut mutuis
inter Sabaudiam Germaniamque dissidiis
finem imponeret, Bellicensem episcopum
Berlionem hujus muneris sibi consortem
adjungit; Mon. Episc. Bas., t. II, p. 349.
Nec adeo multo post, Julio scilicet mense,
quam exoptabant multi pacem prædicti
Basileensis Bellicensisque præsules pepigere;
ibid., p. 358.

LXI. Petrus III.

Petrus, patria Brixiensis, ex inclyta DE LA BAULME.
domo, episcopum agens occurrit anno 1285,
quo decurrente, postquam Philippo, Sa-
baudiæ comiti, opportunam auxilii militaris
copiam fecerat, ab eo litteras accepit, id
minime debitum, sed benigniter oblatum,
auxilium testantes. Quas sane Petrus ab eo
litteras ipse postulaverat, metuens ne qui
pronus in officium fuerat ad rem iterum
faciendam vel invitus postea cogeretur.
Quamvis enim Sabaudis obsequentissimus
dynastis, non pro eis Petrus semper stetit.
Sic, anno 1287, Lugduni reperitur juxta 1287
Guillelmum Gebennensem episcopum, qui
Sabaudiæ comitem Amedeum possessionum
suarum deprædatorem acriter urgebat;
Comm., et Docum. Societ. Geben., t. I,
part. 2, p. 20. Eumdem dein Guillelmum
Gebennas secutus, repetitam ejus queri-

moniam præsentia sua solemniorem efficiebat, 30 Decembris ejusdem anni; ibid., p. 23. Anno deinde 1290, 19 Septembris, in Astensi civitate, compromisso pactoque subscripsit inter eos initis, et, elapsis aliquot diebus, in eadem urbe, ipse pariter Petrus his finem fecit dissidiis quæ tam de jurisdictione Rossillionis castri quam de Bellicensis territorii limitibus dynastam inter Sabaudum Bellicensemque episcopum jam multis ab annis perdurabant. Perpauca quidem concessit comes; centum tamen Viennenses libras a Petro requisivit accepitque, velut exhibitæ Bellicensi præsuli benevolentiæ signum. Anno denique 1298 legitur Petrus, sequester testisque fœderis quod Ambroniacensis abbas cum Ambroniacensibus oppidanis, libertates immunitatesque quam maximas sibi vindicantibus, hunc sub annum pepigit; ut supra dictum est, t. IV, col. 276.

1290

Ch. xx. col. 319.

1298

LXII. Joannes III.

DE LA BALME.

Joannem Sammarthani referunt e Bellicensi priore Ambroniacensem abbatem creatum fuisse, dein post Petrum, cujus frater erat, Bellicensem episcopum. Joannes quidem de Balma Ambroniacensis abbas ab anno 1285 legitur: huic autem abbatiæ jam præsidebat anno 1298 Guillelmus de Balma, Petro episcopo Bellicensi nondum mortuo, et Joannem de Balma Ambroniacensem abbatem Paradinus memorat annum circa 1294 a tribus e monachis suis clathris ferreis suspensum fuisse et neci traditum. Episcopatus igitur illius Bellicensis nonnihil dubitationis habet.

LXIII. Thomas II.

Guichenoni necnon Sammarthanis incognitus, Thomas Hugoni metropolitæ fidem
1309 promisit XI cal. Februarii 1308, vel 1309. Hic est sane cujus Nantoaci martyrologium sic meminit: « XIII cal. Maii, Thomas episcopus Bellicensis, de congregatione nostra; » inter Stephanoti schedas, cod. San-Germ. 527.

LXIV. Jacobus.

DE S. ANDRÉ.

E Bellicensis ecclesiæ priore Jacobus fit anno 1325 episcopus. Id nos docent Joannis papæ XXII litteræ, quibus vacantem Jacobi provectione prioratum sedi reservat apostolicæ, VI cal. Junii, pontificatus sui anno nono; e Suaresii schedis, in Maxima Parisior. Bibliotheca. Crebræ tunc inter Bellicensem episcopum et Sabaudiæ comites de privatis juribus querelæ. Quibus ut finem faceret Jacobus Aymonem comitem adiit pangendumque ei fœdus proposuit. Non sibi deinceps Sabaudiæ regulus quascumque vacantis ecclesiæ Bellicensis possessiones vindicabit, nec earum fructus percipiet donec episcopus novus sui muneris legitimam confirmationem assecutus erit: regalis autem hujus privilegii derelictionem episcopus Bellicensis oblata pecunia compensabit. Quod ut Aymon pactum semet haud ingratum habere professus est, convenerunt Camberiacum, 27 Augusti 1333, utrinsque partis notarii, et accepto pretio Sabaudus comes tot dissidiorum fontem regalia jura dimisit. Anno deinde 1337, 5 Julii, Ambroniaci magnus habetur procerum cœtus, Aymone comite et Eduardo Bellijoci toparcha de quorumdam castrorum feodali traditione colloquturis: quos inter proceres Jacobus præcipuum locum tenet; primus enim instrumento compositionis initæ sigillum suum apponit. Conjugalibus deinde tabulis, quibus alligatæ nuptiis Azo Mediolanensis vice-comes et Catharina Sabauda, subscribit. Anno denique 1343 memoratur conventionum testis inter Delphinum Viennensem et dominos Saxi: quo etiam anno eidem Aymo, Sabaudiæ comes, testamentum suum exsequendum commendavit. Jacobum anno 1346 munere semet abdicavisse memorant.

Ch. XXI. col. 322.

1333

1343

1346

LXV. Amedeus.

D'AMESIN.

Jacobo jam Amedeus in ecclesiæ Bellicensis prioratu successerat. Cum vero Jacobus pastorale munus deposuit, eumdem Amedeum, anno 1346, ut videtur, incipiente, in vacantem cathedram canonicorum vota traduxerunt. Qui decem annos episcopatum Bellicensem administravit.

LXVI. Guillelmus II.

DE MARTEL.

Ipse quoque Bellicensis prior Guillelmus erat, cum in vacantem Amedei morte cathedram cleri suffragiis vocatus est, et in ea dignitate pontificiis Innocentii VI litteris confirmatus, XV cal. Februarii 1356; e Suaresii schedis, in Max. Paris. Biblioth. Hic, 13 Februarii 1361, Bellicensis episcopi territorium multis villis, fundis et incolis auget, quorum possessionem Amedeus, Sabaudiæ comes, dimittit, non gratis quidem, acceptis vero tribus millibus aureorum Florentinorum nummorum, necnon octies centum eorumdem. Insignis hujus pacti instrumentum infra typis mandabimus. Idem Guillelmus, anno 1368, uti Sabaudiæ comitis consiliarius, Amedeum, Gebennensem comitem, audivit Amedeo Sabaudo semet in fidem et clientelam commendantem.

1356

Ch. XXII, col. 325.

1368

LXVII. Eduardus.

DE SAVOIE. Eduardi clarum genus et quas in Ecclesia primas adeptus est dignitates antecessores nostri supra descripserunt, t. XII, col. 746.
1370 Creatus, anno, ut ferunt, 1370, Bellicensis episcopus, in Sedunensem cathedram a Gre-
1375 gorio papa XI translatus est anno 1375; e schedis Suaresii. Translatio quidem ejus anno 1374 supra collocata est; sed perperam: Guiscardus enim, Sedunensis ante Eduardum præsul, in annum 1375 vixisse a plerisque dicitur, et Gregorius papa Nicolaum sequentem ecclesiæ Bellicensi non ante finem hujus anni præfecit. De eodem Eduardo plura tam inter Sedunenses episcopos quam inter archiepiscopos Tarentasienses.

LXVIII. Nicolaus.

DE BIGNIN. Eduardo in Sedunensem cathedram translato, Bellicensem Gregorius XI sedem Nicolao, Gebennensis ecclesiæ præposito, confert, VI cal. Decembris 1375; e schedis Suaresii. Nicolaus hic juxta Albonnam natus, nomen suum optimis legibus posteris commendavit. Mos enim antiquus erat ut quivis verberatus, vel qualibet injuria impetitus, idoneum fidejussorem prius daret quam posset querimoniam instituere. Nicolaus vero morem hunc abrogavit, prudenterque decrevit eos excommunicationis sententia confestim, non exspectato læsæ partis fidejussore, feriendos, qui manuum adhibita violentia, imo tantum contumeliis et verbis injuriosis, quemcumque civem lacessiverint. Hoc scilicet decreto suum cuique jus tribuere sibi proposuerat, humilesque potentibus ante subsellium judicis æquare. Quædam alia de Nicolao memorantur. Sic, anno
1379 1379, fundationem capellæ S. Stephano sacræ approbavit. Bona quoque de Borbonio, Sabaudiæ comitissa, Carthusiense monasterium Petram Castri nuncupatum ad ripam Rhodani ædificante, prima quæ posuerat inclyta mulier domus fundamenta benedixit Nicolaus, anno 1393. Obiit vero
1394 laudatissimus hic præsul XIII cal. Maii 1394, postquam suorum mobilium bonorum ecclesiam Bellicensem heredem fecerat.

LXIX. Radulfus.

BONNET. Nicolao suffectus est Radulfus 2 Julii 1394. Radulfo nonnullas a Bellicensibus oppidanis injurias illatas fuisse referunt, eumque sibi timentem in Sabaudi comitis patrocinium anno 1407 confugisse. Anno
1407 1413, 5 Decembris, Jacobum Castinellum
Ch. XXII, col. 331. custodiendis Bellicii propugnaculis præfecit, ut rem comperimus ex infra typis committendo diplomate.

A

LXX. Antonius I.

Antonius Clementis, alias de Regiaco, CLÉMENT. postquam sub Franciscanæ militiæ vexillis stipendia meritus fuerat, Niciensem ecclesiam usque ad annum 1422 rexerat. Tum vero in Bellicensem cathedram a Martino papa V translatus est; supra, t. III, col. 1289. Bellicensis episcopus usque ad annum circiter 1430 fuit. 1430

LXXI. Guillelmus III.

B

Guillelmus ex Augustanæ ecclesiæ præ- DIDIER. posito Bellicensis episcopus fit anno, ut ferunt, 1430. Anno 1431, 1 Decembris, coram 1431 Petro de Calcibus, quem Sabaudi ducis consiliarium instrumenta litis appellant, Guillelmus episcopus et Jacobus Danielis, Bellicensium oppidanorum syndicus, acerrime contendunt: qui scilicet Jacobus, concessas civitati Bellicensi libertates afferens, aucto- Ch. XXIII, col. 332. ritatem centurionis custodiendo castro præfecti detrectat. Sententiam vero Guillelmus obtinet. Anno 1433, 23 Octobris, Thonone, 1433 testis est Amedei VIII, Sabaudiæ ducis, de

C

reficiendis Acquiani mœnibus statuentis; Comment. et Docum. Gebenn., t. XIII, part. 2, p. 36. Idem, 6 Octobris 1436, Rip- 1436 paliæ, privilegio studii Taurinensis a Ludovico duce concesso subscribit; Mon. Hist. Patriæ, Chartar. t. II, p. 475. Anno vero 1437, 18 Decembris, in Vercellensem cathe- 1437 dram transvectus est. Concilio Basileensi interfuerat, ubi pro Sabaudiæ duce locutus perhibetur.

LXXII. Aimericus.

D

Aimericum *Segaud*, patriæ Lucionen- SEGAUD. sem, egregii consilii multæque doctrinæ virum, ex episcopatu Bellicensi in Montiregalensem translatum fuisse Sammarthani memorant, 16 Januarii 1439. Super ejus Bel- 1439 licii commoratione nihil aliud comperimus.

LXXIII. Percevallus.

Amblardi equitis filius Percevallus, ex DE LA episcopo Montis Regalis Bellicensis antistes BEAULME. anno 1439 reperitur. Tunc enim eo nomine in

E

concilio Basileensi sedet, ubi custos creatur conclavis intra cujus penetralia coacti patres de summo Pontifice eligendo sermonem habebant. Percevallus dein, 10 Martii 1440, 1440 Thonone, testis est Ludovici ducis missos revocantis quibus peragrandæ Sabaudiæ curam delegaverat, et quorum agendi rationem populus criminabatur; Monum. Hist. Patr., Chartar. t. II, p. 485. Anno sequente, 8 Augusti, in urbe Geneva, ejusdem Ludovici litteras obsignat tam de libertatibus Sa-

baudæ gentis, quam de solvendo commodatoribus Judæis fœnore; ibid., p. 508.
1444 Eum denique Felix V, VIII id. Aprilis 1444, patriarchatu Gradensi donavit. Tunc quoque Altæ Cumbæ in Sabaudia abbas effectus est.

LXXIV. Petrus IV.

BOLOMIER. Petro, Henrici Bolomerii et Annæ de Rossillione filio, frater inclytus ille Guillelmus, qui post Ludovicum ducem publicis Sabaudiæ rebus præerat. Primo nobis occurrit Petrus in decretis baccalaureus, canonicus Gebennensis, abbas Altæ Cumbæ et, ab anno 1435 usque ad annum 1439, nosocomii rector Gebennensis a fratre suo nuper instaurati; Comm. et Doc. Gebenn., t. III, p. 213. Eleemosynarius idem postea cubiculariusque Felicis papæ V, qui eum VIII id. Aprilis 1444 episcopatu Bellicensi donavit. Laudatur Petrus in juribus episcopalibus tuendis fortis et invictus : qui scilicet,
1454 anno 1454, scriptis ad ipsum Ludovicum ducem litteris, de quibusdam ejus ministris acerbe questus est, vetera Bellicensis episcopi privilegia ab his proterve conculcari referens; quamobrem, 18 Junii ejusdem anni, Ch. XXIV, col. 335.
Ludovicus insigni diplomate prohibuit ne quis deinceps episcopi Bellicensis jurisdictionem sibi vindicare tentaret. Petrum
1458 quoque memorant, anno 1458, capellam B. Mariæ et Omnibus Sanctis in ecclesia cathedrali sacram condidisse. Obiit vero
1461 anno 1461 et sepultus est in ecclesia Poncinensi, ad lævam majoris aræ.

LXXV. Guillelmus IV.

DE VARAX. Ex Insulæ Barbaræ monacho abbas S. Michaelis de Clusa, Bellicensis deinde Guillelmus episcopus nominatur, Petro mortuo. Paucos autem annos Bellicensem ecclesiam rexit, qui in Lausannensem translatus est
1462 18 Aprilis 1462.

LXXVI. Joannes IV.

DE VARAX. Gaspardi *de S. Sorlin, Varax* domini, in Beugesiano tractu baillivi, filius nothus Joannes erat; ideo quamvis Ambroniacenum monachum, apostolicum jam Sixti IV referendarium, Villæ Monasterii priorem, imo S. Michaelis de Clusa abbatem, eum clerus Bellicensis ob natalium labem primo dedignatus est. Eumdem vero postea admisit, anno 1462 nondum, ut videtur, elapso. Anno
Ch. XXVI, col. 340. enim 1501 Joannes, in litteris infra transcribendis, semet ab annis quadraginta Bellicensem episcopum esse profitetur. Anno
1484 1484 Romam ivit. Qua in urbe moram faciens
Ch. XXV, col. 336. ab Innocentio papa potestatem obtinuit canonicorum regularium vestem, quamvis Benedictinus esset monachus, induendi. Id quoque per idem apostolicum diploma futuris quibuscumque Bellicensibus episcopis licuit. Venerat tunc Romam Joannes, Caroli, Sabaudiæ ducis, legatus, ut scilicet Carolam, Hierosolymæ, Cypri et Armeniæ reginam, impelleret ad dimittendum in gratiam ipsius Caroli Cypri regnum : quod solerter munus obiit, Carolaque, litteris 25 Februarii 1485 datis in ecclesia S. Petri Majore, Carolo, nepoti suo, insulam quidem Cyprum a Venetis occupatam tradere minime valuit, eum tamen regalis titulo dignitatis insignivit. Has Guichenon litteras typis mandavit, in sua Episc. Bellic. chronol. serie, p. 78. Magna deinde contentio fuit inter Joannem canonicosque Bellicenses episcopalem jurisdictionem detrectantes. Cuidam scilicet silvæ, cujus possessionem sibi canonici vindicabant, nonnulla Bellicenses oppidani damna intulerant. Postquam autem canonici ab ipsis initam de his damnis litem jam longius produxerant, et causam quam dicebant suam etiam coram civili judice feliciter oraverant, dissidio tamen nundum composito Joannes præsul, ad se contendens in omni re, in omni diœcesis suæ loco, exercendæ jurisdictionis potestatem pertinere, canonicos ad forum suum vocavit, e quorum grege quosdam, inobsequentiæ veluti reos, carceri mandavit. Nec multo post in pejus res ire, et major animorum æstus fieri, cum episcopalem auctoritatem superbe contemnentes canonicos episcopus, armatorum civium turba stipatus, ipsa vi debellare aggressus est. Tunc summum Pontificem appellaverunt canonici. Causæ vero cognitores ab ipso papa delecti secundum Joannem in ea Ch. XXVI,
re statuerunt, eorumque sententia, 7 mensis col. 337.
Junii 1501 proscripta, capitulum Bellicense visitandi, admonendi, et quovis modo regendi jus episcopo confirmatum est. Denique reperitur Joannes, anno 1507, Ægidium de 1507
Falgario Mansi Garnerii Tolosanum abbatem consecrans; supra, t. XIII, col. 120. Quem vero sub annum Joannes vivendi finem fecerit incertum relinquere cogimur.

LXXVII. Claudius.

Claudius de Staviaco, gallice *d'Estavayer* D'ESTAVAYER.
vel *de Stavayé*, e nobili domo Valdensis agri oriundus, Lausannensis præpositus legitur una Bellicensisque episcopus, Cisterciensis monachus, abbas Altæ Cumbæ, necnon Lacus Jurensis, prior Romani Monasterii et cancellarius supremus ordinis equitum torquatorum Annunciatæ, in Sabaudia. Bellicensem episcopatum anno, ut videtur, 1507 assecutus est, et in Lateranensi concilio eo nomine sedit anno 1512. Anno 1514, 1514
21 Februarii, Claudio, cujus industriam atque animi firmitatem erat expertus, illam

Leo X provinciam committit, ut Aymonem, A
Lausannensem episcopum, ad reficiendam
ecclesiam Lausannensem compellat. Anno
1517 deinde 1517, 3 Decembris, Lausannæ Claudius reperitur, ubi Caroli Sabaudi litteras de Valdensis tractus juribus obsignat; Comm. et Docum. ad Helv. Rom. spect., t. I, p. 315. Sequente, Bellicense Breviarium edi curat. Rursus ædificandam cathedralem ecclesiam Joannes antecedens, magnæ molis opus, susceperat: choro nondum perfecto, altaris præcipui consecrandi negotium solemne noster Claudius Portuensi cuidam epis-
1520 copo, cujus nomen siletur, anno 1520 B
commisit. Genevæ postea eum habemus, 28 Januarii 1521, ubi Caroli, Sabaudiæ ducis, *Attalens* et *Montréal* castra comparantis, testis est; apud Guich., Hist. Brix. et Beng., prob., p. 130. Quam etiam sub diem, eodem præsente, Carolus dux Pontis Vallium toparchiam in comitatum erectam magna
1527 pompa celebrat. Anno 1527 Claudius Bellicensis ecclesiæ Missale correctius typis mandat. Denique, sicut ferunt Sammarthani, multa perpessus a Calvini sequacibus, Germania in quam secesserat revertens, Romonte, in pago Valdensi, decessit, 28 De- C
1534 cembris 1534, et in basilica hujus loci tumulatus est. In errorem sane lapsus est, postquam Sammarthanos non satis attente legerat, hodiernus scriptor qui Claudium Romæ obiisse memorat.

LXXVIII. Philippus.

DE LA CHAMBRE. Philippo *de La Chambre* pater Ludovicus comes *de La Chambre*, Maurianensis vicecomes necnon vice-dominus Gebennensis; mater Anna *de La Tour Bologne*. Postquam igitur Cluniacensem vestem induerat, et D
prior Lehuni et Nantuaci, abbas Corbeiæ, episcopus Tusculanus et cardinalis S. Martini in Montibus effectus fuerat, semet e matris nomine cardinalem Boloniensem appellavit. Unde Samuel Guichenon et Sammarthani eum Boloniensem apud Morinos episcopum exstitisse conjecerunt: quæ conjectura prorsus rejiciatur, præsertim cum episcopatus Boloniensis apud Morinos nondum tunc erectus fuisset. Philippo præ ceteris favebat Catharina Medicea, cui cognatione proximus erat. Ejus patrocinio Bellicensem episcopatum in curia Romana post Claudii decessum adeptus, hoc munere semet 14 Maii E
1538 1538 abdicavit, Romæ decessurus IX cal. Martii 1550. Intermontium quoque abbas erat, in diœcesi Gebennensi. Ejus laudes cecinit Nicolaus Borbonius; Nug. lib. I. De eodem plura supra legenda sunt, t. X, col. 1287.

LXXIX. Antonius II.

Antonius, filius Caroli *de La Chambre*, DE LA CHAMBRE.
baronis Sermoyaci, et Isabellæ *Maréchal*, dominæ Meximiaci in Vallebona, Philippo cardinali nepos erat. E decano S. Apollinaris Meximiaci creatus a Paulo III Bellicensis episcopus, Tridentino concilio interfuit
anno 1562; apud Marten., Ampliss. Coll., 1562
t. VIII, col. 1229. Obeundi muneris adjutorem habuit Guillelmum Furbitium, episcopum Alexiensem.

LXXX. Joannes V Gotofredus.

Claris ortus parentibus Joannes Gotofre- DE GINOD.
dus militarem sprevit, litterariam laudem consectatus est: quam improbo sane labore comparavit; eum enim Samuel Guichenon refert triplicem doctoratus lauream adeptum esse. Ut igitur non tantum natalibus sed etiam doctrina conspicuus erat, purpuratorum primum in supremo Sabaudiæ senatu
gradum obtinuit, deinde, anno scilicet 1576, 1576
episcopatum Bellicensem. Anno sequente, 11 Septembris, ei canonici Bellicenses litteras exhibuerunt ad summum Pontificem mittendas, de convertenda in sæcularem, quæ regularis diu fuerat, capituli Bellicensis disciplina. His Joannes Gotofredus subscrip-
sit litteris, ea tamen conditione ut status Ch. XXVII, col. 344.
postulata mutatio nihil ex episcopi pristinis juribus deduceret. Eodem quoque die (compertum enim illud habuerat Joannes Gotofredus, multos scilicet e Bellicensibus oppidanis a catholica fide deficere et ad Calvini partes clam saltem transire), canonicos præsentes exoravit, ut proxime vacantis præbendæ reditus in stipendium cujusdam doctoris theologiæ, egregiive concionatoris erogarentur, qui sermonibus suis infirmatam populi fidem corroboraret. Huic petitioni confestim annuerunt canonici; apud Guichen., Ser. Chronol., p. 112. Memorat inclytus Sabaudi senatus præses Faber eum
mense Decembri 1589 contra Augustanum 1589
episcopum litigavisse et sententiam obtinuisse; Cod. Fabr., p. 203. Episcopali munere laudabiliter functus, postquam annos octoginta septem octoque menses vixerat, obiit Joannes Gotofredus pridie idus Aprilis
1604, magno omnium, imprimis egenorum, 1604
luctu. Illud in ejus tumulo exaratum est epitaphium:

Doctrina et pietate gravis Gotofredus et annis,
Candidior cycno, quin ita verus olor,
Præscius instantis fati vitamque perosus,
Mente Deum versans prospiciensque polos:
O mihi dissolvi liceat Deus! et meliori
Tecum luce frui! Dixit, et interiit.

Joanne Gotofredo mortuo, Bellicensis sedes quinque circiter annos vacua permansit.

LXXXI. Joannes VI Petrus. A

CAMUS. Parisiis natus 3 Novembris 1582 e Joanne
Camus, domino *de S. Bonnet*, et Maria *de*
Contes, Joannes Petrus, canonicam licet
nondum adeptus ætatem, Bellicensi ca-
thedra donatur ab Henrico rege, anno
1609 1608, et, 31 Augusti 1609, in ecclesia
S. Joanni Baptistæ nuncupata consecratur
a Francisco *de Sales*, episcopo Geben-
nensi, ministrantibus Joanne *Lefebvre* ar-
chiepiscopo Tarsensi et Roberto *Berthelot*
1614 episcopo Damasceno. Anno 1614, Parisiis,
comitiis Galliæ generalibus Joannes Petrus B
interfuit. In diœcesim suam regressus, Bel-
licium Capucinos induxit anno 1620, anno
1622 virgines a Visitatione S. Mariæ dictas.
Hujus doctissimi viri tam insignem in concio-
nando facundiam, quam expeditam pro-
fluentemque in scribendo celeritatem satis
superque laudaverunt, exstantque plurima
sane spectabilis ingenii monumenta, quæ rei
litterariæ studiosos etiam nunc delectant.
Episcopum agens sibi Franciscum, Geben-
nensem, ut diximus, antistitem, exemplum
proposuit, sed admiratione potius quam op-
portuno consilio et recta sui æstimatione : C
fervidior enim ejus animus et nimis ad vitu-
perationem cujuscumque in officio claudi-
cantis præceps, suavissimos Francisci mores,
comem benignamque indolem, ipsamque
in publicis admonitionibus suavieloquen-
tiam imitari minime valebat. Ut tamen Fran-
ciscus terrenis curis exemptus est, albo
sanctorum intercessorum paulo post adscri-
1629 bendus, ipse Joannes Petrus, anno 1629,
Bellicensis ecclesiæ regimen dimisit et in ab-
batiam Alnetensem, apud Normannos, cujus
abbas a rege tunc temporis creatus est, exsul
mæstusque secessit. Tranquillam vero frustra D
vitam eo venerat consectaturus, nam Roto-
magensis archiepiscopus Franciscus *de Har-*
lay, eum muneris adjutorem obeundi sibi
missum ab ipso Deo reputans, Alnetensem
abbatem Rotomagensis diœcesis vicarium
in spiritualibus generalem elegit. Sub extre-
mos tamen vitæ dies Parisios rediit, ibique
in xenodochio Pauperum Insanabilium,
nuper denominatus episcopus Atrebatensis,
obiit 26 Aprilis 1652, anno ætatis 70. In ea
domo sine pompa, sicut jusserat, sepultus
est : tumulus tamen epitaphio ornatus est,
quod ejus in scribendo peritiam, sinceram E
pietatem in Deum, vigilem erga pauperes
caritatem dignis laudibus celebrat. Concio-
nem habuit in Joannis Petri funere Grassen-
sis inclytus episcopus.

De Joanne Petro dicendum superest eum,
anno 1621, decanum S. Laurentii in suburbio
Parisiensi regis gratia creatum fuisse.

LXXXII. Joannes VII.

Quem ipse sibi successorem Joannes Pe- DE PASSELAIGUE.
trus designaverat Joannem *de Passelaigue*
obtinuit. Hic patria Sanconiensis, in agro
Bituricensi, e priore B. Mariæ Caritatensis
supra Ligerim et Cluniacensis ordinis ge-
nerali vicario Bellicensis episcopus fit anno
1629, et Matiscone in ecclesia Dominicano-
rum consecratur, 24 Martii 1630, a Ludo- 1630
vico *Dinet* Matisconensi, Jacobo *de Nu-*
chèse Cabilonensi et Roberto *Berthelot* Da-
masceno episcopis. Eumdem quoque repe-
rimus S. Victoris Nivernensis priorem, ab-
batemque Hambeiæ, Benedictini apud Con-
stantienses non adeo parvi nominis cœnobii;
supra, t. XI, col. 933. Ut vero Bellicensis ec-
clesiæ regimen adeptus est, ipso anno 1629,
S. Ursulæ observantes instituta puellas Bel-
licii fixam sedem habere permisit. Anno
1630, 28 Aprilis, cathedralem S. Joanni
Baptistæ sacram ecclesiam visitavit, et quos-
cumque in ea Deo ministrantes presbyte-
ros ad se vocavit : unde S. Laurentium se
recepit, eamdemque in hac æde tam per-
sonarum quam rerum inspectionem pere-
git. Dein, 23 Junii, Capucinorum eccle-
siam in eadem urbe consecrans occurrit, et,
26 ejusdem mensis, recognitas in indecoro
sepulchro S. Anthelmi reliquias solemniter
in nobiliorem capsam transferens. Plura quæ
ad hanc translationem spectant diplomata
typis mandavit Samuel Guicheno, Episc. Bel-
licens. ser. chronol., p. 117 et sequent. Sic Ch. xxviii, col. 345.
et nos quod præcipuum inter ea diplomata
nobis visum est iterata editione pervulgabi-
mus. Scripsit Joannes, anno 1631, statuta
quædam synodalia. Anno 1633 prodibant 1633
tam ejus quam cardinalis *Richelieu* de
statu religiosorum insignes litteræ, a mul-
tis legendæ. Deinde, mense Februario Ch. xxix, col. 348.
1635, jurium Bellicensibus episcopis tam
a Germanis Cæsaribus quam a Franco-
rum regibus concessorum confirmationem
a Ludovico XIII Joannes obtinuit. Eodem
anno, 30 Junii, generalem cleri Galli-
cani conventum Parisiis coactum adit, pos-
tulatque ut Bellicensis clerus nimiis, ut ait,
vectigalibus levetur. Hæc vero frustra verba
fecit; nam, 17 Julii, imperata Bellicensi
clero tributa conventus confirmavit; ea de
re consule *Procès-Verbaux des Assemblées*
générales du clergé, t. II, p. 793. Idem
conventus, 19 Julii, Joanni suasit ut in Bel-
licensem ecclesiam, quæ jam Breviario Tri-
dentino utebatur, Romani Cærimonialis ri-
tum introduceret. Quod revera quidem
Joannes fecit. Sed paulo post decanus nec-
non canonici cathedrales, ut qui pristinum
morem repetebant, ei sacra celebranti as-
sistere recusaverunt : unde lis exorta,
quæ senatus Divionensis decreto, 18 Decem-
bris 1637, secundum episcopum Bellicensem 1637

dirempta est. Decano tamen canonicisque A
obsequio pertinaciter imperato moras afferentibus, iteratis senatus Divionensis litte-
1638 ris, 17 Martii 1638, diutius obnitentes stipendiis privandos esse pronuntiavit; Gui-
1640 cheno, Episc. Bellic., p. 137 Anno 1640, 9 Augusti, reliquias S. Artholdi, in lapideo sepulchro prope et extra minorem Arveriensis monasterii portam jacentes, Joannes visitavit, ibidemque cum maxima reverentia reposuit; ibid., p. 143. Instrumenta nonnulla ad hanc visitationem spectantia præbet Archiv. Sanct. Bellicii, a doctissimo viro
Ch. xxx, col. 349. D. *Depery*, p. 257. Et nos infra quædam ex B
eis rursus typis committemus. Anno 1641, 22 Septembris, in urbe Camberiaco, Henricum *de Levis*, ducem *de Ventadour*, ad subdiaconatus ordinem promovit; qua etiam die Mariæ *Lyesse* de Luseiliburgo, ejusdem uxori, ordinem B. Mariæ de Monte Carmelo ingredienti, sacrum nimbum imposuit.
1646 Anno vero 1646 contra monachos Altæ Cumbæ litigans occurrit, a quibus, uti Bellicensis episcopus, annuum quoddam tam frumenti quam avenæ vectigal poscit, et, orata causa, obtinet. Demum episcopalia castra, ædem Bellicii cathedralem refecit, C
auxit, ornavit Joannes, et magnum pietatis in Deum et profusæ in egenos liberalitatis nomen consecutus, Bellicii multis lacryma-
1663 bilis interiit 12 Augusti 1663, in ecclesia cathedrali sepeliendus. Ei Samuel Guicheno suam Bellicensium Episcoporum Seriem nuncupavit.

LXXXIV. Joannes VII Albertus.

BELIN. Anno 1664 Bellicensi cathedra Joannes Albertus a rege donatus est. Bullas deinde pontificias adeptus 13 Decembris 1665, Pa- D
risiis consecratus est 14 Februarii 1666; quo etiam anno, 29 Maii, muneris possessio-
1677 nem adiit. Obiit vero Bellicii 29 Aprilis 1677.

LXXXV. Petrus V.

DU LAURENS. Avunculos habuerat Petrus Arelatensem et Ebredunensem archiepiscopos. Qui postquam ecclesiasticæ militiæ nomen dederat, Parisiis theologiam didicit, et, Cluniacum dein ingressus, hujus domus summus prior exstitit. Capellæ dein abbas fuit: cujus muneris consecrationem obtinuit 9 Octobris E
1661. Unde Bellicium accitus est, anno
1680 1680, episcopalis muneris possessionem 8 Junii adepturus. Laudatur quam maxime sedulus gregis sui pastor, qui seminario Bellicensi condendo præcipuam operam contulit, idque canonicis S. Augustini regulam professis administrandum credidit. Obiit
1705 13 vel 15 Januarii 1705, ætatis anno 89, vel 92, et in ecclesia cathedrali sepultus est, ad dexteram majoris altaris.

LXXXVI. Franciscus.

De Francisci initiis supra disseruerunt MADOT.
antecessores nostri, t. IV, col. 948. Postquam optimæ famæ vir abbatia Loci Regii donatus erat a rege 15 Aprilis 1702, ab eodem, 11 Aprilis 1705, Bellicensem episcopatum accepit, et, 18 Octobris ejusdem anni, consecratus est Parisiis in archiepiscopali sacello ab ipso *Noailles* cardinali. Sacramentum postea regi dixit 1 Novembris et muneris possessionem adiit 8 Februarii
1706. Eodem anno, 5 Maii, Annessiacum 1706
tetendit, S. Francisci Salesii terrenas exsuvias excepturus. Nec multo post, 24 Decembris, ut erat apud regem acceptissimus, abbatia Bello Loco dicta in Boloniensi diœcesi auctus est. Eum deinde reperimus,
23 Januarii 1707, in urbe Lugduno, archi- 1707
episcopo Lugdunensi ministrantem Antonium *Charpin* episcopum Lemovicensem consecranti; supra, t. IV, col. 466. Anno
vero 1711, 28 Decembris, in Cabilonensem 1711
cathedram translatus est.

LXXXVII. Joannes VIII.

Abbas jam Granatariæ, Bellicensis episco- DUBOURSET.
pus Joannes fit anno 1712, qui, post multorum annorum regimen, 4 Februarii 1745 1745
decessit. Proximam sentiens mortem omnia sua bona xenodochio Bellicensi legavit. Jussit tamen ut quatuor millia librarum e scripto pauperibus ægrotis legato deducerentur, quam pecuniæ summam Bellicense capitulum in reficiendam principem S. Joannis Baptistæ portam impenderet; jussit quoque ut non pauci e suis fortunis nummi erigendo in urbe Bellicensi gymnasio addicerentur; e regest. capit. Bellic., in archivo
Burgensi. Congregatum 6 Februarii capi- Ch. xxxii, col. 350.
tulum vicarium sede vacante generalem Joannem Ludovicum *Brillat* instituit, qui scilicet theologiæ doctor et Bellicensis archidiaconus magnam prudentiæ laudem eatenus obtinuerat.

LXXXVIII. Joannes IX Antonius.

Vesuntione natus anno 1697, vicarius DE TINSEAU.
ecclesiæ Vesuntionensis generalis primo Joannes Antonius fuerat, dein abbas Bethaniæ. Creatus, post Joannis antecedentis decessum, Bellicensis episcopus, bullis apostolicis donatus est XIV cal. Augusti 1745, et Ch. xxxiii, col. 351.
hoc anno desinente, 12 Decembris, possessionem muneris per procuratorem adiit. Bellicium dein clam pedem intulit 29 Januarii 1746, eamdem urbem cum pompa et apparatu ingressurus 1 Februarii; cujus
solemnis ingressus fidem facit instrumen- Ch. xxxiv, col. 352.
tum e regestis Bellicensibus infra typis mandandum. Occurrit Joannes Antonius 10 Fe-

bruarii 1751, eidem capitulo renuntians se regularibus canonicis instituta S. Antonii observantibus erigendi in urbe Bellicensi, prout Joannes *Dudousset* testamento suo novissimo jusserat, gymnasii regimen collaturum esse. Eum vero paulo post, nempe 4
1751 Aprilis 1751, rex e Bellicensi in Nivernensem cathedram transtulit.

LXXXIX. Gabriel.

CORTOIS DE QUINCEY. Divione natus anno 1714, summus archidiaconus et vicarius generalis Divionensis episcopi primo Gabriel fuit, dein abbas S. Martini Æduensis. Ut Bellicensis a rege episcopus creatus est, bullas obtinuit pontificias xiv cal. Augusti 1751, et, 22 Septembris, episcopatus possessionem adiit, procuratore usus in eo Joanne Ludovico *Brillat*, archidiacono Bellicensi; e regestis capituli Bellic. quæ servat archivum Burgense. Episcopalem postea urbem solemniter ingressus est 8 Januarii 1752. Reperitur 29 Aprilis
1759 1759 primas in canonicorum Bellicensium
Ch. xxxv, col. 353. cœtu tenens, qua die sodalitas e S. Anthelmi nomine dicta postulavit obtinuitque ut sui patroni reliquias in marmoreum tumulum capsamque novam sibi transferre liceret. Quam ipse Gabriel præsul translationem magna cum pompa fecit 20 Maii ejusdem anni, ut rei gestæ fidem facit instrumentum infra legendum. Anno 1772, 1772
2 Octobris, Gratianopolim se recepit, in hac scilicet urbe, summi Pontificis mandato et commissarii apostolici nomine, conventui Franciscanorum fratrum generali interfuturus; ex actis ejusdem capituli.

Ch. xxxvi, col. 354.

Conchensis idem abbas et Ambroniacensis exstitit. Tot vero beneficiorum fructibus auctus minime delicatioris vitæ oblectamenta conquisivit, sed assignatos sibi regia liberalitate reditus in sacra Bellicensis urbis ædificia impendit. Episcopale quoque palatium exstruxit. Cunctis Bellicii carus incolis, vel post negatum cleri constitutioni civili juramentum Joannes in sede sua permansit; in qua decessit 14 Januarii 1791. 1791
Ejus tumulum epitaphio decoraverunt e fratre nepotes Petrus I Maria Magdalena *Cortois de Balore*, Nemausensis episcopus, et Gabriel *Cortois de Pressigny* tunc Macloviensis, dein Vesuntionensis antistes.

PRIORES BELLICENSES, DEIN DECANI.

De vario diversis temporibus capituli Bellicensis statu jam paucis supra disseruimus. Ab anno, ut diximus 1142, ab eodem anno traducendis e quolibet ordine monachico ipsis Bellicensibus episcopis, canonicus ille qui primas in regulari capitulo tenebit prior appellabitur. Ab anno vero 1578 sæcularibus canonicis decanus imperabit. Sed minus compertum habemus quæ præcipua fuerit ante annum 1142 in capitulo Bellicensi dignitas. Pontii præsulis, vel primi, vel secundi, litteræ (nam chronicis notis carent), pro monachis S. Andreæ Viennensis, inter Baluzianas schedas, t. LXXV, p. 418, Adonem archidiaconum ante ceteros Bellicensis capituli canonicos præbent, et post Adonem, Oysoldum Hugonemque simul decanos. Haud aliter, anno circiter 1129, Pontii, Bellicensis episcopi, diploma, quo canonicis S. Rufi Valentinensis hic prioratum Ordinatensem submittit, subscriptionem primam Arnaldi archidiaconi præbet, secundam Hugonis decani; ex appendice Pœnitent. Theod. Cant., p. 635. Unde conjicere forsan licet primam in capitulo sedem archidiaconum penes olim exstitisse, ante scilicet commutationem rerum anno 1142 peractam. Id tamen nonnihil dubitationis habet.

Illi sunt priores quorum rara nimis superstites Bellicensis ecclesiæ chartulæ nomina nobis suppeditavere :

Priores.

Aimo, anno circiter 1150, legitur in chartula de satisfactione quam Petrus de Balma Veronensi ecclesiæ Bellicensi obtulit. Ch. viii, col. 310.

Humbertus, anno 1200, subscribit litteris Bernardi præsulis, quas infra typis mandabimus, de contentione inter Inimontis Portarumque monachos judicio sopita. Ch. xiv, col. 314.

Guillelmus uti Bellicensis prior nobis innotescit, anno 1268, e novissimo Petri, Sabaudiæ comitis, testamento : huic scilicet testamento tunc subscripsit; Probat. Hist. Delphin., t. II, p. 757, in schedis a *Fontanieu* relictis.

Joannes de Balma Ambroniacensis abbas e Bellicensi priore factus est, qui postea Bellicensis episcopus fuit; e Sammarthanis. Ambroniacensis autem abbas hic ab anno 1285 reperitur; supra, t. IV, p. 275. Unde comperimus Bellicensem ejus prioratum hoc anno circiter 1285 finem fecisse.

Jacobus *de S. André* in capitulo primas tenebat cum Bellicensis episcopus ipse creatus est. Eo in episcopalem sedem evecto, anno 1325, prioratum ecclesiæ Bellicensis Joannes papa XXII sedi reservat apostolicæ, vi cal. Junii 1325; e Suaresii schedis.

Amedeus *d'Amesin* post Jacobum prior efficitur, idem qui, anno 1346, in cathedram Bellicensem abdicatione Jacobi vacantem traducitur.

Guillelmus e priore pariter Bellicensis præsul eligitur, ab Innocentio papa VI confirmandus xv cal. Februarii 1356.

Petrus, anno 1379, una cum Longæ Cumbæ dynasta, capellam S. Stephano in ecclesia Bellicensi sacram condit; e Sammarthanis gesta Nicolai *de Bignin* enarrantibus.

Antonius Torrerii, baccalaureus in decretis, Bellicensis prior erat anno 1437, cum, summi Pontificis mandato, publicas fecit litteras quibus curia Romana prohibebat ne Sabaudiæ quidam laici incolæ ob debitos nummos ecclesiasticis pœnis mulctarentur; Monum. Hist. Patr., Chartar. t. II, p. 586.

Decani.

I. Georgius Crassus decanorum Bellicensium primus fuit, anno 1578.

II. Joannes I *Geoffroy de Gignod*, Joannis episcopi Bellicensis nepos e fratre, e Bellicensi decano Augustensis episcopus factus est anno 1586. De eo fusius supra dictum est, t. XII, col. 820.

III. Carolus I Emmanuel *Geoffroy de Gignod*, antecedentis frater germanus, ei in Bellicensi decanatu protinus successit, et Octobri mense 1607 mortuus est.

Decesserat Carolus Emmanuel episcopali sede vacante. Tunc ei canonici Bellicenses, eligendi decani sede vacua jus sibi vindicantes, Joannem *Mermet* suffecerunt. Quia vero Caroli Emmanuelis mors sub Octobrem mensem, domino papæ, ut aiebant, reservatum, contigerat, eodem tempore Andreæ cuidam de Sauzea, alias *de Sozeart*, eumdem decanatum apostolicæ litteræ contulerunt. Ut igitur Andreas, officialem Gebennensem secum ducens, Bellicium venit decanatu potiturus, jam capitulo præsidentem Joannem reperit, quem Vesuntionensis archiepiscopus nuper, canonicorum vobis obsequens, decanum Bellicensem instituerat. Unde jam litis origo. Partibus vero judiciale certamen adornantibus, Gallorum rex, pro jure suo regali, nam 17 Januarii 1601 Brixiam Beugesiamque regno suo adjunxerat, tam capituli Bellicensis quam Romanæ curiæ clientes amovit, et ipse Claudio *Girandon* de quo jam æmuli duo decertabant decanatum tribuit. Quare, ineunte anno 1608, tres coram senatu Parisiensi Bellicenses titulo saltem decani sistere, et æmulo studio rem ipsam conquirere. Regiam oravit causam Ludovicus Servinus obtinuitque, 24 Aprilis 1608. Quam habuit concionem lege inter ejus Opera, p. 137, atque in his collectaneis quæ inscribuntur *Recueil des actes et mémoires concernant les affaires du clergé,* t. XI, p. 419.

IV. Claudius igitur *Girandon*, quem sibi frustra Joannes *Mermet* Andreasque de Sauzea vindicaverant, decanatum post Carolum Emmanuelem administravisse videtur. Nihil tamen aliud de eo comperimus.

V. N. *Gariod*, 4 Augusti 1625, contra capitulum Bellicense litigans, plura sibi jura vindicat. Senatus autem Parisiensis in hac causa secundum Bellicenses canonicos statuit, ut rem a Philiberto *Collet* comperimus; *Explic. des Statuts de Bresse*, p. 87.

VI. Joannes II *Vallon,* baccalaureus in theologia, anno 1630 Bellicensis decanus reperitur; quo decurrente, 28 Aprilis, interest visitationi Bellicensis ecclesiæ a Joanne *de Passelaigue* episcopo : eodem quoque Ch. xxviii, col. 345.
anno postulat ut S. Anthelmi reliquiæ in recentiorem capsam transferantur, et mox inter theologos sedit quibus inquisitio de sanctitate S. Anthelmi demandata. Anno dein 1643, contra subjectos ipsi canonicos litem agens, a quibus, inter alia, decani titulo, tres canonicales sibi tribui portiones requirebat, sententiam obtinet; ex eodem Philiberti *Collet* tractatu, p. 86.

VII. N. *Parrat* ante annum 1712 obierat.

VIII. Josephus *de Millieret* ei succedit, qui 1 Martii 1742 moritur; ex actis capituli.

IX. Antidius *Rubat* multos annos capitulo Bellicensi præfuit. Munus quidem 3 Martii 1742 aggreditur, eaque die redituum decanatui adscriptorum jam olim factam imminutionem se ratam habere denuntiat : præbendam insimul canonicalem suam in gratiam Francisci Ennemundi *Rubat* dimittit; qui non multo post Franciscus Ennemundus, pontificiis litteris 6 Aprilis donatus, canonicus Bellicensis instituitur, et Parisios confestim pergit, in Harcuriano gymnasio philosophiæ discendæ semet addicturus. Ipse vero Antidius 6 Februarii Ch. xxxii,
1745 occurrit, qua die congregatum eo col. 350.
præside capitulum Joannem Ludovicum *Brillat* vicarium diœcesis Bellicensis generalem instituit : dein, eodem anno, 12 De- Ch. xxxiii,
cembris, procurator a Joanne Antonio *de* col. 351.
Tinseau designatus, ejus nomine possessionem episcopatus Bellicensis adit, et paulo post, nempe 1 Februarii 1746, eumdem Ch. xxxiv,
solemniter excipit, inque sedem quam Joan- col. 352.
nis *Dudousset* interitus vacuam fecerat introducit. Non diu vero Bellicensis episcopatus procuratio Joanni Antonio demandata permansit : quo scilicet in Nivernensem cathedram translato, Antidius decanus eadem solemni pompa Gabrielem *Cortois de Quincey* Bellicii muros subeuntem honestavit, 8 Januarii 1752. Anno postea 1759, Ch. xxxv,
29 Aprilis, in eo canonicorum Bellicensium col. 353.
cœtu reperitur, a quibus concessa piis quibusdam clericis potestas S. Anthelmi reliquias in marmoreum tumulum capsamque

novam traducendi, et, 20 Maii, Gabrieli præsuli translationem hanc peragenti ministrat. Ne vero singula quæ ad diuturnum Antidii decanatum pertinent referamus, memorandum tamen est eum, 22 Aprilis 1760, assentiente capitulo, permisisse ut veteris xenodochii capella, quam novis operibus reficere, jam pluribus ab annis ruinosam, Bellicensis urbis consules recusabant, profanis deinceps usibus addiceretur, postquam tamen in xenodochium novum traductæ fuissent sanctorum corporum in ea capella servatæ reliquiæ; ex actis capit. Bell. Anno dein 1764, 21 Novembris, sigillo suo Antidius decanus pactionem firmat inter capitulum Bellicense et Desiderium *Vielle*, Salinarium, necnon Antonium *Lanchinas*, patria Italum, architectos, initam, de restituenda S. Joannis-Baptistæ concameratione; ex eisdem tabulis. Eumdem postea Antidium mense Maio 1775 legimus Camberiacum ivisse, ut Sabaudorum regi in eam urbem devenienti clientelam profiteretur : capitulum enim Bellicense opulentum in urbe Camberiaco feodum, Mottam dictum, possidebat. Anno denique 1783, 10 Septembris, adversus nonnullos e suis collegis Antidius coram senatu Divionensi litigans, eos instrumentorum A ex armario capitulari detractorum reos contestando denuntiat; ex eisdem tabulis. Obiit vero 16 Februarii 1785.

X. Carolus II Margarita *Ferrat de Courtines* e Bellicensi canonico decanus fit, Antidio mortuo. Congregati primum 18 Februarii capituli suffragia in duas partes discesserant : postera autem die omnia in Carolum vota convenerunt. Eum igitur 23 Februarii 1785, capitulo præsidentem reperimus. Admodum angustæ erant tunc temporis res ecclesiæ capitulique Bellicensis. Ideo, 11 Septembris 1788, capitulum, Carolo nostro præ- Ch. XXXVII, col. 356.
B sidente, Beugesiani tractus nobiles Bellicii congregatos exoravit, ut a rege plura postularent in ecclesiæ Bellicensis juvamen, inter quæ temporariam saltem Bellicensium canonicatuum imminutionem. E novemdecim jam duodeviginti facti fuerant : approbatis a rege tunc capituli votis, jam non plus quam duodecim exstiterunt. Occurrit dein Carolus, 17 Augusti 1789, dominicorum jurium abrogationem, quam gentilitia comitia decreverant, in ecclesia Bellicensi sanciens; e regestis capituli. Sed anno sequente, 9 Novembris, ipsi capitulo acerbum illum nuntium C detulit, canonicorum scilicet Bellicensium concessum comitiorum eorumdem decreto abrogatum fuisse.

VETERA BELLICENSIS ECCLESIÆ MONASTERIA.

Bellicensis, ut videtur, ager paucas mo- D nachorum aut canonicorum regularium domos semper habuit. Tum certe paucæ supererant cum elapsum proxime sæculum desinebat; nec multo frequentiores antea exstiterant, quas bellorum injuria vel alius quilibet casus derelictas profligatasque fecerat.

I. Brovium. Dictus Brovium locus, juxta Burgum, densa quondam fuerat silva, incolis prorsus vacua. Postquam vero Gerardus, Matisconensis episcopus, anno circiter 927, in hanc silvam secesserat, ubi vitam eremitarum viveret, eo non pauci ejus imi- E tatione confluxerunt, quorum congregationi Gerardus, dignitate major, præfuit. Sic Brovii instituta est quædam abbatia, qua nulla in toto Brixiensi tractu antiquior. Non tamen hujus domus fortuna diu integra permansit. Anno scilicet 1084, ut rem testantur Hugonis, archiepiscopi Lugdunensis, litteræ, a Guichenone laudatæ, Brovium prioratus tantum erat, qui deinde in potestatem Ambroniacensis abbatis redactus est. Quindecim Brovii priores Guicheno recensuit, quorum ultimus, Joannes *de Loriol*, canonicus idem erat Gebennensis, abbas S. Pontii et episcopus Nicæensis. Sed illo tempore quo Joannes hic priorem commendatarium agebat, anno nempe 1505, Julius papa II Broviensem ecclesiam Burgensi adnexuit; Guichen., Hist. Brix. et Beug., part. 3, p. 27.

Briortium. Vetus quam Stephanotius contraxit chartula, San-Germ. cod. 527, p. 418, « abbatiam Briortii, cum suis appenditiis, » S. Sulpitio jam priscis temporibus unitam fuisse memorat. Briortium quidem, alias S. Andreas de Briortio, vicus est in agro Beugesiano situs, ubi multa dominationis Romanæ vestigia superfuere. Ibidem validum diu stetit castrum quod, ævo medio decurrente, genti non ingloriæ nomen suum commodavit. Samuel verò Guicheno, postquam de Briortiani castri fatis fuse disseruerat, Hist. Brix. et Beug., part. 2, p. 93, nihil de illa, cujus Stephanotii codex fidem facit, Briortiana abbatia nobis tradidit. II.

ABBATIÆ SUPERSTITES (1).

Sunt illæ numero duæ :

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Virorum.

S. Sulpitius , *S. Sulpice.*

Feminarum.

Bunzium , *Bons.*

S. SULPITIUS.

Locus hic fagorum pinorumque ferax Cluniacenses primum ascetas excepit, dein Carthusianos, postremo Cistercienses. Hæc laudatus a Samuele Guichenone Carthusianus scriptor *Moulin* enarrat : « Domum, in- « quit, S. Sulpitii, Bellicensis diœcesis, ap- « probante præfecto Cluniacensium, ordini « Carthusiano tradidit Humbertus, Benedic- « tinus ibidem monachus et prior, anno « 1115. Ad meliorem vero vitam translato « Humberto sanctissimo patre priore, circa « annum 1140, reliqui religiosi, dimisso « rudi Carthusiensium panno et rigida vi- « vendi forma, ad primum statum redie- « runt, ad vitamque fere sæcularem deve- « nerunt. Tunc, prioris Carthusiæ permissu, « locum et proventus omnes hujus loci « Amedeus II, Sabaudiæ comes, attribuit « Cisterciensibus, quorum tunc fama ce- « lebris habebatur. » Samuel quidem Guicheno narrationem quam transcribit impugnat, nihil semet in archivo San-Sulpitiano invenisse referens quod de Carthusianis his intermediis fidem faciat. Sed non satis attente legerat illa Cisterciensis cujusdam monachi verba, quæ tamen e San-Sulpitiano chartulario ipse Guicheno deprompsit typisque mandavit, Hist. Brix. et Beug., prob., p. 242 : « Floruerat autem, ait, his in locis « per annos plurimos, qua nulla sanctior « est, Carthusiensis veneranda religio. » Hallucinatus est igitur Guicheno, quum rei a seipso secundum testem veridicum traditæ argumentum nullum habuisse contendit. Carthusianorum mos erat immites silvarum recessus, saltus asperis montibus circumseptos, procul ab hominum commercio, colere, et inæqualibus viis sulcare. His igitur San-Sulpitiani loci conditio, quo non alius in toto Beugesiano tractu forsan iniquior, perplacuerat. Abeuntibus vero, ut dictum est, Carthusianis, eorum casas

(1) Usque ad annum circiter 1790.

A Amedeus, Sabaudiæ comes, occupavit. Hic igitur, anno circiter 1120, Pontiniacenses quindecim monachos eo accivit, alios ætate juvenili florentes, alios veneranda canitie conspicuos, qui, duce quodam Bernardo, obsoleta restituerunt Carthusianorum tecta, et Cisterciensis ordinis possessiones nova colonia auxerunt.

Prioratus tunc S. Sulpitius erat, Pontiniaco subjectus. Humberti nomen prioris nobis non una præbet chartula, Amedei comitis sigillo munita. Huic enim sæpe memorandus comes non modo totum Raveriarum B territorium dono dedit, ut rem e veteri Divionensis archivi codice novimus, sed etiam eidem ut quosdam fundos Hostiis contiguos numerato pretio compararet permisit. Ex eodem Divionensi codice transcribendæ de Hostiarum emptione litteræ, quæ scilicet San-Sulpitiani prioratus fundationem ante annum 1120 jam consummatam fuisse demonstrant. Illæ sunt : « Quia omnes non « sumus vites, nec fructum ferre possumus, « eos qui ferunt et Deo vivunt juvare debe- « mus et sustentare. Notum igitur fieri vo- « lumus, quod, ordinante Deo, qui suos C « in omnibus adjuvat, et cui de tot ac tantis « bonis tam pauca et tam parva rependi- « mus, venerunt ad me duo de S. Sulpitio « fratres, Humbertus videlicet ejusdem loci « prior et Sofridus de Monte Jayono, refe- « rentes quanta a sæcularibus hominibus « patiebantur, qui eis obstabant et graviter « inquietabant, addentes etiam quod si non « obicerem me tantæ necessitati et terminos « eorum ampliarem, in loco suo amplius « non remanerent. Unde, disponente Deo, « actum est ut hi præsentes essent cum qui- « bus de re illa acturus eram : Itio scilicet D « de Balma et Huldricus frater ejus, ad « quos pertinebat terra illa quam præfati « fratres quærebant ad dilatandos terminos « suos. Accepto tandem utrimque consilio « pro dominatione et captione quam ha- « bebant in tribus mansis in villa eorum, « scilicet Hostiis, vendiderunt et dederunt « coram multis testibus de terra sua tantum « quantum postulabant prædicti fratres in « augmentum sui loci : videlicet totum quod « est infra collem qui est juxta stagnum mo- « lendini, usque ad viam quæ ducit iter « agentes per transversum montis ad Hos- E « tias; quæ via terminus est in vertice « montis ab austro hinc et inde, id est a « supercilio montis qui imminet prædictæ « villæ ab occidente, usque ad terram de « Jalliaco super alium montem qui respicit

« ad orientem. Quod totum fratribus S. « Sulpitii præsentibus ac deinceps secu- « turis ego comes Amedeus, pro salute mea « et antecessorum meorum, in liberam et « quietam possessionem dedi atque con- « cessi, et ejusdem donationis atque conces- « sionis chartam proprii sigilli impressione « signari atque confirmari præcepi. Hoc « autem factum est apud Yennam, v cal. « Januarii, anno ab Incarnatione Dom. « millesimo centesimo vicesimo. »

Sub idem quoque tempus Bellicensis episcopus Berlio, factam ab Amedeo comite San-Sulpitiani territorii descriptionem pro suo jure illis verbis firmavit : « Redemptor « noster, humani generis salutem providens, « dicit *Date eleemosynam et munda erunt* « *omnia vobis*. Hujus vocis comes Amedeus « non surdus auditor effectus, et cum eo « alii quamplures nobiles animarum sua- « rum æternam requiem cogitantes, Deo et « loco S. Sulpitii aliquantulum de suis « possessionibus tribuerunt. Et ut quiete « ac pacifice supradicti loci habitatores « inibi possent vivere ac Deo servire, Ame- « deus comes cum domino Vicardo de Bel- « lojoco eis terminos constituit, videlicet « Longam Cumbam, collem de Cormaren- « chi, petrosam abietem, vel, quod planius « est, sappium de Viriaco, infra quos nullus « aliquod ædificium facere, aut eos inquie- « tare præsumat. Et insuper bannum suum « imposuit, ut sexaginta libras persolveret « quisquis hos terminos violaret. Igitur ego « Berlio, vocatus Bellicensis episcopus, do- « num et terminos quos sæculi potestates « prædicto loco constituerunt similiter eis « laudando constituo, et auctoritate Dei Pa- « tris et Filii et Spiritus Sancti interdico « ut nullus eis injuriam inferat. Quod si « quis facere præsumpserit, eum et ejus fau- « tores, adjutores et manutenentes sub vin- « culo anathematis pono usquequo ad emen- « dationem et ad satisfactionem veniant. »

Mox vero construendis amplioribus ædificiis operam monachi dederunt, et dignitatis incremento prioratus in abbatiam conversus est. Ea-ne rerum mutatio sub annum 1130 facta est, ut narrat auctor Historiæ Pontiniacensis, edente Marten., Thes. Nov., t. III, col. 1265? Testis quidem hic est sublestæ fidei, qui Bernardum tunc San-Sulpitianorum monachorum primum abbatem fuisse refert; etenim Bernardus Cisterciensis ductor gregis qui S. Sulpitium, anno circiter, ut diximus, 1120, Amedei comitis dono accepit, abbatis titulo minime insignitus est. Certe abbatia condita fuerat ante annum 1142 interque novellas Pontiniaci matris filias jam tunc recensebatur. Hoc enim anno Innocentius papa II protegendam a B. Petro suscipiens hanc S. Sulpitio sacram domum, semet ad Ainardum abbatem scribere profitetur; ex archivi Divionensis codice.

Paucos post annos, tempore scilicet quo Bernardus, Clarævallensis abbas, christianos proceres de bello contra Sarracenos adornando hortatus est, Amedeus prædictus comes crucem ipse suscepit : viam autem ad Asianas oras facturus, quas jam San-Sulpitianis monachis donationes contulerat tam publicis litteris vulgare quam filio suo Humberto stabiliendas commendare curavit. Has litteras infra typis mandabimus, quas anno 1146 datas fuisse, quamvis notis chronicis careant, satis apparet. Alia ejusdem Amedei epistola testatur quanta sollicitudine San-Sulpitianæ rei incrementis consuluerit; quam quidem epistolam nunc primum ex authentico Divionensis archivi pergameno in lucem edimus : « Gebennensi « episcopo et Villermo, Bellicensi episcopo, « reverendis patribus, necnon Goffredo de « Maisino et Bernardo de Rossilione et Hum- « berto de Grandimonte et Brunoni et Co- « lardo et Amblardo, atque aliis viris S. « Sulpitii abbatiæ vicinis, Amedeus comes « et marchio salutem. Scitis quantum S. « Sulpitii domui ego fecerim et auxerim et « augeri voluerim, ut tantum bonum quod « nunc potius volumus et confirmamus ego « et Humbertus filius meus. Quapropter « fideli et obnixa prece vos deprecor, de- « precando jubeo, ego et Humbertus filius « meus, quatenus illam, ut me vidistis fa- « cere, custodiatis et manuteneatis, et ejus « res, prout cuique licitum est, ut et nos et « vos dignam a Deo habere mereamur re- « tributionem, et inter sanctos vitam æter- « nam et requiem. Volumus etiam ego et « Humbertus filius meus, si quid melius « super hoc negotio potuerit fieri, vel dici, « vel cogitari, quod vos illud adhibitis tes- « tibus faciatis; » ex archivo Divionensi. Petrus tunc Lugdunensis archiepiscopus, sedis apostolicæ mandato, conventum episcoporum solemnem congregavit, cum eis ecclesiæ San-Sulpitianæ consecrationem peracturus. Ad quem sub id tempus sequentem epistolam Amedeus direxit : « Petro, Dei « gratia sanctæ Lugdunensis ecclesiæ ar- « chiepiscopo sedisque apostolicæ legato, et « qui cum eo convenerunt episcopis, A., « comes et marchio, salutem et fidele obse- « quium. Emergente gravis et inopinatæ « necessitatis occasione, S. Sulpitii ecclesiæ « consecrationi, sicut proposueram, inte- « resse non possum. Quare paternitatis « vestræ dilectioni, quatenus vicem nostram « in his omnibus quæ ad pacem fratrum « pertinent et utilitatem suppleatis, suppli- « citer exorando mandavi. Eorum namque « inquietudini præcavens et religionis pro- « fectibus studens, terminos illis constitui « quos vestra et episcoporum qui vobiscum « sunt auctoritate postulo confirmari. A

Ch. v, col. 308.

« rupe videlicet quæ est super Tinnajium (1) « et a rupe de *Tart* quæ jugo imminet : ab « ea quoque de *Liceu* (2), quæ est super Milbenchias (3), et a villa de Armeis; et a « sappo de Viriaco et a fageto quod est in « monte de Taponava (4) et pendet versus « Bellum Montem, et a cruce S. Mauricii et « colle de Cormarenchi (5). Infra quos ter- « minos nulli penitus domum vel aliud « quodlibet ædificium et maxime castel- « lum (6) de Longa Cumba construere, ho- « minem, seu aliam quamlibet prædam, ca- « pere, vel alio captam per ipsos traducere « licentia tribuatur. Et est sciendum quod « hi termini et quidquid infra habetur nos- « tri sit territorii. Quicumque ergo, divini « timoris oblitus, et nostræ constitutionis « transgressor effectus, hoc statutum meum « violaverit, sexaginta libras mihi persol- « vendum (7) se noverit. Viam autem quæ « juxta oratorium eorum dirigitur ut obs- « truant fratribus præcipio, mandans Pon- « tio de Notgerio et Petro de Bello Monte, « et omnibus qui Longæ Cumbæ sunt par- « ticipes, ut suis hominibus ne per eam « audeant incedere præcipiatur (8). Præfec- « tis quoque meis de Viriaco ut id obser- « vari faciant curam committo, tribuens eis « quidquid minaverint vel gestaverint « transeuntes. Id etiam si quis ausus fuerit « infringere, in supra dicto consistat edicto. « Denique pietatem vestram deprecor qua- « tenus nostra de parte canonicis Abundan- « tiæ ut jam ab inquietudine fratrum desis- « tant studiosissime deprecemini. Quod si « precibus meis adquieverint, sciant se « quidquid a me pro domuncula illa petie- « rint impetrare. Valete. Super episcopo « Tauriniacensi clamorem meum ad vos « deferre compellor, qui, sub obtentu di- « lectionis et pacis, mihi perfidiæ jaculum « nequiter intorsit. » Obsequentem Sabaudi comitis precibus se præbuit Amedeus, Lugdunensis post Petrum archiepiscopus idemque pariter sedis apostolicæ legatus, ac in episcoporum solemni concilio, quod ipse vocat Bellicense, jura, possessiones, ceteraque San-Sulpitianæ domus privilegia tutelari diplomate munivit.

Intra paucos annos monachorum numero San-Sulpitiana domus adeo crevit, ut Falerensem apud Tuscos abbatiam, anno circiter 1143, læto ediderit partu; anno circiter 1145, Cassaniensem in Brixia. Deinceps vero ejus fortuna non unam cladem passa est, præcipue sub regimine commendatariorum abbatum, quod tot aliis abbatiis calamitosum æque fuit. Anno 1789, 20 Septembris, congregati Bellicenses canonici de unienda Bellicensi capitulo San-Sulpitiana abbatia, ad sublevandam ipsius capituli inopiam, deliberabant, cum propositum hoc irritum fecit tam monasteriorum quam cathedralium capitulorum in tota Gallia abrogatio.

San-Sulpitianorum abbatum seriem condidit Samuel Guicheno, quam Hugo *Du Temps* vel in melius vel in deterius mutavit; *Clergé de France*, Vesunt. metrop. Manuscriptum eorumdem indicem nobis præbuerunt Stephanotii schedæ, cod. San-German., num. 527, p. 273.

SERIES ABBATUM.

I. Ainardus, S. Sulpitii primus abbas, Cisterciensi gregi præsidebat anno 1142; quo decurrente, IX cal. Julii, Innocentius papa II, scriptis ad eum litteris, San-Sulpitianam domum a B. Petro protegendam suscepit. Ei quoque Stephanus *de Villars* Cassaniam dictum prædium contulit, anno 1145; in quo postea loco, San-Sulpitianorum monachorum opera et labore, S. Maria de Cassania, non ingloria Cisterciensis ordinis abbatia, condita est; Guicheno, Prob. Hist. Sab aud., p. 94. Eumdem, circa annum Ch. v, col. 308.
1146, Amedeus, Sabaudiæ comes, multis donis auxit. Quæ dona Lugdunensis archiepiscopus, Amedeus et ipse nomine, non adeo multo post recensuit et stabilivit, Ainardo etiam tunc abbatiæ clavum gubernante. Anno denique 1150, nonnullas ab Ismione, Ambroniaci abbate, decimas Ainardus accepit; supra, t. IV, col. 273. Obitum ejus S. Sulpitii congregatio XV cal. Augusti commemorabat; e domestico necrologio.

A nonnullis quidam Isaacus, anno 1136, abbas S. Sulpitii dicitur. Sed de hoc abbate nec domesticus index, nec necrologium abbatiæ fidem faciunt, quæ scilicet Ainardum abbatem S. Sulpitii primum ac Petrum secundum expressis verbis declarant.

II. Petrus igitur I Ainardo successit. Petrum S. Sulpitii secundum abbatem fuisse satis liquet ex illo veteris necrologii, quod Stephanotius transcripsit, testimonio : « Debent fieri in hac abbatia commemorationes « domini Ainardi, abbatis hujus monasterii « primi, domini Petri secundi ; » e San-German. cod. 527, p. 534. Hic est Petrus qui, anno 1158, in Montis Fabricii monasterium Humbertum, Lugdunensem archiepiscopum, secutus, ab eo Cassaniæ possessionem confirmatam habuit. Anno vero 1163 condendam Cassaniensem abbatiam, multi laboris opus, aggressus est; e cod. Sangerm.

(1) Hanc chartam ex archivo S. Sulpitii transcripsit Stephanotius, Ambron. monachus; cujus transcriptionem hodie servat Sangerman. cod. 565. Ibi non *Tinnajium* sed *Cuinajum* legitur.

(2) Steph. : *Lecheu.*

(3) Steph. : *Vilbenchias.*

(4) Steph. : *Saponava.*

(5) Stephanotius addit : *Et a villa quæ dicitur Longa Cumba.*

(6) Steph. : Et maxime *in villa* de Longa Cumba.

(7) Steph. : *Persolvendas esse se.*

(8) Steph. : *Præcipiant.*

565, p. 213. Decessisse legitur III id. Junii, in supra laudato necrologio.

Chabertus anno 1165 ab Hugone *Du Temps* S. Sulpitii abbas scribitur. Chabertum vero corruptum nomen cujusdam abbatis qui posteris temporibus vixit opinamur. Huic deinde Chaberto idem Hugo *Du Temps* Eliam quemdam, Guichenoni et Stephanotio pariter incognitum, subjecit, de quo valde dubitamus.

III. Guerinus, anno, ut ferunt, 1169.

IV. Petrus II S. Sulpitii quartus abbas legitur in ipso San-Sulpitiano necrologio, XI cal. Decembris.

V. Silvius post hunc Petrum, ut videtur, collocandus est, anno 1188.

VI. Isardus, anno 1198, cum Arveriarum monachis componit; supra, t. IV, col. 300. Idem a Sabaudiæ comite prædia nonnulla accepisse traditur.

VII. Siboldus, anno 1201, donis augetur ab Hugone *de Coligny*. Eum de San-Sulpitiano cœnobio bene meruisse referunt. Obiit, XVIII cal. Decembris; e domestico necrologio.

VIII. Bernardus I, annis 1209, 1211.

IX. Guillelmus annis 1211, 1213 reperitur.

X. Petrus III, ab anno, ut videtur, 1213 usque ad annum circiter 1236. Diuturnum igitur ejus regimen fuit. Quod sane Guicheno animadvertens, duos vicissim Petros inter præmemoratorum annorum spatium S. Sulpitio præfuisse conjecit. Huic autem conjecturæ nullo modo favet series a Stephanotio nobis tradita.

XI. Bernardus II, annis 1240, 1259. Obiit XV cal. Augusti; e San-Sulpitiano necrologio.

XII. Thomas I, annis 1263, 1264.

XIII. Bernardus III, vel Berardus, quem alii Ainardum vocant, anno 1267 memoratur. Hic forsan non alius ac Bernardus antecedens: unde conjicere liceret eumdem Thomam tam anno 1263 quam anno 1269 S. Sulpitio præfuisse.

XIV. Thomas II, anno 1269, cum Gandemaro, Athanacensi abbate, transegit; supra, t. IV, col. 238.

XV. David, annis 1276, 1289. Idem, anno circiter 1280, ut Berlionis episcopi vicarius, Bellicensem ecclesiam eo absente procuravit. Obiit IV cal. Augusti; e domestico necrologio.

XVI. Joannes I *de Mohats*, annis 1295, 1302, 1303, 1306. Obiit calendis Aprilis; e supra laudato necrologio.

XVII. Hugo I *d'Escrivieux* annis 1309, 1318, 1319.

XVIII. Stephanus I *Prost*, annis 1325, 1329, 1332. Obiit idibus Augusti, secundum necrologium abbatiæ.

Petrus sub annum 1330 a Samuele Guichenone recensetur. Eum vero jure prætermisit indicis auctor quem Stephanotius ad nos detulit.

A

Hugonem quoque anno 1340 Samuel Guicheno perperam collocavit. Stephano Joannes sequens, nemine medio, nec Petro, nec Hugone, successisse videtur.

XIX. Joannes II *de Virieu*, alias *de Viry*, annis, ut ferunt, 1335, 1337, 1341.

XX. Bernardus IV *Des Eschelles*, ab anno 1341; qui, 4 Julii 1345, Joannem *d'Oncieux* et Aliciam, ejus uxorem, piis monachorum orationibus commendavit. Idem anno sequente superstes memoratur. Obiit VIII cal. Augusti; e sæpe laudato necrologio.

B

XXI. Joannes III *d'Argil*, ab anno, ut ferunt, 1351. Hic, anno circiter 1357, Guillelmi, Fontaneti abbatis, mandato, Richardum Chesiriaci abbatem confirmat. Postea, 2 Julii 1381, Petro Reinardi Burbelleriæ decimam sub census conditione tradit, et, 22 Julii 1382, Thomasseto de Turre, Petro Berruerii et Guifferdo Prumilliaci percipiendum eodem titulo vectigal : aliam denique cuidam Jacquemeto Barberii decimam, 8 Julii 1386. Sub annos postea 1387, 1388, frequens est Joannis *d'Argil* nomen in decimarum San-Sulpitianarum libro censuali, quem servat archivum Burgense. Usque ad annum 1395 vixisse Joannes *d'Argil* perhibetur, et eo anno, XVII cal. Novembris, obiisse. Hic est qui (abbatis quidem nomen charta non præbente) a comite Sabaudiæ, anno 1385, 1700 nummorum Florentinorum pretio, altam emit, mediam infimamque jurisdictionem in quoscumque homines intra fines San-Sulpitianarum possessionum degentes.

Ch. XIX, col. 330.

Ch. XX, col. 330.

Ch. XXI, col. 331

C

David sub annum 1388 a Samuele Guichenone recensetur; quem Stephanotius, non inconsulto quidem, omisit. Hunc enim Davidem ad annum 1388 (Joanne etiam tunc superstite) Guicheno sane retulit e male lecta chartula, quæ, sicut opinamur, annum 1288 attentius eam consideranti præbuisset.

D

XXII. Jacobus *de Moiria*, quem Joannem de Moiria, militem, et Aimoniam de Scalis parentes babuisse referunt, S. Sulpitio, annis 1396, 1402, 1422, præsidebat. Idem simul Altæ Cumbæ abbas exstitit, cujus Altæ Cumbæ tabulæ annis 1412 et 1437 meminere.

XXIII. Petrus IV *Bertin*, anno 1424.

E

XXIV. Joannes IV *de Bouvery*, annis 1435, 1437, 1450.

XXV. Joannes V de Hostiaco, vel de Hostieno, quod gallice cognomen *Hostien La Baume* interpretantur, ab anno 1450 usque ad annum 1460 S. Sulpitio, ut aiunt, præfuit.

XXVI. Georgius Regis ab anno 1461. Hunc 10 Junii 1465 abbatiæ gubernaculo sedentem refert inquisitionis cujusdam instrumentum quod servat archivum Burgense.

Obiit IX cal. Maii; e domestico necrologio. A

XXVII. Petrus V *d'Escrivieux* pontificiis bullis 3 Maii 1480 S. Sulpitio regendo præfectus, sedit ad annum fere 1500.

XXVIII. Claudius I *Aynard*, anno 1503. De eo necrologium fidem facit VI non. Februarii.

XXIX. Ludovicus I Regis, anno 1505. Ejus meminit necrologium, XII cal. Aprilis.

XXX. Petrus VI de *Morinieu*, 1526, 1554. Erasmo familiaris fuit ab eoque litteras accepit, quas inter ceteras doctoris Roterodami epistolas reperies. Obiit XIX cal. Novembris.

XXXI. Franciscus I *de Chalant*, anno B 1569. Obiit IV cal. Maii 1584; ex abbatiæ necrologio.

XXXII. Joannes VI *de Belmont* anno 1589 reperitur, qui decessit XVIII cal. Maii 1603; ex eodem necrologio.

XXXIII. Casparus *Dinet*, Matisconensis episcopus, obiit anno 1619. De eo multa supra dixerunt antecessores nostri, t. IV, col. 1099.

XXXIV. Ludovicus II *Dinet*, antecedentis e fratre Jacobo, domino Putei Regalis, Defensi et Valeriæ, nepos, ipse quoque Matisconensis episcopus, S. Sulpitium per aliquot C annos commendæ titulo possedisse fertur. Hujus sane meminit necrologium, XIV cal. Martii. Cum autem hi procul essent, S. Sulpitium ingens clades afflixit, cujus testem habemus Petrum *Camus*, Bellicensem episcopum : *Anti-Basilic*, p. 351. Postquam enim quidam miles, Burgo gubernando præfectus, ex facili, nemine scilicet obnitente, abbatia potitus erat, hic, abbatem tam nomine quam re se ferens, non exiguam partem ædificiorum ad monachos pertinentium in equariam converterat, et ecclesiam ipsam in horreum in quo fœnum collocaverat, multis D equis, mulis asinisque pabulum. Nec monachi, cum calonibus eorumque meretricibus reliquam abbatiæ partem habitantes, tantam rerum suarum mutationem ægre ferre; at contra, militarem ipsi vitam agentes, equitare, venari, armatique per vias quotidie vagari, nec maxime reprobanda incontinentia vel clam vel palam abstinere. Quæ vix credibilia, nisi prolixioribus verbis ea narraret Bellicensis ipse tunc temporis episcopus, novem circiter annos permansere, donec Gallorum rex Ludovicus, apud monachos, ut videtur, acceptissimum abba- E tem loco cedere jussit et in melius restituendam abbatiam Petro sequenti commisit.

XXXV. Petrus VII *Nivelle*, patria Tricassinus, theologiæ doctor, Cistercii monachum a teneris professus, S. Sulpitio usque ad annum 1625 præfuit, quo decurrente Cisterciensis abbas electus est, futurus anno 1635 Lucionensis episcopus. De eo supra, t. IV, col. 1014.

XXXVI. Nicolaus *Legoux de La Berchère*, Joannis-Baptistæ, primi in senatu Divionensi præsidis, e Margarita *Brulart* filius, anno 1628, ut refert Hugo *Du Temps*, abbas S. Sulpitii nominatus, anno 1650 e vita migravit; e Stephanotii schedis.

XXXVII. Franciscus II *de Montholon*, filius Francisci, *Vivier* et *Aubervilliers* domini, et Mariæ *Lasnier*, abbas S. Sulpitii una fuit et Cisterciensis ordinis in Arvernia generalis vicarius. Anno 1670, Antonium *Chevanat* liberum fecit; ex instrumento quod servat archivum Divionense. De eodem sic Stephanotius : « Ædificia regularia sarta fecit, « optimus abbas in moribus et in muris do« mum innovavit. Hoc anno 1677, quo scri« bo, præest et prodest. »

XXXVIII. Joannes VI Maria *Vernois de Mont-Journal* abbas S. Sulpitii designatur a Gallorum rege 26 Maii 1708, bullisque confirmatur apostolicis. Sed nondum possessionem hujus beneficii adierat, cum, anno 1710, abbas Firmitatis in ecclesia Cabilonensi electus est. De eo supra, t. IV, col. 1029.

XXXIX. *Lazarus Languet de Rochefort* e Firmitatis priore, anno 1710, abbas S. Sulpitii creatus est, anno 1729 Morimundi. Procurator fuerat ordinis sui generalis in curia Romana.

XL. Claudius II *Rigolley*, anno 1729 nominatus, 8 Aprilis 1748 obiit. Abbatiæ Claudius ædificia opere novo refecerat ecclesiamque ornamentis auxerat.

XLI. Joannes VII Martinus *de S. Aurant*, alias *de Sainctborent*, 12 Maii 1748 a rege nominatur, et bullis pontificiis a Benedicto papa XIV 27 Junii donatur, possessionem per procuratorem aditurus 9 Septembris.

BUNZIUM.

Non procul Bellicio Bunzium, in valle Furana, quam pellucens ad imum rivus irrigat, amœno situ conspicua domus, graminibus floribusque circumsepta cultissimis. Anno, ut ferunt, 1155, Margarita, Amedei III, Sabaudiæ comitis, filia, eo scilicet consilio ut ipsa Cistercicnsi congregationi nomen daret, Cistercienses quasdam virgines secum in hunc locum duxit, abbatiamque condidit, quam, anno 1157, Guillelmus episcopus conditam approbavit, quamque Lucius papa III, anno 1183, protegendam suscepit. Ab eo quidem rerum suarum exordio Bunzii monachæ, Bellicensium episcoporum decreto, S. Sulpitii abbati submissæ sunt, et sub ejus vigilantissima tutela multos annos prospere laudabiliterque vixere. Postea vero, non aliter ac plerosque tam puellarum quam virorum conventus, inclinatio regularis disciplinæ Bunzium afflixit.

Petrus ipse *Camus*, Bellicensis, ut dictum est, episcopus, in opusculo quod *Anti-Ba-*

silic inscripsit, pag. 354, prolixis verbis A enarrat congregatas Bunzii virgines omnem suis temporibus monachicam disciplinam projecisse, et, liberrimum vivendi genus amplexas, quæ modo foras ibant, modo singulos visitantes libere excipiebant, ipsos etiam milites ferro accinctos, cujuscumque religionis essent, jam nihil præter vestem ex antiquis institutis retinuisse. Quarum vero mores in melius corrigere postquam incassum Petrus episcopus susceperat, eadem Joanni *de Passelaigue* provincia obvenit. Misit Joannes ad puellas quemdam verbi divini præconem, qui de legum domesticarum B observatione solemnem concionem haberet: hunc autem puellæ foras ejecerunt. Tunc ipse Joannes Bunzium se recipit, et, admonitionibus minas intermiscens, morbo graviori vel periculosam curationem semet adhibiturum esse profitetur: quæ ut verba fecit, et quemdam monachum totius rebellionis fautorem comprehendere jussit, inordinate secedunt mulieres, claustraque sua repetunt. Opportunum tandem ei auxilium summo Cisterciensis ordinis rectore, cardinali scilicet *de Richelieu*, subministrante, Bellicensis episcopus excommunicationis C sub pœna prohibet ne monasterii januæ egredienti virgini, vel ingressuro cujuslibet sexus aut conditionis hospiti, reserentur. Monialium denique rebellionem constantia præsulis vicit.

Hæ tamen, anno 1644, ne rusticanam diutius vitam agerent, Bellicii domum emerunt atque in eam se suaque transtulerunt. Annorum quidem bellorumque injuriæ prisca monasterii Bunziani ædificia non parum infestaverant, ac San-Sulpicianus abbas Bellicensisque episcopus Joannes *de Passelaigue* translationi quam moniales vehementer D exoptaverant impedimentum nullum attulerunt.

Ab eo tempore parvum Bunzianarum virginum nomen fuit, quamvis numero multarum. Anno scilicet 1677, triginta recensentur, omnes ortu nobiles.

Abbatissarum quæ his præfuerunt series nunc est describenda, e schedis præcipue Stephanotii, cod. Sangerman. 527:

Abbatissarum series.

I. Dulgardis, alias Bulgardis, prima Bun- E zii abbatissa exstitit, quæ scilicet, anno 1157, testis fuit rerum S. Sulpicio datarum a Guillelmo episcopo. E quo monasterio Dulgardis ea deducta sit, coloniæ Bunzianæ præficienda, nescitur. (Ch. IV, col 311.)

II. N. anno 1183 occurrit, quo scilicet anno Lucius papa III protegendam abbatiam suscepit.

III. Catharina *de Grammont*, ab anno 1205 usque ad annum circiter 1222.

IV. Isabella *de Montferrant*, Berlionis militis soror, anno 1222 præerat. Tunc hic Berlio, Hierosolymam profecturus, nonnulla S. Sulpicio pascua dono dedit, sibi scilicet in æternum consulens, necnon Isabellæ sorori ac Guerrico Ainardoque fratribus.

V. Margarita *de Mathefelon*, ab anno 1230 usque ad annum fere 1266.

VI. Agnes diuturnam præfecturam sortita est; quæ ab anno 1266 usque ad finem decimi tertii sæculi legitur.

VII. Beatrix I, 1301, 1306.

VIII. Amelina, ab anno 1307 usque ad annum 1320.

IX. Beatrix II de Montelupello, gallice *de Montluel*, Humberti de Montelupello et Adelaidis de Turre filia, abbatiam anno 1321 regebat, quæ usque ad annum circiter 1346 superstes fuit.

X. Florentia de Ponte, natione Sabauda, anno 1348.

XI. Ancelina de S. Andrea ab anno 1390 usque ad annum 1421.

XII. Aymona *de Chissey*, anno 1455 obiit.

XIII. Hugona I de Peloso, gallice *de Pellies*, ab anno circiter 1465 usque ad annum 1488.

XIV. Joanna I *de Montagny*, alias *de Montuagnard*, usque ad annum 1518.

XV. Hugona II *d'Escrivieux*, Guidonis *d'Escrivieux*, et Franciscæ *de Mareste* filia, ab anno 1518 usque ad annum 1534, quo decurrente nepti suæ regimen abbatiæ tradidit.

XVI. Francisca I *de Mareste*, ab anno 1535 usque ad annum 1546.

XVII. Urbana *de Salins*, e stirpe Salinariorum dynastarum, ab anno 1547 usque ad annum 1586. Ipsam nonnulli Franciscæ *de Mareste* neptim fuisse tradunt.

XVIII. Francisca II, alias Ludovica, *de Villette Chevron*, filia Ludovici *de Villette* et Antoniæ *de Menthon de Lornay*, ab anno 1587 usque ad annum 1606. Franciscæ soror Claudia, alias Catharina, S. Catharinæ prope Annessiacum abbatissa.

XIX. Joanna II *de Vignod*, filia Ludovici *de Vignod de Chanay* et Joannæ *de Moyria*, ab anno 1606 usque ad annum 1613.

XX. Maria I Gilberta *de Laigne*, anno 1644. Hæc postquam de cœnobio reficiendo cogitaverat, moniales secum in Bellicensem civitatem transtulit. Nepti dein suæ pedum dimisit.

XXI. Maria *de Chastelard*, patria Delphinas, abbatiam anno 1677 regebat.

XXII. Joanna III *de La Rivière*, alias *de Riverie*, anno 1683, e Lavallensi in Delphinatu cœnobio deducta.

XXIII. Claudia I *de Chastelard de Salière*, anno 1710.

XXIV. Joanna IV *de Grenaud de Rougemont*, 1718.

XXV. Helena I *de Falcoz de La Blache*, 1722.

XXVI. Helena II *de La Rivière*, alias *de Riverie*, anno 1752.

XXVII. Claudia II *de Maron*, superstes erat anno 1791.

INSTRUMENTA
AD TOMUM XV
GALLIÆ CHRISTIANÆ
IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTÆ
SPECTANTIA,
QUÆ PERTINENT AD METROPOLIM VESUNTIONENSEM.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ *VESUNTIONENSIS.*

I.

Ex edit. Brequin.(1) *Joannes IV immunitatem ab episcopali potestate monasterio Luxoviensi concedit.*

641. Dilectissimis fratribus universis episcopis per Galliam constitutis, Joannes episcopus, servus servorum Dei. Quanquam priscæ regulæ decreta nos doceant quæ oportet perenniter custodiri, constituta et patrum indiminuta servari, attamen nos super hoc regulariter decernentes, vota supplicantium, et maxime catholica fide fulgentium, in omnibus debent effectui mancipari, quatinus eorum pia devotio apostolicis inviolata permaneat officiis. Cum igitur Chlodoveus, excellentissimus filius noster, rex Francorum, pia et religiosa devotione perspicuus, suis nos scriptis postulasse dinoscitur, ut apostolicæ sedis privilegium impartiremur monasterio B. Petri, apostolorum principis, in loco qui dicitur Luxovium, quod vir venerabilis Columbanus, Scottus, sanctis studiis fervens, etiam cum largitate regia susceptus, et peregrinus in regnum Francorum adveniens, monasterium construxisse perhibetur, in quo non parvam congregationem monachorum instituens, etiam se cum eis paribus piæ devotionis studiis sociavit, in quo nunc venerabilis Waldebertus abbas etiam cum multis monachis conversari videtur, in Dei laudibus uno regulæ spiritu superna inspiratione commotus, ad laudem omnipotentis Dei pium exhibet famulatum; pro qua re supplici expetierunt deprecatu, ut privilegium apostolicæ sedis nostræ in eodem monasterio concedere deberemus. Quod salubriter annuentes, maxime domesticis fidei, et spe certa futurorum bonorum fulgentibus, hoc privilegium perenni auctoritate servandum libenter indulsimus. Nec enim nova postulantium vel indulgentium est auctoritas privilegii largiendi, dum profecto cuncti retro apostolicæ sedis præsules, non solum sub ditione nostra constitutis, sed etiam in cæteris longe regionibus, postulata semper indulgenda sanxerunt, præsertim in regno Francorum, dum profecto cuncti usque ad fines terræ et Oceani terminum, sub B. Petri, apostolorum principis, ditione consistunt, et oportet omnes omnino medullitus obedire, quæ per B. Petri auctoritatem apostolica sedes postulata dinoscitur indulgere. Ergo antedictorum virorum, et præsertim interventu excellentissimi filii nostri prædicti regis, super hoc litteris expetiti, postulata concessimus, interdicentes omnibus episcopis vicinis, vel procul a dicto monasterio constitutis, nihil usurpare, nihil contingere, quod subtus tenor hujus privilegii et norma decernit, ut episcopus, quem pater monasterii vel cuncta congregatio voluerit, ad celebranda missarum solemnia, aut consecrationem abbatis, vel etiam tabularum in quibus missæ debeant celebrari, habeat facultatem in ipsum monasterium ingredi, tantum ad pii opus mysterii; quo peracto, nihil contingens, sed omnia gratis peragens, ad propria mox regredi non moretur; nihil, sicut diximus, usurpans de rebus monasterii, non de sacris altaribus, non de ornamentis, neque de vasis, neque de sacris voluminibus, neque quicquam majus vel exiguum, sed nec concupiscere attentet; quia si privata concupiscere satis est noxium, quanto magis sacra auferre, aut desiderare, et juri suo mancipare, Deo est inimicum! Interdicentes etiam episcopo, in cujus parochia est prædictum monasterium constitutum, ut nihil contra tenorem præsentis decreti, pia postulatione indulti, quicquam attentet, vel ejus successores præsumant prohibita contingere. Chrisma igitur, vel quidquid ad sacra mysteria pertinet, si a patre monasterii fuerit postulatum, a quo prævideri spiritale patre censemus modis omnibus annuendum. Et, ut superius dictum est et sæpe dicendum est, nullam potestatem convenit habere episcopos in eodem monasterio, neque in rebus, vel in ordinandis personis, excepto quem tota congregatio elegerit, post mortem patris monasterii, ut debeat ordinari; super hæc neque presbyteros, neque diaconos, nec aliquam quamlibet personam in eodem monasterio habere ullo modo potestatem, vel quicquam immutare, vel agere; cognoscentes quia sub apostolica sede, id

(1) De hoc diplomate consule Brequinianas annotationes; *Dipl. Chart.*, edit. nov., t. II, p. 67.

est B. Petri apostoli, est constitutum: rogatus vero episcopus a patre monasterii et a cuncta congregatione, suam exhibeat præsentiam: non tamen petitus ad secreta monasterii accedere præsumat, ne quietam monachorum vitam, qui solitaria propter Deum studia peragere decreverunt, frequens sacerdotum insolentia perturbare videatur. Si autem, quod non optamus, monachi in eodem monasterio constituti tepidi in Dei amore, aut institutis patrum torpentes quandoque conspiciantur existere, secundum regulas patrum ab abbate, id est a patre monasterii, corrigantur. Si autem et ipse in torpore institutæ patrum regulæ fuerit reprehensus, in aliquam vel sinistram partem inclinatus, a sede apostolica, sub cujus ditione consistit, constituimus corrigendum. Nec enim cuiquam episcopo damus licentiam, sub obtentu reprehensionis, aliquam in monasterio suam extendere ditionem, sed ejus capiti, id est apostolicæ sedi, pertinere cognosces; statuentes apostolica censura ne ulla hominum persona, magna, vel parva, contra hoc privilegium venire pertentet.

II.

Ex edit. Brequin.

Adalsinda Besuensi monasterio Dornatiacum monasterium tradit.

657. Domino sancto et in Christo amabili fratri Waldaleno, Adalsinda abbatissa. Dum, malorum hominum vexata injuriis et variis adversitatibus, ibidem stare non possem, inde ego et germanus meus Adalricus vobis et fratribus vestris petivimus, ut ad monasterium S. Petri habitare sub regula vel ordine in Dei nomine deberem. Quod et vos pro caritatis studio concessistis. Ideo monasterium Dornatiacum, in honore S. Martini situm, quod genitor meus Amalgarius et Aquilina mater mea construxerunt, et ei maximam partem de suis facultatibus delegaverunt, hoc recipere in Dei nomine debetis, cum villis ad eumdem locum pertinentibus, et omnibus universaliter appenditiis suis: villam scilicet Assonam, villam Parniacum, Poteutiacum, et medietatem quam in Balatouua genitores nostri tenuerunt. Reliqua vero quæ ad ipsum monasterium Dornatiacum genitores nostri delegaverunt a die præsenti in Dei nomine recipite; et de villa Montaniaco, quod genitor noster Amalgarius et Amoloaldus de fisco pariter promeruerunt, portionem nostram a die præsenti in vestra dominatione revocate, ut nec ego, nec quis libet de parte nostra, vel ulla apposita persona, adversum vos de supradictis rebus calumniam ac laborem generare præsumat. Si quis vero fecerit, conferat una cum sacratissimo auri libras viginti, argenti pondo quinquaginta. Actum publice, Fonte Besua monasterio. In Dei nomine, ego Adalsinda hanc traditionem nostram subscripsi. Hermena monacha, jussu dominæ meæ Adalsindæ, subsc. Aga monacha, jussu dominæ meæ Adalsindæ, subscripsi. Subsignavit Daginus hanc donationem. S. Manaulfus presbyter. S. Victor. S. Proculus. S. Vualibertus. S. Landebertus. S. Trasgarius. S. Rogitus. Ego Allo hanc traditionem scripsi et dictavi, anno ab Incarnatione Domini DCLII (1), indict. x, epacta vi, Clotario rege regnante in Francia, primo anno regni ejus, venerabili viro Donato Besonticam sedem tenente, die Mercurii proximo ante medium mensis Februarii.

(1) Super hanc temporis notam animadversiones Brequinianas consule.

III.

Arduico Lotharius rex dat abbatiam Carnonis Castri et cellulam Balmam dictam. E schedis Baluzii (1).

In nomine omnipotentis Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Hlotarius, divina præveniente clementia rex. Oportet regalem auctoritatem ita piis insistere operibus, ut unusquisque non solum jura sui patrimonii retinere valeat, verum etiam quod ob famulatus studium liberali adeptus fuerit, munificentia nihilominus inconvulsa stabiliter possidere queat. Ac per hoc noverit omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium et futurorum industria, quod in itinere nobis ad sedem apostolicam euntibus, Arduicus, venerabilis ecclesiæ Vesontissensis archiepiscopus, adiit, culmenque nostræ magnitudinis expetiit, quatenus villas Cavennacum, Campanias et Tolisiacum, quæ quondam possessæ fueraut ab episcopis prædecessoribus suis, Gedeoni scilicet et Adoni, ob Dei amorem et reverentiam S. Stephani protomartyris et S. Joannis Evangelistæ restituissemus, ut salubrius, Christi gratia protecti, ire atque redire mereremur. Sed quia easdem villas ab Attone comite, consanguineo nostro, tenere videbantur, ne minus fidelis nobis proficiscentibus relinqui in regno crederetur, ac memorati pontificis petitioni assensum volentes pio præbere studio, statuimus ut abbatiam Carnonis Castri, in pago Scodingorum, una cum cellula vocabulo Balma, in eodem pago sita, ecclesiæ jam fati præsulis Arduici, in honore præscriptorum sanctorum, Stephani protomartyris, seu Joannis Evangelistæ, dicatæ et consecratæ, pro remedio genitoris et genitricis nostræ, nostrorumque relaxatione peccaminum, nec minus etiam propter amorem sanctorum, pignora sæpe a nobis ei petita et ab eo in gratæ voluntatis recreatione largita, prædictæ matri ecclesiæ, cum mancipiis utriusque sexus et omnibus appenditiis suis, obtinere jure perpetuo concessimus atque confirmavimus, ita ut prædictus Arduicus ejusque successores ipsam abbatiam cellulamque, cum omnibus, ut præmissum est, appenditiis, licite ordinent, et futuris in reliquum temporibus pro nobis cum clero sibi commisso sacris orationibus fungi non desinent; humili quippe affectu poscentes ut, quemadmodum futuri post nos reges sua inconcusse decreta servari voluerint, ita nostra inconvulso manere patiantur. Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas firmior habeatur, et diligentius conservetur, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione adsignari jussimus. Signum Hlotharii, gloriosi regis. Grincblandus, regiæ dignitatis cancellarius, recognoscit. 869.

Data xi cal. Februarii, anno, Christo propitio regni domni Hlotharii, piissimi regis, quarto decimo, indict. iii (2). Actum in pa..... Bisontisenci, feliciter. Amen.

(1) Arm. 5. fasc. 3, n. 6, t. II. Baluzianum apographum correximus e schedis *Dror*, t. I, p. 79.

(2) Indictionis annus forsan corrigendus, et numerus II numero III anteponendus. Joan. Jac. Chifletius eam infelicissime chartam anno 870 adscripsit, et exinde, contra communem opinionem, Lotharium in hunc annum 870 supervixisse conjecit. Invalidum e supra transcripti diplomatis notulis argumentum sumitur: annus enim Lotharii quartus decimus 22 Septembris 868 initium cepit, ideoque Lotharii regnantis annus cum indictionis anno non quadrare videtur. Adde quod tot et tantæ auctoritatis testimoniis comprobetur Lotharium VI id. Augusti 869 decessisse, ut Chiffletii conjectura nihil omnino ponderis habeat.

IV.

E schedis Droz. (1).

Conradus rex bona S. Stephani confirmat.

957. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Chonradus, divina ordinante clementia serenissimus rex. Etsi ecclesias Dei augmentando stabilimus utrumque et statum regni et in futuro vitam credimus habere perennem, quapropter notum volumus esse omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus ac nostris, præsentibusque ac futuris, qualiter venerabilis abbas Ermenfredus, una cum ceteris canonicis S. Stephani protomartyris, Bisuntinæ civitatis, nostram adiit regalem celsitudinem, ac humiliter petens ne prædia, sive loca, ecclesias villasque, servos et ancillas, quæ ipsi et antecessores eorum, per privilegia apostolica sedis Romanæ, sive per præcepta regia, vel alia chartarum instrumenta, acquisierunt, vel ea quæ ad eamdem ecclesiam hactenus tradita erunt, vel acquisita illis, per hoc nostræ auctoritatis præceptum confirmaremus. Quod et ita fecimus. Hoc est villam Poliacum, cum ecclesia S. Albini ædificata et cum manso indominicato, seu terris cultis et incultis,..... ad dictam villam pertinentibus, quam Hugo, gloriosus comes pro redemptione animæ suæ ecclesiæ beati protomartyris Stephani, ejusque canonicis atque successoribus eorum donavit: item villam S. Viti, cum ecclesia et omnibus appenditiis suis, et ecclesiam in Marciaco villa in honorem B. Martini dedicatam, cum omnibus ad ipsam pertinentibus, atque villam quæ vocatur Serra, cum ecclesia et omnibus appenditiis suis, necnon villam Donniacum, cum ecclesia et omnibus appenditiis suis, et villam Custiacum, cum villa Romanella, cum omnibus appenditiis earum, atque villam Gemilliacum, cum omnibus appenditiis suis, et easdem res quas Stephanus abbas B. patrono Stephano contradixit, hoc est in villa Comburno, in Cacolio, in Marcaho, hæc omnia supra memorata cum omni integritate, sancti patroni Stephani ecclesiæ, suisque canonicis, sive successoribus eorum, per hoc nostrum præceptum concedimus et corroboramus, ut nullus successorum nostrorum regum, nec episcopus, nec comes, neque abbas, neque ulla persona potestatem habeat ipsas res prælibatæ ecclesiæ abstrahere, vel alienare, sed in usus fratrum, ibidem Deo sanctoque Stephano secundum antiquum morem deservientium, perpetualiter permaneant. Ut autem hoc confirmationis nostræ præceptum nostris futurisque temporibus stabile inconvulsumque permaneat, et a nemine violetur, vel frangatur, manu nostra confirmando subscripsimus, et de sigillo nostro subtus sigillari mandavimus.

Signum domini Chonradi, piissimi regis. Heldolphus, in vice Henrici cancellarii, recognovi. Data II non. Septembris, anno Incarnat. Domini DCCCCLVII, anno XXVIII regnante Chonrado rege. Actum Cussiaco feliciter. Amen.

V.

Ex eisdem (2).

Commutatio rerum inter Cluniacenses et Luxovienses.

983. In omnibus utique rebus, ac præcipue certis in distinctionibus, tam præclara sunt inserenda, ut diem ne obscuritate vilescant, sed fidis undecumque comprobentur testificationibus. Proinde non ignorent tam præsentes quam futuri, qualiter domnus Aalongus, venerabilis memoriæ, Luxoviensis cœnobii abbas, cum consensu eorumdem inibi degentium fratrum, vice concambii concedit ad locum Cluniacum quamdam terram in pago Matisconensi sitam, in villa Sullistriaco et Davaiaco, scilicet omnem illam terram quæ S. Petro convenit de jam dicto monasterio Luxoviensi; hoc sunt campi, vineæ, silvæ, prata, vircariæ, aquæ, quæsitum et ad inquirendum, totum ad integrum, cultum et incultum, cum omnibus appenditiis suis, et servi et ancillæ cum filiis et filiabus. Interea etiam domnus ac venerabilis pater Maiolus et fratres qui sub ejus degunt regimine, reciproca vicissitudine donat ad locum Luxovium quamdam terram quæ jacet in comitatu Matisconensi, ac in villa Siciniaco, hoc est omnem alodium quem inibi SS. Petrus et Paulus habent in præsenti tempore: concedit ad supradictum locum, scilicet Luxovium, campos, vineas, prata, silvas, aquas, vircarias, quæsitum simul et ad inquirendum, totum ad integrum, et servos utriusque sexus, excepta ecclesia S. Desiderii cum cœmeterio et suis decimis: in villa etiam Santiaco, donat unam vineam, quam Temquardus olim S. Petro contulerat: in Flacciaco autem, donat tres vineas et unum campum de ratione S. Joannis-Baptistæ. Has ergo res denominatas præfatus pater et fratres Cluniacenses ad jam denominatum concedunt locum in loco Seanici, ut ab hac die tam Luxovienses fratres quam et Cluniacenses de his rebus, quæ unicuique evenerint ex utroque latere, faciant pro voto ita tenendi vel reciprocandi: et ut hoc decretum, seu scambium, ab ipso patre factum, in posterum inconvulsum permaneat, manu propria subconfirmavit, ac fratribus corroborari jussit. Signum Aalongi, venerabilis abbatis; S. Giraldi, et Rumoldi, et Valdonis, et Joannis, et Grimaldi, et Ebbonis, et David, et Alberici, et Vodilonis, et Witterberti, et Landrici, et Hunoldi, et Roginelini, et Viefridi, et Bernardi, et Warini, et Rnotberti, et Angilberti et Harduini.

Data per manum Raginelmi, in mense Octobri, anno XXX regnante Lothario, Francorum rege.

VI.

Ex eisdem (1).

Henrici II charta immunitatis pro monasterio Lutrensi.

1016. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus, divina favente clementia Romanorum imperator augustus, si erga loca divinis cultibus mancipata, propter amorem Dei, in eisdem locis sibi famulantes beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco noverit omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque, præsentium scilicet et futurorum, industria, quia vir venerabilis Milo, abbas ex monasterio sanctæ Dei genitricis Mariæ semper virginis et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, quod est exstructum in loco qui dicitur Luthra atque Campaniacus, detulit nobis immunitates Pippini quondam regis et Caroli, necnon et Ludovici, bonæ memoriæ imperatorum, in quibus invenimus insertum quod vir venerabilis Deicolus abbas, ex largitione anteriorum regum, in fisco, ob amorem Dei ædificaverit, et qualiter

(1) T. V, p. 389.
(2) T. VIII, p. 327.

(1) T. XIII, p. 335. Mutila quædam loca sanavimus, utentes editione Schœpflini, Als. Diplom., t. I, p. 149.

ipsi et antecessores eorum, priores reges videlicet A Francorum, præfatum monasterium ob amorem Dei tranquillitatemque fratrum ibidem consistentium, semper sub plenissima defensione et immunitatis tuitione habuissent; ob firmitatem tamen rei postulavit nos prædictus Milo abbas, ut auctoritates priorum regum et imperatorum nostra confirmaremus auctoritate : cui petitioni, ob reverentiam divini cultus et ånimæ nostræ parentumque nostrorum remedium, necnon Chunigundæ, dilectissimæ contectalis nostræ, imperatricis augustæ, consentientis, per hoc præceptum nostrum firmavimus, eo quod et nos præfatum monasterium, ab Eberardo comite injuste sibi usurpatum, juste et legaliter consecuti sumus. Quapropter præcipimus ut nullus B judex publicus, vel quælibet judiciaria potestas, in ecclesias, vel loca, aut agros, seu reliquas possessiones, quas prædictus locus intra ditionem imperii nostri juste et legaliter possidet, vel quæ deinceps in jure ipsius divina pietas voluerit augeri, ad causas audiendas vel freda exigenda, aut mansiones faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ejusdem monasterii tam ingenuos quam et servos distringendos, nec ullas redditiones aut illicitas occasiones tam a judiciaria potestate quam a potestate Pontificum requirendas, nostris futurisque temporibus ingredi audeat, vel supra memorata exigere, sicut in præcepto priorum imperatorum continetur; sed quidquid ibidem, tam ex munificentia C regum quam ceterorum Deum timentium hominum, legaliter fuerit traditum, perpetuo maneat inconvulsum, et liceat memorato abbati, suisque successoribus, res prædicti monasterii sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere. Abbatem inter se fratres eligant, quatenus eos pro nobis et conjuge nostra et stabilitate imperii, a Deo nobis concessi et conservandi, jugiter Dei misericordiam exorare delectet. Et ut hoc præceptum nostris futurisque temporibus, Deo protegente, maneat inconvulsum, manu propria subter firmavimus et sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum domini Henrici, invictissimi Romanorum imperatoris augusti. Piligrinus cancellarius, vice Eberardi, Babenbergensis episcopi, D archicapellani, recognovi.

Datum XI cal. Julii, ind. XIII, anno Domini Incarn. MXVI, anno vero domini Henrici II regnantis quinto decimo, imperii vero tertio. Actum *Chambor*, feliciter. Amen.

VII.

E Monum. Bas. Eccl. *Hugo archipræsul Balmensis Parthenonis remuneget.*

1040. Mos priscorum fuit virorum adhucque est modernorum, quod si facere aliquid quod E non lateret posteros cupiebant, prout decentius poterant chartis tradere studebant. Quapropter notum fiat omnibus catholica sub fide degentibus, tam futuris quam præsentibus, quod cum dominus Hugo, archipræsul Crisopolitanensis ecclesiæ, in sua resedit, ut usus obtinet, synodo beata, quam plurimorum sacro ordini destinatorum stipatus caterva, suffragatrice Sancti Spiritus virtute a falso discernens vera, advenit illi, jussu amitæ suæ Annæ, Palmensis cœnobii abbatissa, quæ communi nuncupatur *Elisabeth* loquela, antistitis implorans clementiam præfati, quatenus ecclesiarum altaria ante dicto loco ne differret largiri, quarum universa quæ exigebantur præter illa communi deputabantur sororum missioni(1), et ut quod in proprios usus erat accipere, cum ille qui glorificabatur dono, pontificis manu sibi impertito, obiret, similique modo faceret archidiaconus, necnon minister ei suppositus. Cujus anxiis petitionibus gratulanter annuit archiepiscopus, et quæ tam summa simplicitate postulavit ovanti fieri animo concessit; et ob hoc quod ille locus semper Crisopoli exstitit familiarissimus, perdonavit quæ deprecata est, exceptis paratis et oblationibus, post mortem illorum qui ab archipræsule receperant donum, eo scilicet tenore quod episcopus donum tantummodo faceret presbyteris de animarum curis. Quorum omnia designabunt sequentia. In ipso siquidem loco quidam videtur tumulus, desuper sanctæ Dei genitricis templum constitutus, in quo in honore S. Leodegarii quædam ecclesia, cujus altare tribuit prædictæ abbatiæ. Non procul vero ab eodem loco est, in dextera parte alia, ecclesia in memoria S. Sulpicii dedicata, de cujus etiam altari donum fecit simile. De septentrionali autem plaga haberi altera videtur ecclesia, in nomine S. Martini confessoris gloriosi ordinata, cujus altare donationi conjunxit aliæ. Itemque non longe una villa, quæ appellatur Curia, in qua B. Petro ædificata est ecclesia; altare illius similiter est largitus. Iterum altare de Villari Sicco non distulit a prædicto monasterio. Juxta hoc concessit ei altare de S. Joanne. Dedit etiam altare de quadam villa quæ dicitur Verna. In pago denique Alsgogiensi, impendit altare S. Yppoliti et altare de Domno Petro, illudque de S. Mauricio. Impertitus est vero de S. Maria in Castro et de Monte Escherolo. Altare quoque de Rupibus et de Scottis alteris innexuit donis. Altare itaque de Fontanis reliquit et de Sosis. In comitatu enim Amosensi duo altaria favit illi, in villa quæ vocatur *Feletens* unum, aliud ad Domnum Martinum. Emptiones altarium quæ supra memoravimus donavit archiepiscopus, et omnia quæ ad eum pertinent et ad subjectos ipsius, exceptis paratis et eulogiis. Si quis deinceps episcopus his signatis apicibus conatus fuerit esse contrarius, non cernat Deum in Sion, sed maneat cum Zabulon. Ego Hugo, archiepiscopus qualiscumque, hanc chartam propria manu firmo, sigilli impressione consigno, nostris firmare jubeo. S. Wilenci, præpositi. S. Theoderici, S. Joannis decani. S. Gilhuini, cantoris et archidiaconi. S. Wimboldi archidiaconi. S. Alberici subcantoris. S. Dudini cellelarii. S. Dudini capellani. S. Widonis levitæ. S. Rotgerii subdiaconi. S. Alberici subdiaconi. S. Lamberti, decani S. Stephani. S. Rotberti, archiclavis et archidiaconi. S. Manegaldi, cantoris et cappellani. S. Rodulfi, archisubdiaconi et cellarii. S. Odonis capellani. S. Girardi, nepotis archiepiscopi. S. Girardi, Luxoviensis abbatis. S. Bernardi, Balmensis abbatis. S. Raynardi archipresbyteri. S. Rotgerii archipresbyteri. S. Altonis archipresbyteri. S. Rodulfi archipresbyteri. S. Unenci archipresbyteri. S. Waltherii archipresbyteri. S. Lohesti archipresbyteri. S. Cononis beneficati. S. Hugonis beneficati. S. Bernardi beneficati. Ego Fruendus subcancellarius hanc chartam recognovi, ad vices Theodorici archicancellarii. Acta Crisopoliti, in sancta synodo, publice, in cal. Novembris, regnante Heinrico rege anno secundo, pontificatus vero domini Hugonis anno nono.

(1) Forsan *mensæ*.

VIII.

E schedis Droz. (1).

Henricus rex possessiones S. Joannis et S. Stephani confirmat.

1042. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia rex, omnium Christi nostrique fidelium universitati notum esse volumus, qualiter nos, divinæ causa retributionis, nec non ob piam petitionem Hugonis, Bisuntinensis ecclesiæ venerabilis et nobis dilectissimi archiepiscopi, suæ ecclesiæ canonicis Deo sanctoque Joanni Evangelistæ ibidem servientibus, ex nostra regali potestate illud jus concedimus atque sancimus, ut de bonis communi usui eorumdem fratrum destinatis neque ipse præsens archiepiscopus, neque ullus successor suus, prorsus nemo aliquam potestatem habeat alicui in beneficium dandi, nec ipsi fratres in ullius illorum usum, juxta canonicum ritum, respiciant: insuper vero iisdem fratribus ex nostra potestativa concessione donamus, ut ædificia sua, quæ inpræsentiarum sunt constructa aut adhuc construentur, a porta videlicet Nigra usque ad murum antiquum qui est in monte, absque prædicti præsulis successorumque suorum districtu, liberam potestatem habeant tenendi, et cuicumque ex ipsorum fratribus velint relinquendi, atque tradendi. Si aliquis vero illorum, morte præventus, ædificia sua intestata reliquerit, præfatus archiepiscopus et omnes qui sibi succedent nullam potestatem habeant eadem alicui dandi, nisi uni ex ipsis fratribus quem archiepiscopus et ipsi, communi consensu et collaudatione, eligere velint. In eodem itaque loco, ecclesiæ S. Stephani protomartyris, fratribusque Deo sibique ibidem servientibus, id ipsum jus eamdemque libertatem concedimus. Et ut hæc nostra regalis concessio nunc et perenniter stabilis et inconcussa permaneat, hanc paginam inde conscribi manuque propria, ut infra videtur, confirmantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum domini Henrici III, regis invictissimi.

Ermannus, cancellarius, recognovi.

Datum IV. cal. Janu., ind. X, anno Domini Incarn. 1042, anno autem domini Henrici III ordinationis ejus tertio decimo, regni vero tertio.

IX.

E recenti edit. (2).

Leonis papæ decretum de ejectione Berthaldi archiepiscopi.

1049. Leo episcopus, servus servorum Dei, omnibus sanctæ Ecclesiæ filiis, tam præsentibus quam futuris. Gratias agentes Deo et Domino Jesu Christo, qui mediocritatem nostram, nullis meritis fultam, ad apostolicæ tamen sedis culmen evehit, et synodalibus decretis de corpore sacræ christianitatis, cui ipse caput est, aliqua inconvenientia et etiam nocentia amputare concessit, per hanc nostræ præceptionis paginam innotescimus eorum aliqua quæ gessimus in synodo Maguntina, in qua nobis consedit prudentissima filii nostri Henrici II, Romanorum imperatoris, majestas, multorumque fratrum et coepiscoporum nostrorum, nec non abbatum, reverenda sanctitas, honestorum clericorum atque laicorum religiosorum præsente non parva multitudine. Damnata enim simoniaca hæresi, eaque radicitus exstirpata, cum de divinis officiis et sa-

A eris ordinibus diversa emergerentur negotia, ecce quidam Berthaldus nomine, coram se protulit, seque archiepiscopum Vesonticæ civitatis esse clamavit, eaque de re querimoniam se velle facere, quia multis jam annis esset consecratus, nec receptus, quin imo alius suam sedem invasione possideret. Quo dicto rogans sibi dari causidicum, fratrem nostrum Coloniensem archiepiscopum Herimannum, laudante synodo nobisque annuentibus, assecutus est. Qui, sumens causam ejus dicendam, a rege Burgundionum Rodulfo exorsus est, cui idem Bertaldus famulabatur, indebitamque subjectionem impendebat, eum forte contigit Hectorem, archiepiscopum Vesonticensem, a corporis vinculis B absolvi, (et) ejus cathedram remanere vacuam; beneficio vero regis idem Bertaldus, dictante causidico suo, professus est investituram se ejusdem archiepiscopatus accepisse, eoque rege præcipiente a suffraganeis episcopis consecratum fuisse, et in sede episcopali sedisse et etiam ordinationes fecisse; sed contradicente sibi episcopatum quodam comite Willelmo, postea expulsum a Walterio, antecessore Hugonis ejusdem sedis archiepiscopi, qui etiam nostræ synodo intererat, contra quem de sua sede clamabat. Dicebat etiam quod, post expulsionem suam, a Romano Pontifice pallium cum privilegio acceperit, ac suscepti honoris confirmationem. Cui querimoniæ ipsum Hugonem archiepiscopum jussimus respondere, qui etiam nostra in- C dulgentia Bremensem archiepiscopum Albertum in suum suscepit causidicum; quo dictante taliter objecta cœpit repellere, quod eidem Bertaldo sedem quam requirerat nec ipse abstulerit, nec antecessor suus, quia nunquam in sedem ascendisset, nunquam ibi quicquam episcopaliter egisset, pro eo quod nec clerus nec populus eum elegerit, nec ab eis receptus est, sed omni contradictione repulsus, quia magnam pecuniam ut episcopus fieret regi dedisset, et quia contra jus loci fecisset, qui semper electionem sui episcopi ipse habuisset. Se vero in eadem ecclesia, cum officio cantoris fungeretur, mortuo antecessore suo, memoravit a clero et populo electum et etiam invite abstractum, et, D cum jam in episcopatu XVIII annum duceret, nunquam se amplius quidquam calumniæ ab eodem Bertaldo perpessum in aliqua synodo, eum jam multis interfuisset, sed nec etiam aliquid super hac re verbum alicubi contra se fuisse prolatum, cum quiete pastorale officium sumpsisset, et quiete tam usque administrasset. Requisitus est autem a synodo ipse Bertaldus, si quid proposuisset evidentibus testimoniis probare potuisset, quod scilicet in sede sederit, ibique ordinationes fecerit, super hoc etiam quod electus esset a filiis Ecclesiæ, quod canones præcipiunt fieri debere. Quid plura? Consilium petiit; concessimus. Reversus quæ proposuit cum probare non posset, interrogavimus E a sancta synodo quid super hoc decerni debuisset. Itaque, pari consensu et communi consulto, prolatis sanctorum canonum sententiis, decrevit sancta synodus eumdem Bertaldum a filiis Ecclesiæ non electum, non receptum, non pro pastore habitum, sed semper repudiatum, semper repulsum, invitis dari non potuisse nec debuisse, ideoque perpetua taciturnitate ab hujusmodi querimonia debere cessare; Hugonem vero archiepiscopum, a clero et populo expetitum, electum, sedem tanto tempore tranquille possidentem, nulla unquam calumnia ab eodem Bertaldo inquietandum, perpetua pace debere eumdem episcopatum possidere, quia ille pastor

(1) T. V, p. 405.
(2) D. Richardus, *Hist. Dioc. Ves.*, I, 622.

A esset qui per ostium intrarat, qui vero aliunde fur et latro. Quam sententiam justam et canonice prolatam nostra et apostolica auctoritas roboravit, laudante dulcissimo filio nostro prænominato Augusto, cunctoque, qui aderat, clero et populo. Placuit etiam universæ synodo, nostro apostolico tutamine eumdem Hugonem archiepiscopum muniri debere, imposito nostræ auctoritatis anathemate, ne unquam deinceps liceret Bertaldo aliquam calumniam inferre tam ipsi archiepiscopo, tam etiam ejus Vesontinensi ecclesiæ; quod et fecimus proprio ore, synodo respondente: Fiat, Fiat! Quapropter dignum duximus, tam ad hujus rei memoriam futuro tempore habendam, quam ad exemplum posteris dandum, omnia, sicut præmissa sunt, scribenda esse. Quibus ita terminatis, una cum episcopali officio, etiam archiepiscopalia insignia eidem Hugoni archiepiscopo per hanc paginam concedimus et confirmamus, crucem videlicet et pallium, et quidquid antecessores ejus ab antecessoribus nostris constat promeruisse; ut qui pollet meritorum laudabili dignitate, tam in virtute, scientia, quam in morum honestate, polleat etiam ornamentorum pulchritudine, in omni archiepiscopali culminis plenitudine, semperque meminens in exteriore decore interiorem decorem procurare, ut forma facti Dominici gregis (1) exemplum boni operis de se populum Dei ad eum transmittens. Hanc vero paginam, ut omne quod legitur certius habeatur, propriæ manus subscriptione corroboravimus, et augusta manu, coepiscoporumque nostrorum qui ibi affuerant propriis subscriptionibus confirmari jussimus, ad laudem Dei et Domini nostri Jesu Christi.

Henricus, Dei gratia secundus Romanorum imperator augustus; Johannes, Portuensis episcopus; *ibi duo Romani;* Bardo, Moguntinensis archiep.; Buschardus, Alrestedensis episc.; Albertus, Pragensis episc.; Ruod., Padebrunnensis episc.; Sibico, Spirensis episc.; Hebreardus, Trevirensis archiep; Adelberus, Metensis episc.; Gebeardus, Astetensis episc.; Arnulfus, Wormatiensis episc.; Adalhero, Wiziburgensis episc.; Theodoricus, Constantiensis episc.; Herimannus de Castello Felicitatis episc.; Herimannus, Coloniensis archiep.; Benno, Trajectensis episc.; Bruno, Mindensis episc.; Albericus, Osenbrugensis episc.; Robertus, Mimigardevordensis episc.; Tetninus, Leodiensis episc.; Hugo, Crysopolitanus archiep.; Theodoricus, Basiliensis episc.; Hecseelo, Strasburgensis episc.; Henricus, Augustensis episc.; Ascelinus, Babenbergensis episc.; Stephanus, Antiquæ Urbis episc.; Ascelinus, Ildmensensis episc.; Balduinus, Salisburgensis episc.; Giheardus, Ratisponensis episc.; Nigo, Frisigiensis episc.; Udo, episc. Leuticicorum; Theodoricus, Virdunensis episc.; Hunfredus, Magdiburgensis episc.; Tancoardus, Brandeneburgensis episc.; Ebbo, Neuenburgensis episc.; Albertus, Bremensis episc.; Walo, Iburgensis Danorum episc.; Tetuinus, Concordiensis episc. de Equileia.

Datum XIV. cal. Novembris, per manum Petri, diaconi, bibliothecarii et cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno dom. Leonis papæ primo, indict. III.

(1) Forte legendum : *Ut forma facti Dominico gregi sit.*

X.

Leo IX privilegia canonicorum S. Pauli confirmat. *E schedis Droz.* (1).

1049.

Leo episcopus, servus servorum Dei, Hugoni, archiepiscopo Chrysopolitano, Wicardo decano canonicæ S. Mariæ et S. Pauli, Bisuntii positæ, ceterisque canonicis, præsentibus scilicet et futuris, perpetuam in Domino salutem. Quoties pulsamur precibus pietatis, assensum præbere debemus æquitatis; quia vero amabilissimus frater noster, vester archiepiscopus Hugo, nimietate precum suarum nos sollicitavit quatenus ipsam vestram canonicam, scilicet S. Mariæ et S. Pauli, scuto apostolicæ nostræ defensionis redB deremus munitam, et ab omnibus nocumentis illæsam, inclinati rogationibus tanti talisque fratris, dignum duximus ipsi vestræ canonicæ pro voto ejus providere. Nam, sicut experimento didicimus, ex ipsius industria ipsiusque sumptibus idem sacer locus ab imo erectus, et in tantum spatium tantaque bona dilatatus, cum primum fuerat pauperrimus et brevissimus; nefas autem videbatur tam votivum desiderium non impleri a nobis, qui semper adesse debemus desiderio pietatis. Itaque his nostræ apostolicæ munitionis litteris ipsam vestram canonicam tanta stabilimus libertate, tantaque firmamus securitate, ut in nullo eam patiamur esse lædendam, aut ab archiepiscopo loci qui pro tempore fuerit, aut C ab alia aliqua hominum persona, videlicet in illis rebus quæ ipsa vestra ecclesia, licet fuerint paucæ, habuit antequam canonica esset, atque etiam in illis rebus quæ postea additæ sunt prioribus illis ex beneficio et liberalitate prædicti fratris nostri Hugonis, archiepiscopi vestri, aliorumque omnium fidelium, simili quoque modo in his quæ illis addendæ sunt sive ab ipso, sive ab aliis, per sæcula futura : confirmamus ipsi vestræ canonicæ vestram ecclesiam in honorem Virginis matris, gentiumque doctoris et egregii martyris Antidii, ibidem requiescentis, cum omnibus appenditiis quæ habuit ab antiquo, et tertiam partem de theloneo civitatis, quod exigitur a negotiatoribus in annuis et quotidianis D mercatis; concedimus vobis medietatem ecclesiæ Luniensis et altare totum et capellarum omnia altaria, et de decimis quantum designabunt sequentia : scilicet, apud villare S. Lazari, medietatem decimarum et altare totum (2); apud Rengavillam, medietatem decimarum et altare totum; apud Salinas, caldarias duas quas idem archiepiscopus acquisivit denariis * suis. Et hoc statuimus nostra apostolica auctoritate, ut non liceat archiepiscopo loci ipsius, vel præsenti, vel de cetero perenniter emersuris, mutare ibidem ordinem canonicorum, aut abbatem, vel præpositum constituere, qui fratribus præsit, sed decanum tantum ipsi fratres inter se et de suis eligant, qui noverit magis prodesse ad communem utilitatem quam præesse ad propriam dignitaE tem. Sic etiam et ipsi archiepiscopo licentiam denegamus illic aliquid obesse, sed tantum prodesse. Insuper jubemus, si quæ forte res, eidem canonicæ debita, a quoquam credatur litigiosa, eam pervadere non liceat quam judicialiter negotii ipsius determinatio sit exacta : statuentes apostolica censura ne ulla deinceps hominum persona, sive fuerit imperator, sive rex, aut forte archiepiscopus, aut dux, aut comes, aut vicecomes, aut cujuslibet officii vir sæcularis, vel

* *al.* pecuniis.

(1) T. VII. Quædam emendavimus e cod. Max. Par. Bibl. qui sic notatur P. B. F. 89.
(2) In alio exemplari legitur : Apud *Ossens*, quartam partem decimarum et altare totum.

ecclesiasticus, necnon generaliter omnis homo, contra hoc nostræ apostolicæ defensionis præceptum temerariis ausibus venire pertentet, at semper illibatum maneat in omnibus quæ præmissa sunt, et specialiter in rebus ipsis quæ modo possidet ipsa canonica, prout designata sunt supra, et in perpetuum possessura est. Quod si forte, quod non credimus, quisquam prædictarum personarum aut aliquorum hominum adversus hanc nostram vestræ canonicæ defensatricem paginam occurrere ausus fuerit, eamque in quavis parte confringere, lancea nostri anathematis apostolici sit ita percussus et perfractus, ut in morte animæ jacens ad vitam nunquam surgere mereatur, nisi prius quod male commisit ipsi canonicæ digna satisfactione corrigatur: qui vero servare voluerit hanc præceptionem nostri muniminis immutilatam, nostram perenniter habeat benedictionem cumulatam, quia curavit hoc apostolicæ confirmationis et defensionis præceptum omnibus modis servare illæsum. Datum XVI cal. Decembris, per manus Petri, diaconi, bibliothecarii et cancellarii sanctæ sedis, anno domini Leonis IX primo, ind. III.

XI.

E rec. edit. (1).

Leo IX possessiones ecclesiæ Bisuntinæ confirmat.

1049. Leo episcopus, servus servorum Dei, Hugoni archiepiscopo suo dilectissimo ejusque successoribus perpetuam in Domino J. C. salutem. Convenit apostolico moderamini pia poscentibus religione assensum pietatis præbere. Unde quoniam nos divina clementia, nullo merito præcedente, ad apostolicæ dignitatis culmen dignata est elevare, sanctarum ecclesiarum curam relevare oportet, quarum omnium nos sollicitudo urget, earumque rectoribus nostri muniminis impertiri præsidium. Quapropter dignum duximus, dulcissime fili, pro voto præbere assensum tuæ petitioni. Audivimus Chrysopolitanam ecclesiam, ante tuum adventum, multis ac diversis calamitatibus oppressam, tum præteritorum Pontificum incuriositate, tum diversarum potestatum avida manu prævalente, quarum rabies in sanctam ecclesiam adeo exarsit, quod pene omne jus ab urbe sibi usurpavit. Comperto vero quod tua industria ab ipsis hiantium faucibus est erepta, grates Deo et Domino nostro referimus, necnon persolvimus, atque ob hoc assentimus tuæ petitioni tam honestæ quam utili. Confirmamus igitur tibi tuisque successoribus, nostra apostolica auctoritate, totius urbis potestatem sub tuo jure, tam interius quam exterius, tam in publicis quam in privatis causis, tam in civilibus quam in forensibus, statuentes apostolica censura ut nullus imperator, seu rex, aut comes, aut aliqua potestas, magna vel parva, vel aliquis, in eadem urbe habeat, quemadmodum nostræ præceptionis pagina confirmat, videlicet (abbatiam) S. Mariæ et S. Pauli, quam ipse canonicorum ordine sublimasti, quamque corroboravimus auctoritate privilegii nostri, abbatiam S. Petri in urbe cum omnibus pertinentiis suis, abbatiam S. Martini de Berzeliis, quæ alio nomine vocatur *Dorcatonge* cœnobium, cum omnibus appenditiis, abbatiam S. Mauricii, cum omnibus pertinentiis, ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ, cum omnibus pertinentiis suis. Teloneum vero civitatis tibi confirmamus tuisque successoribus, eo videlicet tenore ut tertiam partem, quam contulisti canonicis S. Mariæ et S. Pauli, ad communem utilitatem, pro remedio animæ tuæ, habeant inconvulsam omni tempore. Monetam vero tibi similiter corroboramus, atque tertiam partem a te datam S. Joannis Evangelistæ canonicis in perpetuum laudamus: abbatiam de Colomonasterio, cum omnibus pertinentiis, et ipsam cortem cum omnibus pertinentiis, vineis; villam *Folcherans*, cum servis, ancillis, et villas duas *Atlalans* et *Opens*, cum servis, ancillis, etc., etc.; cortem de Judico, etc.; cortem de Metenaco, cum omnibus pertinentiis, etc.; ecclesiam ejusdem loci in qua requiescit S. Claudius, cum omnibus decimis. Hanc cortem injuste tenentes quondam Geoffridum nec non Leutbaldum, complices, quemque eorum in Remensi synodo excommunicavimus, et ut a modo cessent nostrum anathema supponimus. Hæc et cætera, quæ jure tua debet ecclesia possidere et quæ in futuro poterit acquirere, per hanc nostræ præceptionis paginam tibi tuisque successoribus confirmamus et corroboramus, præcipientes, etc., etc. Datum XIII cal. Decembris, per manus Petri, diaconi, bibliothecarii et cancellarii S. Apostolicæ sedis, anno Leonis papæ primo, ind. III.

(1) Comm. et Doc. ad Sequan. spect., t. II, p. 307.

XII.

E schedi. Droz. (1).

Charta fundationem S. Vincentii referens.

1092. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Universarum creaturarum creator Deus humano generi, a cœlestibus lapso per primi parentis inobedientiam, paterna misericordia vias restituit quibus ad illud unde deviarat redire posset, et ad ineffabilis et incircumscriptæ beatitudinis gloriam. Instituit ergo pater piissimus gratiam et meritum ad lapsi hominis reparationem, ut quibus mereri non liceret sola sufficeret gratia ad æternæ beatitudinis et immortalitatis retributionem; omnesque fideles per bonorum exercitia operum incessanter debent laborare, quatenus ad propagandam Domini vineam insudantes, promissi lucrum denarii mereantur recipere. Ad gratiam itaque Dei, ad meorum remissionem peccatorum, ego tertius Hugo, Bisuntinæ sedis indignus archiepiscopus, in ecclesia sacratissimi martyris Vincentii, quæ infra eamdem urbem habetur, Achardum, venerabilis vitæ virum, primum abbatem constituo, benignissima illud adimplens affectione, ad quod antecessor meus bonæ memoriæ, secundus Hugo archiepiscopus, omni aspiraverat studio. Cum enim, post ipsius ædificationem ecclesiæ, monachos in ea constituisset, morte præventus adimplere non potuit ut eis abbatem superposuisset: primum ergo abbatem in ecclesia prædicta constituens, de bonis S. Joannis Evangelistæ et B. protomartyris Stephani, scilicet de dominicatis, nos ecclesiæ illi concedimus, credentes non alienari a matre quod adoptivæ, quod suæ speciali filiæ impartimus; non ignorantes etiam caput tanto sanius tantoque robustius firmari, quanto membra potentialius consistentia nullius egestatis, nullius adversitatis, conspicimus importunitate gravari. Habeat itaque ipsa abbatia apud successores nostros et apud nos hujus dignitatis privilegium, quod nullus in ea habitans per ministros civitatis in causam trahatur propter cujuslibet offensionis injuriam; sed abbas vel prior, si eis proclamatio facta fuerit, proclamantibus faciant justitiam; si autem abbas vel prior

(1) T. VI, p. 1.

distulerit justitiam facere, in potestate ministrorum civitatis sit capitale et legem accipere. Ut igitur præfata ecclesia matri vicinius adhæreat, ipsius honorem et dignitatem in ecclesia S. Joannis Evangelistæ et B. protomartyris Stephani specialiter assumentes, suam suorumque successorum personas inter canonicos S. Joannis dignitate et numero esse censemus atque concedimus. Præterea auctoritate apostolica atque pontificali prohibemus et interdicimus, ne præfata S. Vincentii Bisuntini ecclesia ab abbatiæ dignitate in prioratum, vel alterius ecclesiæ subjectionem cadat (1); sed ecclesiæ abbas S. Vincentii in synodo et aliis ad officium nostrum pertinentibus, in ecclesia Bisuntina S. Joannis Evangelistæ et protomartyris Stephani, vicarius noster existat, et immediate præ omnibus aliis abbatibus post Bisuntinum pontificem primum locum obtineat. Concedimus ei præterea, quo tempore bannus archiepiscopi venditur, in proprio cellario proprium vendere, et ementes illud, si ibidem bibant, sive alias deportent, impune abire, et nulli ei imputari injuriæ. Habeat insuper altare de *Hembres*, cum appenditiis suis, et in vinnis capellam S. Columbæ, cum appenditiis suis. Habeat etiam in comitatu Portensi altare de Villari, et capellam de Altaysira cum appenditiis, et in eadem villa mansum Harberti. Concedimus ei præterea altare de *Voray*, cum appenditiis suis; capellam etiam de Castiniaco, cum appenditiis; capellam de *Vas*, cum appenditiis suis. Si quis etiam de casatis nostris de casamento nostro rationabiliter voluerit impartiri eidem, tum apud nos et successores nostros impartiri habeat potestatem. Unde ergo ego Hugo, Dei gratia potestatem ligandi et solvendi habens, gladio pontificali interdico ne ego, nec quilibet mihi succedens, manum mittere ad hoc infringendum vel impugnandum audeat donum : si vero aliqua persona, diabolica instigatione præventa, hoc destruere vel abolere voluerit, cum Dathane ejusque complicibus perpetuo torqueatur incendio. Ut autem hæc donatio in futurum firmior existat, manu propria firmari, et sigilli mei impressione signari, et inferius nostro devotissimo clero de scripto corroborandam contuli. S. Maynerii, decani S. Joannis; S. Hugonis, decani S. Stephani; S. Gerardi, decani S. Pauli; S. Manegoldi, decani S. Mariæ Magdalenæ; S. Guilenchi archidiaconi; S. Bernardi magistri; S. Stephani cantoris. Acta v cal. Novembris, anno quarto ordinationis domni tertii Hugonis, Chrysopolitani archiepiscopi, regnante Henrico III (2) Romanorum imperatore augusto, anno ab Incarnat. Dom. 1092, indict. xv.

XIII.

E schedis Baluz. (3). *Litteræ Hugonis archipræsulis de datis ecclesiæ S. Stephani et S. Joannis a nobili matrona Raymode.*

1097. GRATIA et pax a Deo Patre et Spiritu Sancto omnibus in Christi fide manentibus. Cum rerum temporalium necessitatibus homines alius alio plus soleant incumbere, ut alter ambitiose quidem adquirat, adquisitis congaudeat, imo, quod pejus est, indigentibus nihil tribuat, alius vero solum hoc de adeptis pertimescit ne infructuosus ante Deum appareat, propterea jo-

A cundus miseretur et commodat, dubium non est istum, quia quærit quæ sua sunt et non quæ Jesu Christi, eo ipso quod non dat conquisita perdere, illum autem, quoniam dispersit et dedit pauperibus, sparsa in terris in cœlis recolligere; talium igitur dissimili operatione, necessarium est succurrere, succurrendo consulere, quatenus, relicta tenacitate, qui nolunt largiri largiantur ut crescant, qui autem in benedictionibus seminant large seminent ut largius metant, juxta quod scriptum est : *Alii dividunt propria, et ditiores fiunt;* sicque hi, mutato in bonum malo, meritum quod non habent inveniant, illi quoque de bono proposito sortem æternæ hæreditatis recipiant. Unde, quoniam

B memoria dignum est, ego Hugo tertius, Bisontinus archiepiscopus, bonum, quod ecclesiæ, cui, Deo auctore, præsideo, Deus ante sæcula donare disposuit, tempore meæ dispensationis impletum, litterarum notitiæ mandare curavi, ne per succedentium spatia temporum, oblivione intercidente, fructum mei laboris viderer amittere, si hoc sine memoria apud posteros contingeret reliquisse. Erat enim vidua femina, nobilis genere, non inferior actione, Raymodis nomine, de castro *Mooleyr*, quæ cum se filiis orbatam conspiceret, scilicet Anseesio et Hugone, tacta intrinsecus dolore cordis, filios carnis quos in sæculo perdiderat Deo per spiritum generare cupiens, ob remedium patris

C sui Raynerii, ex cujus parte hæreditas sibi provenerat, et Humberti mariti sui, filiorumque suorum, et propter suam salutem, reddidit et dedit ecclesiæ S. Stephani et S. Joannis et mihi totum illud beneficium quod ei et filiis suis jure parentum exciderat, et ab ipsa ecclesia et de me in casamentum tenebat, præter duo casalia quæ sunt juxta ecclesiam S. Mauricii, in urbe sitam, et excepto feodo Pontii de *Arguel;* eo videlicet tenore ut uni hæredum suorum, S. Stephani et S. Joannis facto canonico, duo illa memorata casamenta, et quidquid illa videbatur habere de feodo meo in villa Tisia, habendum et possidendum in vita sua concederem; mortuo vero eo, ad ecclesiam cujus juris erant, scilicet S. Stephani, in præbendas fra-

D trum deputata cum omni integritate redirent. Quod et factum est. Habuit enim una die et conventio terminum et ecclesia S. Stephani Guichardum, hæredem suum, factum canonicum, et supra altare S. Stephani ab eadem femina solenniter recepit donum. Si quis autem contra hujus tam saluberrimæ redditionis, vel donationis, paginam temerarius ire tentaverit, vinculo nostri anathematis obligatus tandiu postea se noverit subjacere, quandiu ad veniam et ad satisfactionem ecclesiæ ejusque rectoris se dissimulaverit sublevare. Denique bono ad ecclesiam cujus erat revocato, saniori consilio pertractando, confirmamus ei quod recepit habendum, tenendum, in perpetuum possiden-

E dum; confirmantes interdicimus, interdicentes, auctoritate Dei et B. Petri, Apostolorum principis, et nostra, in vicem ejus nobis collata, excommunicamus, ut nullus successorum meorum de his cuiquam audeat dare in beneficium, nulli unquam hæredum, nulli prorsus prohæredum vendere, dare, præstare, commutare aliquo modo, sub aliqua specie, præsumat, sciens sibi thesaurisare iram in die justi judicii, si quod oblatum est patri, vel matri, id est ecclesiæ, abstulerit, qui secundum canones reus (est) excommunicationis et sacrilegii. Ut autem hujus redditionis, vel donationis, auctoritas inconcussa et inviolabilis permaneat, sigilli nostri

(1) In editione Chiffletii post *cadat* legitur : « Sed Bisuntino tantum pontifici, ab aliis libera, subjaceat; ejusdem ecclesiæ abbas, etc., etc. »
(2) Lege *Henrico IV*.
(3) Arm. 5, fasc. 3, n. 6, T. II.

impressione jussimus insigniri et virorum probabilium attestatione fulciri. Signum domni Mayncrii, S. Joannis decani; S. Constantini, Palmensis canonici; S. domni Humberti, decani de *Amos*, et præpositi prædicti casamenti, et presbyteri ecclesiæ S. Mauricii, ad idem beneficium pertinentis: testes laici, Guido de *Agellun*, Ogdilo *Brothes*, Stephanus de *Vaytes*, Ogdilo de *Chazl*, Albricus. Signum domni archiepiscopi Hugonis tertii.

Datum VII cal. Junii, anno Incarnat. Domin. MXCVII, indict. V, Urbano papante, Henrico, Magni Henrici filio, feliciter imperante. Actum publice apud S. Vitum, in Dei nomine.

XIV.

E Collect. Perardi.

Hugo, archiepiscopus Lugdunensis, solvit litem inter monachos Divionenses et Bisuntinos canonicos, de Salinariis ecclesiis.

1106. HUGO, Dei gratia Lugdunensis archiepiscopus, sanctæ apostolicæ sedis legatus, omnibus fidelibus notum esse volumus, quod, tempore domni Paschalis II papæ, et præcepto ipsius, Bisuntinos clericos, et abbatem Divionensem Jarentonem, ad diffiniendam controversiam, quæ inter eos erat de ecclesia S. Mariæ Salinensi, Lugdunum convenire fecimus. Quorum actionibus et responsis auditis, visum est nobis, et qui nobiscum erant venerabilibus episcopis, Hugoni scilicet Gratianopolitano, Ismioni Diensi, et Roberto Lingonensi, ut amicabili pacto potius quam judiciali sententia eorum litem finiremus. Convenit igitur inter eos, ut monachi Divionenses omnes querelas quas adversus clericos Bisuntinos, aut scripto aut sine scripto, in Salinensibus ecclesiis habere videbantur, per manum nostram illis clericis omnino vuirpirent et dimitterent, et ecclesiæ quidem Bisuntinæ clerici omnes ecclesias Salinenses, sine omni Divionensis ecclesiæ querela, jure perpetuo possiderent; clerici vero Divionensibus monachis concederent, quatinus in terra Divionensis ecclesiæ, in aliquo convenienti loco, capellam septem statuarum in longitudine, excepta absida, ad unum tantum altare competente, et quatuor in latitudine, in Salinis ædificari liceat: cœmeterium autem ex omni parte circa ipsam capellam, septem statuarum similiter, ad sepeliendum tantum monachos; alias vero personas ibi non sepeliant: parochianos autem Salinenses nec vivos nec mortuos suscipiant: quod si aliquis parochianorum Salinensium, in ægritudinis lecto positus, monachus pro metu mortis effici voluerit, non nisi presbytero cujus parochianus est annuente, eum suscipiant. Concesserunt etiam clerici ipsis monachis decimam unius tantum vineæ ejus, quam ex his quas eo tempore in dominicatu tenebant usque ad proximam Pentecosten potissimum elegerint, et clericis notum fecerint. Promisit autem abbas et monachi sui, per manum nostram, quod tam in his quam in aliis quæ ad Bisuntinam diœcesim pertinent, ecclesiæ Bisuntinæ, salvo ordine suo, obediant, et canonicos bannos, atque excommunicationes archiepiscopi et ministrorum ejus, diligenter observent. Statuimus igitur et apostolica auctoritate firmamus, ut diffinitio ista utrimque inconcussa servetur. Si quis vero hujus nostræ diffinitionis scienter temerator exstiterit, nisi infra quadraginta dies post commonitionem resipuerit, et ei cui injuriam intulerit amicabili compositione aut judicio competenti satisfecerit, læsæ apostolicæ majestatis reus habeatur. Actum Lugduni, publice, anno Incarnationis Dominicæ

A M. C. VI, pridie cal. Aprilis, Sabbato in Albis. Hujus vero diffinitionis testes sunt isti: S. Hugonis Gratianopolitani episcopi; S. Ismionis Diensis episcopi; S. Roberti Lingonensis episcopi; S. Rostanni Lugdunensis archidiaconi; S. Theotardi Lugdunensis camerarii; S. Joceranni Lugdunensis cantoris: S. Godonis canonici et archipresbyteri; S. Mainerii, decani Bisuntini; S. Hugonis, decani S. Stephani; S. Guillelmi archidiaconi; S. Stephani cantoris; S. Hugonis archid.; S. Jarentonis abbatis; S. Joffredi prioris; S. Hugonis monachi; S. alterius Hugonis *de Bers* monachi; S. Odonis, monachi; S. Evrardi monachi.

B

XV.

E schedis Droz. (1).

Guillelmus archipræsul B. Mariæ Magdalenæ possessiones confirmat.

WILLERMUS, sanctæ Chrysopolitanæ ecclesiæ servus, universis fidei catholicæ cultoribus. 1110. Pontificalis officii cura compellimur justa poscentibus aurem benignivolam commodare, ut petentes assensum pietatis sese gaudeant impetrare, et nos exhibitæ caritatis compensationem ab omnium auctore valeamus confidentius exspectare. Sciat itaque tam futurorum quam præsentium universitas, quod, anno primo nostri pontificatus, rogati precibus canonicorum
C B. Mariæ Magdalenæ famulantium, donavimus illis atque ecclesiæ suæ perpetualiter possidendum altare de *Mernay*, cum omnibus appenditiis suis, altare etiam de Curto Capone, cum suis appenditiis, præter synodales eulogias et justitias, ad nos, sive ministros nostros, pertinentes. Concedimus quoque præfatæ ecclesiæ terram quam dedit ei Joannes, cognomento Miles, in campo Martis, juxta puteum domini Dudini. Laudamus item eidem ecclesiæ, in domo Petri de Oisma, menaydas et quatuor solidos in Maio, quos dedit ipsi ecclesiæ Stephanus, suus canonicus; mansum etiam quem dedit alius canonicus, Hugo scilicet de *Delu*. Confirmamus etiam antedictæ ecclesiæ altaria de *Boissières*, de *Sayens* et de *Haeur*, cum appenditiis suis, quæ
D contulit ei felicis memoriæ archiepiscopus Hugo tertius: altare etiam de Dimidia, quod dedit alius archiepiscopus Hugo secundus, cum omnibus appenditiis suis, silvis, pratis, mansis, in quibus ministri comitis nullam prorsus habent consuetudinem; quod probatum est jurejurando atque judicio in conspectu Guillelmi consulis, patris archiepiscopi Hugonis. Hæc igitur nostra, seu antecessorum nostrorum dona, sæpe dictæ ecclesiæ B. Magdalenæ perpetue possidenda concedimus, et præsenti pagina sigilli nostri impressione firmamus signata. Si quis autem infringere hæc, vel ecclesiæ cui collata sunt auferre tentaverit, auctoritate nostri officii eum excommunicamus, quamdiu ad satisfactionem venire distulerit. Da-
E tum XIII cal. Martii, anno ab Incarnat. Dom. MCIX, pontificatus domini Guillelmi primo. Ego Bonifilius recognovi.

XVI.

Ex eisdem (2).

Guillelmus archipræsul altare Viucellæ tradit ecclesiæ S. Joannis.

Circa 1111. NOTUM sit omnibus præsentibus et futuris fidelibus, quod ego Guillelmus, Bisuntinus ar-

(1) T. XV, p. 285.
(2) T. V.

chiepiscopus, pro remedio animæ meæ et pro anniversario meo, ecclesiæ Bisuntinæ S. Joannis evangelistæ contuleram, contuli etiam eidem ecclesiæ altare de Vincella, in territorio Scodinga. Hoc autem altare possederat prius Guido, presbyter, de manu Hugonis archiepiscopi qui dictus est Salinensis; sed ipse Guido illud in manus nostras per pastoralem baculum reddidit, et nos, per manus Maynerii decani et multarum aliarum personarum quæ interfuerunt, prædictæ ecclesiæ S. Joannis canonice illud tradidimus. Et huic traditioni et concessioni interfuerunt Maynerius decanus, Manasses archidiaconus, Hugo archidiaconus, Brochardus archid., Constantius archid., Stephanus thesaurarius, mag. Bernardus, Dudimus succentor, Albertus canonicus, Hugonellus canon., et fere omnes alii tunc temporis ejusdem loci canonici.

XVII.

E Rer. Gall. Script. (1). *Litteræ Paschalis papæ, privilegium maternitatis S. Stephano asserentes.*

1116. PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, dilectis fratribus et filiis suffraganeis, clero et populo Bisuntinæ ecclesiæ, salutem et apostolicam benedictionem. Inter S. Stephani et S. Joannis canonicos de cathedra episcopali quanta et quam diuturna concertatio fuerit plenius vos audisse ac certius scire credimus. Canonici siquidem S. Stephani Romanorum se pontificum privilegiis, seu regum scriptis tuebantur, asserentes pro ecclesiæ suæ destructione episcopos illinc discessisse; unde contigerit ut apud S. Joannis ecclesiam episcopalis officii sacramenta celebrarentur. Contra B. Joannis canonici annis pluribus, præter quæstionem aliquam, penes se cathedram episcopalem mansisse, et ecclesiam suam matricem esse clamabant. Ad hæc B. Stephani fratres allegabant, frequenter super hoc prædecessores suos, vel apud apostolicæ sedis vicarium, vel apud Bisuntinos episcopos, reclamasse. Post longa igitur disceptationis certamina, communi fratrum nostrorum episcoporum qui tunc synodali vocatione convenerant, seu cardinalium, judicio deliberatum est, ut si B. Stephani canonici idoneis testibus probare possent, quod, post redintegrationem ecclesiæ suæ, infra annos triginta, super querela hac quæstionem fecerint, per quam illorum videretur interrupta prætentio, videlicet vel ante antistitem suum, vel ante legatum nostrum, in communi audientia hac probatione peracta, privilegia eorum robur perpetuum obtinerent, et episcopalis sedes in posterum apud B. Stephani ecclesiam haberetur: alioquin, canonici B. Johannis ab hac querela liberi manerent, et episcopalem sedem, sicut tenuerunt, tenerent. Quatuor igitur ejusdem ecclesiæ clerici, videlicet Petrus et Hugo presbyteri cardinales, Bonifilius succentor, et Guarinus presbyter, et Alcfridus archipresbyter de Sancto Gorgonio, producti coram clericis S. Johannis ad testimonium asserendum, et mox episcopali examinandi judicio, et idonei inventi, hujusmodi testimonium in conspectu nostro, tactis sacrosanctis Evangeliis, præbuerunt : *Vidi et audivi quod Hugo, decanus S. Stephani, et Hugo de Palma, et Ebrardus, canonici S. Stephani, adversus canonicos S. Joannis Mainerium decanum, Bernardum magistrum, et Stephanum cantorem, quæstionem fecerunt de sede episcopali ante Hugonem tertium, Bisuntinum archiepiscopum, fratrem Guidonis, Viennensis archiepiscopi, in claustro S. Joannis, infra triginta annos post redintegrationem ecclesiæ S. Stephani.* Hac demum redintegratione suscepta, communi fratrum nostrorum episcoporum, qui tunc plurimi synodali vocatione convenerant, et cardinalium judicio, privilegia S. Stephani robur perpetuum obtinere decrevimus, et episcopalem primam sedem in posterum apud eamdem B. Stephani ecclesiam permanere, et universa episcopalis ministerii officia quæ apud matrices solent ecclesias fieri, ibi celebranda sancimus; et quæ sane scripta præteritis temporibus ante hujus discussionis certitudinem, aut a nobis elicita, aut a vicariis nostris minus providenter excussa sunt, nullum deinceps momentum, nullas vires obtinere censemus. Hæc autem, sicut apud nos præsenti judicio deliberata et decreti præsentis litteris confirmata sunt, ita in perpetuum integra et illibata servari apostolica auctoritate præcipimus. Si quis igitur, decreti hujus tenore cognito, temere (quod absit!) contraire tentaverit, honoris et officii sui periculum patiatur; aut excommunicationis ultione plectetur, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit.

Ego Paschalis, catholicæ ecclesiæ episc., hoc judicium ratum habens subscripsi. Ego Crescentius, Sabinensis episcopus, subscripsi. Ego Petrus, Portuensis episcopus, subscripsi. Ego Cono, Prænestinus episcopus, subscripsi. Ego, Anastasius, card. presb. titulo S. Clementis, interfui et subscripsi. Ego Diviso, cardinalis tit. S. Equitii, subscripsi. Ego Boso, titulo S. Anastasiæ presbyter, subscripsi. Ego, Vasatensis episcopus, Beltrannus subscripsi. Ego Arnaldus, Burdigalensis archiepiscopus, subscripsi. Ego, Portugalensis episcopus, Hugo subscripsi. Ego Joannes, Briocensis episcopus, subscripsi. Ego Baldricus, Dolensis archiepiscopus, subscripsi. Ego Leo, diac. cardin. ecclesiæ S. Viti, subscripsi. Ego Romoaldus, diac. cardin. S. Mariæ, subscripsi. Ego Aldo, diac. cardin. venerabilis diaconii SS. Sergii et Bacchi, subscripsi. Ego Petrus, diaconus card. ecclesiæ SS. Cosmæ et Damiani, subscripsi. Ego Joannes, diac. card. S. Luciæ, subscripsi.

Datum Laterani, per manum Joannis, S. R. E. diaconi card. ac biblioth., IX cal. Aprilis, ind. IX, Incarnat. Dom. anno MCXVI, pontificatus autem domini Paschalis II papæ anno septimo decimo.

XVIII.

Litem de ecclesia Dolensi inter Balmenses monachos et canonicos B. Mariæ Magdalenæ Ansericus solvit. E schedis Droz (1).

1130. ANSERICUS, Dei gratia Chrysopolitanus archiepiscopus, omnibus fidelibus notum facere volumus, quod, ad definiendam inter Bisuntinos S. Mariæ Magdalenæ canonicos et Balmenses monachos controversiam diutinam, de ecclesia videlicet de Dola, quam canonici infra terminos suæ parochiæ, seu ecclesiæ de *Asans* querebantur ædificatam, et ob hoc consecrari vetabant, utramque partem ante præsentiam nostram convenire fecimus. Consumptis autem diversis inter se ratiociniis hinc inde propositis, convenit inter eos tandem atque complacuit ut amicabili potius compositione quam judiciali calculo lis ea terminaretur; ita scilicet ut, omni penitus inter eos finita querela, ecclesiam ipsam canonici consecrari concederent, et cœmeterium, in quo eis monachi unum casale ad faciendam

(1) T. XV, p. 59.

(1) T. XV, p. 476.

competentem domum concederent, ad æstimationem quatuor aut quinque ejusdem villæ proborum hominum, in quo cœmeterio monachi quoscumque vellent libere sepelirent, ita ut quidquid pro defunctis totius ejusdem villæ parochianis, seu pro advenis quibuslibet, aut peregrinis Dolæ defunctis, accideret, canonicis et monachis commune esset, et per medium divideretur, excepta terra et ornamentis ecclesiasticis jam factis: quæ quoties accesserint in usus cedent ecclesiæ: similiter oblationes pro ipsis defunctis, a die obitus usque ad primum anniversarium, communes sint. Si quis vero de parochianis ipsis in sanitate sua monachus factus fuerit, quidquid ecclesiæ dederit ejus erit. Quod si in ægritudine conversus obierit, quidquid dederit idem commune sit. Si convaluerit, quod commune fuerat proprium fiat monachorum. Alios extra Dolam canonicorum parochianos communi canonum lege monachi suscipiant, et quidquid ecclesiæ contulerint tanquam de alienis habeant. Pastus pro defunctis, sicut solet, sit presbyterorum; decimæ de terra S. Mariæ et S. Petri monachorum sint, ut solebant: de terra S. Martini et S. Germani reliquæ sint communes: duæ oblationes annuæ, scilicet IV non. Novembris et VII Januarii communes: oblationes confitentium, quas vulgo confessiones vocant, post discessum Richardi, communes. Cætera omnia ejusdem ecclesiæ oblata propria sint, sicut et in suis ecclesiis, canonicorum. Capellanum in ecclesia Balmensis abbas instituet; sed qui canonicis fidelitatem juraverit, et per eos, sicut et per abbatem, de manu archiepiscopi curam suscipiet animarum. Statuimus igitur atque pontificali auctoritate firmamus, ut definitio ista utrinque inconcussa servetur: cujus si quis, quod absit, scienter temerator exstiterit, nisi intra quadraginta dies per commonitionem resipuerit, excommunicationi subjacere noverit. Actum Bisuntii, publice, III id. Junii, coram subscriptis testibus: D. Guillelmus de *Arguel* testis, Petrus decanus S. Stephani testis, et decanus Stephanus S. Mariæ testis, Brochardus archidiaconus testis, Hugo thesaurarius testis, Albertus testis, Albericus testis, monachi, Albericus abbas et Hugo de *Montmoroth* prior Balmensis, Petrus testis, Gerardus testis. Ego Bonifilius, succentor S. Stephani, vice Petri cancellarii, recognovi, anno Dom. Inc. MCXX, ind. III (1), pontificatus autem Anserici anno tertio.

XIX.

E Rer. Gall. Script. (2). *Decretum Calixti II privilegium maternitatis ecclesiæ S. Joannis restituens.*

1122. CALIXTUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Anserico, Manasse decano, Stephano archidiacono, Stephano thesaurario, Hugoni archidiacono, et cæteris Bisuntinæ ecclesiæ B. Joannis apostoli et Evangelistæ canonicis, salutem et apostolicam benedictionem. Decessorum statuta, sicut legitima et justa successorem convenit custodire, ita debet etiam malefacta salubri provisione corrigere. Eapropter nos surreptionem illam, quæ domino prædecessori nostro sanctæ memoriæ Pascali Papæ a clericis S. Stephani de maternitatis judicio facta est, ad veritatis justitiæ curavimus ordinem revocare. Inter vos enim et canonicos S. Stephani, super episcopali cathedra et ecclesiastica maternitate, longo jam fuerat tempore agitata discordia. Siquidem canonici S. Stephani ecclesiam suam matricem antiquitus exstitisse, sed propter ejus destructionem episcopos ad B. Joannis ecclesiam secessisse, prout poterant, allegabant. E contra vos ecclesiam vestram, per longa temporum spatia, episcopalem sedem sine interruptione legitima possedisse, scriptorum memoria et veterum virorum attestationibus firmabatis. Hæc profecto discordia cum ad prædicti domini nostri audientiam pervenisset, nostro eam commisit examini finiendam, eo quod illius vices illis in partibus gereremus: ita videlicet ut si canonici S. Stephani quinque idoneis probare testibus possent, quod post redintegrationem ecclesiæ suæ, infra annos triginta, super querela hac quæstionem fecissent, per quam illorum videretur interrupta retentio, scilicet vel ante antistitem suum, vel ante Romanæ legatum ecclesiæ, in communi audientia hac probatione perfecta, privilegia eorum jus proprium obtinerent, episcopalis sedes apud B. Stephani ecclesiam haberetur; alioquin vos a querela hac liberi maneretis, et episcopalem teneretis sedem, sicut prius tenueratis. Eamdem quoque ipsius negotii decisionem usque ad tunc proximam B. Mariæ Assumptionem idem dominus a nobis perfici consummarique præcepit.

Nos, ejus obedientes mandatis, adhibitis fratribus nostris et coepiscopis, Gaucerranno Lugdunensi, Hugone Gratianopolitano, Leodegario Vivariensi, Berardo Matisconensi, Stephano Æduensi, Gualtero Cabilonensi, Gauceranno Lingonensi, Pontione Bellicensi, Guidone Gebennensi, Gulinco Sedunensi, et Pontio abbate Cluniacensi, et decem septem abbatibus, atque aliis religiosis viris, apud Trenorcium utramque partem convenimus. Ubi, cum pars vestra justitiæ suæ allegationes ostenderet, nos probationis exsecutionem, a prædicto domino constitutam, a S. Stephani canonicis requisivimus; qui vix tandem testes aliquot, non tamen idoneos, produxerunt. Alius enim pro commisso perjurio, sive turpi nativitate, alius pro sacrilegio, alius pro pretii conductione, alius pro excommunicatione qua diu alligatus fuerat, reprobatus est. Sic præfati B. Stephani canonici, jam suæ partis causam defendere non valentes, a probatione proposita in conspectu omnium defecerunt. Tunc, in communi fratrum judicio, definitum est vestram B. Joannis ecclesiam debere maternitatis prærogativam in perpetuum obtinere. Unde nos, una cum eis, eamdem vestram ecclesiam extunc a querela illa liberam fore decrevimus, episcopalem in ea sedem permanere irrefragabiliter statuentes. Auctoritate insuper apostolica, in cujus vocati partes sollicitudinis fueramus, sub anathematis obligatione præcepimus, ut nullus eam ulterius clericus sive laicus inde inquietare, aut inquietanti favorem præsumeret ministrare.

Hac promulgata ex communi deliberatione sententia, canonici S. Stephani ad nos secretius accesserunt, ut constituendæ inter vos et illos pacis diem præfigeremus suppliciter postulantes. In quorum verbis nos nihil doli, nihil prorsus versutiæ opinantes, supplicationi eorumdem annuimus, et diem eis, uti postulaverant, constituimus. Mox ipsi a nobis, fraudis inito consilio, discedentes, unum ex fratribus suis, Petrum scilicet de Moneta, ad prædictum prædecessorem nostrum, furtim et nobis nihil omnino tale opinantibus, direxerunt. Is postquam curiæ se præsentavit, multa ferens et non-

(1) Lege XIII.
(2) T. XV, p. 242.

nulla confingens mendacia, inter cætera suggerere domino ausus est, nos de prædicto negotio nihil fecisse, neque in ejus executionem obedire mandato sedis apostolicæ voluisse. In hæc figmenta discedens et rursus ad curiam rediens, reliquos secum deceptores adduxit; congregatisque eis, discussio quasi a principio facta est.

Novissime quædam personarum, quæ tam celebri, ut prædictum est, judicio reprobatæ fuerant, imo et aliæ nequaquam idoneæ, ad præfatam probationem admissæ sunt. Duo ex clericis nostris, quos pro jam dicti confirmatione judicii miseramus, advenerant; sed cum omnia quæ acta fuerant diligenter exposuerent, proficere nullatenus potuerunt. Canonici quippe S. Stephani ita jam curiam totam figmentorum suorum fallaciis et assentationum blandimentis asperserant, ut, aliis nullum in ea locum habentibus, ipsi scriptum maternitatis acceperint. Post aliquantum temporis, illorum fraudem idem dominus et recognovisse asseritur, et super ea vehementius doluisse. Unde etiam tibi, carissime frater, archiepiscope Anserice, per sui auctoritatem scripti, liberam contulit facultatem episcopalia in qua velles ecclesia peragendi. Postea vero quam nos in apostolicæ sedis administrationem divina fuimus gratia constituti, vos aures nostras super eadem querimonia iterum atque iterum propulsatis. Nos autem supradictam deceptionem necnon et causam omnem plenius cognoscentes, utpote qui ab ipso pueritiæ nostræ in illis educati partibus fuimus, et nostris totius rei veritatem oculis vidimus, utramque partem ad nostram secundo præsentiam convocavimus. Vos, ut mandatum fuerat, convenistis: sed illi se, nullis præmissis excusationibus, subtraxerunt. Tertia tandem vocatione terminum tam eis quam vobis in B. Lucæ festivitate præfiximus; sed in parte altera etiam hac vice contempti sumus. Cum enim vos præsentes fueritis, et per quindecim dies in curia permanentes terminum transieritis, illi nec venerunt, nec responsales aliquos transmiserunt. Quamobrem fratribus nostris episcopis et cardinalibus, necnon et archiepiscopis, episcopis et abbatibus, qui nobiscum aderant, visum est B. Stephani canonicos diffugium petiisse, ne coram nobis negotium tractaretur, qui et ipsorum dolositatem et justitiæ vestræ puritatem certissime sciebamus. Ex communi ergo eorumdem fratrum nostrorum consilio, illud maternitatis scriptum, quod per tantæ fraudis versutiam sæpedicto domino nostro surreptum est, apostolica auctoritate cassamus, statuentes ut nullum robur, nullam in posterum vim prorsus obtineat; sed, in tota Bisuntinæ civitatis parochia, sola B. Joannis ecclesia omnem episcopalis sedis et matricis ecclesiæ possideat futuris temporibus dignitatem, quam priscis cognoscitur temporibus possedisse. Porro consuetudines omnes quas ecclesia S. Stephani, a tempore Hugonis Salinensis, bonæ memoriæ, Bisuntini archiepiscopi, usque ad tempora fratris nostri Hugonis, qui in Jerosolymitana peregrinatione defunctus est, tam in spiritualibus quam in temporalibus ecclesiæ vestræ persolvit, quiete vobis deinceps, et eidem vestræ ecclesiæ persolvantur. Ad hæc absolutionem, quam a te, carissime in Christo frater et episcope Anserice, quam et ab Humbaldo, Lugdunensi archiepiscopo, super juramento illo clericis utriusque ecclesiæ facta, et a nobis, dum adhuc in partibus ultramontanis essemus, confirmata est, præsentis quoque decreti pagina roboramus, et ratam perpetuo manere decernimus: auctoritate sedis apostolicæ statuentes et omnimodis præcipientes, ut neque vos S. Stephani canonicos, neque ipsi aut quælibet persona vos ulterius super juramento illo præsumat impetere. Si nostræ igitur sanctioni huic B. Stephani canonici audaci præsumptione contraire tentaverint, tibi, dilecte in Christo frater Anserice, Bisuntine archiepiscope, tuisque successoribus licentiam damus de personis eorum et de ipsa etiam ecclesia, cooperante Deo, donec satisfacerint, justitiam exsequendi. Si qua etiam in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam venire tentaverit, etc., etc.

Scriptum per manus Gervasii, scriniarii regionarii et notarii sacri palatii.

Datum Laterani, XIV cal. Aprilis, ind. XV, Incarn. Domin. anno MCXXII, pontificatus autem domini Calixti II papæ anno quarto.

Ego Calixtus, catholicæ ecclesiæ episcopus, subscripsi.

XX.

Henricus V imperator privilegia Luxoviensium confirmat. *E Monast. Bened.* (1).

1123.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus, divina favente clementia quartus Romanorum imperator augustus. Imperialem celsitudinem nostram decet prædecessorum nostrorum pia exempla sectari, et ecclesias Deo dicatas ab incursu et infestatione malignantium diligenti cura defensare, eisque a bonis ac religiosis viris collata bona retinere et conservare. Hac igitur ratione et discretione utiliter inspecta, jura, auctoritates, privilegia, libertatem a sanctæ Romanæ sedis Pontificibus, sive ab antecessoribus nostris, regibus vel imperatoribus, sanctæ Luxoviensi ecclesiæ concessam et contraditam, confirmamus, corroboramus et auctorisamus; insuper, imperiali auctoritate nostra, per omnem ejusdem ecclesiæ abbatiam, tessariam omnimodis fieri prohibemus et interdicimus. Hoc autem, principum nostrorum consilio, fidelium nostrorum petitione, specialiter autem pro remedio animæ nostræ benigne fecimus, quia vir venerabilis Hugo, noster consanguineus, atque ejusdem ecclesiæ abbas, privilegia imperatorum, Lotharii scilicet ac Ludovici, nostræ majestati præsentavit, in quibus continebatur qualiter Pippinus quondam rex, et imperator Carolus, per eorum auctoritatem concessissent eidem monasterio et ibidem Deo servientibus privilegium de quolibet negotio, undecumque illud fiscus exigere poterat: cujus precibus, ob amorem Dei, libentissime assensum præbentes, hoc auctoritatis nostræ et confirmationis præceptum jam dicto monasterio fieri jussimus, sigilli nostri impressione insigniri fecimus, ut homines ejusdem monasterii, necessitatibus ad diversa negotia servientes, per universum regnum imperiumque nostrum nostro imperiali banno liberi secure discurrant, et nullus judex publicus, vel exactor, nullum theloneum portaticum, pontaticum, gestaticum, de ipsis aut eorum hominibus, undecumque fiscus accipere consuevit * exigere ullatenus præsumat, nec in pontibus, nec in agris, sicut prædiximus, nec in mercatis, nec in quibuslibet locis; sed per quæcumque castella, portus, vel quælibet loca, homines et negotiantes ipsius monasterii ire, redire, vendere et comparare, absque alicujus contradictione, prævaleant. Si quis autem, quod

* al. consueverit.

(1) T. XXI, p. 370.

absit, hanc nostræ corroborationis paginam violare præsumpserit, auri purissimi centum libras componat, et in scriniis imperatoris reponat. Huic concessioni principes et fideles nostri adfuerunt, Lercortus (1), Basiliensis episcopus, B Argentinensis episcopus, A. Feredlensis episcopus, Stephanus Metensis episcopus, Rodefridus Palatinus, Hugo comes, Albero comes, Albertus comes. Signum Henrici IV, Romanorum imperatoris invictissimi. Philippus cancellarius recognovi, vice Adalberti, Moguntini archi-cancellarii.

Data Argentinæ, anno Dominicæ Incarn. MCXXIII, ind. XIII (2), V cal. Julii.

XXI.

E schedis Droz. (3).

Pactum inter canonicos S. Mariæ Magdalenæ et quosdam laicos.

1124. Ansericus, Dei gratia Bisuntinus archiepiscopus, Stephano decano S. Mariæ Magdalenæ, Renaldo, mag. Richardo, ceterisque ibidem Deo servientibus, in perpetuum. Sollicitudinis nostræ officium nos admovet ecclesiarum paci et quieti modis omnibus invigilare, quibus, Deo auctore, videmur præsidere. Quapropter controversia quæ inter vos et illos de Calesia, videlicet Robertum, Ulricum, Hugonem et Pontium clericum et eorum complices, tamdiu perduravit, quamdiu in præsentia nostra fuerit terminata præsenti scripto futurorum memoriæ commendamus. Præfati siquidem homines, cum uxoribus et filiis suis, in capitulo nostro confessi sunt se injuste calumniam vobis intulisse super canonica quam antecessor noster, felicis memoriæ, Hugo Salinensis, ad mensam vestram in dominatum vobis contulit, et eamdem vobis in perpetuum in pace possidendam concesserunt et laudaverunt in præsentia nostra, multis adstantibus, et etiam injuriam quam super hoc vobis intulerant in manu domini Guidonis, archidiaconi nostri, emendaverunt. Vos vero Roberto, Ulrico, et Pontio, si filios haberent clericos, concessistis et laudavistis canonicam vos eis daturos. Ut autem hæc conventio in perpetuum rata sit et stabilis, impressione sigilli nostri insigniri jussimus, et illustrium virorum qui adfuerunt testimonio confirmari. Manasses, decanus S. Joannis, testis; Guido, archidiaconus; Bocardus præcentor; Albericus de S. Ferreolo; Hugo dapifer; Guillelmus, frater ejus; Sigismundus dapifer; Maynerius de S. Quintino; Alvardus; Josbertus furnarius, et Petrus frater ejus et alii multi. Si quis igitur hujus constitutionis modum infringere tentaverit, a corpore et sanguine Domini alienus existat, quousque ad satisfactionem condignam redeat. Actum Bisuntii, publice, anno ab Incarn. Dom. MCXXIV, ind. IV, pontificatus vero domini Anserici octavo (4).

XXII.

E chartul. Cariloci.

Ansericus possessiones Cariloci confirmat.

1127. Germane, fili carissime, ecclesiam de Caroloco cum appenditiis suis, iu qua te, Deo auctore, priorem statuimus, sub nostra nostrorumque successorum protectione in perpetuum assignamus, et decimas vestri laboris et vestræ domesticæ familiæ et vestrarum carrucarum, laudante Drogone clerico, ecclesiam de Bugiaco consensu nostro tenente, in cujus parochia ecclesia vestra sita est, et in *Vugney*, perpetua firmitate vobis vestrisque successoribus habendas, possidendas, in posterum confirmamus. Præterea quæcumque Gislebertus, de Jussiaco vocatus, Paganus Rufus et Odo Rufus, et Calo et Richardus sororius ejus, et uxor sua Berta, ecclesiæ prædictæ donaverunt per manus nostras in *Marlay*, in campis, in pascuis, in pratis, in nemoribus, perpetuo tempore tenenda stabilimus, videlicet ab antiqua via qua itur Jussiacum usque ad quercus quæ vocantur Duo Fratres, eo videlicet tenore ut quidquid infra prædictum terminum cultum vel incultum fuerit, et quidquid uxor Odonis de Domna Petra et filius suus Odo in eisdem locis videbantur habere, libere sine omni servitio teneatis. Illud etiam confirmamus quod Guido de Juncivilla per manus nostras prænominatæ ecclesiæ concessit et laudavit, videlicet quidquid præscripti milites in præfatis locis vobis donaverunt, vel daturi, vel concessuri sunt. Donum etiam quod a Guillelmo de *Pesmes* et uxore sua, et a conjuge Odonis de Domna Petra et filio ejus Odone, in præsentia nostra factum est, similiter confirmamus; scilicet, ut si quid in potestate de Bugiaco colueritis vel ædificaveritis, libere possideatis, et ad omnia animalia vestra pascenda in eadem potestate libere et quiete usum fructum absque ullo servitio habeatis, in pratis, in campis, in silvis, in aquis aquarumque decursibus, et in nemore, quantum ad usus vestros et vestra ædificia necessarium fuerit. Hæc et alia quæcumque, Deo auctore, vestra acquisierit ecclesia nostræ auctoritatis privilegio vobis perpetuis temporibus in pace tenenda corroboramus. Anno gratiæ MCXXVII.

(1) Lege Berchtoldus.

(2) Indictionis annus tertius decimus annus est 1120, minime annus 1123. Stephanus vero, Metensis episcopus, anno 1120 Romæ commorabatur, partibus inserviens pontificiis, et ab Henrico imperatore prohibitus ne Metas ingrederetur.

(3) T. XV, p. 294.

(4) Annus 1124 Anserici episcopatus revera octavus fuit, sed indictionis fuit secundus.

XXIII.

Ansericus canonicos regulares in ecclesia S. Pauli instituit.

E schedis Droz. (1).

1131. Ansericus, Dei gratia Bisuntinus archiepiscopus, dilecto filio Garlando, priori S. Pauli, et fratribus regularibus eorumdem successoribus, ibidem Deo famulantibus, et ceteris ejusdem ecclesiæ fidelibus, in perpetuum. Officii nostri nos hortatur auctoritas, ad augmentum religionis, ecclesiæ suæ pervigili cura providere: quapropter, Garlande, fili carissime, discordia quæ inter regulares et sæculares canonicos diutius perduraverat, eisdem collaudantibus, sicut sequens pagina testatur, Deo auctore terminavimus. A sæcularibus quidem laudatum est, ut regulares totius ecclesiæ providentiam, tam intus quam extra, tam in divinis officiis quam in vectigalibus et stipendiis, libere futuris temporibus obtineant, et nullus ibidem nisi regularis instituatur canonicus. Si vero deinceps aliquis ibi canonicus fieri postulaverit, pro pacis et fraternitatis reverentia, sæcularibus manifestetur, et, si laudare renuerint, pro eis non remaneat, si regulares concorditer fratrem recipere voluerint. Hospitum receptio et infirmorum pidentia sit in prioris providentia. A regularibus etiam collaudatum est, quod tale quale ipsi habebunt in refectorio sæcularibus donabitur. De sæcularibus vero si quis infirmus fuerit, infra

(1) T. VII, p. 63.

abbatiam generale suum habebit, et pidentia in A manu prioris maneat. Pro panis vero defectu et domorum reædificatione, et pro emendis animalibus domui necessariis, priori sit potestas vinum et frumentum vendere, et etiam ex parte, propter hospitum refectionem et infirmorum necessitatem, pro caritate temporum retinere. Si regulares de possessionibus ecclesiæ placita tenuerint, decanus, si præsens fuerit, invitetur; regulares tamen vendendi, donandi, terras ecclesiæ sine laude canonicorum sæcularium potestatem non habebunt. Decanus, dum decaniam habuerit, feudum decaniæ et casatos habeat. Ut autem præscripta concordia perpetuo inconvulsa maneat, præsentis scripti paginam sigilli nostri impressione insignivimus, et ne quis eam B ulterius infringere præsumat auctoritatis nostræ privilegio interdicimus. Si quæ igitur persona hæc instituta ausu temerario attentaverit, a sacro-sancto Dom. corporis et sanguinis sacramento aliena existat, et a gremio catholicæ Ecclesiæ usque ad condignam satisfactionem exclusa permaneat. Actum Bisuntii, publice, IV. non. Maii, anno ab Incarn. Dom. MCXXXI, ind. IX. Hujus rei testes sunt : Hugo, abbas de Bellavalle, Narduinus prior de Monte Benedicto, Gaucerannus quondam Lingonensis episc. (1), Rodulfus decanus S. Joannis Evangelistæ, Wido archidiaconus de Sexta, Gislibertus de Caritate, Hugo de *Durnuc*, regulares canonici.

XXIV. C

Ex eisdem (2).

Ecclesiam Pauliacenam Ansericus dat ecclesiæ S. Joannis.

1132. ANSERICUS, Dei gratia Bisuntinus archiepiscopus, Rodulfo ecclesiæ S. Joannis Evangelistæ decano, et Widoni, archidiacono de Sexta, ejusque loci fratribus eorumque successoribus in perpetuum. Ecclesiam vestram nobis cohærere ampliori gratia ab æterno disposuit Dei sapientia, tantoque caritatis vinculo nos invicem conjunxit, ut qui vos infestat nos infestare non prætermittat. Quapropter vestræ incolarumque vestrorum quieti in futurum providentes, vestris piis petitionibus inclinati, celerem præbe- D mus assensum, quod ad animæ nostræ salutem pertinere non est dubium. Pauliacensem igitur ecclesiam, cum capellis sibi pertinentibus, quas multo ante tempore vestra quiete possedistis, vobis habendas et possidendas in perpetuum confirmamus; in ea videlicet libertate, ut (nullus) successorum nostrorum, nec archidiaconi, nec archipresbyteri, in parochianis ecclesiarum prædictarum, occasione Christianitatis, justitiam faciant aliquam, vel exactionem; sed in manu decani S. Joannis Evangelistæ et communi vestri capituli persistat potestate. Sacerdotes vero in præfatis ecclesiis commorantes synodali tempore ad audienda decreta synodalia veniant; de negligentia autem sua et conser- E vatione ante decanum et commune capitulum vestrum respondeant, juxta quod antiquitus, temporibus antecessorum vestrorum, vos et prædecessores vestros quiete possedisse affirmatis. Ut autem præsentis scripti pagina rata sit et stabilis, sigilli nostri impressione insignivimus, et ne quis eam infringere præsumat auctoritate Dei et nostra modis omnibus interdicimus. Si quæ vero ecclesiastica sæcularisve persona, tertio commonita, huic confirmationi contraire tentaverit, a sacratissimi corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi sacramento usque ad satisfactionem aliena et immunis existat. Data Bisuntii, publice, XII. cal. Januarii, Domin. Incarn. anno MCXXXII, indict. X. Hujus rei testes sunt Hugo abbas S. Vincentii, Albericus archipresbyter, S. Mariæ Magdalenæ canonicus, Guichardus et Otho S. Pauli canonici, Petrus prior et Joannes, canonici de Caritate.

XXV.

Ansericus traditum Præmonstatensibus Corneolum approbat. *Ex eisdem* (1).

IN nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Ansericus, Bisuntinæ ecclesiæ archiepiscopus. 1134.
Quia pontificali cathedræ, Deo auctore, licet indigni, præsidemus, etsi omnibus nostræ diœceseos fidelibus, prout facultas suppetit, in commune prodesse debemus, circa illos tamen, qui, abjecta mundi sarcina, felici naufragio ad placidum et tranquillum contemplationis portum enatarunt, præcipue vigilare decrevimus, quatenus pia vicissitudine eorum orationibus aliquod nostræ imperfectionis subsidium comparemus. Notum igitur esse volumus, tam præsentibus quam futuris, qualiter locum qui Corneolus dicitur, cum terris, aquis, piscariis, pascuis, silvulis, et omnibus ad eumdem pertinentibus, ad consilium et ordinationem domni Gualteri, abbatis S. Martini Laudunensis cœnobii, Raimbaldus nostro assensu tradidit, hoc interposito ut abbas in eodem loco constituatur, qui, cum subjectis sibi fratribus, secundum regulam S. Augustini ad tenorem Laudunensis cœnobii vivat. Si vero abbas Corneolensis ab ordine et consuetudine Laudunensis cœnobii deviaverit, abbas S. Martini super correctione sua bis tertiove eum commonebit. Quod si incorrigibilis apparuerit, archiepiscopus Bisuntinensis, sub præsentia et testificatione abbatis S. Martini, et duorum ejusdem ordinis coabbatum, in ecclesia Bisuntinensi, sine omni dilatione et reclamatione majoris audientiæ, ordinis sui transgressorem deponet : depositum autem illum archiepiscopus Bisuntinensis ad ecclesiam S. Martini remittet, et alium idoneum, canonica fratrum electione et abbatis Laudunensis consilio et vestigio, subrogabit. Abbas autem S. Martini, de quo prædictus locus, scilicet Corneolus, religionis hujus sumpsit exordium, ab omni illum temporalis commodi exactione tam in præsenti qua in futuro absolvit. Ut vero ibi ordo teneatur invigilabit, et laboris sui mercedem juges ibidem orationes habebit. Ut autem fratres qui ad eumdem locum pro salute animæ suæ convenerint, sine inquietudine soli Deo vacare possint, ab exactione tam nostra quam ministrorum nostrorum illum absolvimus. Canonicam vero abbatum professionem et filialem obedientiam, ac in synodo nostra illorum præsentiam, et assiduas orationes tam nobis quam successoribus nostris, in eodem loco retinemus. Præterea confirmamus eidem loco, et fratribus Deo famulantibus ibidem, locum qui Maniacus dicitur, quem idem Raimbaldus obtinebat, et annuente Rainaldo comite et Gerardo de Strabona, qui

(1) Adverte quod Gaucerannus, alias Joscerannus, quondam Lingonensis episcopus, anno 1131 superstes ibi reperiatur, quem antecessores nostri sub annum 1126 decessisse supra memoraverunt, t. IV, col. 572. Indicium certæ corruptionis ea charta præbet, in nomine scilicet Hugonis, Bellævallensis abbatis, cum Pontius illo tempore Bellævallensibus præesset. Antiquior tamen anno 1131 non videtur, nam eam obsignat Radulfus S. Joannis decanus : Manasses autem anno 1129 decanatum S. Joannis occupabat.

(2) T. V, p. 479.

(1) T. XIV, p. 411.

A et ipse locum de comite tenebat. Eisdem fratribus contradidit Narduinus de Strabona situm molendini, et allodium quod ibidem habebat eisdem fratribus concessit. Ad hæc adjicientes, decrevimus, ut universa quæ nunc inibi commanentes fratres possident, vel quæcumque in futuro, concessione ecclesiastica, largitione principum, vel oblatione fidelium, juste et canonica poterunt adipisci, firma illis illorumque successoribus et illibata permaneant. Ut autem hæc rata et inconcussa in perpetuum permaneant, hoc scriptum fieri jussimus, et sigilli nostri impressione et testium subscriptione roborari præcepimus; et ne quis aliquid horum infringere temerarie præsumat, anathematis sententiam interposuimus. Actum anno Incarn. Dom. B MCXXXIV, ind. xi, epacta xxii, concurrente vii (1). Hujus rei testes sunt, Petrus decanus S. Stephani, Hugo et Wolbertus archidiaconi, Zacharias doctor scholarum, Hugo decanus de Dola, Albericus decanus, vice-comes Bisuntinensis, Petrus villicus Bisuntinensis, Hugo et Simon dapiferi, Aymon pincerna, Hugo marescallus.

XXVI.

Ex edit. recenti (2).

Ansericus quorumdam mansorum reditus S. Paulo confert.

1134. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Ansericus, Bisuntinus Dei gratia archiepiscopus, C ecclesiæ S. Mariæ et S. Pauli fratribusque ibi Deo famulantibus in perpetuum. Agnoscat clerus et populus quia ego Ansericus, archipræsul Bisuntini archiepiscopatus, pro anima mea in eleemosynam, laudantibus Humberto camerario et archidiacono, vice-comite Stephano, Hugone et Sigismundo dapiferis, Aymone pincerna, Maynerio panetario, Petro villico Bisuntino, Teyberto et Stephano forestariis, contuli et dedi, impræsentiarum et in futurum semper habendum, prædictæ ecclesiæ S. Mariæ et S. Pauli et canonicis ibidem degentibus eorumque successoribus, per manum Garlandi, ejusdem ecclesiæ prioris, placitum generale et consuetudinem, et reditum quem ibi in dominicatu habe- D bant super eorum terram; videlicet solidos duos in manso Lamberti de Capitolio, solidos duos in manso Martini et ejus participum, solidos duos in manso quem Benedictus de Glapiniaco tenet ab eis. Hujus doni et hujus eleemosynæ, in anniversarium meum eis concessæ, testes sunt: Humbertus archidiaconus de *Ceys*, Volbertus archidiaconus, Hugo canonicus de Dola, Gislibertus canonicus regularis, Wido canonicus S. Joannis, filius dapiferi Hugonis, Hugo de *Pugey*, prænominati Hugo et Sigismundi, Aymo de Campaniaco, Mainerius, Petrus, Tiebertus, Stephanus; præter hos Cuno de Vinnis, Rollandus de *Goncens*, Vivianus de Vinnis. Ut autem hoc donum inconvulsum et ratum per- E maneat in perpetuum, sub anathemate firmamus ne persona aliqua infringat: quod si aliquo casu evenerit, sub excommunicatione maneat, donec inde satisfaciat. Actum est hoc anno ab Incarn. Dom. MCXXXIV, ind. xii.

(1) Hæ notæ chronicæ non plane concordant: indictionis enim annus xi anno 1133 congruere videtur, concurrens vii anno 1134. Notarius vero indictionis annum undecimum in diem 25 Martii, prout nonnulli solebant, fortasse produxit. Certius epactam xxiii lege.

(2) Orig. Comm. Bisunt., 9 D. *Castan*, p. 150.

XXVII.

Innocentius II Luxoviensium bona juraque confirmat. *E Monast. Bened.* (1).

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, 1136.
dilecto filio Joceranno, Luxoviensi abbati, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Quoties illud a nobis petitur quod rationi convenire cognoscitur, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Quamobrem, dilecte in Domino fili Jocceranne abbas, postulationibus tuis clementer annuimus, et monasterium Luxoviense, cui Deo auctore præsides, quod utique B. Petri juris esse cognoscitur, apostolicæ sedis privilegio communimus, statuentes ut quæcumque bona, quascumque possessiones idem cœnobium impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus illibata permaneant; in quibus hæc propriis nominibus exprimenda subjunximus: videlicet monasterium de Anagrato, cum capella Falconiaci, monasteria de Fontanis, de Grangis, de Mollesiaco, de Arliaco, de Flacciaco, omnia cum appenditiis suis, ecclesias de S. Valberto, de Aspa, de Sapineto, de S. Briccio, de Aniocis, de Gysniaco, de Mireto, de Briardicurto, de Balciniaco, de Villari, de Leonis Curte, de Pomoto, de villa Manfredi, de S. Sulpitio, de S. Leodegario, de Villa Perroti, de Nugerio, de Provinceretis, de Jussiaco, de Jericurto, de Sueriis, de Prisciniaco, de Buczuleni Curte, de Duabus Tonis, de Onivilla, de Provincheriis, de Arnolfivilla, de Zavini Fontana, de *Chislan*, de Rumiliasco, de Valdonis Curte, omnes cum appenditiis suis, cum capella de Domno Justino, cum censu dimidiæ marcæ argenti, quam debent vobis annuatim Cluniacenses monachi pro cella in Rumiliacensi parochia ædificata, ecclesiam de *Salnet*, cum appenditiis suis, ecclesiam de Botonis Curte, ecclesiam de *Villafant*, ecclesiam de S. Ægidio, ecclesiam de Claro Monte, cum ecclesiis et appenditiis suis, consuetudines etiam quas in Romaricensi ecclesia possidetis. Porro quoniam communi vita viventes de aliorum eleemosynis et beneficentia debent vivere, et de bonis suis nullum gravamen aut molestiam eos convenit sustinere, constituimus ut de laboribus quos propriis sumptibus colitis nullus a vobis decimas exigere vel suscipere audeat. Sane ut idem monasterium, sub tutela et jurisdictione sanctæ Romanæ ecclesiæ constitutum, nullius alterius ecclesiæ jurisdictionibus submittatur, omnem cujuslibet ecclesiæ sacerdotem in eo ditionem quamlibet habere præter rectorem sedis apostolicæ prohibemus, adeo ut, nisi ab ejusdem loci abbate fuerit invitatus, nec missarum ibi solemnia celebrare præsumat; obeunte te vero nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu molestia, præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem et B. Benedicti regulam elegerint. Insuper de castellis et terris vestro monasterio oblatis, aliis ecclesiis, vel monasteriis, dari quippiam prohibemus. Præterea quieti et securitati vestræ attentius providentes, omnimodis prohibemus ne infra unam leugam circa monasterii vestri am-

(1) T. XXI, p. 369.

bitum alicui liceat hominem quemquam invadere, lædere, vel rebus propriis spoliare. Decernimus ergo ut nulli hominum liceat præfatum cœnobium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine B Dei ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen. Ego Innocentius, ecclesiæ catholicæ episcopus. Ego Guillelmus Prænestinus episcopus. Ego Theodeuvinus S. Rufinæ episcopus. Ego Anselmus presbyter cardinalis. Ego Lucas, presbyter cardinalis titulo SS. Joannis et Pauli. Ego Martinus presbyter cardinalis. Data Pisis, per manum Rimerici, sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis et cancellarii, XI cal. Decembris, ind. C XIV, Incarnat. Domin. anno MCXXXVI, pontificatus vero domni Innocentii papæ II anno septimo.

XXVIII.

E schedis Baluz. (1).

Charta fundationem Accincti referens.

Circa 1136.

NOTUM sit præsentibus et futuris quod Raynaldus, comes Burgundiæ, et omnes qui aliquid ab eo tenebant apud Accinctum, videlicet Girardus de Strabunna, et filii ejus, Hugo de *Minierey*, et filii ejus, Jeremias de *Royfey*, et Theodericus filius ejus, Gerardus de *Oogney*, et soror ejus, et filia sororis ejus, Pontius et Girardus frater ejus, nepotes Girardi de Strabunna, D Guido de *Pagney* et frater ejus, Willelmus de *Oogney* et Pontius frater ejus, Wicardus filius Landrici, et omnes qui ex istis aliquid tenebant, dederunt Deo et S. Mariæ, ad abbatiam secundum ordinem et consuetudinem Cisterciensium statuendam, quidquid ibi habebant in agris, pratis, silvis, piscationibus, et ceteris usibus ad eumdem locum pertinentibus. Quæ quia ad abbatiam S. Eugendi Jurensis pertinuisse dicebantur, monachi ibidem ad Deo serviendum ordinati statuerunt quod eidem abbatiæ quinque solidos annuali censu persolverent. Ne autem fratres novæ abbatiæ de persolvendo aliquatenus gravarentur, comes Raynaldus statuit eis quinque solidos annuatim censualiter E persolvendos, scilicet quatuor solidos quos debent Uldricus faber et Stephanus frater ejus, Salinenses, filii Adzonis, pro vineis quæ sunt in confinio de *Montaguey*, in loco qui dicitur *Guyz*, et duodecim denarios quos debet Dodo de *Faramaus* et frater ejus Rodulfus, pro vineis quas tenent a comite apud *Arboys*, in loco qui dicitur *Rufart*. Post quorum decessum qui succedent huic hæreditati illos quinque solidos monachis de Accincto persolvent. Testes, Narduinus de *Pins*, Stephanus de *Chervis*, Richardus A de *Arboys*, et Willelmus nepos ejus. Wirricus etiam de *Arch* dedit, per manum comitis Raynaldi, Deo et fratribus de Accincto suam piscationem et quidquid habebat in Accincto, laudante uxore sua et omnibus filiis suis. Testes, Narduinus de *Pins*, Girardus de Strabunna, Jeremias de *Royfey*, Hugo de Bello Joco.

(1) Arm. 5, fasc. 3, n. 6, t. II.

XXIX.

Fœdus inter capitulum S. Joannis et Cistercienses monachos Bisuntinæ diœcesis.

Ex Hist. Cari Loci (1).

1141.

NOTUM sit omnibus quod venerabilis conventus canonicorum S. Joannis Evangelistæ, pauperes Cisterciensis ordinis arctioribus caritatis nexibus sibi volens adstringere, cum abbatibus ejusdem ordinis in eorum diœcesi morantibus hujusmodi fœdus inire voluit: quod eos qui, sine audientia et judicio Ecclesiæ, contra edictum domini archiepiscopi, pacem eorum perturbare, et possessiones eorum aut substantias diripere præsumpserint, singulis dominicis diebus usque ad dignam satisfactionem in ecclesia sua publice excommunicari facient; nos beneficium ab abbatibus recepturi, quod quotiens aliquis nostrum obierit, et hoc abbatibus nuntiatum fuerit, pro defuncto nuntiato facient monachi plenarium officium, et singulis annis pro omnibus tam archiepiscopis quam canonicis anniversarium. Actum solemniter in capitulo B. Joannis Evangelistæ, adstante domino Humberto Bisuntino archiepiscopo, Lodoyco decano, Hugone præcentore, Walberto arcbidiacono ceterisque canonicis, anno Incarn. Domin. MCXLI, ind. III.

XXX.

Litteræ Humberti archiepiscopi de Cyriaco Bellævallensibus dato.

E schedis Droz.

Circa 1143.

EGO Humbertus, Dei gratia Bisuntinus archiepiscopus, notum facio omnibus præsentibus atque futuris quod Richardus de Monte Falconis, qui potestatem Cyriaci a me tenebat, eamdem potestatem hoc tenore mihi reddidit, ut ex ea, cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam B. Mariæ Bellævallis, pro nostra utriusque salute, misericorditer investirem. Actum Bisuntii, anno Dom. MCXL, III cal. Augusti, præsentibus Pontio et Petro, Bellævallis et Caritatis abbatibus. Huic redditioni interfuerunt præsentes Willelmus *de Treve* et Rogerius *d'Abens*, monachi, et milites Hugo de Rocha et Petrus de *Saucey*. Et quia prædictus Richardus et filius ejus Amedeus præfatam potestatem suscipere ecclesiæ Bellævallis jam prius donaverant, et per viros venerabiles, Petrum decanum S. Stephani, cancellarium nostrum, et Wichardum priorem S. Pauli, eamdem mihi hac conditione ut eam prædictæ ecclesiæ donarem reddiderant, tantorum virorum testimonio fretus, ipsam potestatem, cum omnibus pertinentiis suis, B. Mariæ semper Virgini Speciosæ Vallis donavi, et ecclesiam ejus, in ipsa die dedicationis, ex ea dotavi. Priori siquidem dono affuere præsentes Pontius et Petrus, Bellævallis et Caritatis abbates, Petrus S. Stephani decanus, Wichardus prior S. Pauli, Hugo præcentor S. Joannis, Vido archipresbyter qui dicitur *Dretauclus*. In quorum præsentia ipse Richardus et præfatus filius ejus quidquid in sæpe dicta potestate et in

(1) A D. *Besson*, prob., p. 99.

omnibus pertinentiis ejus habebant B. Mariæ semper Virgini et pauperibus Bellævallis, totum ex integro, sine ulla prorsus retentione, solemniter dederunt, et communi voto, super sanctum altare, celebri dono ambo pariter omnipotenti Deo et matri misericordiæ in eleemosynam obtulerunt. His ita peractis, ego Humbertus, Bisuntinus archiepiscopus, utrumque donum, et prius et sequens, concedo et laudo, et ut ecclesiæ B. Mariæ Bellævallis ratum et illibatum in æternum permaneat Dei omnipotentis et nostra auctoritate confirmo.

Similiter notum esse volumus cunctis fidelibus quod Bernardus de Roseriis tertiam partem prædictæ potestatis Cyriaci et omnium pertinentiarium ejus, quam eatenus a Richardo de Monte Falconis in feodo habuerat, in die dedicationis Bellævallis omnipotenti Deo et matri misericordiæ, pro sustentatione pauperum Bellævallis, in eleemosynam per manum nostram misericorditer obtulit, et, ut ratum permaneat, ipsius loci abbatem de piscatione quæ ad eum jure ipsius potestatis pertinebat sub nostra præsentia investivit. Huic dono affuerunt præsentes Vido Cari Loci et Pontius Bellævallis abbates, Narduinus abbas Montis Benedicti, Wichardus prior S. Pauli, Hugo prior de *Marast;* qui et testes horum. Simili modo Pontius miles, qui aliam tertiam partem prænominatæ potestatis de *Cyrey* a Vidone de Treva tenebat in feodo, obtulit eam cum omnibus pertinentiis suis omnipotenti Deo per manum nostram, et totius possessionis suæ, tam feodi quam alodii, Beatam Dei genitricem Mariam fecit hæredem, et totam hæreditatem suam pauperibus Bellævallis ex integro dedit. Actum in eodem loco per manum nostram, præsentibus his Pontio abbate et familia ipsius monasterii, Lamberto de Ponte et Hugone rustico. Hoc donum etiam Vido de Treva, ad quem feodus pertinebat, prius B. Mariæ et monachis Bellævallis in eleemosynam dedit, et postea in præsentia comitis Rainaldi et Vidonis de Juncivilla recognovit et confirmavit, et super altare S. Mariæ prædictæ Bellævallis obtulit, præsentibus etiam abbatibus, Lamberto videlicet de Claro Fonte et Christiano de Roseriis, totoque ejusdem loci conventu; anno ab Incarn. Dom. MCXLII, ind. VI, IV id. Februarii.

His addendum quod Rainaldus de Treva, qui præfatum feodum ante Vidonem, fratrem suum, a Richardo de Monte Falconis tenuerat, et B. Mariæ Bellævallis in eleemosynam dederat, postea de piscatione calumniam movit, dicens eamdem piscationem nullatenus pertinere ad feodum. Exinde contentio inter Rainaldum et abbatem orta est, et judicium factum est. Sed causa judicii terminata non est. Rainaldus enim, si quid in eadem piscatione juris habebat, nihil sibi retinens, totum Deo et B. Mariæ Bellævallis in eleemosynam dedit. Actum in pratis de *Cherancei*, præsentibus his Pontio, Vidone, Petro, abbatibus Bellævallis, Cari Loci, Caritatis; Petro de Treva.

Ego Humbertus, Dei gratia Bisuntinus archiepiscopus, quod his litteris continetur juste et canonice adquisitum adtestor et ratum facio, et firmum decerno, nullique prorsus deinceps concutiendum esse permitto, et eos omnes qui contra illud temere venire tentaverint omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, et sanctæ Dei genitricis Mariæ, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, omniumque sanctorum, etc., etc., *usque* alieni fiant. Eis autem qui supradictæ ecclesiæ justa servaverint et pacem tenuerint sit pax et misericordia a Deo Patre et Jesu Christo, Domino nostro, et omnibus sanctis ejus, et nunc et in die æternitatis. Amen.

XXXI.

Camborniacenam ecclesiam Bellævalli dat Humbertus archipræsul. *E schedis Droz.* (1).

1145.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Justis votis assentire, justisque religiosorum et pauperum Christi petitionibus nos maxime qui in eminenti pastoralis officii specula positi sumus affectum pietatis oportet condescendere. Ego igitur Humbertus, Dei gratia Bisuntinus archiepiscopus, precibus dilecti filii nostri Pontii, venerabilis Speciosæ Vallis abbatis, concessi Deo et S. Mariæ Speciosæ Vallis ecclesiam Camborniacensem, cum omnibus suis pertinentiis, liberam et quietam, et ab omni exactione solutam, ita ut capellani, qui in eadem Camborniacensi ecclesia divinis officiis fuerunt mancipati, prædicto abbati et successoribus ejus per cuncta obediant, et de omnibus eis respondeant. Quod si aliquis eorum per aliquam contumaciam abbati vel successoribus ejus in aliquo inobediens extiterit, quod non speramus, sententiam quam ipsi abbates in ipsum contumacem dictaverint, Dei auctoritate et nostra, nos confirmamus. Actum Junecivillæ, anno Dom. MCXLV, V cal. Maii. Testes dominus Gotefridus, Lingonensis episcopus, Guido Cari Loci, Lambertus Clari Fontis abbates, Hugo præcentor S. Joannis Bisuntini et archidiaconus, Loserus archidiaconus, Galterus Trecensis, Lambertus de *Pote*.

XXXII.

Litteræ Eugenii III pro Roseriis. *Ex eodem* (2).

1145.

Eugenius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Humberto, abbati de Roseriis, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum. Quotiens illud a nobis petitur quod religioni et honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementiam annuimus, et præfatum locum, in quo divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona, impræsentiarum juste et canonice possidetis, aut in futurum, concessione pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: ipsum locum de Roseriis, cum omnibus appenditiis suis, grangiis, terris, pratis, silvis, aquis, piscationibus, et aquarum decursibus, et vineis, grangiam de *Charnay*, grangiam de *Matunay*, grangiam de Islis, grangiam de Tornella, grangiam de *Tilleray*, cum omnibus pertinentiis earum, cellarium de Montaniaco, cum vineis, usum nemoris de *Valdrey*. Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis virorum, animalium, nullus omnino clericus vel laicus decimas a vobis exigere præsumat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum locum temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel

(1) T. IX, p. 447.
(2) T. X, p. 317.

ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnibus modis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri B Jesu Christi, et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmium æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen. Datum XVI cal. Julii anno 1145, pontificatus vero Eugenii III anno primo.

XXXIII.

Ex eisdem (1). *Humbertus archipræsul Corneoli possessiones confirmat.*

1145. HUMBERTUS, Dei gratia Bisuntinensis archiepiscopus, dilecto fratri Martino, Corneolensi abbati, et omnibus fratribus ejusdem ecclesiæ, eorumque successoribus regulariter ibi substituendis in perpetuum. Universalis ecclesiæ C pastor piissimus et ordinator benignissimus, Deus ad hoc in sua magna domo nos, licet indignos, inter Ecclesiæ suæ pastores ac dispensatores constituit, ut religiosas personas diligamus, et eos et eorum pertinentia protectione confoveamus. Quocirca, dilecte in Christo frater Martine, Corneolensem ecclesiam, cui, Deo auctore, præesse dignosceris, cum omnibus ejus pertinentiis et appenditiis, sub nostra et sanctæ Bisuntinæ ecclesiæ tutela suscipimus, et bona omnia a quibuslibet fidelibus eidem juste collata et conferenda, vel emptionibus, aut commutationibus, et aliis justis modis acquisita et acquirenda, præfato monasterio concedimus et confirmamus; D quorum nomina breviter perstringendo subscribere dignum duximus, et sigilli nostri impressione signamus: locum videlicet qui dicitur Arcens, et mansum Sela, allodium quoque de Valaco et de fonte Roberti, cum omnibus eorum appenditiis, dimidium etiam mansum quem Guillelmus, coquus, apud *Bonbalon* vobis contulit, et quartam partem de vetere Corneolo, quam Tibaldus Sarracenus de *Genevrieres*, et Pontius, frater ejus, dederunt prædictæ ecclesiæ: similiter confirmamus vineas quoque et terras ad plantandas vineas, et pascua et rationabiles consuetudines quas habetis in potestate Belli Joci; et vineam quam Bovo de Judicio in ipsa villa vobis contulit, sæpe dictæ ecclesiæ nihilominus confirmamus: de cetero quæcumque E largitione principum, concessione pontificum, collatione fidelium, aliis justis modis, Deo præstita acquisivistis, vel acquirere poteritis, firma vobis et illibata permaneant. Si quæ vero in futurum ecclesiastica sæcularisve persona contra hujus nostræ confirmationis paginam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita nisi satisfecerit, ream se divino judicio sentiat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jesu Christi abstineat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat: cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis recipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Signum Petri, abbatis S. Vincentii. S. Nicholai, decani. S. Willhelmi, monachi. Actum anno ab Incarnat. Domini MCXLVI, ind. XV (1), epacta VI, concurr. I.

(1) T. XIV, p. 514.

XXXIV.

Plura jura Humbertus S. Joanni concedit. Ex eisdem (2).

HUMBERTUS, Dei gratia Bisuntinus archiepiscopus, Landrico decano ceterisque ecclesiæ Bisuntinæ S. Joannis Evangelistæ fratribus eorumque successoribus ibidem Deo famulantibus, in perpetuum. Ecclesiam vestram, in cujus, tanquam matris, gremio educati sumus, merito præ ceteris diligere, et ad augmentum ipsius diligentius intendere pastoralis officii monemur auctoritate. Cum ergo omnibus ecclesiis debitores simus, ei nimirum largius impartiri debemus a qua largius accepisse dignoscimur. Quapropter, communi familiæ nostræ consilio et assensu, Petri videlicet camerarii, Maynerii panetarii et Henrici ejus filii, Hugonis dapiferi et Gerardi ejus filii, Sigismundi dapiferi et Guidonis ejus filii, Petri villici, ac magistri monetarii, Guillelmi marescalli, mansum unum ad introitum clausi vestri et vineam apud Bergilias, in loco qui dicitur *Desessel* sitam, prænominatæ S. Joannis Evangelistæ ecclesiæ vobisque conferimus, ac pro animæ nostræ remedio in perpetuum donamus. Item, supra dictæ familiæ nostræ communi laude, consilio et assensu, donamus vobis et concedimus ut in Bisuntina moneta vestrum habeatis in perpetuum custodem, sive ministrum, qui medietatem ferramentorum quibus eadem moneta exprimitur custodiat. Ut autem hæc in posterum libere, quiete et inconcusse teneatis, habeatis et possideatis, præsentis scripti pagina confirmamus, et ne quis exinde vos inquietare præsumat modis omnibus interdicimus. Quod si quis insensatus super hoc fraternitatem vestram perturbare temere attentaverit, divinæ ultionis et nostræ gladio percussus, anathematis vinculo subjaceat, quousque vobis ad animum satisfecerit. Præscriptæ donationi interfuerunt Landricus decanus, Hugo præcentor, Volbertus de S. Quintino, Guillelmus *de Ceys*, Guido de Ecclesiola *, Stephanus *Riventor*, Guillelmus Dreytaldus, Joannes *Matalent*, Guido de *Mimerey*, Petrus de S. Mauritio, Acelinus de S. Petro, Pontius artifaber*, Ebrardus de Solario, Narduinus *Truchet*, Hugo de Roca et supra scripta familia. Actum publice in claustro S. Joannis Evangelistæ, anno ab Incarn. Dom. 1147, ind. IX, III id. Aprilis.

1147.

* al. Calrsiola.

* al. aurifaber.

XXXV.

Charta Fundationem Gratiæ Dei referens. Ex edit. recenti (3).

IN nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, Filii et Spiritus Sancti. Humbertus, Dei gratia Bisuntinæ sedis archiepiscopus, Warnerio, abbati de Misericordia Dei, et fratribus ejusdem loci, in sanctitatis proposito irrefragabiliter permanete. Quoniam mortalium hominum labilis est memoria, pacta atque allegationes factorum litteris annotari legum mandavit auctoritas;

(1) Epacta VI et concurr. I in annum 1146 conveniunt: indictionis igitur annum emenda, et IX pro XV pone.
(2) T. V, p. 501.
(3) Richardus, *Hist. Gratiæ Dei*, p. 260.

quatenus mortali conditione testibus deficientibus, quibus quod quondam factum fuerit accepto (1) approbetur, ideo quæ, sanctitatis amore et religionis studio, locis Deo dicatis donantur dignum est et (2) episcopalis munimine privilegii protegantur. Quapropter tibi et ecclesiæ, cui, Deo gubernante, præsides, et fratribus inibi Deo servientibus, ipsum videlicet locum de Misericordia Dei et locum de *Quineut*, et locum de *Ansoent*, et quæcumque juste vobis data vel danda sunt assignamus, atque, ut in perpetuum absque calumniarum inquietudine secure possideatis, sigilli nostri impressione firmamus, notumque facimus omnibus fratribus, tam præsentibus quam futuris, quam dominus Theobaldus de Rubeo Monte et dominus Richardus de Montefalcone, laude et assensu uxorum suarum, atque filiorum suorum, et amicorum suorum, dederunt alodium suum de *Falundeas* antiquitus nominatum, nullo sibi usu retento, jam dicta ecclesia legitime possidendum. Testes sunt Theobaldus de Loco Crescenti, Albericus de Bethania, Petrus de Caritate, Stephanus abbas de *Luxois;* Firminus abbas de Bello Campo; Hyrodus de Bellagia; Ricardus tunc prior de S. Paulo; Hugo, tunc prior de *Marast;* Theodoricus comes de Monte Belli Cordis; Henricus de *Faucogney;* Simon de Rupe; Petrus de Bello Monte; Stephanus de Rubeo Monte; Vivianus de Monte Falconis; Henricus de Monte Justini; Bernardus; Willermus de Cubrio et multi alii.

Si qua igitur ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ sciens constitutionis paginam, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem ecclesiæ pacem servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hi bonæ actionis fructum percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Data Bisuntii, v non. Maii, per manum Petri, cancellarii, atque cantoris (S.) Stephani, anno ab Incarn. Dom. MCXLVII.

XXXVI.

E Rer. Gall. Script. (3).

Eugenius papa III Balmensem abbatiam in prioratum convertit.

1147 (4). Eugenius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri H., Bisuntino archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem. Scire te volumus quod pro execrabili et horrendo facinore, et inaudito sanctæ Romanæ ecclesiæ contemptu, quæ in dilectum filium nostrum magistrum Osbertum, ad ignominiam B. Petri et nostram, Balmenses monachi ausu sacrilego commiserunt, loco ipsi nomen et dignitatem abbatiæ in perpetuum abstulimus, cumque dilecto filio nostro Petro, Cluniacensi abbati, ejusque successoribus, interventu fratrum nostrorum, in prioratum ordinandum et disponendum, ex apostolica benignitate commisimus. Ideoque per præsentia tibi scripta mandamus

(1) Forsan *certo*.
(2) Forsan *ut*.
(3) T. XV, p. 444.
(4) Hanc Eugenii papæ epistolam pluresque alias de re eadem Bullarium Cluniacense anno 1148 adscribit; sed perperam. Mense Maio 1148 Eugenius Parisiis neutiquam erat, sed facta Vesuntione, Lausannæ, aliqua mora, Vercellas dein se recipiebat.

A præcipiendo, quatenus ad ipsius loci restaurationem et religionis reformationem fratribus Cluniacensibus opem et consilium præbeas. Datum Parisius, IV cal. Junii.

XXXVII.

Ecclesiam S. Gorgonii Humbertus archipræsul Monti Benedicti confert. E Droziana edit. (1).

Humbertus, Dei gratia Bisuntinensis archiepiscopus, Narduino, reverendo de Monte Benedicti abbati, ceterisque ejusdem loci fratribus eorumque regulariter successoribus in perpetuum. Ex commissi nobis officii sollicitudine, 1148.
B decet nos ad religionis incrementum et ad pauperum Christi sustentationem cura pervigili providere. Quapropter, dilecte frater in Domino Narduine, tibi tuisque successoribus, sub regula B. Augustini degentibus, ecclesiam S. Gorgonii cum capellis ejus, videlicet de Albonna et de *Arc*, concedimus atque donamus, cum appenditiis earum, laudantibus Landrico archidiacono et ejus decano Lamberto, episcopali jure retento. Ut autem hæc donatio rata et illibata maneat, eam sigilli nostri impressione insignivimus, statuentes et ex nobis (indulta) auctoritate apostolica confirmantes, ut quicumque huic nostræ affectioni (2) contraire præsumpserit, aut attentaverit, sacratissimo Domini nostri J.-C. corpore alienus
C existat, et nisi secundo tertiove commonitus ad condignam satisfactionem venerit, excommunicationi subjaceat. Actum Bisuntii, in matrice ecclesia B. Joannis apostoli et Evangelistæ, anno ab Inc. Dom. MCXLVIII, ind. XI, VIII id. Julii. Unde testes Petrus, prior S. Pauli; Hugo, S. Joannis præcentor et archidiaconus; Evrardus, ejusdem ecclesiæ canonicus et archidiaconus; Rogerus, monachus; Maynerius, miles.

XXXVIII.

Ecclesiam Pins *Gualterius decanus priori Belli Fontis tradit.* E schedis Droz. (3).

D Ego Raimbodus, Belli Fontis prior, tam posteris quam modernis, rei gestæ notitiam. Futurorum memoriæ commendamus quod Galtherius, S. Stephani decanus, laude et assensu fratrum et canonicorum suorum, in communi capitulo dedit ecclesiæ Belli Fontis, per manum nostram, ecclesiam de *Pins*, cum appenditiis suis, in perpetuum possidendam, ea tamen conditione ut ecclesiæ S. Stephani decem solidos Bisuntinæ monetæ singulis annis, in Ramis Palmarum, persolvamus. Hujus pacti stabilimentum ego Raimbodus, Belli Fontis cœnobii prior, atque Nerduinus, prior claustralis, totusque fratrum nostrorum conventus laudavimus, et hoc debitum præscripto tempore tam a nobis quam a nostris successoribus reddendum esse statuimus; et ut
E hoc ipsum firmum et illibatum permaneat, sigilli nostri impressione signavimus. Actum anno ab Incarn. Domini 1152, ind. XV. 1152.

XXXIX.

Fredericus imperator Bethaniæ res confirmat. Ex eisdem (4).

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Fredericus, divina favente clementia Romano- 1157.

(1) *Comm. de Civit. Pontarlo*, p. 210.
(2) Forsan *concessioni*.
(3) T. V, p. 529.
(4) T. XI, p. 151.

rum imperator invictissimus. Desiderium quod ad religionis propositum et quietem noscitur pertinere animo nos decet libenti concedere, et petentium votis imperiale impertiri suffragium. Unde, dilecte nobis in Christo frater Guillelme, abbas Bethaniæ, tuis justis petitionibus benigne annuentes, ipsum locum Bethaniæ tibi, tuisque successoribus secundum Cisterciensem ordinem ibi substituendis, libere et quiete habendum et possidendum, cum omnibus appenditiis suis, jure imperiali perpetuo confirmamus, et in nostram et nostrorum successorum tuitionem suscipientes præsentis scripti pagina communimus; adjicientes etiam statuimus, ut quascumque possessiones, quæcumque bona, idem locus impræsentiarum possidet, aut in futurum donatione imperatorum, concessione Pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant : in quibus hæc propriis subjunximus exprimere vocabulis; videlicet ipsum locum Bethaniæ, curiam de *Vas*, curiam de Planesia, curiam de Columbeta, curiam de Montegerro, curiam de Planta, curiam de Faia, curiam de Bethania, cum omnibus appenditiis earum. Porro de laboribus, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, seu de nutrimentis vestris, a vobis decimas exigi, canonum apostolicamque auctoritatem sectantes, imperiali majestate interdicimus. Decernimus ergo ut nulli omnium hominum fas sit vos super hac nostra imperiali constitutione temere perturbare, bona possessiones monasterii vestri auferre, vel ablata retinere, minuere, aut temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, vestris et pauperum Christi usibus omnimodis profutura. Si quis igitur in posterum huic nostræ constitutioni temere contraire tentaverit, si non reatum suum infra quadraginta dies congrua satisfactione correxerit, banno nostro se innodatum noverit, et quinquaginta libras puri auri, medietatem in fiscum regium, et alteram partem ecclesiæ cui damnum intulerit se cognoscat redditurum. Acta sunt hæc anno Incarnat. Dom. MCLVII indict. v, epacta VII, imperante Frederico augusto. Testes sunt Humbertus, Bisuntinus archiepiscopus, Odo Valentinus episcopus, Matthæus dux Lotharingiæ, Waldricus comes de *Leimburg*. — Signum domini Frederici, Romanorum imperatoris augusti.

XL.

Ex eisdem (1).

Litteræ Gualterii archipræsulis de Bellævalli datis a Barrado et Harenfrido.

1162.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Errorem fugare, veritatem semper attestari, episcopalem condecet dignitatem. Ego igitur Gautherius, Dei gratia Bisuntinus electus, universæ posteritati notum esse volo, quarumdam decimationum querelam adversus Bellævallensem ecclesiam diu exagitatam, tali fine terminatam fuisse. Barradus et Harenfridus, nepos que eorum Stephanus, clericus, laude et assensu omnium hæredum suorum, conjugum scilicet et filiorum, quod prius in parte, sicut dicebant, fecerant, in territorio scilicet tantum Campi Ursi, et hoc sub censu quatuor bichetorum frumenti avenæque mediatim, tandem in omni tenore monachorum, sicut impræsentiarum possident, qualitercumque ad parochiam de *Merchal* pertineat, censu præfato permanente, in manum domini Brochardi, abbatis ecclesiæ jam dictæ, decimas in eleemosynam dederunt. Actum Bisuntii, ubi testes fuerunt Petrus abbas de Caritate, frater Bernardus et fr. Haymo monachi, et mag. Stephanus de *Folcherens;* recognitumque Bellavalle et positum super altare, assistentibus Petro priore, Petro, Gauthero, Humberto monachis. Testes laudationum conjugum Barradi et Harenfredi, eorumque filiorum prædictus Haymo cellerarius, frater Berengarius et Lambertus conversi. Hujus autem tam actionis quam recognitionis a præscriptis auctoribus iterata recognitio facta est ipso eodem anno et loco, non longe post, ubi testes affuerunt Hugo præcentor, Wido archidiaconus de *Ceys*, Joannes prior de *Lanteuens*. Eodem tempore, Willelmus de *Cromary,* ante decollationis suæ horam, dedit domui Bellævallis quidquid ad eum pertinebat in decimis de *Brayllant;* super quas tamen centum solidos anno præterito ab ipsis monachis lege vuadii acceperat. Testes mag. Stephanus de *Folcherens,* Stephanus filius Manegodi, Hugo filius Othonis de *Durnec*. Anno ab Incarn. Domini MCLXII.

XLI.

Ex eisdem (1).

Victor pseudo-papa P., Vincentianorum abbati, usum pontificalium ornamentorum concedit.

Circa 1163.

Victor episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri H., Bisuntino archiepiscopo, et universo S. Joannis capitulo salutem et apostolicam benedictionem. Consuevit apostolicæ sedis benignitas humiles et devotos servientiori caritate diligere et justis eorum desideriis assensu gratiori concurrere. Ea propter, vestræ devotionis sinceritatem et fidei constantiam propensius attendentes, dilectum filium nostrum P., abbatem S. Vincentii, ad sedem apostolicam venientem, velut Bisuntinensis ecclesiæ præcipuum membrum debita benignitate suscepimus, et, ad vestræ postulationis instantiam, ei, frater archiepiscope, tanquam tuo vicario et in peragendis villarum solemnibus vices tuas gerenti, pro honore Bisuntinensis ecclesiæ, usum mitræ et annuli concessimus, in proposito habentes vobis inter speciales sacro-sanctæ Romanæ ecclesiæ filios omni tempore dilectionis prærogativam exhibere, et ecclesiæ Bisuntinensis honorem modis quibus cum Deo possimus exaltare. Datum Cremonæ, idus Junii.

XLII.

Ex eisdem (2).

Herbertus archipræsul litem solvit inter abbatem Corneoli et Vgit *colonos.*

1169.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Herbertus, Dei gratia Bisuntinus archiepiscopus, notum esse volumus tam præsentibus quam futuris, quod Ticelinus, abbas Corneoli, et homines de *Vgit,* pro discordia quæ inter eos fuit de divisione territoriorum Magniaci et *Vgit*, ex præcepto Guidonis abbatis et Petri de *Ceys*, qui tunc temporis comitatum regebant, præsentiam domini imperatoris in Lombardiam adierunt, ibique, nobis præsentibus, ex mandato domini

(1) T. IX, p. 451.

(1) T. II, p. 553.
(2) T. XIV, p. 446.

imperatoris, per dominum Odonem Campi et Hugonem de Aspero Monte et Stephanum *Dechoys*, et alios, inter eos judicium prolatum est. Hujus judicii hæc fuit summa. Dictum est, quod si abbas, sicut asserebat per Humbertum, prænominatæ villæ sacerdotem, divisionem factam fuisse, eamque in præsentia domini Petri *de Trèves*, nec non et abbatis S. Vincentii, prioris quoque S. Pauli, vero salvoque judicio declaratam, quemadmodum et vere deberet, posset probare, ecclesia in sua quieta maneret possessione. Eos vero per adventum nostrum in Burgundiam, ad nostram et clericorum nostrorum convocavimus præsentiam, ibique audivimus quod abbas, sicut asseruerat, prædictum judicium scriptis suis probavit. Postea vero eamdem divisionem, sicut in scriptis ecclesiæ continebatur, per dominum Rayhaldum, in cujus manu primum donum loci illius factum erat, fieri oculata fide perspeximus et testamur. Nos vero, consilio Evraldi, thesaurarii nostri, nec non et magistri Stephani et aliorum, ad pacem ecclesiæ conservandam præcipimus, ut quinque de maturioribus fratribus præfatæ ecclesiæ scriptum illud legitimum esse jurarent. Quod factum fuisse apud *Valay*, præsente magistro Stephano decano, Bartholomæo præposito, Landrico et Guidone fratribus *de Chantonnay*, Hugone villico ejusdem villæ, ipso præfato Stephano testante, audivimus et certi sumus. Ne autem in posterum hoc cassaretur quorumlibet calumnia, præsentem paginam fieri et sigilli nostri impressione muniri præcipimus, et sub anathemate confirmamus. Datum per manum Petri, cancellarii, et S. Stephani præcentoris. S. Evraldi thesaurarii. S. magistri Stephani *de Fueberens*. S. Geraldi capellani. Actum anno ab Incarn. Domini millesimo centesimo sexagesimo nono.

XLIII.

Ex eodem (1).

Guichardum servum dat Stephanus comes Roseriis.

1170. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Stephanus, comes Burgundiæ, tam præsentibus quam futuris scripto notifico donum quod pro mea meorumque salute donavi. Dedi siquidem ecclesiæ S. Mariæ de Roseriis, viam sancti sepulchri jam ingressurus, jure perpetuo possidendum Guichardum, cum omni posteritate sua, et universis possessis et possidendis apud Legdonium, et sigilli mei impressione signavi. Testes Bernardus Bellævallis, Jacobus Caritatis abbates, Hanno monachus de Caritate, Robertus monachus Roseriensis, Humbertus præpositus Legdonensis, Guido præpositus de *Arlay*. Actum apud Legdonium, in manu Bernardi abbatis Roseriensis, anno ab Incarn. Dom. MCLXX. Hoc concessit comitissa uxor mea apud Trevam. Testes Bernardus abbas Bellævallis, Guido prior, Alhericus et Theodoricus conversi de Caritate, Girardus presbyter.

XLIV.

Ex eodem (2).

Judicium inter monasterium Bellævallis et decanum S. Stephani.

1174. Ewrardus, divina miseratione Bisuntinæ sedis humilis minister, præsentibus et futuris in

A perpetuum. Quoniam episcopalis officii est male acta corrigere, correcta vel bene acta fovere, inde est quod placitationum judicialem terminationem, inter Bellævallis abbatem et ecclesiam S. Stephani, in præsentia nostra factam esse, rogatu Theoderici, ejusdem ecclesiæ decani, bonum duximus universitati fidelium scripto mandare. Quærebant canonici conventionem quamdam, quæ domini Pontii, venerabilis abbatis, temporibus, super exclusa monachorum acta dicebatur, quæ talis fieri debuit quia piscatoris navicula transire posset terram cujusdam Bernardi in *Bullenteys*, quæ fulcam eis, rastrum et arictem censualem debebat; decimas de Bahaleriis et de Manutum, quæ ad ecclesias suas de *Noeroy* B et de *Vy* pertinebant. Abbatis autem responsiones tales fuerunt : — « Conventionem quam dicitis supra exclusa factam nescimus; terram illius ex legitima possessione et apostolica auctoritate confirmatam tenemus : decimas quoque non debemus, quoniam sedis apostolicæ benignitas laborum nostrorum decimas nobis remisit; nec etiam terram de *Noeroy*, cujus decimas quæritis, possidemus : sed et nos conquerimur de pascuis nostris de *Valeroy*, quibus homines vestri de *Chambornay* sola violentia utuntur, et præsertim cum privilegium vestrum, in quo hæc pascua vobis confirmari feceratis, propter hoc apostolica auctoritate damnatum fuit. » Ad hoc responderunt canonici, quod de jure semper eis usi sunt C homines sui, damnationem illam privilegii sui ignorantes. His auditis allegationibus, tale judicium factum est. Conventio super exclusa, si legitime probatur, teneatur. Servitia, quæ canonici super terram de *Bullenteys* sibi deberi dicunt, si probari queunt, monachi canonicis terram dimittant, aut grangiam eorum possideant. De decimis, quas monachi ab apostolica benignitate sibi dicunt remitti, diximus, sicut ipsa Romana curia solet interpretari, videlicet ut novalium decimationes sibi retineant; de aliis quæ ad jus ecclesiæ S. Stephani pertinere canonici legitime poterunt probare, illi reddant, vel cum grangia eorum retineant. Si privilegium, in quo pascua de *Valeroy* canonici sibi confirmari fecerunt, propter hoc apostolica auctoritate D fuisse damnatum probari potest, canonici et eorum homines a pascuis illis cessare debent.

Super his prosequendis dies statuitur. Conveniunt utrique. Producunt canonici super exclusæ conventione testem, villicum scilicet de *Chambornay*, solum non mortuum testem, probare promittentem. De servitio terræ de *Bullenteys* rusticum producunt, varia et insufficientia verba proferentem. Item abbas privilegium canonicorum, in quo pascua de *Valeroy* inserta videbantur, perforatum, et litteris apostolicis ostendit propter hoc illud fuisse damnatum.

Committitur sententiæ curiæ quis judicio condemnari debeat, vel absolvi. Ivimus ad judicium. Diximus villicum pluribus ex causis minus suf- E ficientem, tum quia ex ipsa villicatione suspectus, tum quia solus erat, tum quia contra tam authenticam et venerabilem personam, Pontium videlicet, abbatem, testimonium perhibebat, et etiam super hoc quod, eo vivente et post mortem ejus, tam longo tempore monasterium inconvulse possederat. Item, super terræ illius servitio de *Bullenteys*, testis productus minus sufficiens visus est, nec aliquid apostolica auctoritate monachis confirmatum ex ejus testimonio infirmari cognovimus. Rursus pascua de *Valeroy* prædicto abbati, cum et privilegium canonicorum propter ea fuisse damnatum ipsis apostolicis litteris probaverit, nec apostolica sententia fuerit

(1) T. X, p. 341.
(2) T. IX, p. 512.

aliquando super hoc retractata, prorsus adjudicavimus.

Circa hæc canonici de judicio conqueruntur. Secundum consuetudinem patriæ, revertimus ad judicium. Sed cum diu et satis diligenter inquisitum sit, nihil inventum est emendatione dignum, et sicut prius judicatum fuerat sancitur. Tunc decanus judicium, universorum concordiam, et de sæpe quæsitis emendationibus nullam immutationem se consequi videns, ex ratione se ipsum convincens, judicium laudat, et approbat, et etiam eodem die in præsentia nostra promittit quod nec in occulto, nec in manifesto, super iis omnibus contra abbatem, seu monasterium Bellævallis, canonicis consilium vel auxilium præstabit. Sed eo nolente et contra existente, quidam ex canonicis, diaconus Hugo de Parlisa, abbatem ad sedem apostolicam appellat, diem præfigens in octavis S. Andreæ.

Hæc omnia, sicut in præsentia nostra gesta sunt, scripto annotari fecimus, ut et suo tempore quibus debuerint proficiant, et, cum opus fuerit, apostolicæ audientiæ innotescant. Actum Bisuntii, in domo episcopali, anno ab Incarn. Dom. MCLXXIV, III id. Aprilis. Horum omnium testes Narduinus Loci Crescentis et H. Belli Campi abbates, Stephanus S. Joannis decanus, Petrus thesaurarius, Fredericus præcentor, Henricus de S. Quintino, Tirricus de *Vilefaz*, Pontius de *Vayllans*, Wido capellanus et Petrus major de *Fondremanz*, Girardus de Cusantia. Data per manum Manegodi, notarii nostri.

XLV.

Ex eisdem (1).

Confirmatio rerum Bethaniæ datarum.

Circa 1174.

E., divina miseratione Bisuntinæ sedis humilis minister, veritatem diligentibus gestorum notitiam. Quoniam refrigescit caritas multorum, ne, temporum urgente senio, res gesta simul oblivione senescat, litterarum apicibus commendandum duximus, quod Valo, miles de Pomcio, per manum nostram in eleemosynam dedit Deo et domui Bethaniæ, et fratribus in ea Deo servientibus, quidquid habebat in vallibus, a semita quæ ducit de *Nuyre* Favarniam usque ad Bichi, sicut illuc aquæ decurrunt versus grangiam. Dedit etiam eidem domui quidquid habebat in valle Bethaniæ, ab abbatia usque ad fontem villæ Manfridi, ex ea parte aquæ quæ in grangia sita est quæ dicitur Planta, sursum usque ad viam quæ ducit per antiam de Luxovio ad prædictam villam Manfridi, et quidquid habebat in pratis, vel ubi pratum fieri posset, ex utraque parte aquæ, exceptis duobus molendinis. Super hoc testes affuerunt Stephanus, S. Joannis decanus; Theodericus, S. Stephani decanus; Petrus, S. Joannis thesaurarius; Humbertus, cantor S. Stephani; Stephanus, thesaurarius; Willelmus de *Arguel*, archidiaconus; abbates Bernardus, Bellævallis; Lucas, Cari Loci; Narduinus, Loci Crescentis; Guido de Calisola; Guido, capellanus de *Fondremant;* Odilo, canonicus de Columbæ Monasterio; magister Vivianus, templarius; Henricus de S. Quintino, de Visulio, et Bernardus de *Avilley*.

Præterea sciat tam præsentium industria quam futurorum successio, quod Aymo, dominus de Falcogneio, cum Joanne, filio suo, ad nos veniens, recognovit quod, laudante Adelina uxore sua, et filiis suis singulis, scilicet Hugone, Pontio et Milone, concesserat Deo et ecclesiæ de Bethania masnile quod (dicitur) Devas, cum appenditiis suis, sicut prædicta ecclesia illud acquisierat ab Alardo de Falcogneio et filiis ejus Valone et Gerardo, qui a prædicto Haymone illud in feodum tenebant. Hoc itaque præfatus Aymo sub certis testibus se fecisse coram nobis recognovit; quorum hæc sunt nomina : Wilhelmus, abbas de Bethania; Petrus et Aymo, monachi ejus; Vivianus, Wido, Petrus et Aymon, monachi de Theoloco; Hugo, Odilo, Seguinus et Petrus, canonici de Columbæ Monasterio; Guillermus, de eadem villa; Stephanus de Palma.

Nos igitur postmodum scripto fecimus annotari, et sigilli nostri impressione muniri, auctoritate nobis a Deo concessa, firmiter præcipientes ut si quis forte deinceps præfatam ecclesiam de Bethania super his inquietare tentaverit, nisi secundo tertiove commonitus digne resipuerit, excommunicationis sententiæ subjaceat, et a corpore et sanguine nostri Jesu Christi, et communione sacro-sanctæ Ecclesiæ usque ad condignam satisfactionem minime existat. Data per manum Humberti, cancellarii et cantoris S. Stephani, anno ab Incarn. Dom. MCLIV (1).

XLVI.

Ewrardus, archiepiscopus, Bernardo, Bellævallis abbati, facultatem concedit domum in vico Battant *ædificandi.* Ex eisdem (2).

Ewrardus, divina miseratione Bisuntinæ sedis humilis minister, Bernardo abbati Bellævallis ceterisque ejusdem loci fratribus eorumque successoribus in perpetuum. Bonæ opinionis et conversationis religiosæ fratribus, sedula devotione Deo militantibus, protectionis ecclesiasticæ convenit suffragia non deesse. Quapropter, dilecte frater in Domino, tuæ tuorumque successorum providentes utilitati, intuitu pietatis tuis petitionibus inclinamur, et in vico qui dicitur *Batant* casale ad domum faciendam, et hortum, sicut ab Hugone, cognomine *Bysche,* et ab hæredibus ejus sub censu trium solidorum suscepisti, laude et assensu ministralium nostrorum, tibi et monasterio tuo concedimus et laudamus liberum ab omni exactione, quandiu sub proprietate et dominio vestro tenueritis. Et ut hoc ratum firmumque in perpetuum permaneat, sigilli nostri impressione munimus. Actum Bisuntii, in solemni curia nostra, anno ab Incarn. Dom. MCLXXVI. Testes, Otho camerarius, Fredericus dapifer, Henricus de S. Quintino, Stephanus villicus. Datum per manum Humberti, S. Stephani præcentoris et cancellarii nostri. 1176.

XLVII.

Fontanellas prædium ecclesia S. Joannis fratribus Hierosolymitanis confert. Ex eisdem (3).

Notum sit universis ad quorum notitiam præsentes venerint litteræ, Stephanum, S. Joannis decanum, allodium suum de Fontanellis, quod Hugo et fratres ejus tenebant, ecclesiæ S. Joannis dedisse : ecclesia vero fratribus Hie- 1178.

(1) T. XI, p. 148.

(1) Humbertus anno 1154 Bisuntinæ ecclesiæ præerat. Nec tunc temporis Bernardus Bellævallis, Lucas Cari Loci, Narduinus Loci Crescentis, Guillelmus Bethaniæ abbates erant. Eberardo igitur, collatis testium nominibus, et anno circiter 1174, chartam hanc adscribimus.

(2) T. IX, p. 258.

(3) T. V, p. 557.

rosolymitani hospitalis illud concessit, et per manum Ebrardi archiepiscopi Guigonem de S. Michaele, qui in Bisuntinensi archiepiscopatu magister eorum erat, fecit investiri. Guigo autem, Ebrardo archiepiscopo et ecclesiæ conventu præsentibus, promisit canonicis quod hospitalis domus Hierosolymitana decem solidos censuales et novem minas frumenti singulis annis in anniversario prædicti Stephani, decani ecclesiæ S. Joannis, solveret; si vero, statuto anniversarii die, assignatum supra debitum non solveretur, pro lege satisfactionis capituli soluto tres solidos daret. Quod ut in perpetuum stabile maneret et ratum, donationis scriptum sigillo prædicti Guigonis de S. Michaele est insignitum. Hoc autem legitimo sub positarum personarum B testimonio est factum: Frederici cantoris et archidiaconi, Willelmi comitis, Milonis de Bellojoco, Guidonis de S. Quintimo, Willelmi de *Arguel*, canonicorum et archidiaconorum, Landrici, Willelmi Bretulli, Manegodi canonici, Petri *Fillo* villici de *Poilley*, Alb. de Clauso et Joc. Rinaldi de *Chrinadaw*, servientium, Stephani de *Licey*, Hugouis de *Frasney*, forestariorum. Actum in claustro S. Joannis, anno ab Incarn. Dom. 1178, ind. II.

XLVIII.

Ex apographo (1).

Fredericus imperator Vesuntionensis archiepiscopi jura in morientium civium bona describit. C

1179. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Fredericus, divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Imperialis clementiæ benignitas imperii fidelibus, tam locis quam personis, sua jura et bonos usus servare consuevit, ne inferiores altior potestas opprimeret, aut inferiorum insolens novitas potestatibus subjectionis et bonæ consuetudinis debitum derogaret. Inde est quod, dum Bisuntium venissemus, inter archiepiscopum Evrardum et cives suos aliquam* invenimus discordiam supra quorumdam proventuum genere, quos leges appellant caducum, eo quod casu morientium proveuire solent, quos etiam idem archiepiscopus a civi- D bus suis morientibus exigere consueverat, et partes nostras curavimus interponere, et agitatam diu dissensionem, tentata* consuetudinis illius auctoritate, in concordiam revocare; et quum præfatam civitatem cum suo semper archiepiscopo perpetua pace quiete florere cupimus, nota omnibus imperii nostri fidelibus, tam futuris quam præsentibus, facimus instituta quæ supra hujusmodi negotii controversia, ex consensu utriusque partis, archiepiscopi scilicet et civium suorum, ordinavimus et firmo auctoritatis nostræ præcepto stabilire curavimus. Si civis Bisuntinus, homo archiepiscopi, legitimos hæredes habens, decesserit, testamentum quod eisdem hæredibus fecerit ratum teneatur; si vero E non fecerit, hæredes ejus nihilominus bona defuncti in universum obtineant. Hæredes autem legitimi sunt filii et filiæ, fratres et sorores, et eorum filii et filiæ, tantum legitimi. Generalem vero legem in hoc hæreditandi jure tam feminis quam viris confirmamus: verum quicumque sic ad hæreditates accesserint, pro consuetudine civitatis eas archiepiscopo deservire teneantur. Si vero civis Bisuntinus, homo archiepiscopi, legitimos hæredes non habens, de suis bonis mobilibus testamentum fecerit, ratum per omnia teneatur, et is cui de bonis suis aliquid legaverit A ea archiepiscopi pace et sine omni contradictione obtineat; eleemosynam tamen suam moriens archiepiscopo ordinabit. Si quid autem de rebus mobilibus non legatum reliquerit, id cedet archiepiscopo. Verum si decedens uxorem legitimam, nec hæredes legitimos, habuerit, uxor dotem suam juxta consuetudinem civitatis accipiat, et præterea si quid adhuc inveniri possit quod viro suo nubens donaverit; immobilia autem ad proximos ejus qui defunctus est convenienti redemptione transibunt per gratiam archiepiscopi. Si quis autem de civibus Bisuntinis, homo archiepiscopi, intestatus obierit, qui hæredes legitimos non habuerit, bona ejus mobilia archiepiscopus accipiet; verum bona immobilia quæ sic ad archiepiscopum devenerint, proximi ejus qui defunctus est, hæreditarie sibi succedere debentes, ut dudum dictum est, impetrata gratia archiepiscopi obtinebunt. Ut advenis in civitate morientibus antiqua consuetudo servetur. In his supradictis scilicet casibus, seu caducis, cum ea archiepiscopus Evrardus, prout* ea quæ in præsenti chartula continentur, de cetero remisit et in perpetuum per manum nostram abdicavit, solvent ei prædicti cives sui, in compensationem, annuatim viginti quinque libras Stephaniensis monetæ infra Quadragesimam, donec assignent ei competenter certos reditus unde solvantur. Interea in quantum ex his reditibus assignaverint solvi, in tantum ipsi a summa debiti absoluti erunt. Ipse etiam archiepiscopus in reditibus istis acquirendis, bona fide, benigno animo, juvabit cives suos. Pro talis, seu collectis, quum tam archiepiscopus Evrardus quam antecessor suus Humbertus eas in perpetuum remisit, dabunt reditus de macellis, de nundinis etiam in anno celebrandis, quos et ante ei dandos consenserint et diffiuierint; et quadraginta libras dabunt ei cum extra episcopatum curiam imperialem adierit, sive vocatus, sive propter civitatis causam. Hanc concordiæ formam convenit inter archiepiscopum et cives suos amice componere per manum nostram; et cives omni dilectione et fideli obsequio dominum suum reverebuntur, et ipse eos omni benevolentiæ et gratiæ respectu diligere et fovere studebit. Hæc autem instituta, quum ab archiepiscopo et civibus suis pari consensu approbata sint, auctoritate nostra confirmamus, et in perpetuum valere jubemus, statuentes quod si quis ea violare præsumpserit, decem libras auri persolvat, dimidium cameræ nostræ et dimidium injuriato, sed, præstita satisfactione, nihilominus tenor privilegii servetur. Hujus rei testes sunt, comes Ludovicus de Firreto, comes Ludovicus de *Sarwerde*, comes Amedeus de Monte Belligardi, comes Odo de Rupe, Theodoricus decanus S. Stephani, Humbertus ejusdem ecclesiæ præcentor, Odo Campaniensis, Gilbertus vicecomes Visulii, Petrus de *Cis*, Egelolfus de *Ursilingen*. Signum domini Frederici, Romanorum imperatoris invictissimi.

Ego Godefredus, curiæ cancellarius, vice Christiani, Moguntinensis archiepiscopi, et totius Germaniæ archi-cancellarii, recognovi. Acta fuerunt hæc anno Domin. Incarn. MCLXXIX, indict. XII, regnante domino (Frederico), Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni ejus vicesimo octavo, imperii autem vicesimo quinto. Datum in cœmetario* Basiliensi, apud villam Columbariam, VII id. Maii, feliciter. Amen.

al. gravem. — *al.* temperata. — *al.* præter. — *al.* territorio.

(1) Max. Paris. Bibl. P. B. F. 88.

XLIX.

Ex schedis Droz. (1). *Theodorici archipræsulis sententia de dissidiis inter Roseriarum monachos et Aimonem de* Waldré.

1180. Theodericus, divina miseratione Bisuntinæ sedis humilis minister, præsentibus et futuris rei gestæ notitiam. Quum materiam litis et discordiæ in quantum possumus resecare tenemur, maxime ubi religiosæ personæ laborant, quas potius divino servitio decet esse intentas, ne acta iterum agitentur, præsenti scripto posterorum memoriæ commendamus qualiter causa inter dominum Aimonem *de Waldré* et ecclesiam de Roseriis diutissime ventilata tandem finem accepit. Sciant itaque quos scire oportuerit quod abbas de Roseriis, secundum quod in curia nostra ei judicatum fuerat, testes in præsentia nostra produxit testificantes, quod ecclesia de Roseriis in nemore de *Waldré* plenum in omnibus usagium habet, excepto quod in eo nec pastum, nec campum, nec aliquod novale sibi facere liceret. Cum igitur testes illi testimonium suum bene et legitime ad exsecutionem judicii prætulissent, diem præfiximus domino *de Waldré*, in quo liceret ei in personas testium loqui, ad eos rationabiliter de testimonio removendos, si posset; alioquin ipsi duo testes, cum alter esset monachus, et alter laicus, juramento et obedientiæ testimonio fidem darent. Contigit autem infra diem præfixum quod dominus *de Waldré* de monachis de Roseriis nobis conquereretur, quod in ipsius personam aliquid contumeliose et inhoneste egissent, unde ei et monachis, in ipsa præfixa ante die, diem in curia nostra denominavimus, in qua dominus *de Waldré* contumeliam sibi illatam emendatione dignam probaret, si posset, vel monachi, præsumptionibus auditis, salvo ordine ipsorum in contrarium probarent.

Venerunt utrique ad diem super his præfixam. Abbas paratus fuit audire quod dominus *de Waldré* in personas testium proferre vellet, ad susceptionem juramenti suorum testium nos sæpissime invitans. Dominus vero *de Waldré*, probationem contumeliæ sibi illatæ volens proponere, testes super hoc produxit, quorum testimonium quia curiæ nostræ non est visum sufficiens, diximus quod de illato sibi dedecore ulterius non placitaret; et sic, quasi illatum sibi dedecus moleste et indignanter ferens, a nobis recessit. Abbas vero ea quæ dominus *de Waldré* ad probandum proposuerat in contrarium probavit, testes suos producens, et ihidem nos rogavit ut prædictorum testium juramentum susciperemus. Nos autem, cum prædictus dominus Aimo, sicut prædiximus, a nobis recessisset, de pace utriusque partis tractare volentes, juramentum testium suscipere distulimus; unde diem utrisque præfiximus, ad quam dominus *de Waldré* juramentum testium auditurus accederet. Venerunt utrique ad diem. Abbas nos iterum rogavit, ut, cum testes sui jam alia vice testimonium suum bene protulissent, et eadem dies de susceptione juramenti sui denominata fuisset, testimonium ipsorum testium susciperemus. Dominus autem *de Waldré* volens eos de testimonio removere, in personas ipsorum agere voluit, dicens quia ei judicatum fuerat, quod, ante susceptionem juramenti, ad eos de testimonio removendos, in personas ipsorum ei aliquid rationabiliter loqui liceret. Abbas dixit quod super hoc dies alia ei denominata fuerat, in quo in personas ipsorum ei agere licuisset, si voluisset, vel potuisset; cum autem in personas testium ea die nihil egerat, et hæc dies ultima de susceptione juramenti præfixa fuerat, susceptionem juramenti testium suorum amplius impediri nolebat. Dominus *de Waldré* semper innitebatur judicio quod factum fuerat de remotione testium, si rationabiliter fieri posset ante susceptionem sacramenti. Abbas innitebatur diei quæ domino *de Waldré* præfixa fuerat, in qua loqueretur in personas testium, si sciret, vel posset; in qua quia nihil prorsus ad remotionem ipsorum protulerat super hoc, eum abbas amplius audiri nolebat. Auditis autem utriusque partis allegationibus, judicium eis factum fuit. Quod quia abbati injustum visum est, in præsentia domini Albanensis appellavit, qui ante legatus ad partes nostras a latere domini papæ destinatus erat.

Præfatus autem dominus Aimo *de Waldré* hujus appellationis diem recipere contempsit, nec eam prosecutus est : sic et postea coram nobis recognovit. Abbas autem ita appellationis diem prosecutus est, quod litteras domini Albanensis ad nos detulit, mandantis et attente monentis, ut, cum instrumentum de possessionibus ipsius abbatis, prædecessoris nostri Humberti sigillo munitum et legitimis testibus roboratum, inspectione diligenti considerasset, nec aliquid unde sit refutandum in eo cognovisset, juxta tenorem ipsius instrumenti prædictum abbatem pace debita perfrui, et testes ipsius, contra quos pars adversa die sibi assignata nullam opposuerat exceptionem, recipi faceremus. Habito igitur super his curiæ nostræ consilio, ex mandato domini Albanensis, testes illos qui, secundum curiæ nostræ judicium, testimonium prima alia vice protulerant, præstito ab eis sacramento, recepimus; insuper et instrumentum quod auctoritas domini Albanensis diligenter inspectum approbavit, pariter approbavimus.

Acta sunt hæc solemniter in curia nostra, præsentibus testibus : Bernardo abbate Bellævallis, Petro S. Joannis thesaurario, Frederico S. Joannis cantore, Widone decano de *Fondremant*, Guidone clerico de *Thienans*, Simone de *Villey*, et aliis pluribus. Quod ut ratum et inconvulsum permaneat, sigilli nostri munimen apponi fecimus. Data per manum Manegodi, notarii nostri, vice-cancellarii, anno ab Incarn. Dom. MCLXXX.

L.

Plura Bellævalli data Rogerius, Lausannensis episcopus, confirmat. Ex eis- nem (1).

Rogerius, Dei gratia Lausannensis episcopus et apostolicæ sedis legatus, dilecto in Christo fratri Bernardo, abbati Bellævallis, ejusque fratribus regularem vitam professis in perpetuum. Quamvis omnibus christianis adversa patientibus pio cum passionis affectu debeamus subvenire, pro iis tamen copiosius caritatis viscera debemus effundere, qui, pro catholicæ matris unitate pressuras malorum diutius tolerantes, in via veritatis majori constantia præstitisse probantur. Inde est quod nos in auribus Ecclesiæ testimonium perhibemus dilectis fratribus nostris Bellævallis, quod, tempore quo schismatis horror et error nebulosus multos circumquaque miserabiliter involvit, ipsi pro catholica unitate constan- 1180.

(1) T. X, p. 374.

(1) T. IX, p. 244.

ter steterunt, facultates suas diripientibus eas, se ipsos exsilio pro veritate humiliter exponentes; verumtamen negotia domus illius, vel acquisita quæ tunc temporis scripto firmari oportebat, sub illius testimonio qui tunc ecclesiæ Bisuntinæ qualitercumque præsidebat permunierunt, tempus pro tempore redimentes. Licet enim talis ille præsul schismatis macula per omnia fuerit contaminatus, consilium tamen fuit ut sub umbra illius umbrosum illud tempus præterirent, et contra schismaticorum querimonias haberent interim unde sufficienter pro tempore responderent. Deinde cum, per gratiam Dei redeunte pace, veritas patefacta luceret, et in Ecclesia catholica catholicus papa sedens regeret unum ovile pastor unus, præfati fratres scripta jam dicta penitus abjicere voluerunt, ne possint talia privilegia eorum legitima violare. Nos autem, per administrationem legationis nobis commissæ cum Bisuntinam provinciam visitaturi venissemus, ne quid in Ecclesia Dei, quæ debet esse sine macula, maculosum de anathemate remaneret, instrumenta præscripta penitus cum suo auctore judicavimus condemnanda. Verum considerantes quod littera tamen non delinquit, ubi pura veritas legitimis testibus constat roborata, simul et dantes operam ut filii acquisitionis legitimæ conquisita leviter non amittant, omnia data illis acquisita, quæ ibi, sicut legimus, continebantur, præsertimque cum traditor nullus obsistit, auctoritate legationis nostræ renovanda decrevimus, et renovata auctoritate apostolica confirmamus. Sunt autem hæc. Ulricus de Balneta, laude filiorum suorum, Moranni, Ulrici, Henrici, Hugonis, guerpivit omnes calumnias quas habere poterat in omni possessione domus Bellævallis, et dedit eidem pasturas animalium per totam terram suam: testes Theobaldus et Willelmus, monachi Bellævallis, Petrus capellanus de *Rigney*, Wido de *Chambornay*, Stephanus ejusdem villæ villicus, Humbertus de *Rigney*. Hugo de Rocha, et Otho, filius ejus, recognoverunt eidem domui per totam terram suam usuaria, et sicut et prædecessores sui Pontius et Otho et mater eorum jampridem dederant: testes, Christianus abbas de *Lucelay*, Gualterius monachus de Caro Loco, magister Stephanus de *Foudremans*. Stephanus, clericus de *Merchal*, dedit eidem domui quidquid calumniari poterat adversus eam, in decimis et fundis terrarum in omni parochia de *Merchal*, perpetualiter possidendum: testes, Albero abbas de *Lucelay*, Stephanus Salinensis, et Haymo de Bolla, monachi, Barradus de *Merchal*, Petrus Petri *Maler* filius. Hugo, clericus, filius Hieronymi de *Merchal*, dedit similiter eidem domui quidquid adversus eam calumniari poterat, in decimis et fundis terrarum in eadem parochia de *Merchal*; hoc ipsum donavit et laudavit frater ejus Mauricius: testes, Haymo capellanus imperatoris et frater ejus Bertinus, et Humbertus clericus de *Voray*. Stephanus et Raynaldus, fratres, de Nova-Villa, concesserunt prædictæ domui quidquid ex parte antecessorum suorum calumniari poterant adversus illam in omni possessione sua; dederunt etiam eidem domui pasturas quorumlibet animalium per totam terram suam: testes, Ebrardus thesaurarius, Henricus de S. Quintino, Petrus de *Foudremans*. Dederunt et iidem fratres eidem domui quidquid habebant de *Bullenteys*, excepto tenemento Hugonis et fratrum ejus qui dicuntur de *Bullenteys*; hoc ipsum tamen concesserunt cum ab eisdem fratribus tenementum illud prædicta domus poterit conquirere: testes, Fredericus dapifer Bisuntinus, Gualterus de *Evreis*, Bernardus villicus de Nova Villa. Haymo de *Aveilley*, assensu hæredum suorum Lethardi et Othonis, dedit eidem domui omnem decimationem quæ pertinebat ad eum in omni territorio d'*Arivers*: testes, Bernardus prior, Gualterus, Theobaldus, Haymo, Jordanus, monachi Bellævallis. Item Hugo Vivianus, Bernardus, fratres, de *Merchal*, contulerunt prædictæ domui quidquid calumniari poterant adversus eam, in omni territorio grangiarum de *Champors* et de *Braillant*: testes Robertus abbas de *Buzun*, Bernardus prior, Haymo cellerarius Bellævallis. Confirmamus nihilominus jam dictæ domui ea quæ a circummanentibus statuto die definita sunt de divisionibus terrarum inter villam de *Noeroy* et grangiam de Babaleriis, scilicet sicut collis dependet versus Babalerias, ubi Novale Martini dicitur, usque ad Montem Spinosum, et sicut grossi nemoris fagetum finem faciens dividitur: testes, magister Stephanus de *Foucherans*, Henricus de S. Quintino.

Nunc igitur, cum mundus in maligno positus, et inimicus quærentium quæ sua sunt ecclesiasticas eleemosynas injuste retrahere, et ad illicitos usus sibi vindicare conatur, idcirco, religiosorum fratrum Bellævallis paci et quieti consulentes, præscriptas donationes universas quæ prius præter unitatem catholicam conscriptæ et confirmatæ fuerunt, auctoritate nostræ legationis confirmamus, et decernimus ut nulli hominum quicquam de his vel violenter eripere, vel fraudulenter subtrahere liceat, sed pro sustentatione servorum Dei quibus collata sunt omnia integra et illibata permaneant, a modo usque in sempiternum. Actum legitime in Bellavalle, ubi testes fuerunt abbas Quintavallis de Balerna, Petrus prior S. Marci Lausannensis, Willelmus Sedulensis, præcentor ecclesiæ majoris denominatæ civitatis, et ejus concanonicus magister Henricus de *Romans*. Anno ab Incarn. Dom. MCLXXX. Datum per manum jam dicti Willelmi, cancellarii nostri.

LI.

Beatrix imperatrix cum Roseriarum monachis paciscitur. E C. J. Perreciot.

BEATRIX, Dei gratia Romanorum imperatrix semper augusta, universis fidelibus in perpetuum. 1183.
Verbum controversiæ adversus monachos de Roseriis habuimus, eo quod, in quibusdam possessionibus quas detinebant, juri nostro detrahere videbantur, donec eo usque, mediantibus honestis personis, pertractatum est quod inter nos et ipsos concorditer convenit. Verum quia expedit bene definita memoriæ commendari, ne forte contingat ea in posterum vel oblivione vel aliquorum perversitate depravari, conventionem hinc inde receptam dignum duximus scripti testimonio perpetuare. Noverint ergo præsentes et futuri, quod nos, pro memoria parentum nostrorum et nostra salute, eisdem monachis concedimus et confirmamus terras de *Bunens*, a Raynaldo *de Montbis* ei datas, quemadmodum ex præcepto legatorum nostrorum, domini Herberti et Odonis Campaniensis, per cortimanentes videlicet Odilonem *de Liesle*, Robertum præpositum Arbusii, et Robertum præpositum de *Wadens*, sub attestatione sacramenti, divisum fuit. Confirmamus etiam eis

(1) *Etat des Pers.*, t. III, p. 38.

universas possessiones quascumque, ubicumque in campis, in pratis, silvis, vineis et pasciis impræsentiarum possident; excepto puteo salis apud Grossonium, super quo in nostræ et eorum concordiæ conventione, salvo utriusque partis jure, nec a nobis quidquam indultum est, nec ab illis verpitum. Ceterum et ipsi, sub hujus conventionis tenore, nobis tenebuntur de cetero, nihil de terris nostris, sine nostro consensu et laude nostra, suis possessionibus usurpare. Hanc autem confirmationem nostram præcipimus et statuimus a successoribus nostris et ab omni homine in perpetuum observari. Et ut rata et inconcussa permaneat, sigilli nostri auctoritate communimus. Testes Bernardus abbas Bellævallis, Ihcremias prior, Gislebertus supprior S. Pauli Bisuntini, Odo comes de Rocha, Rainaldus de Bisuntio, Lambertus de Monte Bosonis, milites; Robertus de Villanova. Actum in nemore juxta Veterem Loiam, pridie idus Maii, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octogesimo tertio. Data per manum magistri Danielis, notarii nostri.

LII.

E schedis Baluz. (1). *Theodericus archipræsul quædam Corcellis data confirmat.*

1183. THEODERICUS, divina miseratione Bisuntinæ sedis humilis minister, præsentibus et futuris rei gestæ notitiam. Cum ex officio nobis a Deo commisso, omnium ecclesiarum, quæ in archiepiscopatu nostro sunt, sollicitudo nobis incumbat, earum maxime negotia et diligentiori studio et affectu promovere tenemur in Domino, quorum filios vel filias ad serviendum Deo religionis compedibus mancipari cognoscimus. Noverit igitur præsentium discretio et futurorum successio quod Hubaldus de *Royfe* et Ebrardus filius ejus, ad nostram accedentes præsentiam, dederunt in eleemosynam ecclesiæ et conventui de Corcellis, per manum nostram, quidquid juris et consuetudinis habebant in manso *Perruzat*, scilicet duas minas annonæ, alteram frumenti et alteram avenæ, censuales, et sex denarios censuales, quatuor in festo Apostolorum Petri et Pauli, et duos in Nativitate Domini, et præterea panem unum. Dederunt etiam prædicto conventui sex denarios censuales apud *Lyvernay*. Testes Wichardus S. Vincentii abbas, Landricus ecclesiæ S. Joannis, Guido ecclesiæ S. Stephani decani, Humbertus Salinensis archidiaconus, Ebrardus archidiaconus Palmensis, Stephanus ecclesiæ S. Stephani thesaurarius. Ut igitur hæc donatio rata et inconvulsa in futurum maneat, eam sigilli nostri testimonio fecimus insigniri. Actum Bisuntii, in curia nostra, anno Domin. Incarn. MCLXXXIII. Datum per Amedeum, cancellarium nostrum.

LIII.

E schedis Droz. (2). *Sententia Theoderici archipræsulis de quibusdam prædiis Bellævalli adscriptis.*

1183. THEODERICUS, Dei gratia Bisuntinæ sedis archiepiscopus, omnibus viventibus, etc., etc. Error tenebras, veritas lucem habere solent. Ea propter universitati fidelium nota fieri volumus

(1) Arm. 5, fasc. 3, n. 6, t. II.
(2) T. IX, p. 251.

A quæ de terrarum divisionibus inter *Noeray* et grangiam de Bahaleriis in præsentia nostra gesta sunt. Super quibus tam hominibus nostris de *Noeray*, quam etiam monachis conquerentibus, accessimus ad territorium illud die denominato. Ostendebant autem et asserebant ex diversis partibus diversa. Tunc ex contrariis assertionibus hæsitantes ad sensum utrorumque, diem judicandi inter eos Bisuntii posuimus, ad quem venerunt tam abbas quam illi de *Noeray*, præpositus scilicet Willelmus et villicus Humbertus et forestarius noster, consilio personarum curiæ nostræ abundanter fulti. Allegabat abbas et prætendebat divisionem terrarum illarum tempore prædecessoris nostri domini Humberti archiepi-
B scopi per cortimanentes concorditer factam; et aliud : quod in præsentia domini Humberti, qui tunc temporis Bisuntinæ sedi præsidebat electus, possessionem suam, sicut collis dependet versus Bahalerias, ubi Novale Martini dicitur, et sicut grossi nemoris fagetum faciens finem dividitur, per judicium retinuerat, insuper et per scriptionem abundantem. Illi vero de *Noeray* hæc omnia facta denegabant, et suam per scriptionem multis assertionibus sufficientem monstrare volebant. Unde et judicium factum est tale. Si abbas unum illorum trium quæ dicebat monstrare posset, scilicet concordiam cortimanentium, aut possessionem retentam per judicium, vel etiam legitimam præscriptionem, ipsa possessio adjudicabitur ei cum omni integritate.
C Unde et prosecutionis judicii dies certa in curia nostra statuitur, ubi, recitato secundum morem judicio, abbas quod quondam alia vice in curia Bisuntina toties dictam possessionem contra jam dictum præpositum per judicium obtinuerat plenarie abundanti scripto demonstravit. Testes Guido Roseriarum, Theobaldus de Caritate, Wichardus, S. Vincentii abbates; Landricus, decanus S. Joannis; Jeremias, prior S. Pauli; Fredericus, præcentor S. Joannis; Willelmus, thesaurarius; Amedeus, præcentor S. Stephani, Humbertus, archidiaconus; Stephanus, thesaurarius; Narduinus, canonicus Lingonensis; Henricus de S. Quintino. Interdicimus igitur ut a modo et in reliquum nulli omnino hominum
D liceat monasterium Bellævallis super hoc inquietare, vel temere perturbare, aut ei aliquam injuriam inferre. Actum anno ab Incarn. Dom. MCLXXXIII. Datum per manum nostri vice-cancellarii.

LIV.

Theodorici archipræsulis decretum de numero canonicorum B. Mariæ Magdalenæ. Ex eisdem (1).

THEODORICUS, divina miseratione Bisuntinæ sedis humilis minister, præsentibus et futuris 1185.
rei gestæ notitiam. Pastoralis officii divina solli-
E citudo nos admonet, ut omnibus ecclesiis sub nostro regimine constitutis paternæ caritatis providentiam exhibeamus et curas; eis autem præcipue quas cognovimus prædecessorum nostrorum ampliatas beneficiis. Inde enim quod, facultatibus quas habet ecclesia B. Mariæ Magdalenæ, convocato consilio ejusdem ecclesiæ canonicorum, diligenter inspectis, secundum possibilitatem earum, canonicorum numerum ibidem diffinivimus, sub anathemate prohibentes ne ibi supra tredecim canonicos quisquam in canonicum reciperetur : hoc idem Willelmo de-

(1) T. XV, p. 48.

cano et Theobaldo ejusdem ecclesiæ cantore ceterisque canonicis, ex propria ipsorum voluntate et nostro assensu, sacramenti religione firmantibus. Quod ut ratum et inconcussum in futurum permaneat, sigilli nostri auctoritate firmavimus. Testes Richardus S. Vincentii abbas, Guido S. Stephani decanus, (1) ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ capellanus, Richardus et Humbertus presbyteri, Renaldus et Hugo fratres, Richardus de *Chevroit*, miles. Actum anno Domin. Incarn. MCLXXXV.

LV.

E. C. J. Perreciot (2). *Lis inter Bellævallenses et Quonoschiæ colonos.*

1188. Ludovicus, Dei gratia comes de Salvernia, imperialis aulæ in Burgundia justiciarius, universis Christi fidelibus rei gestæ notitiam in perpetuum. Noverint omnes ad quos præsentes litteræ venerint, quod cum olim imperialis justitiarius in Burgundia missus fuissem, clamor fratrum Bellævallis in aures nostras factus est, quod in nemoribus suis, quæ dicuntur Merlo, homines de Quonoschia injuriam eis fecissent; super quo, communicato magistri Danielis consilio, per cujus manum inter monachos præfatos et homines de eisdem nemoribus controversia jam diutius agitata fuerat et discussa, diem utrisque apud Visulium nominavimus, ut quid illa discussio monachis vel hominibus conferre vel prodesse deberet ibi discutetur. Ad quem diem convenientibus illis et illis, et in nostra præsentia constitutis, proposuimus illis de Quonoschia quod quantum juris Haymo, villicus ejusdem villæ, et Gislebertus et Otho, clericus, fratres, sub præstito juramento affirmarent eos in præscriptis nemoribus habere, id a monachis eis dimitti faciemus: super quo consilium inter se communicantes nominati fratres reportarunt tale juramentum se nulla ratione facturos: adjecit et unus eorum, videlicet Gislebertus, se non tantæ esse ætatis quod unquam porcos de Quonoschia in illa nemora ire vidisset: monachi vero dixerunt paratos se esse audire et suscipere curiæ nostræ judicium, vel potius sententiam judicialem, quid, vel quantum sibi conferre, vel prodesse deberet id quod hactenus factum fuerat per manum magistri Danielis, de controversia sua adversos illos de Quonoschia super nemoribus de Merlo, eo quod dies illa taliter eis data fuisset. Nos autem, ad finem rei tendentes, parati fuimus super hac re ad judicium mittere: sed illis de Quonoschia ex adverso clamantibus, judiciumque curiæ nostræ super hoc refugientibus, et ad interrogationem nostram si judicium vellent audire renuentibus, dedimus monachis abeundi licentiam, causam eorum judicantes expletam; majoribus curiæ baronibus hoc ipsum nobiscum sentientibus. Quos et hujus rei testes nominatim duximus subscribendos: Theodoricus, Bisuntinus archiepiscopus; Wido Cariloci et Wido Roseriarum abbates; Ludovicus de *Firretes*, et Amedeus Montis Biligardi comes; Gislebertus, vice-comes Visulii; Lambertus Montis Bosonis, præpositus Visulii; Otho et Gislebertus, fratres, de Quonoschia. Actum anno ab Incarn. Dom. MCLXXXVIII.

(1) Nomen deest.
(2) *Etat des Pers.*, t. III, p. 42.

LVI.

Clemens III plura privilegia canonicis S. Pauli concedit. E schedis Droz. (1).

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori et canonicis Bisuntinis salutem et apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis facilem nos convenit præbere consensum, et illa quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis petitionibus indulgendum ut, in negotiis ecclesiæ vestræ, amicos vestros testes afferre licentiam habeatis, et auctoritate præsentium vobis indulgemus ut si vestri canonici, vel conversi, in seipsos manus injecerint violentas, priori ecclesiæ vestræ munus absolutionis eis liceat impertiri: præterea decernimus ut quod a majori vel saniori parte vestri capituli fuerit ordinatum, non obstante contradictione, quæ rationabiliter non opponitur, suam debeat firmitatem habere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, inhibitionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, v. id. Julii, pontificatus nostri anno primo. 1188.

LVII.

Theodoricus, archiepiscopus, ecclesiam B. Mariæ de Champaigneiaco B. Mariæ Magdalenæ confert. Ex eisdem.

Theodoricus, Dei miseratione Bisuntinæ sedis humilis minister, præsentibus et futuris rei gestæ notitiam in futurum. Sciant quos scire opportunum fuerit, quod cum ad partes transmarinas pro subventione crucis proficisci vellemus, ecclesiam B. Mariæ de Champaigneiaco Magno, cum suis omnibus appendentiis, pro remedio animæ nostræ, laudante et præsente ejusdem loci archidiacono, perpetuo concessimus habendam ecclesiæ et canonicis B. Mariæ Magdalenæ Bisuntinæ, per sententiam excommunicationis eamdem ipsis confirmantes, salvo jure nostro pontificali pontificaliumque ministrorum dignitate. Quod ne a memoria possit in futurum discedere, sigilli nostri testimonio fecimus insigniri. Testes, Renaldus et Hugo milites Bisuntini, Renaldus Cambl., magister Henricus de Vilema. Actum anno Domin. Incarn. MCLXXXIX. Datum per Amedeum, cancellarium nostrum. 1189.

LVIII.

Pactum inter Bellævallenses et Widonem de Rocha. E schedis Droz. (1).

Amedeus, Dei gratia Bisuntinæ sedis archiepiscopus, universis præsentibus et futuris rei gestæ notitiam in perpetuum. Quoniam multis quotidie succedentibus oblivione delentur præterita, præsenti scripto posterorum notitiæ commendamus, quod Wido de Rocha, dominus de *Rulens*, veniens in præsentiam nostram, concessit in eleemosynam domui Bellævallis quidquid juris habebat in terris et pratis et nemoribus, et ceteris omnibus quæ eidem domui ca- 1195.

(1) T. VII, p. 79.
(2) T. IX, p. 441.

luminatus fuerat, vel calumniari poterat, apud *Brayllant*, apud *Champors*, apud Chesas, apud Valerianum, apud Masnile, apud Balmetam, et in omnibus possessionibus monachorum, ubicumque et quibuscumque eo tempore investiti erant, bona fide eis verpivit et in eleemosynam concessit, et quæcumque in chartis eorum continebantur, et eleemosynas antecessorum suorum eis laudavit, et etiam varantiam bonam, sicut hæres legitimus, ferre promisit; conventiones quoque, quas abbas Bernardus patri ejusdem Widonis fecisse dicebatur de hominibus sine ipsius assensu non retinendis, omnino irritas esse censuit et adnullavit in perpetuum. Recognoverunt autem ei monachi quod terras casatorum ejus, eas videlicet quas de ipso tenent, et terras hominum in quibus habent ea quæ vulgo dicuntur *prises*, sine ipsius assensu retinere non debent. De cetero querimonias omnes quas præfatus Wido et domus Bellævallis inter se habebant invicem sibi penitus remiserunt. Hoc totum idem Wido in manu nostra posuit. Unde testes Oliverius Luxovii et Wido Aceyi abbates, Humbertus, archidiaconus Palmensis, Willelmus *de Rosirs*, ecclesiæ S. Pauli, et Petrus *de Chevros*, S. M. Magdalenæ canonici, Wido qui dicitur Bos, miles de *Rulens*, Richardus, Constantinus et Raymundus, monachi Bellævallis. Recognovit et nobis idem Wido, coram eisdem testibus, quod hoc totum super magnum altare Bellævallis posuerat, præsente Martino abbate de Caritate, Constantino priore Bellævallis, Richardo et Raymundo cellelariis, Raynaldo grangiario, et ipso conventu, Widone decano *de Fondremanz*, Willermo *de Rosirs*, supra dicto canonico, Gisliberto *de Folenz* et Widone fratre ejus, Pontio præposito de *Vaillans*, Willelmo *de Vilefaz* et Widone *de Says*, juniore, militibus, Widone *de Merchal* et Pontio *Jugez*. Laudaverunt hoc totum, in manu Stephani, prioris S. Pauli, quem ad hoc loco nostri misimus apud Rocham, Simona, mater sæpe dicti Widonis, et fratres ejus Willelmus et Joannes, et Elisabeth soror eorumdem fratrum. Unde testes Humbertus, Petrus, Raymundus, et Simon, monachi Bellævallis, Gualterus conversus, Willelmus *de Rosirs* supra dictus canonicus, Wido presbyter de Rocha, Pontius *Jugez* et Petrus filius ejus, Stephanus famulus prioris S. Pauli. Actum est hoc anno ab Incarn. Dom. MCXCV. Ut igitur hoc tam solemniter factum et tot testibus munitum perpetuo ratum et inconvulsum permaneat, auctoritate pontificalis officii, quo fungimur, confirmamus, et præsentem paginam sigilli nostri impressione communimus. Datum per manum Gerardi, cancellarii nostri.

LIX.

Ex eisdem (1).

Henricus, imperator, possessiones Bellævallis, Caritatis et Gratiæ Dei confirmat.

1196 In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus VI, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus et rex Siciliæ. Desiderium quod ad religionis propositum et quietem noscitur pertinere animo nos decet libenti concedere, et petentium votis imperiale impertiri suffragium. Unde, dilecti nobis in Christo fratres, Herberte Bellævallis, Martine Caritatis, Humberte Gratiæ Dei abbates, vestris justis postulationibus benigne annuentes, ipsa loca Bellævallis, Caritatis et Gratiæ Dei, quæ fe-

(1) T. IX, p. 113.

A licis memoriæ Rainaldus, comes Burgundiæ, pater dominæ Beatricis, matris meæ, imperatricis Romanorum semper augustæ, dilexit plurimum et necessariis possessionibus ampliavit, vobis vestrisque successoribus secundum Cisterciensem ordinem in locis eisdem substituendis libere et quiete habenda et possidenda, cum omnibus appenditiis suis, jure imperiali perpetuo confirmamus, et in nostram nostrorumque successorum tuitionem suscipientes, præsentis scripti paginam communimus; adjicientes et statuimus ut quascumque possessiones, quæcumque bona, eadem loca vestra impræsentiarum possident, aut in futurum donatione imperatorum, concessione Pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis rationabilibus B modis, præstante Domino, poterint adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. In primis scilicet locum Bellævallis, cum omnibus appenditiis suis, vineis, silvis, pratis, aquis, piscationibus, campis, pascuis, nec non curiis, sive grangiis, ad ipsum pertinentibus: grangiam videlicet de *Cyrei*, grangiam de *Bellentois*, grangiam de Masnili, grangiam de Valleriano, grangiam de *Champors*, grangiam de *Braillant*, grangiam de *Argyrei*, grangiam de *Arevei* *, grangiam de Bauleriis, terram de *Masnitum*, terram et nemora de Masnilo, nemus de Ruspiniaco, eleemosynas quas habetis apud *Chamburnay*, terram de Cazalibus, C et prata vestra de *Tyse*, terram quam habetis in territorio de *Venise*, domos et cæteras eleemosynas quas habetis in civitate Bisuntina, duas monteas salis, et vineas, et domum quam habetis apud Ledonium, insuper quidquid habetis apud Calidum Fontem, apud *Attezon*, apud *Folens*, apud *Vilers le Pater*, apud *Senaide*, apud Balmetam, apud *Senans*. Similiter locum Caritatis, piscarias, et vineas, et silvas, prata, et pascua, et curias de *Planches*, de *Henis* *, de *Soynes*, de Fonte Roberti, de Masnili, de Montanis, cum omnibus appenditiis earum; terram quam habetis in proprietate de *Visat* *, terram quam habetis in territorio de Frontiniaco, de Nova Villa, de *Borgoignous* et de Beheno et de *Evecort*; muriam D quam habetis apud Ledonium et apud *Salins*, et quidquid in eisdem locis possidetis. Similiter locum Gratiæ Dei et curias ad ipsum pertinentes, curiam videlicet de *Rontasart* *, et de Chalmis, et de Monte, et de *Assay*, et de *Morchans*, cum omnibus pertinentiis earum, terram de Buxeriis, terram de *Relboviler*. Porro de laboribus, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, seu de nutrimentis vestris, a vobis decimas, canonum apostolicamque auctoritatem sequentes, imperiali majestate interdicimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit super hac nostra constitutione temere vos perturbare, bona vestrorum monasteriorum, vel possessiones auferre, retinere, minuere, aut temerariis E exactionibus fatigare; sed omnia integra conserventur, vestris et pauperum Christi usibus omnibus modis profutura. Si quis igitur in posterum huic nostræ constitutioni temere contraire tentaverit, si non reatum suum infra XL dies congrua satisfactione correxerit, banno nostro se innodatum noverit et quinquaginta libras puri auri, medietatem in fiscum regium, et alteram prædictæ ecclesiæ cui damnum intulerit se cognoscat redditurum.

Hujus rei testes sunt Conradus Argentinensis episcopus; Otto, Spirensis episcopus; Liupoldus, Wormaciensis episcopus; Helnwicus, abbas Selsensis; Hermannus comes de Solza; Godefri-

* *al.* Tirveis.

* *al.* Lienis.

* *al.* Vezet.

* *al.* Rounlissart.

dus de *Winede;* Arnoldus de *Horberg*, Theodoricus de *Stamhein;* Cono de *Minzemberg*, Vezelo de *Berge*, *Strusart* de *Castelburg*, Conradus de *Hanewillre*, Henricus et Ulricus de *Tamne*, Rainaldus de Lutere. Ego Conradus, Hildenselmensis electus, imperialis aulæ cancellarius, vice domni Conradi, Moguntini archiepiscopi, et totius Germaniæ archi-cancellarii, recognovi.

Acta sunt hæc anno Domin. Incarn. MCXCVI, ind. XIV, regnante domino Henrico VI, Romanorum imperatore gloriosissimo et rege Siciliæ, anno regni ejus Romani vicesimo sexto, imperii vero quinto, et regni Siciliæ secundo. Datum apud Salsam per manum Alberti, imperialis aulæ protonotarii, XVII. cal. Junii.

LX.

Ex edit. recenti (1). *Abbas S. Vincentii renuntiat se nulla bona Vesuntione empturum, sine archiepiscopi civiumque venia.*

1197. HUGO, Dei gratia S. Vincentii abbas, et domini Bisuntini archiepiscopi vicarius, necnon et conventus loci ejusdem, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Notum facimus universis quod nos, ab ista die in antea, non possimus acquirere, emere, seu detinere, intra muros civitatis Bisuntinæ, per nos vel per alium, aliqua bona immobilia, non domum, non agrum, non vineam, neque alios reditus quoscumque, sine licentia speciali domini archiepiscopi Bisuntini, quicumque fuerit pro tempore, et civium Bisuntinorum et litteris ipsorum. Quod si contra præmissa, vel unum præmissorum, aliquid faceremus, vel attentaremus, aliquid vel aliqua acquirendo infra muros prædictos, volumus ut nullius sint momenti, et quod dominus archiepiscopus Bisuntinus, qui fuerit pro tempore, licite, seu prædicti cives, bona acquisita per nos contra prædictam formam capere, possidere, detinere, habere, retinere, valeant, et facere suam omnimodam voluntatem sine nostri contradictione, non obstante privilegio aliquo, seu aliqua consuetudine, vel præscriptione aliqua, seu aliquo jure quocumque modo: quibus omnibus tacite et expresse renuntiamus, et omnia præmissa, fide data, promittimus observare, ne de cetero inter nos, ex una parte, et dominum archiepiscopum et cives Bisuntinos, ex altera, super præmissis (contentio) oriri valeat in posterum. Datum et sigillatum sigillo quo nos communiter utimur in præsenti, nos et conventus, anno ab Incarn. Dom. MCXCVII, in præsentia Stephani, prioris tunc temporis S. Pauli, qui litteras suas dedit super præmissis omnibus, cum his canonicis, coram nobis.

LXI.

E schedis Droz. (2). *Donum Luxovio factum a Raynerio, Acrimontis domino.*

1201. G., dominus Juncivillæ, omnibus ad quos præsens scriptum pervenerit rei gestæ notitiam. Ne devotæ fidelium actiones invida successorum aviditate pervertantur, præsentibus et futuris notum esse volumus quod vir nobilis Raynerius, Acrimontis dominus, integra, ut credimus, constrictione pœnitens, quod incendio Luxoviensis A ecclesiæ interfuisset, jamjam intelligens quia sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum, submissis precibus a nobis petiit ut liceret ei eidem ecclesiæ facere eleemosynam de casamento quod a nobis tenebat in hominium. Nos autem, de ejus pœnitentia Deo gratias agentes, considerata ejus donatione, quod pie postulabat ei benigne annuimus, ut per hanc nostram concessionem portio nostra esset in terra viventium. Laude igitur et consensu nostro præfatæ ecclesiæ dedit in perpetuum possidenda opera quæ homines villarum quæ dicuntur Tunni debent castro Acrimontis, vel redemptionem eorumdem operum. Et ut omnis contradictio excludatur, præsentem paginam sigilli nostri præsentia insignivimus. B Hujus rei testes sunt, Humbertus prior Luxovii, Guarnerius prior Jusseii, Hugo prior Calmarum, monachi; de militibus Ulricus de *Rochurt*, Lambertus de Vulbvilla, Humbertus præpositus Juncivillæ, et alii multi. Actum est hoc per Frederici, venerabilis abbatis Luxoviensis ecclesiæ, manum, anno ab Incarn. Dom. 1201.

LXII.

Philippus, imperator, Luxoviensium privilegia et possessiones confirmat. *Ex eisdem (1).*

C IN nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Philippus, Dei favente gratia Romanorum rex et semper augustus. 1201. Imperatoria nostra majestas, soluta legibus nec eis adstricta, uti tamen volens legibus et secundum eas moderari, sicut successoribus suis ea quæ a nobis pie et juste statuuntur immutanda relinquit, ita nos antecessorum nostrorum statuta justa animadversione volumus observare illibata: privilegia denique antecessoris nostri, licet antiqui, Ludovici, divi imperatoris augusti, quæ ipse ecclesiæ Luxoviensi contulit, et statuta quæ ipse ad indemnitatem ejusdem ecclesiæ statuit, sicut in hoc nostro authentico instrumento subscriptum est, confirmamus. Denique veniens ad præsentiam nostram Fredericus, abbas Luxoviensis, nobis ecD clesiæ suæ jacturas exposuit, videlicet ipsius ecclesiæ combustionem, ubi et ipsius ecclesiæ regum et imperatorum privilegia nobis significavit igne cremata, petens ea sibi a nobis renovari; cujus petitioni nos annuentes, secundum quod præfatus Ludovicus imperator fecerat, cum tempore suo præfata ecclesia cum instrumentis esset exusta, præcipimus in primis ut nullus judex sæcularis, vel quilibet ex judiciaria potestate, in ecclesias, aut loca, vel agros, sive in aliquas possessiones, sive eas ante præfatum incendium a rectoribus ipsius monasterii legaliter possessas, et per confirmationem antecessorum nostrorum ad usum ipsius monasterii confirmatas, sive eas quas postea in quibuslibet pagis et E territoriis in imperio nostro memoratum tenet et possidet monasterium, vel eas quas deinceps quilibet fideles Christi eidem ecclesiæ contulerint, ad causas audiendas, aut tributa exigenda, aut mansiones aliquas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii, tam ingenuos quam etiam servos, in tenementis ipsius commanentes, injuste distringendos, nec ullas redhibitiones, aut illicitas exactiones, requirendas, nostris et futuris temporibus ingredi audeat. Similiter, ad instar ipsius Ludovici imperatoris, quidquid fiscus imperialis exinde exi-

(1) Orig. Comm. Bis., a D. Augusto *Chassant*.
(2) T. VIII, p. 566. Nonnulla corrigere licuit e Monastico Benedict.

(1) T. VIII, p. 342.

gere poterat totum et in integrum præfato monasterio concedimus, ut in alimonia pauperum et stipendia monachorum Deo ibidem famulantium perpetuis temporibus proficiat in augmentum. Ad imitationem etiam præfati Ludovici imperatoris, statuimus ut si forte super rebus ante præfatam exustionem, et prædiis prædicti monasterii jure possessis, quæstio orta fuerit, ut pro eis legaliter in quolibet loco disceptare necesse sit, ita per hujus nostræ auctoritatis instrumentum res et mancipia et omnia bona ipsius monasterii mobilia et immobilia defendantur, sicut per eadem instrumenta, si igne combusta non fuissent, defendi deberent. Simili etiam modo indulgemus ut quandocumque divina vocatione prædictus abbas, vel successores ejus, de hac luce migraverint, quamdiu ipsi monachi inter se tales invenire poterunt qui ipsam congregationem secundum regulam S. Benedicti regere valeant, licentiam habeant abbates eligendi; quod si ibidem forte idoneus reperiri non poterit, ipsi sapienti ad hoc usi consilio pastorem sibi aliunde assumant, quatenus ipsos monachos, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis, conjuge proleque nostra, et stabilitate totius imperii nobis a Deo collati, libere Domini misericordiam implorare delectet. Ad hæc ipsi monasterio confirmamus omnes eas possessiones quas hactenus habuit, vel quas impræsentiarum habet, vel quas in futurum juste acquisierit, videlicet omnes prioratus cum suis appenditiis, et omnes ecclesias cum decimis, ipsi monasterio attinentes; villas quoque, terras cultas et incultas, silvas, prata, pascua, aquas aquarumque decursus, hæc, inquam, omnia eidem monasterio confirmantes, statuimus et firmiter inhibemus ut nihil de terris, castellis, vel ecclesiis, præfato monasterio attinentibus, videlicet Vuangionis rivus, Clarus mons, Juncivilla, Jussiacum, Folconium, Grangiæ, Vuauvra *, Firmitas, cum omnibus eorum appenditiis, ad alias ecclesias conferatur, vel, si factum est, in irritum revocetur; ubicumque etiam infantes de mulieribus præfati monasterii nascantur, eidem monasterio fiant censuales. Statuimus itaque et firmissime præcipimus ut nemo sit, cujuscumque conditionis homo, qui hanc nostram confirmationem aliquo temeritatis ausu infringere præsumat: quod si quis facere præsumpserit, pro transgressione sua centum libras auri purissimi componat, medietate fisco nostro, residua vero monasterio persolvenda. Ut autem hæc nostra confirmatio perpetuæ firmitatis robur obtineat, præsens inde privilegium scribi jussimus, et nostræ majestatis sigillo communiri. Testes hujus rei Amedæus, Bisuntinus archiepiscopus, Bertrannus Metensis, Luldiphus (1) Basiliensis, Conradus Argentinus, Conradus Spirensis, et Matthæus Tullensis episcopi; Albertus de *Hasborch*, Sibertus de Averda, comites. Signum domini Philippi, invictissimi Romanorum regis.

* *al.* Vauvara.

Acta sunt hæc anno Domin. Incarn. 1201, regnante domino Philippo, Romanorum rege gloriosissimo, anno regni hujus quarto. Datum apud Agnenouviam, nonis Decembris, ind. v.

LXIII.

Philippus rex Montegneium Caroloco confirmat. — E Chart. Cariloci.

1202. PHILIPPUS, Dei gratia Romanorum rex semper augustus. Ad pietatem et mansuetudinem regum dinoscitur pertinere ecclesiis bona semper

(1) Melius *Lutholdus*.

A misericorditer providere, et eis collata auctoritate regia confirmare et manu tenere, ut ipsi homines religiosi, in diebus nostris, sub tranquillitate pacis gaudentes, et a sæcularibus tumultibus expediti, pro salute nostra et pro statu sacri nostri imperii Deum liberius valeant exorare. Inde est quod nos domum Cariloci de Montegneio investimus et concedimus eidem in perpetuum possidendum, qui pro certo didicimus quod prædictum Montegneium ad jus pertinet Cariloci. Mandamus igitur et regia nostra auctoritate præcipimus, quatenus præfatam donationem prædictæ domui Cariloci nullus aliquo modo præsumat subripere, vel auferre, seu minuere. Quod si quis præsumpserit, B indignationem regiam noverit se graviter incurrisse. Quod ut firmum maneat et inconvulsum, auctoritate sigilli nostri fecimus confirmare. Datum apud Spiram, anno ab Incarnat. Domini MCCII, anno regni nostri quinto, indict. VI, VI id. Novembris. Testes sunt Conradus et W., Battaviensis et Spirensis episcopi, Becelinus (1) Uterinævallis et Radulfus Clarifontis abbates.

LXIV.

Donatio facta Loco Crescenti a Frederico Ferretensi. — E Monum. Basil. Ecclesiæ.

SCIANT omnes quibus nosce fuerit opportunum 1210.
quod ego Fridericus, comes de Phirreto, dedi C et contuli Deo et ecclesiæ Loci Crescentis, Cisterciensis ordinis, Bisuntinensis diœcesis, et fratribus ibidem Deo famulantibus in puram et perpetuam eleemosynam, pro remedio animæ meæ et pro animabus prædecessorum et successorum, meorum, et specialiter pro damno restaurando quod dictæ domui Loci Crescentis intuleram, quamdam terram, seu quoddam feodum, in banno de *Sulze*, quæ terra vulgariter dicitur Owa, et omnia bona seu possessiones, quocumque nomine censeantur, quæ Borguardus miles de *Sulze*, seu de *Trubelbere*, a me ratione feodi in banno de *Sulze* tenere solebat. Nam dictum feodum et dictam terram de prædicto Borcardo pro LXX marcis argenti numeratæ D pecuniæ reacquisivi, et per manus domini episcopi Argentinensis, a quo movebat dicta terra, seu feodum prædictum, cum omnibus appenditiis suis, dictis fratribus Loci Crescentis libere resignavi, secundum quod in litteris, quas super iis a domino episcopo Argentinensi obtinuerunt, plenius continetur. Datum apud *Sennehen*, coram testibus legitimis: Conrado, abbate de Lucela; Cunone, præposito de *Altekilch*; B., priore de *Merons*, et G., priore Loci Crescentis, et Henrico de Phirreto et Rueggero de *Hufoz*, et H., sculteto de Valle Masonis, et Borcardo et Rodulfo de *Hunach*, et H., juvene de *Sulze*, militibus, et multis aliis. In cujus rei testimonium præsentem paginam sigilli mei munimine feci sigillari. E Actum anno Dom. MCCX, in manu Stephani, ipsius loci abbatis.

LXV.

Amedeus jurgium sedat inter capitulum B. Mariæ Magdalenæ et prioratum Romani Monasterii. — E Chartul. Romani Monast. (2).

AMEDEUS, Dei gratia Bisuntinensis archiepi- 1211.
scopus, præsentibus et futuris rei gestæ noti-

(1) Adverte quod littera tantum B. designetur is abbas, in imperfecta Uterinævallis abbatum serie quam antecessores nostri condidere, supra, t. V, col. 761.

(2) Edidit D. Fred. *De Gingins*, Comm. et Doc. ad Helvet. Rom. spectantia, t. III, p. 488.

tiam in perpetuum. Sciant quos scire oportue- A rit quod cum inter Stephanum, priorem Romani Monasterii et ecclesiam suam, ex una parte, et Odonem, decanum B. Mariæ Magdalenæ Bisuntinæ et capellanum, ex altera, controversia diu agitata fuisset super quibusdam hominibus, scilicet Girardo et Ricardo et Manicro, cognomento *Prarecez*, et eorum hæredibus et fratribus, et filiis Adiletæ, nepotibus eorum, et aliis omnibus in eorum manso manentibus de progenie illorum, talis tandem compositio eos coram nobis intervenit, quod prædictus prior et ecclesia sua guerpiverunt et concesserunt eidem decano O. et ecclesiæ B. Mariæ Magdalenæ quidquid juris omnimode habebant aut reclamabant in prædicto manso et præmissis hominibus, et tenementis eo- B rum, sitis in riveria de Erlia, apud *Montorir*, tali conditione quod si aliqui de prædicto manso hominibus ecclesiæ Romani Monasterii matrimonium aliquando contraxerint, ecclesia S. Mariæ Magdalenæ, absque omni reclamatione, eos cum hæredibus eorum habebit et possidebit. Et hoc ipsum fiet erga ecclesiam Romani Monasterii. Dictum etiam fuit quod ecclesia S. Mariæ Magdalenæ v solidos censuales ecclesiæ Romani Monasterii in synodo autumnali, singulis annis, solvere teneatur, si ab ea fuerint requisiti. Præterea ecclesia B. Mariæ Magdalenæ recepit eumdem priorem et successores suos in spiritualem fraternitatem, consilium et auxilium suum infra urbem Bisuntinam ei promittens. Eo super addito quod in majori altari B. Mariæ Magdalenæ, C sicut unus de canonicis, divina celebrabit; et, si præbenda eo præsente ibi recipiatur, sicut unus de canonicis eam recipiet. Eadem lege ecclesia Romani Monasterii erga prædictos canonicos tenebitur. Quod ut ratum perpetuo maneat, præsentem chartam sigilli nostri testimonio fecimus roborari, et, ad majorem firmitatem, ipsa B. Mariæ Magdalenæ ecclesia sui sigilli munimen fecit apponi. Actum anno Dom. Incarn. 1211. Datum per manum Ludovici, cancellarii nostri. Feliciter duratura.

LXVI.

E recenti edit. (1).

Henricus camerarius ecclesiam Quingey *S. Joanni tradit.*

1219. H., Dei gratia curiæ Bisuntinæ camerarius et domini archiepiscopi vicarius, universis fidelibus præsentem paginam inspecturis, salutem in eo qui est auctor salutis. Approbante sancto generali concilio Lateranensi, sub temporibus piæ recordationis Innocentii papæ tertii celebrato, fuit institutum ut clerici qui ad subventionem sanctæ terræ Jerosolymitanæ vellent proficisci, facultatem haberent dimittendi beneficia sua, et committendi officia, quæ per alios exerceri possent, personis idoneis quibus vellent. Hujus auctoritate concilii, dominus noster Ame- E deus, archiepiscopus Bisuntinus, ad subventionem terræ Jerosolymitanæ proficiscens, nobis, licet indignis, administrationem rerum ecclesiasticarum in Bisuntina provincia et executionem officiorum suorum, quæ convenienter exsequi possemus, commisit, plenariam nobis concedens potestatem super ordinandis ecclesiis et ecclesiasticis beneficiis conferendis. Cum igitur, tempore administrationis nobis commissæ, ecclesiam de *Quyngé* vacare contigisset, nos eam contulimus, cum appenditiis suis, matri et matrici ecclesiæ nostræ Bisuntinæ S. Joannis Evangelistæ, futuris temporibus perpetuo pacifice possidendam, salvo jure archiepiscopi et ministerialium suorum; laudantibus et consentientibus Frederico archidiacono, et P. decano de Sexta. Quod ut ratum permaneat, præsentem chartam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum Bisuntii, anno Incarnationis Dominicæ MCCXVIIII. Ego F., Bisuntinus archidiaconus, interfui et laudavi, et præsenti chartæ sigillum apponi feci meum.

LXVII.

E schedis Droz. (1).

Pactum inter canonicos S. Joannis et Hierosolymitanos fratres.

WILLERMUS, Dei gratia decanus, totumque capitulum Bisuntinæ matricis ecclesiæ S. Joannis, universis fidelibus præsentem paginam inspecturis rei gestæ notitiam. Quantum ex scriptis 1220. antecessorum nostrorum et ex attestatione virorum fidelium perpendimus, inter antecessores nostros qui associaverunt fratres hospitalis Hierosolymitani in villa Syliniaci, quæ erat ecclesiæ nostræ, et fratres hospitalis tales intervenerunt conventiones. In reditibus justitiarum quæ ad christianitatem spectant nihil accipiunt fratres hospitalis: de reditibus aliarum justitiarum tertia pars est præpositi, qui est ligius canonicorum, et quod reliquum est canonicorum est et prædictorum fratrum. Justitias autem terminare, causas definire, neque sæpe dictis fratribus sine canonicis, neque canonicis sine ipsis fratribus licitum est. De lege XII denariorum, tres nummos accipit villicus; de lege III solidorum et supra, pro vini sextario, sex nummos. In potestate canonicorum est villæ jam toties dictæ capellanum, præpositum, villicum, forestarium ceterosque ejusdem loci ministros constituere, destituere, mutare, justificare, eisdem fratribus inconsultis. Ceterum si præscripti ministri aliquam terram tenuerint quæ ad proprios feodi ipsorum mansos pertineat, quantum ad terram D illam eidem fratres eos, non tamen absque canonicis, justificare poterunt. Recognitum est etiam quod prædicti fratres et canonici boves ad unam carrucam vel eo amplius constituendos in prædicta villa communiter mittere debent: quod si boves mori contigerit, fratres illi, boum mortuorum coriis receptis, boves restituent, et ne unicuique boves ad carrucas deficiant cura diligenti providebunt. Fructus exinde proveniens tam canonicis quam prætitulatis fratribus communis erit. Si bos aut vacca in eadem villa pro eleemosyna data fuerit ad carrucas semper manu tenendas, in parte eorumdem fratrum cedet. Cetera omnia pro eleemosyna data communia erunt. Pecudes et bestias, undecumque proveniant et cujuscumque sint speciei, supra dicti fratres ad utriusque communem partis utilitatem et incrementum fideliter custodire debent et nutrire, ut fructum inde provenientem utrique suo tempore æqualiter recipiant. Culcitræ vero et pulvinaria in domo eorumdem fratrum reponentur, ubi, cum illuc advenient, canonici recumbere valeant. Recognitum est etiam quod ipsi et canonici vineam plantare debent, eamque usque ad quatuor annos pariter utrique colere; a quatuor autem annis et deinceps, fratres illi soli de cultura vineæ providebunt, et vinum canonicis par-

(1) Comment. et Docum. ad. Hist. Sequaniæ spect., t. III, p. 509.

(1) T. III, p. 482.

tiendo dimidiabunt. Ecclesia, furnus, molendinum, et omnia quæ ad jam dictam villam pertinent, communia erunt. Ad eosdem fratres pertinet furnarium, molendinarium constituere. Qui si canonicis injuriam fecerint, capitale restituent. Lex vero de justitia, et servitia primo introitu communia erunt. Furnum si ceciderit, molendinum si dissipatum fuerit, ipsi quia partem furnarii et molendinarii recipiunt, sine adjutorio canonicorum restaurabunt. Lex autem sæpe dictam villam inhabitantium talis est. Qui agriculturam bene exercuerit, si forefactum commiserit, XII denariorum legem persolvet. Qui vero fossorio laborat, legem VI nummorum comparabit. Si quis aliquem servum vocaverit et dominum suum ei nominaverit, III solidorum lex accipienda est. De sanguinis effusione, de pugna, sive de judicio, lex III solidorum similiter accipienda est. De furto, de adulterio, lex LX solidorum; quæ justitia, sive lex, communis erit. Si præda villæ Syliniaci capta fuerit, vel res hominum illius villæ, pro fratribus hospitalis, eam fratres prædicti integre debent restituere. Si autem pro aliis causis capta fuerit præda, vel res hominum villæ sæpe dictæ, fratres hospitalis bona fide et suis sumptibus debent eam repetere, et justitiam quærere de malefactoribus, tam a judice christianitatis quam a judice sæculari. Et ut prædictæ conventiones futuris temporibus permaneant illibatæ, præsenti chartæ sigillum nostrum fecimus apponi, et magister fratrum hospitalis in Burgundia sigillum suum fecit apponi. Actum anno Incarnat. Domin. 1220.

LXVIII.

Ex apographo (1).

Litteræ Honorii III de cessione Bisuntini archiepiscopi.

1220. Honorius, etc., etc., dilectis filiis S. Pauli et SS. Geminorum prioribus, Bisuntinæ et Lingonensis diœcesum, salutem et apostolicam benedictionem. Venerabilis frater noster archiepiscopus Bisuntinus, fatiscentis ætatis molestatus angustiis et infirmitatis corporeæ molestiis conquassatus, cupiens reliquum vitæ suæ spirituali dicare quieti, a nobis pontificalis officii petiit cessionem. Nos igitur, ejus infirmitati debito compatientes affectu, et ipsius desiderio annuentes, cessionem ejus de fratrum nostrorum consilio duximus admittendam. Ceterum ne Bisuntina sedes, pastoris officio diutius destituta, dispendium patiatur, vobis per apostolica scripta mandamus quatenus iis quorum interest eligere infra quindecim dies post susceptionem præsentium denuntiare curetis, ut, infra mensem post denuntiationem factam eisdem, sibi per electionem canonicam de persona idonea, quæ tanto congruat oneri et honori, providere procurent in pontificem et pastorem. Alioquin volumus et districte præcipiendo mandamus, ut extunc quatuor ex illorum numero quorum videritis interesse, viris providis et discretis, qui vobis ad hoc magis idonei videbuntur, auctoritate nostra injungere procuretis, ut usque ad festum S. Michaelis proximo venturi nostro conspectui se præsentent, illum quem sibi, auctore Domino, duxerimus conferendum devote, sicut decet, ac humiliter recepturi. Quod si non ambo iis exsequendis interesse potueritis, etc., etc. Datum Viterbii, VIII cal. Junii, anno quarto.

(1) Inter Collect. D. *La Porte du Theil.*

LXIX.

Litteræ Honorii III, de G., Bisuntino electo, inquisitionem fieri jubentis. Ex apographo (1).

1221. Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Trecensi et Lingonensi episcopis. Ecclesia Bisuntina, pastoris solatio destituta, dilecti filii S. Stephani et S. Joannis Bisuntini decani et canonici, convocatis qui fuerant convocandi, de more convenientes in unum, potestatem providendi sibi personam idoneam in pastorem in priorem S. Pauli, cantorem S. Stephani, archidiaconum de Salinis et camerarium Bisuntinum unanimiter contulerunt. Quibus concorditer nominantibus, dilectum filium G., Lausannensem electum, a sede apostolica postulandum, præfati decani et canonici, procuratores suos ad nostram præsentiam destinantes, postularunt concorditer et instanter ut eumdem electum eis in pastorem concedere dignaremur. Licet autem tam ipsi quam nonnulli alii, qui super hoc nobis suas litteras direxerunt, electum ipsum multipliciter de litteratura, prudentia et honestate commendent, et nos ad provisionem ipsius ecclesiæ, jamdudum pastoris solatio destitutæ, debita sollicitudine intendamus, quia tamen circa personam non solum aliis, sed etiam episcopis præferendam, impensiorem diligentiam convenit adhibere, in negotio ipso, cum dicti electi persona sit nobis incognita, duximus cum maturitate debita procedendum. Ideoque fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus electum ipsum circa litteraturam et alia quæ in pontifice requiruntur diligenter examinare curetis, et si eum ecclesiæ Bisuntinæ regimine inveniretis esse dignum, ipsum eidem auctoritate nostra in pastorem et episcopum concedatis, a cura Lausannensis ecclesiæ absolutum. Datum Laterani, III cal. Februarii, pontificatus nostri anno quinto.

LXX.

Honorius III scholares S. Stephani Gerardo archiepiscopo protegendos commendat. Ex edit. recenti (2).

1224. Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri G., archiepiscopo Bisuntino, salutem et apostolicam benedictionem. Peccatis communicat alienis eorumque se participem constituit, qui, cum peccantes arguere atque compescere teneatur, is vel personarum acceptor, vel sui neglector officii, facere prætermittit. Sane non semel tantum, sed sæpe nostris est auribus intimatum, quod cum pauperes clerici, convenientes ad scholas S. Stephani Bisuntini, vadunt per civitatem competentibus horis, quærendo eleemosynas ostiatim, quidam filii Belial in eos, non absque conniventia canonicorum S. Joannis Bisuntini, temere insurgentes, in eos violentas manus injicere ipsosque interdum spoliare præsumunt. Cum ergo sortitus speculatoris officium hæc non debeas sub silentio præterire, sed annuntiare suam iniquitatem iniquis, ne et ipsi moriantur in illa, et sanguis illorum de manibus tuis a Domino requiratur, fraternitatem tuam sollicitandam duximus et hortandam, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus cum illos, qui committunt talia faciuntve committi, constet incidere in canonem sententiæ promulgatæ, circa eos debitum pontificalis officii taliter

(1) E. Collect. D. *La Porte Du Theil.*
(2) Comm. et Doc. ad. Sequan. spect., t. III, p. 94.

exsequaris, quod nec ipsi per dissimulationem tuam ad excessus hujusmodi facilius dilabantur, nec tu eorum culpam per eamdem dissimulationem facias esse tuam, cum posse et nolle perturbare perversos nihil sit aliud quam fovere. Datum Laterani, cal. Martii, pontificatus nostri anno octavo.

A procedatis. Nos enim eisdem civibus Bisuntii per nostras litteras demandamus, ut quidquid de clavibus tu et prædictus princeps noster Coloniensis archiepiscopus eis duxeritis injungendum effectu debeant prosequente complere.

Datum Fogiæ, v Junii, tertiæ decimæ indictionis.

LXXI.

Ex Hist. Dipl. Frederici (1).

Fredericus, imperator, consilium Bisuntinæ civitatis abrogat.

1225. Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, et rex Siciliæ, Henrico, Romanorum regi, carissimo filio suo, gratiam suam et omne bonum. Benigne recepimus filiationis tuæ litteras, quas nostræ celsitudini destinasti super processu causæ dilecti principis G., venerabilis quondam Bisuntini archiepiscopi, adversus cives Bisuntinos in tua curia ventilatæ, de communitatibus videlicet, constitutionibus, novitatibus, conventionibus illicitis, intercedente jurisjurandi religione ab eisdem civibus adtemptatis, per easdemque litteras nostra serenitas intellexit qualiter per sententiam dilectorum principum nostrorum, E. Coloniensis, Th. Trevirensis venerabilium archiepiscoporum, Augustensis, Lausanensis, Basileensis episcoporum, aliorumque magnatum Burgundiæ, prædictas communitates, constitutiones, novitates et quæstiones (2) illicitas revocaveris, dicto quondam archiepiscopo Bisuntino claves portarum et stratam in tua curia sententialiter recuperante. Docuit nos insuper earumdem continentia litterarum, quod cum dederis eisdem Bisuntinis civibus in mandatis ut nullas conventiones facerent, nec inirent consilium, nisi tuæ curiæ ac prædicti quondam Bisuntini archiepiscopi consilio requisito, dicti cives contra tenorem latæ sententiæ in curia tua, in contemptu mandati tui, et non absque gravi contumelia imperii, quod graviter læditur in hac parte, inire concilia et hujusmodi conventiones illicitas facere non dimittunt, communitatibus et initis novitatibus temere inhærentes. Volentes igitur statum ecclesiarum imperii tranquillitate votiva gaudere et inconcussa perfrui libertate, sententiam principum super irritatione communitatum, constitutionum, novitatum et illicitarum conventionum a civibus Bisuntinis commissarum, et de strata, in tua curia promulgatam, duximus approbandam, et ipsam de innata gratia confirmamus, dantes eisdem civibus per alias nostras litteras in mandatis, ut eidem sententiæ in prædictis articulis confirmatæ non præsumant aliquatenus obviare. Super eo vero quod de assignatione clavium portarum pronuntiatum extitit per principes memoratos, taliter supplicationi tuæ duximus respondendum, ut quia, propter hostilitates et odia quibus prædicti cives infestari dicuntur, posset de civitate ipsa invasionis alicujus periculum formidari, si claves portarum, prout dictavit sententia, resignarent, ad cautelam eventuum qui timentur, tibi et dilecto principi nostro E., Coloniensi archiepiscopo, committimus providendum, executionem sententiæ super articulo clavium interim suspendentes, donec de indemnitate civitatis ejusdem cum eodem archiepiscopo diligenti deliberatione provisa, juxta quod ad honorem imperii procedendum fore videritis

LXXII.

Ex apographo (1).

Honorius III jubet ut congrua stipendia rectoribus vicanarum ecclesiarum assignentur.

1226. Honorius, etc., venerabili fratri Bisuntinensi archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem. Ex tua insinuatione didicimus, quod, cum in tua diœcesi sexaginta ecclesiæ parochiales et amplius habeantur, quia quidam clerici et laici decimas et alios proventus percipiunt earumdem, nulli clerici volunt in eis vicariam vel curam suscipere animarum, cum ibi non habeant unde valeant sustentari. Quare humiliter supplicasti, ut, cum eædem ecclesiæ propter servitorum defectum suo fraudentur obsequio, et earum parrochiani grave patiantur dispendium in divinis, providere super hoc, præsertim cum exinde animarum pericula proveniant, dignaremur. Nos ergo providere volentes prædictis ecclesiis, et animarum periculis obviare, tibi, de cujus prudentia et discretione confidimus, præsentium auctoritate concedimus, ut, nisi prædicti clerici et laici sollicite a te moniti congruam assignaverint ad opus clericorum deservientium in eisdem ecclesiis de ipsorum proventibus portionem, tu super hoc auctoritate nostra valeas providere, contradictores, etc., etc. Datum Laterani, xv cal. Januarii, anno undecimo.

LXXIII.

E schedis Droz. (2).

Joannes, archiepiscopus, quædam monialibus Battenti jura assignat.

1227. Joannes, Dei gratia Bisuntinus archiepiscopus, universis præsentes litteras inspecturis rei gestæ notitiam. Sciant omnes quos scire oportuerit quod cum domus monialium Cisterciensis ordinis sita supra fontem Battenti fundari deberet, ne ex ecclesia ibi ædificanda, vel cœmeterio, ecclesiæ B. Mariæ Magdalenæ fieret præjudicium et gravamen, de consensu canonicorum ejusdem ecclesiæ et prædictæ domus, jura utrorumque per nostras litteras sic duximus declaranda : videlicet quod quicumque instituetur sacerdos in dictæ domus ecclesia, in sua institutione jurabit in manu archiepiscopi, vocatis decano et capitulo S. Mariæ Magdalenæ, quod eis bona conscientia fidem servabit in iis quæ pertinent ad jus parochiale. Si qua mulier, propter timorem mortis, in infirmitate se reddiderit eis et habitum religionis susceperit, si ex illa infirmitate decesserit, capellanus missus ab ecclesia S. Magdalenæ ibi celebrabit missam priorem, et oblationes illius missæ ad eamdem ecclesiam reportabit. Si vir vel mulier de parochianis S. Magdalenæ ibidem sepulturam elegerit sibi, corpus primo deferatur ad ecclesiam S. Magdalenæ, et, facto ibi officio, postmodum ad prædictum locum deferri poterit tumulandum. Servitia autem triorum (3), videlicet septimi et tricesimi diei, in ecclesia mo-

(1) T. II, p. 487.
(2) Lege *conventiones*.

(1) E Collect. D. *La Porte du Theil.*
(2) T. XV, p. 59.
(3) Pro *autem triorum* lege forsan *septem tricesimorum*

nialium nunquam fient. In præcipuis autem solemnitatibus, scilicet Pascha, Pentecoste, Nativitate, Assumptione, Purificatione B. Virginis, et in festo B. Mariæ Magdalenæ et omnium Sanctorum fidelium defunctorum et Nativitatis Domini, et in festo Epiphaniæ, nullum de parochianis B. Mariæ Magdalenæ recipient ad officia divina, nec oblationes eorum; et si quæ forte in illis diebus oblata fuerint ibidem, dictæ ecclesiæ restituent. Pro aliis vero oblationibus quotidianis, solvent jam dictæ ecclesiæ B. Magdalenæ unam libram ceræ annuatim in festo B. Magdalenæ. Si qui vero de parochianis ecclesiæ B. Mariæ Magdalenæ ad prædictum locum sibi elegerint sepulturam, vel ibidem timore mortis in infirmitate se reddiderint, si ex ea decesserint, nihilominus ecclesiæ jam dictæ debitam eleemosynam facere tenebuntur. Quod ut ratum permaneat, præsentes litteras sigilli nostri testimonio fecimus roborari. Actum anno Dom. MCCXXVI, mense Februario.

LXXIV.

Ex eisdem (1).

Inquisitio de initiis Montis S. Mariæ.

1228.

Ego frater Guido de Alpibus, et ego frater Odo de Balerna, et ego frater Radulfus de Bullione dicti abbates, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod cum abbas et conventus de Lacu de *Carnoz* querelam haberent contra abbatem et conventum de Monte S. Mariæ super toto monasterio S. Mariæ et pertinentiis ejus, et ad componendum inter partes dies esset assignata, nos apud Montem S. Mariæ ab abbate et fratribus ejusdem domus ad tractandum de eadem compositione convocati, voluimus cognoscere per confessiones fratrum ejusdem domus, utrum dicti abbas et conventus de Lacu aliquid jus haberent super iis quæ petere videbantur. Et tunc dictus abbas de Monte S. Mariæ, in nostra præsentia constitutus, præcepit et in virtute obedientiæ injunxit fratri Didero, fratri Landrico*, fratri Heliæ, fratri Stephano et fratri Petro, filiis ejus in Christo, qui fuerunt conversi ejusdem loci antequam ordo Cisterciensis ibidem observaretur, ut ipsi nos pro posse suo diligenter instruerent super iis quæ ab ipsis quæreremus. Tunc nos a dicto fratre Didero quæsivimus utrum domus S. Mariæ, quæ tunc dicebatur Furnus Montis, aliquando fuerit subjecta ecclesiæ de Lacu de *Carnoz*. Qui respondit quod nunquam, nec aliquam jurisdictionem habuerit super eam. Requisitus quibus personis, antequam habitum Cisterciensis ordinis fratres ejusdem domus susciperent, professiones faciebant, dixit quod cum ipse et alii fratres laici in eodem loco Domino deservirent, unanimiter decreverunt quod sibi præficerent capellanum, qui curam haberet animarum ipsorum; et tunc audientes famam alicujus boni viri qui nominabatur Girardus, et abbas de Monte Benedicti esse desierat, et ad domum de Lacu sese transtulerat, ipsum sibi elegerunt in capellanum et pastorem, et, tunc ad domum de Lacu accedentes, petitione modo debito facta, speraverunt quod ipsum ab abbate et conventu ejusdem domus possent impetrare; sed ab ipsis didicerunt quod ipse dictus G. canonicus erat de Monte Benedicti, et in potestate abbatis et conventus de Monte Benedicti erat vel ipsum concedere, vel negare. Quod audientes ad Mon-

* al. Ludovico.

(1) T. XI, p. 421.

A tem Benedicti accesserunt, et ibidem ab abbate et fratribus ejusdem domus dictum impetraverunt capellanum, et ipsum archiepiscopo Bisuntino præsentaverunt, et sic præsentatus ab ipso archiepiscopo suscepit curam animarum ipsorum. Tandem idem capellanus ab hac vita decessit, et sibi apud Montem Benedicti sepulturam elegit, occasione prioris suæ professionis. Adjecit idem frater Diderus quod dicto capellano successit Petrus, canonicus de Lacu, sub forma prædicta electus, et ab abbate et conventu impetratus et archiepiscopo Bisuntino præsentatus: et simili modo idem Petrus ab eodem archiepiscopo curam recepit animarum ipsorum. Tandem contigit quod cum idem Petrus vellet B fratres de Monte S. Mariæ, qui tunc, sicut dictum est, Furnus Montis dicebatur, ad ordinem Præmonstratensem transferre, et circa hoc diu laborasset, et hoc obtinere non posset, capellania sua cessit, et dictis fratribus valedicens ad domum de Lacu remeavit. Adjecit etiam idem frater Diderus quod huic Petro successit Stephanus, qui fuerat novitius de Bullione; et in habitu de Bullione, et de Bullione egressum, sibi sub forma prædicta elegerunt, et ab archiepiscopo Bisuntino ipsum impetraverunt; et in tempore hujus Stephani, capellani sui, fratres ejusdem domus ad ordinem Cisterciensem se transtulerunt, et habitum ejusdem ordinis susceperunt. Dixit etiam idem Diderus quod quidam, Jordanus nomine, canonicus de Lacu, ad Mon- C tem S. Mariæ diu sub habitu Præmonstratensis ordinis habitavit, et, tandem ad domum propriam revertens, gratiam suam obtinere non potuit nisi prius satisfactionem ad portam fecisset, tanquam alius fugitivus. Idem dixerunt per omnia frater Helias et frater Landricus. Idem dixerunt per omnia frater Stephanus et frater Petrus. Frater vero Helias addidit quod cum dictus Petrus, capellanus, ad domum de Lacu reversus esset, abbas de Lacu ab ipso quæsivit, audiente dicto fratre Helia, quare reversus esset, et quare domum S. Mariæ reliquisset? Qui respondens dixit eidem abbati, quia ultra in vanum laborare nolebat. Laboraverat diu in vanum, cum fratres de Monte S. Mariæ ad instantiam ejus ad D ordinem Præmonstratensem se transferre nollent, et de eodem ordine non curarent. Qui abbas respondit ei, quod si illi fratres de suo ordine non curabant, ipse de ipsorum ordine non curabat.

In testimonium igitur hujus rei, nos, ad petitionem fratrum de Monte S. Mariæ, præsentes litteras sigillorum nostrorum impressionibus voluimus communiri. Actum anno gratiæ 1228, mense Julio.

LXXV.

Litteræ Gregorii IX de electione Bisuntini archipræsulis. Ex apographo (1).

E Gregorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Viennensi et abbati de Feritate, Cisterciensis ordinis, Cabilonensis diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem. Venerabili fratre nostro, Sabinensi episcopo, de Bisuntina ecclesia in consortium fratrum nostrorum assumpto, nos cupientes ut sibi succederet in eadem ecclesia qui ejus congrueret oneri et honori, S. Joannis et S. Stephani capitulis Bisuntinis mandavimus, ut, cum 1229.

(1) E. Collect. D. *La Porte du Theil.*

consilio S. Benigni Divionensis et Morismundensis abbatum, ac fratris G., prioris de ordine Prædicatorum Bisuntinorum, infra quadraginta dies post susceptionem litterarum nostrarum sibi eligerint personam idoneam canonice et concorditer in pastorem; alioquin iidem abbates et prior eis de archiepiscopo providerent. Quare dicta capitula, die ad eligendum præfixa, de prædictorum consilio, sicut procurator ejusdem abbatis S. Benigni dicebat, sex ex ipsis potestatem eligendi dederunt, usque ad consumptionem cujusdam cerei, qui ob hoc accensus exstitit, duraturam. Cum igitur electores ipsi concorditer convenissent in prædictum abbatem S. Benigni, et sociorum ejus super hoc consilium requisissent, quia iidem se velle deliberare dixerunt, dicti electores, cum cereus ipse deficeret, et propterea tempus ad deliberandum non esset, non exspectato illorum responso præfatum abbatem S. Benigni in Bisuntinum archiepiscopum elegerunt. Præfati vero Morismundensis abbas et prior, proponentes electionem hujusmodi contra formam mandati nostri præsumptam, cassaverunt eamdem, et venerabilem fratrem nostrum Cabilonensem episcopum in Bisuntinum pontificem assignarunt. Proponebatur ergo contra electionem eamdem, quod cum responsum prædictorum exspectatum non fuerit in electione, ipsa forma mandati nostri non exstitit observata, et ideo censenda erat irrita, vel etiam irritanda: sed ad hoc respondebatur econtra, quod electores prius cum eisdem abbatibus et priore de electione tractaverant, et consilium requisierant eorumdem, propter quod si, responso ipsorum, quorum postmodum cum convenissent in abbatem S. Benigni requisierant consilium, non expectato, ex causa prædicta ad electionem hujusmodi processerunt, non erat calumniæ subjiciendum quod fecerant, sed eorum debebat electio confirmari. Nos vero auditis et intellectis quæ fuerunt proposita hinc inde, deliberato fratrum nostrorum consilio, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus si vobis constiterit ab eisdem electoribus tractatum de electione habitum et requisitum consilium prædictorum, ita quod in tractatu electionis illorum fuerit consilium requisitum, et persona ipsius abbatis S. Benigni litteratura, vita et aliis quæ in archiepiscopo requiruntur eidem ecclesiæ congruere dinoscatur, et aliquid canonicum non obsistat, vos electionem confirmetis eamdem, et sibi faciatis debitam obedientiam et reverentiam exhiberi. Quod si in tractatu electionis non exstitit requisitum prædictorum consilium, licet postea requisitum fuerit non competenti tempore, nec etiam exspectatum responsum ipsorum, cum hoc eis debeat qui sibi tempus arctaverant imputari, aut si non sit idoneus idem abbas, quod de ipso factum est invalidum decernatis. Nos enim prædictorum duorum processum in irritum revocamus. Datum Laterani, XII cal. Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

LXXVI.

Ex apographo (1).

Gregorius papa IX Nicolaum de Flaviniaco Bisuntinum archipræsulem nominat.

1229. GREGORIUS, etc., etc., dilectis filiis decanis et capitulis S. Joannis et S. Stephani Bisuntinorum salutem, etc., etc. Cum in veteri lege panes

(1) E Collect. D. *La Porte du Theil.*

A propositionis supra mensam positi de sabbato in sabbatum servarentur, sublatisque veteribus alii substituerentur illorum loco recentes, qui tam sapore quam suavitatis odore reficerent, nos de mensa ecclesiæ Bisuntinæ, quæ labium habebat aureum, venerabilem scilicet fratrem nostrum episcopum Sabinensem, quondam pastorem ipsius, ornatum virtutibus quasi lapidibus pretiosis, transferentes ad Romanam ecclesiam tanquam ad propitiationis altare, ut ibi quanto excellentius tanto clarius eniteret, alium loco ejus deliberavimus providendum, cujus labia custodiant scientiam et ex ejus ore lex Domini requiratur, et qui tanquam panis totus ad ædificationem et spiritualem refectionem pertineret subdi- B torum. Porro jamdudum vobis dedimus nostris litteris in mandatis, ut, infra quadraginta dies post susceptionem litterarum nostrarum, cum consilio dilectorum filiorum S. Benigni Divionensis et Morismundi abbatum, et fratris G., de ordine Prædicatorum, eligeretis personam idoneam canonice in pastorem: alioquin dicti consiliari vobis de electione providerent. Verum die ad eligendum præfixa, sex ex vobis potestatem eligendi dedistis, usque ad consumptionem cujusdam candelæ, quæ ibidem accensa exstitit, duraturam. Tandem cum electores hujusmodi convenissent in prædictum abbatem S. Benigni, et super hoc sociorum ejus consilium requisissent, proponente uno ex illis quod deliberato consilio responderent, et differentibus eis festinanter C dare responsum, præfati electores, cum candela ipsa deficeret, non exspectato ipsorum responso, abbatem S. Benigni, renitentibus illis et invitis, in Bisuntinum archiepiscopum elegerunt. Illi vero, habito consilio sapientum, electionem abbatis non credentes tenere de jure, quod de ipso factum fuerat irritarunt. Relato ergo ad apostolicam sedem negotio, et duorum consiliariorum processu a nobis in irritum revocato, venerabili fratri nostro archiepiscopo Viennensi et dilecto filio abbati de Firmitate, Cisterciensis ordinis, Cabilonensis diœcesis, per litteras nostras injunximus, ut, si constaret ab eisdem electoribus tractatum de electione fuisse habitum, et requisitum consilium prædictorum, D ita quod in tractatu electionis illorum esset consilium requisitum, electionem ipsius abbatis, si persona esset idonea, confirmarent: quod si in tractatu electionis non fuisset prædictorum requisitum consilium, licet postea requisitum fuerit non competenti tempore, nec etiam exspectatum responsum ipsorum, cum hoc eis debeat qui tempus sibi arctaverant imputari, aut non esset idoneus idem abbas, quod de ipso factum erat tanquam invalidum irritarent: qui, mandatum apostolicum exsequentes, inquisita veritate a sex compromissariis et duobus consiliariis, cum per alios eis non posset de ipsa liquere, ad nos tandem negotium cum illorum depositionibus remiserunt. Magistro itaque G., procura- E tore dicti abbatis, ex parte una, et W., thesaurario S. Stephani, ac bonæ memoriæ H. de Aioya, Bisuntino, ex altera, in nostra præsentia constitutis, et per dilectum filium O., S. Nicolai in carcere Tulliano diaconum cardinalem, eis concessum auditorem, a nobis plenius intellectis quæ hinc inde fuerant proposita coram ipso, cum compertum non fuerit competenti tempore requisitum consilium de persona prædicti abbatis, et quando exstitit requisitum non fuit exspectatum responsum, nisi modico tempore, sicut superius est expressum, nec debeat aliis imputari quod in tantum illi sibi tempus arctarant, electionem abbatis, ipsius non personæ, quæ

multorum testimonio satis commendabilis apparebat, sed electionis vitio, duximus irritandam, nobis provisione Bisuntinæ ecclesiæ reservata. Cum igitur dilectus filius magister Nicolaus de Flavigniaco, Lingonensis decanus, dicatur vas electum a Domino, in cujus pectore magnæ thesaurus patientiæ requiescit, de quo multos ditavit pauperes, et locupletavit egenos, et ei de vitæ innocentia et honestate morum laudabile testimonium perhibeatur a multis, ipsum eidem ecclesiæ præficiendum providimus in archiepiscopum et pastorem, sperantes firmiter quod ecclesia ipsa sub ejus regimine grata suscipere debeat in spiritualibus et temporalibus incrementa. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi tanquam patri et pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendatis, et exhibeatis eidem obedientiam et reverentiam debitam et devotam, ejus salubria monita et mandata suscipiendo devote, ac inviolabiliter observando: alioquin sententiam quam rite tulerit in rebelles ratam habebimus, et faciemus, auctore Deo, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Perusii, x cal. Martii, anno secundo.

LXXVII.

E Chartul. Cariloci. *Pactum inter monachos Cariloci et Dagnetam matronam.*

1229. NICHOLAUS, miseratione divina ecclesiæ Bisuntinæ electus, universis ad quos litteræ præsentes pervenerint rei gestæ notitiam in perpetuum. Noveritis quod cum inter viros religiosos G., abbatem et priorem Cariloci et L. capellanum Fontisvennæ, executores testamenti nobilis viri bonæ memoriæ H., quondam domini Fontisvennæ, ex una parte, et nobilem mulierem Dagnetam, dominam de *Coflenz*, relictam dicti H., ex altera, quæstio verteretur, tandem in præsentia nostra pacificati sunt in hunc modum, quod per ea quæ sequuntur dicti exsecutores dictam dominam et hæredes suos quittaverunt et ab impetitione sua penitus absolverunt. Præfata siquidem domina L et IV libras Stephanienses, annulos et lapides pretiosos, palefridum unum, cum duobus runcinis, porcos emptos de x, vel xv libris, bladum totum quod habebat dictus dominus Fontisvennæ apud Carumlocum, quæ omnia petebat eadem domina ab abbate et conventu Cariloci, cessit perpetuo et concessit ad distribuendum per exsecutores prædictos pro anima domini et mariti sui defuncti. Augmentavit etiam eleemosynam istam de LX libris Stephaniensibus, quas recipient exsecutores prædicti, in centum et quinquaginta libris quæ debentur dominæ ab abbate S. Benigni Divionensis. Voluit etiam sæpe dicta domina et rogavit expresse, ut de bonis istis pinguius, imo pinguissime provideretur et distribueretur monasterio Cariloci, tum propter affectionem quam habuit dominus et maritus suus ad monasterium Cariloci, tum quia corpus ejus ibi requiescit, tum etiam quod per frequentem præsentiam suam multoties monasterium illud pressit. Addidit etiam, ut si ultra prædicta de bonis dicti mariti sui aliquid forte haberet monasterium Cariloci, a viginti libris citra, totum cessit et quittavit monasterio ipsi, quæstione super medietate residui sibi et hæredibus suis reservata. Promisit autem domina ipsa, fide manuali data, quod compositionem istam firmiter observabit. Hæc omnia laudaverunt filii ejus Girardus, Henricus, Anselmus et filia Aalix. Ut autem hæc rata et

A firma permaneant, præsentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Anno MCCXXIX.

LXXVIII.

Durannus, Roseriarum abbas, quædam Cisterciensibus monachis vendit. Ex Originali (1).

NOS Durannus abbas et conventus abbatiæ quæ vocatur Roseriæ, Cisterciensis ordinis, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod nos, pro grandi commodo et utilitate et pro urgenti et evidenti necessitate dictæ abbatiæ nostræ, videlicet pro solvendis debitis magnis quibus nimium obligati et onerati eramus, 1229.
B et quibus ultra modum oppressa erat et opprimebatur domus nostra magis magisque quotidie continuis sub usuris, cum aliunde consilium vel auxilium habere nequiremus, unde prædictæ domui, labenti nimis miserabiliter et ruinam minanti, posset ita commode subveniri, de communi consensu, consilio et laude et licentia speciali venerabilis patris nostri Odonis abbatis et conventus Bellæ Vallis, matris nostræ, nomine nostro et nomine dictæ abbatiæ de Roseriis, dedimus, cessimus et tradidimus, venditionis nomine, domino Gauchero abbati et conventui et fratribus Cistercii, nomine magisterii, seu ecclesiæ, Cistercii, quatuor quarteria muriæ de octo quarteriis muriæ quæ nos et domus nostra habebamus nostri juris in puteo de *Salins*, videlicet in puteo quondam domini Gaucherii, domini quondam de *Salins*, scilicet illa duo quarteria quæ habuerunt fratres et abbatia de Roseriis de manso domini Arduini *dou Bees*, excepto loco mansi, et illa duo quarteria quæ habebamus ibi, id est in eodem puteo, quæ dicuntur de manso de Paluello. Prædicta quatuor quarteria, cum omni jure et cum omnibus rationibus, commodis, utilitatibus, ingressibus, et egressibus, et actionibus, et cum omnibus appenditiis et pertinentibus ad ipsa, quæ et quas aliquomodo habemus et habere debemus in dicto et ex dicto puteo, pro dictis quatuor quarteriis et de ipsis et in ipsis quarteriis, dedimus, cessimus et tradidimus venditionis nomine dictis Cisterciensibus munda, libera, quitta et omnimodis absoluta et immunia ab omnibus conditionibus, dacitis, costumis, sive usibus, venditis et emendis, et ab omni servitute et ab omni exactione, censu et debito, et ab omni demum præstatione et extorsione pecuniæ, et servitii, sive remunerationis, occasione alicujus laudis, vel alia qualibet occasione; item similiter dedimus, cessimus et tradidimus, nomine venditionis, eisdem Cisterciensibus medietatem totius mansi et domus, seu badiernæ, de Paluello, pro indiviso, similiter liberam, quittam et absolutam et immunem, cum omni commodo, jure et utilitate, actionibus et rationibus, ingressibus et egressibus, et ædificiis, et omnibus aliis appenditiis et pertinentibus ad dictam medietatem præfati mansi pro indiviso, quem mansum habebamus nostri juris in *Salins*, in tali loco, scilicet inter mansum S. Mauricii et mansum *Victors* (cohæret ei via publica, quæ vadit per ante ostium domus), pro pretio sexcentarum et quinquaginta librarum Stephaniensium, de quibus exceptioni non numeratæ pecuniæ renuntiantes, nos quittos et bene pagatos et solutos tenemus, et confitemur quod nobis est exinde plenarie satisfactum in voluntate nostra a dictis Cisterciensibus, quam pecuniam confitemur et testamur in solvendis

(1) In Max. Paris. Bibl., Chart. capsa 1798.

dictis debitis processisse. Et de dictis quatuor quarteriis mundis, ut dictum est, et quittis et liberis, et de dicta medietate pro indiviso dicti mansi et domus munda, libera, similiter et quitta, et de omnibus aliis ad ipsa quarteria et ad ipsam mansi et domus medietatem pertinentibus, videlicet de omni jure et de omnibus rationibus, commodis et utilitatibus et actionibus, ingressibus et egressibus, ædificiis et omnibus aliis appenditiis et pertinentibus ad ipsa, quæ et quas aliquo modo habemus et habere debemus in dicto puteo et ex dicto puteo, pro dictis quatuor quarteriis et de ipsis et in ipsis quarteriis, et in dicta et pro dicta medietate pro indiviso dicti mansi et domus, sed et de aliis omnibus, sicut per omnia supra descriptum est, prædictos Cistercienses et ecclesiam Cisterciensem investivimus, et possessionem et dominium et quasi possessionem eis exinde de omnibus corporaliter tradidimus, tali modo quod ipsa quatuor quarteria et dictam medietatem pro indiviso dicti mansi et domus, prout supra diffinitum est et expressum, munda, quitta, libera et immunia, et omnia ad ipsa, sicut prædictum et specificatum est, pertinentia, prædicti Cistercienses et successores eorum et ecclesia Cisterciensis, et cui vel quibus dederint vel vendiderint, et cui vel quibus habenda statuerint, habeant, teneant et possideant libere, pacifice, quitte et quiete et ad perpetuum, in perpetuum et omni tempore, et exinde jure licito et proprietario faciant mere et libere et quitte quidquid facere voluerint tanquam de re sua propria, sine omni contradictione, inquietudine et impedimento, molestia nostra et nostri et successorum nostrorum omnium et ecclesiæ de Roseriis et omnium demum hominum et personarum: quæ quidem omnia munda, quitta, quieta, libera et absoluta et immunia, prout supra scriptum est et expressum, promisimus eis legitime et fideliter contra omnes personas et contra omnes homines garantire, sive garantizare, defendere et auctorizare. Quæ si nollemus vel non possemus facere, totum et universum damnum, quod ex evictione eis, vel alio modo, vel alia occasione, exinde contigerit, promisimus eis bona fide ex integro restituere, et exinde eos penitus indemnes servare; sed et omne onus solvendi et reddendi de nostro et de bonis nostris et abbatiæ nostræ annuatim et omni tempore, quæcumque ab eis Cisterciensibus nomine dacitæ et nomine census, vel costumæ, vel conditionis et fruitionis, vel nomine aliorum prædictorum, pro dictis seu ex dictis quatuor quarteriis, vel occasione eorum, et pro dicta vel ex dicta medietate mansi et domus, vel occasione eorum aliquo modo, vel aliquo tempore, petentur, vel exigentur, vel accipientur, nos super nos et super omnia bona nostra et abbatiæ nostræ, et specialiter super reliquis quatuor quarteriis quæ nobis remanent in eodem puteo, recipimus et tenemus et ad omnia solvenda et reddenda in perpetuum et omni tempore, et ad eosdem Cistercienses et successores eorum et ecclesiam Cisterciensem exinde indemnes omnino præstandos et reddendos obligamus nos et nostra et dictæ abbatiæ de Roseriis bona ipsis Cisterciensibus, et precise et specialiter ad reddendos et solvendos annuatim omni tempore duos bulliones muriæ, quos debemus et tenemus solvere annuatim pro aliquibus de quatuor quarteriis quæ nobis remanserunt, unum videlicet bullionem domino de *Salins*, et alium canonicis S. Anatolii de *Salins;* item et ad solvendos et reddendos annuatim omni tempore viginti solidos Stephanienses, quos debemus similiter et tenemur solvere annuatim, pro aliquo de quarteriis dictis quæ nobis remanserunt, abbati et conventui Cluniacensi. Et de omnibus et ab omnibus dictis Cistercienses et ecclesiam Cisterciensem, cum quarteriis dictis quæ eis vendidimus et cum medietate dicti mansi et domus, servabimus et reddemus omnimodis quittos, liberos et immunes semper, in perpetuum, et omni tempore. Hæc omnia supradicta et singula promittimus nos, nos et successores nostros, bona fide facturos et illibate observaturos cum omni integritate, et nunquam contraventuros, et pro prædictis omnibus et singulis, et ad observandum, faciendum et tenendum omni tempore quidquid prædictum est in omnibus et per singula, nos, nos et successores nostros, et domum nostram et omnia bona ejusdem domus eisdem Cisterciensibus et ecclesiæ Cisterciensi æternaliter obligamus. Et si quid plus valent prædicta quam vendidimus ultra pretium prædictum prædictis Cisterciensibus, sponte donamus, remittimus et quittamus, renuntiantes omni auxilio juris civilis et canonici, et consuetudinis præsentis et futuræ, et etiam ordinis, quo contra hæc aliquo modo aliquando venire possemus, vel nos tueri, et specialiter juri quo cavetur ne teneat venditio si fuerit ibi deceptio ultra dimidiam justi pretii. In testimonium autem et confirmationem omnium prædictorum, præsentem chartam sigilli nostri munimine et impressione communivimus et roboravimus. Insuper nos Odo, abbas et conventus Bellæ Vallis, recognoscimus et confitemur quod hæc omnia prædicta laude, auctoritate, consilio, consensu et voluntate nostra acta et facta sunt; unde ea omnia laudamus et confirmamus, et omni tempore rata et firma et illibata nos ea tenere promittimus et nunquam contravenire. In quorum omnium confirmationem et testimonium impressionem sigilli nostri huic paginæ apponi fecimus. Nos insuper Durannus, dictus abbas, et conventus Roseriarum promittimus bona fide quod nos et conventus Roseriarum omnia prædicta tenebimus, complebimus et faciemus, salvis nobis casalibus separatis et distantibus a dicto manso et domo de Paluello, et censibus quos occasione dicti mansi habere et percipere debemus, et salvo eo quod illis qui extrahent muriam de puteo solvant Cistercienses suum justum præmium, vel pretium, prout consuetum est, pro quarteriis suis. In prædictorum autem omnium testimonium præsentem chartam sigilli nostri impressione communivimus. Actum anno Dom. MCCXXIX, in crastino Assumptionis B. Mariæ.

Nos fr. A., S. Andreæ prope Januam, et nos fr. F., Theoloci dicti abbates, ordinis Cisterciensis, notum facimus præsentem paginam inspecturis, quod nos vidimus apud Cistercium quamdam chartam sanam et integram, sigillatam sigillis relig. vir. D. Roseriarum et O. Bellævallis quondam abbatum, prædicti ordinis, continentem penitus prout superius est expressum. In cujus rei testimonium præsenti paginæ sigilla nostra duximus apponenda. Actum anno Dom. MCCLIX, mense Novembri.

LXXIX.

Compromissum inter Nicolaum archiepiscopum et camerarium Bisuntinum. *E schedis Droz.* (1).

NOVERINT universi præsentem paginam inspecturi, quod cum inter venerabilem patrem Ni- 1229.

(1) T. II, p. 523.

colaum, archiepiscopum Bisuntinensem, et Henricum archidiaconum Bisuntinensem et camerarium, quæstio verteretur super eo quod idem archiepiscopus petebat a dicto H. computationem et restaurationem proventuum et redituum sedis cathedralis, quos idem H. per annum et dimidium sede vacante receperat, tandem utraque pars in nos videlicet Stephanum, priorem S. Pauli, Fredericum, thesaurarium S. Joannis et magistrum Turricum, canonicum S. Stephani Bisuntinensis compromisit in hunc modum, quod dictus archiepiscopus sub religione pontificalis ordinis promisit, præfatus vero H. præstito juramento, quod quidquid nos super quæstione præmissa arbitraremur, ipsi bona fide sub contradictione qualibet adimplerent. Nos vero eorum concordiam in Domino diligenter arbitrati fuimus, et consensu ipsius H., in hunc modum: quod idem H. per juramentum suum infra octo dies exponeret et traderet ipsi archiepiscopo omnia mobilia sua, quæ habebat in auro et argento et denariis, et omnia debita sua, si quæ ei debebantur, a decem libris et supra fideliter assignaret, et insuper archidiaconatum suum de Faverneio et camerariam ipsi archiepiscopo exponeret, ita quod idem archiepiscopus alterum illorum eligeret, et nomine sedis in manu sua quamdiu vellet nomine gageriæ teneret. Illud autem arbitrium utraque pars approbavit, et, facta expositione archidiaconatus et camerariæ, præfatus archiepiscopus camerariam acceptavit ad preces nostras, et ipsius H., eidem H. nomine camerarii reservato. Promisit autem idem H. per juramentum præmissum quod possessionem rerum camerarii per se vel per alium nullatenus perturbaret; quo facto, prædictum archiepiscopum idem H. de cameraria nomine gageriæ, in nostra et multorum præsentia, investivit. In cujus rei testimonium ad instantiam partium præsenti paginæ sigilla nostra apposuimus, et ad majorem firmitatem ego Henricus archidiaconus et camerarius Bisuntinensis cum supra dictis tribus sigillis sigillum meum apponi feci. Actum Bisuntii, anno gratiæ MCCXXIX, in vigilia B. Andreæ apostoli.

LXXX.

Ex eisdem (1).

Hominum quorumdam emptio ab archiepiscopo Bisuntino.

1230. Noverint universi præsentes litteras inspecturi, quod Hugo *Malechers*, miles de *Gy*, et uxor sua *Isabels* et primogenitus eorum filius Petrus vendiderunt et libere in perpetuum quittaverunt pro 26 libris Stephaniensibus, de quibus se tenent pro pagatis, venerabili fratri Nicholao, archiepiscopo Bisuntino, de laude et consensu Amici, clerici, Bartholomæi et Guidonis, filiorum suorum, Petronillæ et Beneamatæ, filiarum suarum, Stephanum *Locheriyath* * et omnes filios suos eorumque hæredes, quos tenebat dictus Petrus ex parte matris suæ de feodo dicti archiepiscopi Bisuntini, et mediam partem tenementi dictorum hominum, excepta domo eorumdem hominum, sita prope capellam de *Gy*, et gageriis ipsorum hominum, quæ domus et gageriæ cedunt in emptionem dicti archiepiscopi, ita quod dicti homines tenementum suum, pariter domum et gagerias prædictas, debent per medium dividere, et dictus Hugo miles et Petrus filius suus eligere. Dictus autem Petrus, primogenitus jam dicti Hugonis, nihilominus remanebit homo legius dicti archiepiscopi, sicut ante erat. Promiserunt quoque dicti Hugo et uxor sua, et Petrus, aliique prænominati filii et filiæ, fide data, se venditionem et quietationem prædictam firmiter observare, nec de cetero contravenire, investieruntque dictum archiepiscopum de prædictis hominibus corporaliter, et de medio tenemento. Ipsi quoque homines corpora sua et res suas hæredesque suos eidem archiepiscopo tradiderunt et in perpetuum concesserunt. Hæc omnia laudavit dicta *Isabels* pro se et aliis parvis suis, qui non erant in tali ætate quod possent laudare. In hujus autem rei testimonium, ad petitionem tam supradicti archiepiscopi quam Hugonis uxorisque suæ et primogeniti eorum Petri, nos Odo Bellævallis, Amedus Caritatis abbates, et Humbertus archidiaconus Grayæi, præsentes litteras sigillorum nostrorum munimine fecibus roborari. Actum apud *Gy*, anno gratiæ 1229, vi id. Februarii.

* al. Lochampath.

(1) T. II, p. 66 et p. 523.

LXXXI.

Litteræ Nicolai archipræsulis de quibusdam clientibus Bellævalli traditis.

Ex eisdem (1).

Nicholaus, Dei gratia Bisuntinus archiepiscopus, universis, etc., etc. Noveritis quod Stephanus, filius quondam et hæres Richardi *de Fondremanz*, in nostra præsentia constitutus, dedit et concessit in eleemosynam domui et fratribus Bellævallis Guidonem de *Atoyson*, qui dicitur de Prato, Joannem de *Molinvadon*, et Girardum fratrem ejusdem, et Guidonem de *Ruyant*, homines suos, cum omnibus successoribus eorumdem, et tenementis. Dedit et in eleemosynam domui et fratribus memoratis quidquid juris habebat, aut habere poterat, ex parte matris suæ, in villa de Conoschia, et in villis supradictis, in decimis, pascuis, pratis, terris cultis et incultis, aquis et nemoribus. Et sciendum quod Petrus *de Ceys*, famulus domini Amedei de Novo Castro, et Willelmeta, uxor ejusdem Petri, et soror Stephani memorati, super iis omnibus quittaverunt domum et fratres memoratos, et remittentes omnes querelas quas habere poterant erga ipsos domum et fratres, sicut in charta dicti Amedei de Novo Castro vidimus contineri, quæ super hoc confecta fuerat, pro filia sua quæ nondum loqui poterat, hæc omnia laudaverunt. In hujus rei testimonium, ad preces utriusque partis, sigilli nostri munimine præsentem paginam fecimus roborari. Datum per manum Stephani, cancellarii nostri, cantoris ecclesiæ Bisuntinæ, anno Domini MCCXXXI. 1231.

LXXXII.

Administrationis suæ Nicolaus, archipræsul, rationem reddit.

Ex eisdem (2).

Universis præsentes litteras inspecturis fr. O. de Bellavalle et fr. A. de Caritate abbates, salutem in Domino. Noveritis quod venerabilis pater Nicholaus, archiepiscopus Bisuntinus, in præsentia nostra et aliorum bonorum, quasi reddens rationem administrationis suæ, computavit quod in equis et ornamentis et via prima ad regem expendit 100 libr. Steph.; in pallio quærendo, et 1231.

(1) T. IX, p. 208.
(2) T. II, p. 533.

eundo ad legatum pro recipiendo, 80 libr.; in A
molendinis reficiendis, primo anno, 50 libr.; in aliis duobus annis, 200; in gageria vice-comitis, 250 libr.; in hominibus emendis et in molendino reparando apud *Gy*, et emptione casamenti de *Vantoul*, 60 libr.; in secunda via ad regem pro regalibus, 300 libr.; thesaurario S. Stephani pro expensis in curia, 250 libr.; pro 140 marchis a prædecessore suo mutuatis 40, et 40 libras, et 9 libr.; Petro *de Nox* satisfecit de 25 libr., quas petebat de debito domni Gerardi; Virrico de Ansonia debebantur 70 libræ, quas persolvit ei usque ad 30 libr.; Henrico monetario debebantur 80 libr., et persolvit usque ad 19 libr.; majori de *Ceys* satisfecit de 20 libr.; pro via Gualteri ad curiam, 30 libr.; thesaurarius S. Joan- B
nis habuit per tres annos 36 libr.; singulis annis, super partem quam habebat dominus Hugo de Sancto in moneta, accommodavit ei 100 solidos; et 20 libr. habuit super furfur quod accipiebat idem H. in domo archiepiscopi; 7 libr. habuit super mansum domni Haymonis *de Calmotier* apud *Noeroy*; de 80 libr. 100 solidos minus satisfecit Petro et Jacobo cemetariis; de 100 libr. marescallo de *Mermey* satisfecit. In hujus rei testimonium præsentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum anno Domini MCCXXXI, mense Octobri.

LXXXIII.

Ex Hist. Dipl. Frederici.

Fredericus, imperator, pro suo jure constitutiones a civibus Bisuntinis factas abrogat. C

1231. Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Siciliæ rex, per præsens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus, tam præsentibus quam futuris, quod dilectus noster princeps Nicolaus, venerabilis Bisuntinus archiepiscopus, ad præsentiam nostram accedens, nostræ celsitudini supplicavit quatenus revocationem communitatum, constitutionum, novitatum et conventionum vinculo fidei firmatarum, quæ per Bisuntinos cives motu et auctoritate propria fuerunt acceptatæ, sicut ex constitutione dilecti filii nostri Henrici, illustris Romanorum regis, et per D
sententiam principum facta fuit, et in scripto ejusdem regis filii nostri sibi indulto plenius continetur, nostro prosequi et approbare assensu ac de nostra confirmare gratia dignaremur. Nos igitur, inspecto tenore transcripti ejusdem regis, et sententiæ principum, quæ sub testimonialibus litteris A., S. Vincentii Bisuntini, et fratris O., Bellævallis abbatum, nostræ fuerunt curiæ præsentata, attendentes quoque devotionem et fidem ejusdem principis nostri archiepiscopi Bisuntini, quam ad nostram excellentiam et imperium gerit, ejus supplicationibus clementer annuimus, et eamdem revocationem communitatum, videlicet constitutionum, novitatum et conventionum a Bisuntinis vinculo fidei firma- E
tarum, sicut per eumdem regem filium nostrum, principum approbante sententia, facta est, et (in) indulto sibi regis ejusdem scripto plenius continetur, nostro prosequimur et approbamus assensu, ac de nostra gratia confirmamus. Ad hujus itaque nostræ confirmationis memoriam et perpetuam firmitatem, præsens scriptum sibi fieri fecimus, et sigillo majestatis nostræ jussimus communiri. Hujus autem rei testes sunt: B., patriarcha Aquileiensis;... Magdeburgensis archiepiscopus; E., Babimbergensis, S., Ratisponensis, imperialis aulæ cancellarius, H., Vormatiensis,... Osemburgensis, et N., Reginensis, episcopi; A., dux Saxoniæ; O., dux Meraniæ; B., dux Carinthiæ; H., landgravius Thuringiæ; comes Henricus de O (*Nemberch*); comes Henricus de *Nassowe*; Waruerius de *Bollanle*, et alii quamplures.

Datum Ravennæ, anno Dominicæ Incarnationis MCCXXXI, mense Decembri, v* indictione, imperante domino nostro Friderico, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Siciliæ rege, anno imperii ejusdem duodecimo, regni Jerusalem septimo, regni vero Siciliæ trigesimo quarto; feliciter. Amen.

LXXXIV.

Gregorius papa IX in comitem Montis Belligardi sententiam excommunicationis fulgurat. *Ex apographo (1).*

Gregorius, etc., etc., dilectis filiis abbati et decano S. Gregorii, Basileensis diœcesis, salutem. Dilecti filii abbas et conventus Lutrensis monasterii, ad nos, ut dicitur, nullo medio pertinentis, sua nobis insinuatione monstrarunt, quod cum nobilis vir comes Montis Belligardis, Bisuntinæ diœcesis, monasterium ipsum, cum omnibus bonis suis monachorum usibus deputatis, detineat occupatum, devastatis et asportatis universis mobilibus ibidem inventis, ac ipsis ejectis exinde violenter, venerabilis frater noster Bisuntinus archiepiscopus, loci diœcesanus, in ipsum excommunicationis et in terra ejus interdicti sententias auctoritate propria promulgavit, quas prior S. Pauli et thesaurarius Bisuntinus observari usque ad satisfactionem congruam auctoritate apostolica mandaverunt. Sed cum, excæcante malitia, cor illius induci ad satisfactionem nullatenus potuisset, prior et cantor S. Mariæ Magdalenæ Bisuntinæ, recepto mandato a nobis, ut, non obstante indulgentia, per quam canonici ecclesiæ castri Montis Belligardis dicunt se non debere cessare a divinis officiis pro culpa comitis, nisi eo in eodem castro præsente, easdem sententias publicarunt, ipsas per partes vicinas, maxime apud castrum prædictum solemniter innovarunt, et eas insuper, prout in mandatis, aggravantes, in tota terra ejus interdixerunt ecclesiasticam sepulturam, et in locis ad quæ comes diverteret, quamdiu ibi esset, et per quinque dies post recessum ipsius, divina obsequia celebrari, ne quis ad mercata terræ suæ accederet, in ipsius molendinis moleret, et furnis coqueret interdicto. Cum autem nec sic converti voluerit, ut faciem Domini quæreret et salutis remedia imploraret, dicti abbas et conventus humiliter supplicarunt ut prædictorum prioris et cantoris processum robur faceremus firmitatis habere. Quocirca mandamus quatenus, si est ita, faciatis illum, sicut est legitimus, usque ad satisfactionem condignam, sublato appellationis obstaculo, inviolabiliter observari. Datum Laterani, iv cal. Maii, anno septimo.

LXXXV.

Pactio inter abbatem Bullionis et Hugonem de Chaux. *E schedis Droz. (2).*

Amaricus, abbas Bullionis, universis præsentes litteras inspecturis, rei gestæ notitiam veritatis. (Sciant) quos scire oportuerit, quod nos, laude 1235.

(1) E Collect. D. *La Porte du Theil.*
(2) T. XXIX, p. 159.

et consensu totius conventus nostri, dedimus in casamentum Hugoni de *Chaux*, domino de *Reus*, et hæredibus suis, quidquid juris habemus in monte S. Agnetis; et in recognitione ejusdem casamenti, dictus Hugo et hæredes sui tenentur reddere ecclesiæ de Bullione, super altare ipsius ecclesiæ, unam libram ceræ annuatim in Purificatione B. Mariæ. Dictus etiam Hugo, in recompensationem hujus donationis, et pro remedio animæ suæ et antecessorum suorum, dedit et concessit ecclesiæ S. Mariæ de Bullione quatuor equinas chargias salis in chalderia *de la Domaine*, apud *Salins*, possidendas pacifice in perpetuum et habendas inter Ascensionem Domini et Pentecosten, annuatim. Statuit dictus Hugo et concessit, quod quælibet domus quæ fiet in prædicto monte reddat prædictæ ecclesiæ de Bullione duos denarios censuales annuatim, in festo hiemali B. Martini : qui si non fuerint in prædicto festo dictæ ecclesiæ de Bullione persoluti a dominis domorum, ille qui defecerit in solutione dicti census tenebitur ipsi ecclesiæ in tribus solidis Stephaniensibus, pro emenda et lege, cum prædicto censu : et quod omnes qui habitabunt in prædicto nemore omnes decimas suas grossas et minutas reddant in perpetuum ecclesiæ memoratæ; et furnus, qui fiet in prædicto monte, erit ecclesiæ de Bullione; et quod nullus alius furnus fiet in eodem monte. Prædicti vero abbas et conventus de Bullione habebunt in ipso monte, infra castrum, duo casalia, quorum unum tenebunt in usus proprios, ad faciendum domum, vel grangiam quamcumque voluerunt : in altero vero casali habergabunt hominem quemcumque voluerunt, et idem homo habebit et tenebit in territorio ejusdem montis novem jugera terræ, et tres fulquatas prati; qui homo domino, et præposito, et villico ejusdem castri in nullo subjectus erit, nec aliquod jus habebunt in eum, ita tamen quod fidelitatem castri jurabit, at proprius ecclesiæ de Bullione, pro voluntate abbatis et conventus de Bullione de ipso homine facienda et de omnibus rebus ejus. Homines vero qui in prædicto monte habitabunt nullum omnino usagium habebunt in valle ejusdem montis versus *Megetes*, nisi ad aquandum animalia sua. Et hæc omnia promisit prædictus Hugo supradictus abbati et conventui de Bullione garantire, et pacificare adversus omnes homines bona fide. Et hoc totum laudavit Guido, frater ejusdem Hugonis, et Agnes soror eorumdem. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigilli mei munimine roboravi. Actum anno Incarn. Dom. MCCXXXV.

LXXXVI.

Ex apographo (1).

Epistola Gregorii IX ad Bisuntinum electum, de Stephano, comite Burgundiæ, crucesignato.

1236. GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio electo Bisuntino salutem, etc., etc. Cum nos personas et bona omnium crucesignatorum sub protectione susceperimus apostolicæ sedis et nostra, statuentes ut, donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur, ea omnia integra maneant et quieta consistant, et dilectus filius nobilis vir Stephanus, comes Burgundiæ, tuæ diœcesis, signaculum crucis acceperit in Terræ Sanctæ subsidium profecturus, nonnulli, timorem Domini ante oculos non habentes, crucesignati ejusdem bona per violentiam rapere, et personam ipsius injuriis afficere non verentur. Verum cum indignum existat ut ejus pium et sanctum propositum aliquorum præsumptionibus perturbetur, mandamus quatenus, crucesignatum eumdem ab iniquorum præsumptionibus tegens, non permittas ipsum ab aliquibus, contra nostræ protectionis et constitutionis tenorem indebite molestari, molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Ceterum si crucesignatus ipse ad præstandas usuras juramento tenatur adstrictus, aut si quisquam creditorum eum ad solutionem coegerit usurarum, creditores ipsius ut ei remittant præstitum juramentum et ab usurarum exactione desistant, ac restituant sic extorta, simili censura compellas, Judæos ad remittendas usuras per substractionem communionis fidelium nihilominus compellendo. Si vero Judæis debitum nequit solvere in præsenti, usquequo de ipsius obitu vel reditu certissime cognoscatur, usurarum incommoda non incurrat, compulsis Judæis proventus pignorum, quos interim ipsi percipient in sortem, deductis expensis necessariis, computare. Ad hæc volumus et mandamus ut eumdem, quamdiu in prosecutione crucis exstiterit, ad judices extraordinarios, seu etiam a sede apostolica delegandos, in causam trahi, quamdiu coram te, qui ejus diœcesanus existis, paratus fuerit de se conquirentibus exhibere justitiam, non permittas, nisi causa rationabilis quare id non deberet, vel non posset fieri, appareret. Datum Viterbii, II nonas Aprilis, anno decimo.

LXXXVII.

Ex apographo (1).

Gregorius IX episcopo Lingonensi eam provinciam dat, ut de gravibus dissidiis in ecclesia Bisuntina exortis inquirat.

GREGORIUS, etc., etc., venerabili fratri episcopo Lingonensi salutem, etc., etc. Draco ille qui cum angelis suis est in terram projectus, dum cum Michaele archangelo et angelis suis congredi attentasset, mulierem quæ peperit masculum persequens, aquam ex ore suo tanquam flumen mittit post illam, ut ipsam trahi, si possibile sit, faciat ab eodem, dissentionis actor dissentionis materiam seminans inter illos qui participatione sacramentorum sunt unum, et ab aquis diluvii conservantur in arca in uno cubitu consummata; qui licet non sit minus arsurus quia cum multis ardebit, sibi tamen solatium reputans ex hominibus multos socios habere pœnarum, eos jugi tentatione aggreditur ut tentatos præcipitet in gehennam. Eo siquidem, ut credimus, instigante, nuper dicitur accidisse quod inter vener. fr. nostrum archiepiscopum et cantorem S. Stephani Bisuntini super cancellaria et rebus alia exorta materia quæstionis, idem cantor juris beneficio, per quod æquum ab iniquo discernitur, non contentus, sed propriæ sequens arbitrium voluntatis, ad injurias se convertit, eidem archiepiscopo minas terribiles inferendo, quas postmodum J., frater ejus, non sine ipsius conniventia, vel mandato, in injuriam Jesu Christi, qui secundum evangelicam veritatem honoratur et spernitur in ministris, ac totius Ecclesiæ dedecus et contemptum, cujus idem archiepiscopus non modicum membrum existit, nefandis est actibus prosecutus. Cum enim archiepiscopus ipse ad civitatem Bisuntinam de diœcesi remearet, idem J. et complices

(1) Inter Collect. D. *La Porte du Theil.*

(1) Inter Collect. D. *La Porte du Theil.*

ejus, manu in ipsum irruentes armata, eum et A socios suos tam verbis quam factis turpiter et inhoneste tractare, ac de suis equis ipsos in terram dejicere præsumpserunt, nec solum diripuerunt ornamenta episcopalia, pallium, libros et alia quæ summarii deferebant, ac omnes equos comitatus ejusdem, sed etiam non erubuerunt non deferendo personæ, vel ordini, ipsum archiepiscopum, dimittendo ei cappam pluvialem et camisiam tantum, propriis vestibus spoliare, magistrum Nicolaum, socium ejus, canonicum Bisuntinum, in captivitatem nihilominus adducentes, quem idem J. ausu sacrilego detinet pluribus affectum verberibus ac injuriis lacessitum. Cumque Radulfus, decanus S. Stephani Bisuntini, dicto archiepiscopo fuisset graviter com- B minatus et non modicam injuriam intulisset eidem, inhibendo sacerdotibus archidiaconatus de *Amoys* ne ipsum admitterent ad eorum ecclesias visitandas, nec ei procurationem aliquam exhiberent, Ric., frater ejus, his omnibus, quasi ad offensam non sufficerent, non contentus, cum multis satellitibus deprædando villam ipsius archiepiscopi, quæ *Noeroy* vulgariter appellatur, nobilem virum P., præpositum, interfecit, et quosdam vulneravit de hominibus dictæ villæ. Ad hæc Stephanus, archidiaconus Saliuensis, similem inhibitionem sacerdotibus sui archidiaconatus faciens adversus archiepiscopum supradictum, sententias ab eo latas in sibi rebelles irritas esse dixit, præcipiendo illis ne ipsas ali- C quatenus observarent. Cum igitur ad hoc simus in sede justitiæ constituti, ut vindictam in nationibus et increpationes in populis faciamus, nolentes ut tam graves et enormes excessus, in quibus culpa esset relaxare vindictam, remaneant impuniti, ne vel præsumptores hujusmodi de sua superbia glorientur, vel aliis tribuatur audacia similia perpetrandi, sed volentes stultis secundum eorum stultitiam respondere, ne se reputent sapientes, mandamus quatenus, de comminationibus factis ipsi archiepiscopo a decano, (archidiacono), et cantore prædictis inquisita plenius veritate, quod inveneris nobis fideliter per tuas litteras intimans, dictos decanum, archidiaconum et cantorem, si rem inveneris ita esse, ad nostram personaliter venire præsentiam, ar- D repto itinere infra mensem post citationem tuam, responsuros ipsi archiepiscopo super præmissis injuriis, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas. Quos etiam nihilominus cites ex parte nostra, competentem eis terminum peremptorium præfigendo, in quo, etiam si non constiterit de præmissis, per se, vel procuratores idoneos, cum omnibus munimentis et rationibus suis compareant coram nobis, prosecuturi justitiam, si quam habeant, adversus eumdem archiepiscopum supra cancellaria et archidiaconatibus suis, ac juribus et pertinentiis eorumdem. Quod si tibi constiterit præfatum J. dicto archiepiscopo et suis præmissas injurias intulisse, ipsum et complices ejus, E nec non omnes qui eis consilium, auxilium, vel favorem, in tanto facinore præstiterunt, tamdiu singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, per provinciam Bisuntinam excommunicatos publice nunties, et facias ab omnibus arctius evitari, donec dicto archiepiscopo et suis satisfecerint competenter, et cum tuarum .... *usque* absolvendi. Loca etiam ad quæ interim devenerit J. præfatus et in quibus idem canonicus detinetur, vel contigerit detineri, quamdiu ibi fuerit, supponas ecclesiastico interdicto, non obstantibus litteris super prædictis cancellaria et archidiaconatibus ac juribus et eorum pertinentiis a sede apostolica impetratis. Datum Viterbii, vii id. Septembris, anno undecimo.

LXXXVIII.

Epistola Gregorii IX ad cancellarium Parisiensem de injuriis archiepiscopo Bisuntino illatis. *Ex apographo* (1).

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio cancellario Parisiensi salutem. Grandem et gravem excessum, quem Theobaldus de *Cicons*, frater cantoris S. Stephani Bisuntini, et complices ejus in venerabilem fratrem nostrum Bisuntinum archiepiscopum ausu nefario attentaverunt sub dissimulatione transire non possumus, nec debemus. Ipsi enim, sicut eodem archiepiscopo nobis innotuit conquirente, injectis in eum manibus, Dei timore postposito, temere violentis, equis summariis, libris, ornamentis pontificalibus et rebus aliis ipsum et familiam suam per violentiam spoliaverunt, et quemdam socium suum, canonicum Bisuntinum, nequiter captivatum diu in carcere tenuerunt; villas quoque ipsius archiepiscopi temere invadentes ac deprædantes, easdem sibi et hominibus suis, in ejus præjudicium, damna gravia et injurias irrogarunt, et adhuc irrogare non cessant. Cum igitur malefactores hujusmodi, qui sub potestate nobilium virorum, baronum et balivorum, ac aliorum nobilium Burgundiæ esse dicuntur, excommunicationem quam propter hoc incurrisse noscuntur damnabiliter contemnentes, redire ad mandatum Ecclesiæ aspernentur, et dignum sit ut quos divinus timor a malo non revocat temporalis saltem coerceat disciplina, mandamus quatenus eosdem barones, balivos et alios, ut præfatos malefactores quod ipsi archiepiscopo restituant integre sic ablata, et de illatis sibi damnis et irrogatis injuriis debitam satisfactionem impendant, a similibus de cetero penitus desistendo, tradita sibi potestate compellant, moneas attentius et inducas, ipsos ad id, si necesse fuerit, per excommunicationis in personas et in terras eorum interdicti sententias, appellatione remota, compellens, et ut facinus tam enorme non solum in committentibus puniatur, sed etiam in descendentibus ab eisdem, præsenti decreto statuimus ut nullus filiorum ac nepotum suorum, ex virili sexu descendentium, ad ecclesiasticum officium, seu beneficium, admittatur, nisi per gratiam sedis apostolicæ specialem. Non obstante constitutione, etc., etc., dummodo ultra quartam, vel quintam, etc., etc. Datum Anagniæ, ii id. Augusti, anno duodecimo.

LXXXIX.

Innocentius IV Guillelmum in Bisuntinam sedem provehit. *Ex apographo* (2).

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, suffraganeis ecclesiæ Bisuntinæ salutem et apostolicam benedictionem. Divinæ sapientiæ inscrutabilis altitudo, quæ sacrosanctam Romanam Ecclesiam in hujusmodi latitudine stabilivit, ita regimen et gubernationem ipsius immutabili provisione disposuit, ut ad eam salubriter gubernandam plures assu- 1245.

(1) Inter Collect. D. *La Porte du Theil.*
(2) E Collect. D. *La Porte du Theil.* Hoc diploma Sammarthani ex Ughelli Italia Sacra deprompsere, sed pluribus vitiis laborans.

merentur in partes sollicitudinis, quamvis pro unitatis Ecclesiæ firmamento unus obtineret plenitudinem potestatis. Voluit enim ut pro ejus patribus filii nascerentur, qui super omnes principes constituti, essent memores sui nominis, et præcones inclyti evangelicæ veritatis. Unde nos, qui, licet insufficientibus meritis, in sublimi sumus ejusdem Ecclesiæ specula constituti, ita intendimus divino adjutorio injunctum nobis ministerium circa proximas ecclesias gerere, ut in illis etiam a quibus locorum positione distamus opportuna debeat providentia non deesse. Cum igitur ecclesiæ Bisuntinæ, quæ diutius pastore vacaverat, fuisset ad nos provisio devoluta, nos ei de tali persona providere volentes, quæ meritis vitæ pollens, placens Deo et hominibus, verbo potens et opere, veluti sidus nitens irradiet subditos lumine verbi Dei, cum super candelabra ecclesiæ Bisuntinæ, pastoris sui obitu viduatæ, lucerna debeat collocari, quæ luce doctrinæ revocet errantes a devio veritatis, et zelo justitiæ in spiritu judicii et ardoris, absque personarum acceptione, contra noxios accendatur, venerabilem fratrem nostrum W., quondam episcopum Cabilonensem, virum utique secundum cor nostrum, famæ celebris, et notæ scientiæ, a vinculo Cabilonensis ecclesiæ absolutum, præficiendum duximus in archiepiscopum et pastorem ecclesiæ Bisuntinæ, sperantes firmiter quod sub ejus regimine grata in Domino suscipiet in spiritualibus et temporalibus incrementa, et mandamus quatenus sibi tanquam membra capiti obsequentes, exhibeatis ei obedientiam et reverentiam debitam et devotam, ita quod mutua inter vos gratia gratos sortiatur effectus, et nos devotionem vestram possimus in Domino merito commendare. Datum Lugduni, XII cal. Aprilis, anno secundo.

XC.

F. schedis Droz. (1). *Simon, filius Gerardi archipræsulis, cum Bellævallensibus monachis paciscitur.*

1246. Ego frater G., abbas Loci Crescentis, et ego Henricus, dominus de *Plugose*, notum, etc., etc., quod Simon, filius domini Gerardi, bonæ memoriæ, quondam Bisuntini archiepiscopi, in præsentia nostra quietavit et penitus guerpivit omnes actiones et omnes querelas quas habebat, vel habere de jure poterat quoquo modo erga domum Bellævallis, et si quid de jure calumniari poterat totum concessit in eleemosynam ecclesiæ Bellævallis. In cujus rei testimonium, etc., etc. Testes Guido, abbas Bethaniæ, Hugo miles, dominus *de Boiz*, et Liefredus filius ejus, Thomas de *Porentru*, præpositus, Conradus villicus de *Plugose* et alii quamplures fide digni. Actum anno Domini MCCXLVI, in præsentia conventus Lucelensis.

XCI.

Ex edit. recenti (2). *Humbertus* de Cossonay *fidem promittit Guillelmo archiepiscopo.*

1246 Joannes, Dei gratia Lausannensis episcopus, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod dilectus frater noster Humbertus, dominus *de Cossonay*, in præsentia nostra, apud Bisuntium, fecit homagium venerabili patri Willermo, Dei gratia Bisuntino archiepiscopo;

(1) T. IX, p. 257.
(2) Comm. et Doc. ad Helvet. Rom. Spectantia, t. V, p. 226.

A et recognovit idem Humbertus coram nobis et coram bonis viris, quod ipse tenebat in feudum ab archiepiscopo Bisuntino *Nyons* et villam quæ dicitur *Pormantor*, et a fonte de medio quercu usque ad malatairiam de *Nyons*, et lacum a ripa de versus *Nyons* usque ad medium lacum, et pedagium et piscariam tribus diebus in septimana, et quæstum piscium in Quadragesima, et decimas a canali de *Brussins* usque ad lapidem de *Moray*. Item recognovit quod erat homo ligius prædicti archiepiscopi pro aliis omnibus, citra Juram versus Bisuntinum, et ultra Juram, salva fidelitate domini *de Jays*, excepto feudo comitatus Gebennensis, quod durat ab illa aqua *Lislaus* de *Peringins* usque ad fontem qui vocatur *Brallons*. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Actum in festo B. Barnabæ apostoli, anno Dom. MCCXLVI.

XCII.

Privilegia S. Vincentii confirmantur. F. schedis Droz. (1).

Frater Hugo, miseratione divina tituli S. Sabinæ presbyter cardinalis, sedis apostolicæ legatus, venerabili fratri abbati monasterii S. Vincentii Bisuntini, ordinis S. Benedicti, salutem in Domino. Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod venerabilis pater archiepiscopus Bisuntinus, sui capituli accedente consensu, ut in absentia sua divinum officium in ecclesia Bisuntina peragendo, tanquam vicarius, pontificalibus uti licite valeatis vobis provida deliberatione concessit, prout olim a felicis memoriæ Victore IIII (2) abbati monasterii vestri prædicti concessum fuerat et a bonæ memoriæ Innocentio papa II abbati loci ejusdem et ejus monasterio confirmatum. Vestris ergo supplicationibus inclinati, quod ab eodem archiepiscopo provide factum est in hac parte et in litteris ipsius super hoc confectis plenius continetur, ratum et gratum habentes, illud auctoritate præsentium confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus, quarum tenorem de verbo ad verbum præsentibus fecimus annotari; qui talis est: 1253.

Willelmus, divina permissione Bisuntinus archiepiscopus, universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Cum ad postulationem et instantiam H., quondam archiepiscopi, et venerabilis capituli Bisuntini, a bonæ memoriæ Victore papa IIII (3) specialis gratia facta

(1) T. VI, p. 8.
(2) Spurium fictitiumve quidam hoc diploma reputant, ob id præsertim quod Octavianum Victorem pseudo-pontificem, quem Victorem IV quidam nuncupant, Hugo cardinalis, legatusque Romanæ sedis, *felicis memoriæ* virum appellet. Pontificium autem munus Octavianus Victor ab anno 1159 usque ad annum 1164 sibi frustra vindicavit. Non ergo litteras ab eo datas sancivit Innocentius papa II, qui sedit ab anno 1130 usque ad annum 1143. Ideo allucinantis notarii mendam castiga, et pro Victore IV, Victorem III lege, qui vixit annis 1087, 1088; quo sub tempus Vincentiana domus exordium habuit.
(3) Luce clarius est hic agi de Victore papa III. Victor enim III Hugonis archiepiscopi coætaneus fuit. Infra vero Guillelmus Herbertum archipræsulem probris impetit acerrimis, ob id unum quod Octaviano Victori pseudo-pontifici adhæserit. Memoriam igitur Octaviani Victoris Guillelmus minime laudibus prosecutus est. Ceterum bullam hanc Victoris papæ contractam præbet index Vincentiani chartularii, simulque in ea Victoris papæ et Hugonis archipræsulis nomina leguntur. Quam quidem sinceram, ut palam est, Guillelmus opinatus est. Nos autem eamdem fictitiam censemus, cum in ea insuper Petrus occurrat abbas S. Vincentii. Victor enim III obiit 16 septembris 1088, nondum perfectis ædibus S. Vincentii, primusque hujusce domus abbas Achardus fuit ab anno 1092. Humberti, minime Hugonis, Petrus, Vincentianus archimandrita, æqualis exstitit.

fuisset abbati monasterii S. Vincentii Bisuntini, ordinis S. Benedicti, ut tanquam vicarius archiepiscopi Bisuntini pontificalibus in peragendo divinum officium pro honore ecclesiæ Bisuntinæ uteretur, et postmodum a bonæ memoriæ Innocentio papa II eadem gratia eidem abbati S. Vincentii et suo monasterio esset confirmata, intelleximus quod propter inhibitionem quondam Herberti schismatici, qui tanquam apostata pro archiepiscopo Bisuntino de facto non de jure se gerebat, ipsa privilegia fuissent postposita, et per longum tempus incognita, ipsius venerabilis capituli Bisuntini et religiosi abbatis dicti monasterii S. Vincentii Bisuntini precibus inclinati, ne videatur illius schismatici inhibitio, facta ut dicitur, robur firmitatis obtinere, volumus et eidem abbati S. Vincentii injungimus, ut in absentia nostra, divinum officium peragendo, tanquam vicarius archiepiscopi pontificalibus utatur, et in locis in quibus Bisuntini pontifices divinum officium consueverint exercere, dictus abbas S. Vincentii, in ejus absentia, vices dicti pontificis suppleat in hac parte. Actum anno Dom. 1252, Sabbato proximo ante Ramos Palmarum. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Bisuntii, cal. Septembris, pontificatus domini Innocentii papæ IV anno undecimo.

XCIII.

E schedis Droz. (1). *Innocentius IV conversum in abbatiam prioratum S. Pauli confirmat.*

1254. INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui S. Pauli Bisuntini salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam rigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Quapropter, dilecti in Christo filii, vestris justis postulationibus annuimus. Cum igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, venerabilis frater noster archiepiscopus Bisuntinus monasterium vestrum, quod tunc erat prioratus, litterarum nostrarum auctoritate, de sui capituli assensu, in abbatiam duxerit erigendum, prout in litteris inde confectis dicitur plenius contineri, nos, vestris devotis supplicationibus inclinati, quod super a prædicto archiepiscopo proinde factum est ratum habentes et gratum, illud apostolica auctoritate confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc nostræ confirmationis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et BB. Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Assisii, v cal. Junii, pontificatus nostri anno undecimo.

XCIV.

Ex apographo (2). *Innocentius IV ratam habet ecclesiarum S. Joannis et S. Stephani unionem.*

1254. INNOCENTIUS, etc., etc., dilectis filiis capitulo ecclesiæ Bisuntinæ salutem. Cum a nobis petitur... *usque* effectum. Sane licet olim, sicut lecta nobis vestra petitio continebat, duas distinctas ecclesias, videlicet S. Joannis Evangelistæ et S. Stephani, et duo diversa capitula haberetis, super majoritate, seu cathedralitate, quam sibi utraque ecclesia vindicabat, non absque gravi utriusque ecclesiæ dispendio diutius litigastis, et tandem ut ecclesiæ ipsæ redigerentur in unam de mandato nostro fuit aliquoties roboratum, postmodum vero, actoris pacis operante clementia, in dilectum filium nostrum fratrem Hugonem, S. Sabinæ presbyterum cardinalem, tunc in regno Alamanniæ apostolicæ sedis legatum, super facienda ipsarum ecclesiarum omnimoda unione, ac aliis quæ ad unionem hujusmodi pertinerent, fuit per vener. fr. nostrum, Bisuntinum archiepiscopum, et prædictarum ecclesiarum decanos et capitula, quæ tunc erant diversa, ut superius est expressum, juramento præstito concorditer compromissum, qui damna et pericula quæ ex hujusmodi litigiis prædictis ecclesiis provenerant, et adhuc poterant provenire, provida deliberatione considerans, habito cum eodem archiepiscopo ac partibus diligenti tractatu, ecclesias ipsas uniens ac in unam redigens, ecclesiam cathedralem ordinavit, et statuit ut prædictæ ecclesiæ de cetero una essent, unaque ac eadem cathedralis ecclesia censeretur, unus idemque utrobique decanus, major archidiaconus, cantor, thesaurarius, scholasticus, et quatuor duntaxat archidiaconi, præter majorem archidiaconatum, et XLV tantum præbendæ, unus thesaurus, necnon unum idemque sigillum in ipsa ecclesia haberentur, et utriusque prioris ecclesiæ privilegia ad sic unitam ecclesiam se extenderent, ac officium quod in prædicta ecclesia S. Joannis prius celebrabatur observaretur perpetuo in ecclesia sic unita, ita tamen quod personis et canonicis prædictarum ecclesiarum dignitates, personatus, præbendas, seu alios reditus ad vitam eorum retinere libere liceret, prout ea factæ unionis tempore obtinebant. Statuit etiam et ordinavit circa præmissa idem cardinalis plura alia quæ vidit ipsi ecclesiæ utiliter expedire, prout in litteris ipsius cardinalis inde confectis plenius continetur. Nos itaque, vestris precibus inclinati, unionem, ordinationem et constitutionem præmissas ratas habentes et gratas, illas auctoritate apostolica confirmamus... *usque* communimus, litterarum ipsarum tenorem de verbo ad verbum præsentibus inseri facientes, qui talis est :

Nos frater Hugo, miseratione divina S. Sabinæ presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, notum facimus universis quod venerabilis pater archiepiscopus, Joannes decanus, totumque capitulum ecclesiæ S. Joannis evangelistæ, ac Pontius decanus totumque capitulum ecclesiæ S. Stephani Bisuntini, super unione ecclesiarum ipsarum et ad ipsam unionem pertinentibus, voluntati et ordinationi nostræ, juramento præstito, stare firmiter promiserunt. Nos itaque cum archiepiscopo, decanis et capitulis prædictis tractatu super præmissis habito diligenti, de prudentium virorum consilio, volumus, ordinamus et statuimus, quod ecclesiæ prædictæ quas unimus una sint ecclesia, et deinceps ecclesia Bisuntina ab omnibus in perpetuum censeatur, unumque ecclesiæ sic unitæ sit capitulum, unus thesaurus, unum sigillum, cujus sint circumferentiæ *sigillum ecclesiæ Bisuntinæ*, unum officium ecclesiasticum, illud videlicet quod in prædicta S. Joannis ecclesia hactenus exstitit observatum, unus decanus, unus major archidiaconus, unus cantor, unus thesaurarius, unus scholasticus, et

(1) T. VII, p. 89.
(2) E Collect. D. *La Porte du Theil.*

cum jam dicto majori alii quatuor archidiaconi, videlicet Salinensis, Greiacensis, Treviensis, et Luxoviensis, ita quod de Varasco et de Palma major, de Ledone et de Montanis Salinensis, de Dola et de *Hamoes* Greiacensis, de Rubeo Monte et de Faverneiaco Treviensis, de Grangiis et de Ajoya archidiaconus Luxoviensis archidiaconatibus ipso facto quam octo vacaverint siut uniti. Decanus superstes decano præmortuo succedat in decanatu duntaxat, non in præbendis, seu in archidiaconatibus quos nunc tenent decani superius nominati, ac ipso facto decanatus qui primo vacaverit alteri sit unitus; et hoc idem de thesauraria et cantoria ecclesiæ utriusque sic unitæ præcipimus observari. Quidquid autem ante dictarum ecclesiarum acquiretur alteri pro indiviso acquiratur, ipsarumque privilegia ad ecclesiam sic unitam in omnibus et per omnia se extendant. Personis vero et canonicis viventibus nullum per hoc præjudicium generetur; quin, quamdiu vixerint, dignitates, personatus, seu officia prædicta quæ nunc tenent, licite valeant retinere. Succentores quoque in dictis remaneant ecclesiis ad regendos choros ecclesiæ sic unitæ, et præsentes in anniversariis et distributionibus quotidianis duplicem percipiant portionem. Sane viventes personæ et canonici resideant in quacumque ecclesiarum voluerint prædictarum : substituti vero ubi a capitulo unito fuerit ordinatum. Statuimus etiam et ordinamus XLV canonicorum et præbendarum numerum in ecclesia sic unita duntaxat in perpetuum observandum. Canonicis vero præbendas, quæ obedientiæ appellantur, non integre percipientibus præbendæ, quam cito facultas obtulerit, integrentur : reliquis vero omnino exspectantibus præbendæ, seu obedientiæ, cum vacaverint, nullatenus assignentur, sed, secundum ordinem receptionis suæ, triginta libr. Stephaniensium pensio pro singulis præbendis seu obedientiis, singulos contingentibus, ab unito capitulo annis singulis persolvatur, præbenda seu obedientia cujuslibet, apud unitum capitulum remanente, donec dictæ XLV præbendæ vacaverint, et ad manus uniti capituli devenerint, et tunc per unitum capitulum inter dictos XLV canonicos æqualiter dividentur. Præterea domus, vineæ, reditus, et cetera bona dictarum ecclesiarum, a quocumque et quocumque modo teneantur, quæ non sunt de corpore præbendarum quæ vacant ad præsens, vel quam cito per mortem eorum qui ea possident, vel ex donatione jam facta possidere debent, seu alio modo vacaverint, ad unitum capitulum revertantur; viventibus tamen personis et canonicis nullum per hoc præjudicium generetur, quin ea quæ impræsentiarum rationabiliter possident ad vitam suam licite valeant retinere. Ultra quoque statutum numerum personarum et canonicorum nullus recipiatur in canonicum, et in fratrem, nec dignitas personatus vel officium alicui conferatur, donec prædicta redacta fuerint ad numerum constitutum. Electio autem archiepiscopi cum pro tempore fuerit celebranda, in capella S. Eugendi, ecclesiæ prædictæ S. Joannis immediate adhærenti, ab unito capitulo celebretur, sicut hactenus fieri consuevit. Denique, pro certis capitulis celebrandis, granario et cellario faciendis, domus quædam in expensis uniti capituli inter domum Gualterii archidiaconi Bisuntini et S. Joannis ecclesiam construatur, nisi ab unito capitulo aliter fuerit ordinatum. Consuetudines quoque suæ in omnibus et per omnia dictis ecclesiis observentur; ordinatis tamen per nos superius nihilominus exceptis, et in infirmitate sua perpetuo duraturis. Ordinationem autem anniversariorum, et aliorum de quibus non ordinamus ad præsens, dispositioni et ordinationi uniti capituli duximus relinquendum, interpretationem et declarationem quæstionis, seu dubitationis, si qua super prædictis, vel aliquo prædictorum, exorta fuerit, nostro arbitrio reservantes, ac retinentes nobis potestatem faciendi recompensationem archiepiscopo memorato super hoc quod archidiaconatus unimus supra dictos. Universa vero et singula supra dicta, in virtute præstiti juramenti, et sub pœna excommunicationis, quam ex nunc in scriptis, auctoritate qua fungimur in contradictores ferimus et rebelles, præcipimus inviolabiliter observari. Datum Bellicensi, II cal. Octobris, pontificatus domini Innocentii papæ IV anno undecimo.

Nulli ergo.... hanc paginam nostræ confirmationis infringere.... Si quis autem.... Datum Anagniæ, calendis Augusti, pontificatus nostri anno duodecimo.

Decanus ecclesiæ Lingonensis datus est super hoc conservator. Non obstante si aliqui ex indulto apostolico excommunicari, etc., etc.

XCV.

Decretum de canonicorum occisoribus et rerum ecclesiasticarum deprædatoribus. *E schedis Droz.* (1).

1257. WILLELMUS, permissione divina Bisuntinus archiepiscopus, et J. decanus, et capitulum Bisuntinum, universis præsentem litteram inspecturis æternam in Domino salutem. Universitati vestræ notum facimus, quod nos, diligenti deliberatione præhabita, et communi tractatu in generali capitulo, concorditer et unanimiter statuimus et juramento interposito firmamus, ut si fortassis, quod absit, contigerit quod aliquis nobilis aut ignobilis aliquem de concanonicis nostris occiderit, ceperit, vel vulneraverit, seu usque ad sanguinis effusionem vel alio modo enormiter læserit, quod aliquis hæredum ipsius percutientis, ab ipso recta linea descendentium, usque ad quartum gradum, in nostra ecclesia non possit recipi in canonicum et in fratrem. Præterea statutum est a nobis et juramento firmatum, quod si aliquis clericus vel laicus terram sedis vel ecclesiæ Bisuntinæ deprædatus fuerit, vel homines redemerit, pacem super hoc cum archiepiscopo, vel cum capitulo, non possit habere, nisi damna illata tam sedi quam ecclesiæ Bisuntinæ in pecunia numerata, vel in vadiis quæ duci valeant, vel portari, integraliter restituat, vel pro qualibet libra damni illati duodecim denarios Stephaniensium, in reditibus in perpetuum pacifice possidendis, competenter assignet, prout sedi vel ecclesiæ damnum fuerit irrogatum. Item, communi consensu et sub eodem juramento, statuimus quod si aliquis vel aliqui combusserit, vel combusserint, destruxerit, vel destruxerint, domos proprias sedis vel ecclesiæ archiepiscopi, seu canonicorum Bisuntinorum, in civitate vel extra, quas habent et in posterum habituri sunt, seu ædificaturi, nomine sedis vel ecclesiæ, nos archiepiscopus tenemur in ipsum, vel in ipsos malefactores, sententias excommunicationis in personas et interdicti in terras, secundum quod dictaverit ordo juris, proferre, nec ipsas nos archiepiscopus vel etiam decanus et capitulum possumus revocare, quousque dictas domos in eodem statu restituerint, vel in meliori. In cujus

(1) T. III, p. 496.

rei testimonium et perpetuam firmitatem nos præfati archiepiscopus, decanus et capitulum Bisuntinum præsentes litteras sigillis nostris fecimus concorditer sigillari. Actum anno Domini 1257, mense Maio.

XCVI.

Ex apographo (1).

Alexander IV sententias a capitulo Bisuntino in quosdam nobiles latas confirmat.

1259. ALEXANDER, etc., etc., ven. fr. archiepiscopo et dilecto filio decano et capitulo Bisuntino salutem, etc., etc. Ea quæ pro Deo dicatis personis, ad reprimendum illorum insolentiam qui clericis oppido sunt infesti, provide statuuntur, tanto amplius digna sunt apostolico munimine roborari, quanto tutius est in iis per compendium circumspectæ providentiæ ante tempus occurrere, quam post commissum excessum et irrogatam injuriam remedium invenire. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod vos filii, decane et capitulum, attendentes quod nobiles vicinarum partium, et præsertim ecclesiæ vestræ vassali, contra vos et eamdem ecclesiam nequiter conspirantes, ac in nonnullas vestræ et aliarum ecclesiarum personas manus sacrilegas extendentes, quasdam ex ipsis ausu temerario capere et diro mancipare carceri præsumpserunt, deliberato consilio provide statuistis, ut si aliquis laicus, cujuscumque conditionis vel dignitatis fuerit, occiderit vel vulneraverit, seu temere ceperit aliquem e canonicis ecclesiæ supradictæ, filii ejus per rectam lineam descendentes ab illo usque ad quartum gradum non possint in eadem ecclesia vestra locum, seu beneficium, obtinere, tuo, frater archiepiscope, ad hoc accedente consensu, prout in litteris inde confectis ac sigillis vestris plenius asseritis contineri. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, statutum hujusmodi ratum habentes et gratum, ipsum auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli nostræ confirmationis, etc., etc. Datum Anagniæ, IV cal. Maii, pontificatus nostri anno quinto.

XCVII.

E schedis Droz. (2).

Faverniacensis abbas se profitetur subjectum abbati Casæ Dei.

1260. NOS Petrus, Domini gratia abbas et prior monasterii Faverniensis, et totus ejusdem loci conventus, Bisuntinensis diœcesis, notum facimus universis, quod nos omnes et singuli, communiter et singulariter, et sigillatim, requisiti a venerabili patre Alberto, Dei gratia abbate monasterii Casæ Dei, Claromontensis diœcesis, ad hoc specialiter et insimul congregati et convocati, confitemur et recognoscimus, sponte et ex certa scientia, nos et monasterium nostrum et omnes monasterio nostro subjectos monasterio Casæ Dei et successoribus vestris pleno jure et immediate subesse, et plenissime pertinere, et obedientiam manualem vobis fecisse, et nos et successores nostros vobis et successoribus vestris facere debere, et apud Casam Dei in manu abbatis loci ipsius profiteri debere, et benedictionem ab eo recipere, quam dare profitentibus consuevit, et censuræ ecclesiasticæ plenitudinem et excommunicationis in nos et omnes et singulos fratres conversos et donatos monasterii nostri habere, et habere debere, et alia quæ habetis in aliis vestris subjectis, quoniam sic habuerunt monasterium vestrum et antecessores vestri in eo a temporibus quorum memoria non existit, et quia monasterium nostrum vestro monasterio fuit concessum tam a diœcesano quam a patronis sæcularibus in ordine filiæ abbatiæ, et a sede apostolica confirmatum. In quorum testimonium atque robur nos prædicti abbas et conventus Faverniensis sigilla nostra apponi fecimus præsentibus, una cum sigillis venerabilium et religiosorum virorum, Dei gratia, Cari Loci et Clari Fontis abbatum, ordinis Cisterciensis. Nos vero, dicti ordinis Cisterciensis abbates, ad hoc specialiter vocati et rogati, ad instantiam dictorum abbatis et conventus Faverniensis, dictæ recognitioni præsentes interfuimus, et sigilla nostra præsentibus apponi fecimus et appendi.

Datum apud Faverneium, VIII cal. Aprilis, anno Dom. MCCLX.

XCVIII.

Ex eisdem.

Pactum inter abbatem Faverniaci et cives Faverniacenses.

OFFICIALIS curiæ Bisuntinæ universis salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod, in præsentia venerabilis et discreti viri domini Odonis de Jusseio, canonici Bisuntini et decani Faverneiensis, ad hoc speciale mandatum habentis a nobis, et nostro, seu curiæ nostræ, nomine, recipientis constituti, major et sanior pars hominum villæ Faverneii, ejusdem diœcesis, et omnes illi per quos ipsius villæ disponuntur negotia et reguntur, et eorum actores existunt, ad requisitionem religiosorum virorum Arberti et Petri, Dei gratia Casæ Dei et Faverneii abbatum, confitentes asseruerunt, suo et omnium hominum dictæ villæ nomine, certiorati de facto et jure, sponte et libere, et deliberatione congrua præcedente, se et omnes homines ipsius villæ Faverneii et successores eorum, particulares et universales esse, et esse debere homines abbatis et conventus monasterii Faverneii, nomine monasterii sui, et mansionarios eorumdem, et jacentes et levantes super eis, et ipsos abbatem et conventum, prædicto nomine, habere solos et integre merum et mixtum imperium, coercitionem et jurisdictionem omnem et quamlibet animadversionem in personis et rebus eorum, jus confiscandi et imponendi mulctas et pœnas in villa et pertinentiis ejus, et esse talliabiles abbati et conventui supra dictis, ut hactenus consueverunt, et justitiabiles alte et basse, in omni loco et casu quo potest quis forum sortiri de consuetudine aut de jure, et omnia et singula servitia alia debere eisdem pro personis et rebus quæcumque consueverunt liberi homines suis dominis exhibere; confitentes sic observatum et pacifice obtentum a temporibus quorum memoria non existit, et ratione doni, seu donationis et traditionis, dictis abbati et conventui factæ antiquitus ab iis qui domini loci ipsius fuerunt. Et quia, ut prædictum est, tanto tempore usi sunt hoc jure et facto, prædicta omnia dictum monasterium habere in eis et rebus eorum volentes et statuentes, et ad hoc specialiter obligantes se et omnes et singulos hæredes et successores suos et omnium hominum villæ prædictæ, et homines ipsos, quod hoc perpetuo servetur et attendatur, et quod hæc con- 1260.

(1) E Collect. D. *La Porte du Theil.*
(2) T. X, p. 635.

fessio perpetuo valeat in omnibus judiciis, causis, litibus, actionibus, negotiis, præsentibus et futuris, tanquam coram ordinario judice, et judicio facta, adjectis debendi causis quæ superius sunt expressæ. Hoc confitentes ne de iis vel eorum aliquo in posterum valeat casu quolibet aut judicio dubitari. Renuntiantes specialiter et expresse omni revocationi causa erroris juris vel facti, vel utriusque, vel aliqua quacumque ex causa .... ; rogantes suo et prædictorum omnium hominum nomine hoc scriptum solemne super hoc a nostra curia confici et tradi abbati et conventui supradictis. Nos vero prædictus officialis .... sigillum curiæ nostræ ad instantiam præmissorum factam ... nomine nostro, una cum sigillo prædicti decani, præsentibus appendi fecimus et B apponi in signum certum et indubitabile testimonium omnium et singulorum præmissorum. Datum Bisuntii, in curia, anno Dom. MCCLX, mense Aprili.

XCIX.

Ex eisdem (1). *Prædium S. Agnam nuncupatum Henricus abbas Bullionis oppignerat.*

1262. Nos frater Henricus, abbas Bullionis, et ejusdem loci conventus notum facimus præsentibus et futuris, quod nos nobili mulieri Loræ, relictæ felicis recordationis Joannis, comitis Burgundiæ, et domini Salinensis, et Joanni filio eo- C rumdem, invadiavimus et invadiamus, sive pignori obligamus et quieti tradimus, feudum nostrum S. Agnæ, pro 40 libr. Viennensium, quas ab eis recepimus in pecunia numerata. Promisimus autem et promittimus bona fide eisdem Loræ et Joanni, quod nos dictum feudum non vendemus, obligabimus, donabimus, permutabimus, aliove aliquo modo vel titulo alienabimus, nisi in manu dictorum Loræ et Joannis, vel hæredum suorum. Quod si dictum feodum voluerimus vendere, nobis debent et tenebuntur dare pro dicto feodo legitimum pretium, ad arbitrium bonorum legitime et fideliter statuendum. Promiserunt siquidem prædicti Lora et Joannes per stipulationem solemnem, pro se et hæredi- D bus suis, et tenentur et tenebuntur consilium et auxilium suum bona fide nobis et nostris et ecce nunc impendere, in defendendo et custodiendo nos et nostras res, et bona nostra, et specialiter ea quæ habemus et habere debemus circa castrum Montis Majoris et S. Agnæ, et in ipsis castris et territoriis seu finagiis eorumdem castrorum. In cujus rei testimonium præsentes litteras dictis Loræ et Joanni tradidimus sigillo nostro sigillatas. Datum et actum anno Dom. MCCLXII, in crastino B. Pancratii.

C.

Ex apographo (2). *Clemens IV cessionem Raynerii, Luxoviensis abbatis, admittit.*

1267. Clemens, etc., etc., dilectis filiis priori Prædicatorum et guardiano minorum fratrum Bisuntinorum salutem. Ex parte dilecti filii Raynerii, abbatis monasterii Luxoviensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis S. Benedicti, Bisuntinæ diœcesis, fuit propositum coram nobis, quod ipse, prout regimini abbatiæ ip- A sius monasterii convenit, non est in spiritualibus et temporalibus circumspectus, et nimia corporis infirmitate ac debilitate gravatur, ita quod propter hoc et malitiam subditorum, monasterium ipsum per eum non potest salubriter gubernari, sicque dictus abbas, dubitans ne sub umbra nominis sui dictum monasterium incurrat irreparabile detrimentum, intendit, sicut asserit, cedere regimini abbatiæ monasterii supradicti, nobis per suas litteras humiliter supplicans ut cessionem ipsius admittere curaremus. Nos itaque, ipsius supplicationibus inclinati, mandamus quatenus, si vobis constiterit ita esse, ac sibi et dicto monasterio videritis expedire, ab eodem Raynerio recipiatis cessionem hujusmodi vice nostra. Datum Viterbii, II id. Martii, anno tertio.

(1) T. XXVIII.
(2) E Collect. D. *La Porte du Theil.*

CI.

Joannes, abbas S. Vincentii, fit canonicus Bisuntinus. E schedis Droz. (1).

Nos Odo, decanus Bisuntinus, G. archidiaconus et camerarius Bisuntinus, Henricus cantor, et Petrus archidiaconus de *Faverney*, in ecclesia Bisuntina, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod frater Joannes, abbas S. Vincentii Bisuntini, anno Dom. 1268, die sibi ad hæc specialiter assignata, in capitulo Bisuntino, prima die mensis in octavis S. Joannis-Baptistæ, ad recipiendum ipsum in canonicum nostrum dictæ ecclesiæ Bisuntinæ, sicut moris est, qui dictus Joannes receptus fuit communiter et concorditer a nobis et aliis canonicis nostris commorantibus in ecclesia Bisuntina S. Stephani protomartyris, super iis qui præsentes fuerunt dicta die assignata in communi capitulo, ita tamen quod dictus abbas non habet vocem in capitulo si non vocetur, nisi in electione archiepiscopi Bisuntini. In cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus litteris apposuimus. Datum et actum anno Dom. 1268, mense Augusto. 1268.

CII.

Decretum de residentia canonicorum B. Mariæ Magdalenæ. Ex eisdem (2).

Universis præsentibus et futuris capitulum ecclesiæ B. Mariæ Magdalenes Bisuntinæ, rei gestæ notitiam cum salute. Majorum vestigiis inhærere cupientes, eorumque exemplo conversationi nostræ et jure modum certum imponere, ad instar matricis ecclesiæ Bisuntinæ, in qua canonicis ejusdem residentiæ certus numerus septimanarum ab antiquo est positus, in ecclesia prædicta certum quoque numerum septimana- E rum, in quibus canonici nostri resideant et divinis insistant officiis, de bonorum consilio duximus statuendum, ipsisque canonicis pro hujusmodi residentia certam præbendam seu portionem fructuum assignare. Annuente igitur venerabilis patris Odonis, Dei gratia archiepiscopi Bisuntini, auctoritate ordinaria, et facto nostro auctoritatem præstante, de communi consensu et voluntate totius capituli, ordinamus et statuimus, ut deinceps, a festo B. Mariæ Magdalenes instante in perpetuum, singuli canonici ecclesiæ nostræ 1270.

(1) T. VI, p. 7.
(2) T. XV, p. 29.

prædictæ qui gaudere præbenda voluerint, annis singulis, XXIV septimanarum residentiam personalem faciant, chorum frequentando et divinis officiis insistendo, unusquisque in ordine suo, secundum quod moris est in matrice ecclesia memorata, et unusquisque eorum sic residentium, annis singulis, de grossis fructibus habeat XVI libras monetæ currentis Bisuntinæ; quarum solutio per sescallum nostrum, quem receptorem omnium bonorum nostrorum generaliter constituimus, fiet his terminis: in festo S. Mariæ Magdalenes, IV libræ; in sequenti synodo, IV libræ; in Purificat. B. Mariæ Virginis, IV libræ; in sequenti synodo Maii, IV libræ. Quæ quidem reddantur per manum sescalli qui pro tempore erit, completa hujusmodi residentia integraliter, ut quolibet mense pro rata illius mensis, ita tamen quod si qui fuerint qui dictam residentiam non compleant, quidquid ante finem ipsius residentiæ receperint reddere teneantur, nec ulterius aliquatenus fructibus præbendæ gaudeant, quousque omnino sescallo prædicto reddiderint sic recepta. Item præsentes canonici in processionibus faciendis pro defunctis parochiæ dictæ ecclesiæ habeant singuli VI denarios si ad hoc processio se extendat, et scilicet VI denarios in iis quæ pro terminis exsequiarum defunctorum legantur, seu erogantur: quod si non sufficiant ad hoc, quilibet VI denarios habeat; processio inter eos æqualiter dividatur. Statuimus quoque ut proventus anniversariorum, quos habemus vel habituri sumus in ecclesia nostra, inter præsentes tantummodo dividantur. Statuimus quoque quod per sescallum nostrum omni die distributio duorum denariorum fiat canonicis præsentibus in missa post Agnus Dei, in vesperis post Magnificat, et in matutinis post Benedictus. Item inter jam dictos præsentes quidquid erogari contigerit pro processionibus defunctorum qui non fuerint de dicta parrochia, æqualiter dividatur. Hæc omnia et singula ordinata sunt in nostra ecclesia, salvo per omnia domino thesaurario ecclesiæ Bisuntinæ, decano nostro, jure quod habet in ipsa ecclesia nostra, cui per hujusmodi ordinationem nullum intendimus præjudicium generari. In cujus rei testimonium sigillum nostrum, una cum sigillo domini archiepiscopi Bisuntini prædicti, ad supplicationem nostram appenso, præsentibus... appensum... Actum anno Domin. Incarnat. MCCLXX, mense Aprili.

CIII.

Ex eisdem (1).

Mandatum pro privilegiis Corneoli adversus Vesuntionensem archiepiscopum.

1270. Decanus Laudunensis, conservator privilegiorum et libertatum religiosis viris abbati Præmonstratensi, et ejusdem ordinis abbatibus et professis omnibus, a sede apostolica indultorum, venerabilibus viris domino Guidoni de Tilecastro, canonico Lingonensi et decano de Vergeio, salutem in Domino. Cum reverendus pater dominus archiepiscopus Dei gratia Bisuntinensis, super eo quod frater Hugo, quondam abbas monasterii de Corneolo, Præmonstratensis ordinis, per ipsum archiepiscopum de dicto monasterio, pertinentiis et juribus ipsius monasterii, a quibus contendit et asserit se esse ejectum, petit sibi restitutionem fieri, cognoscere intendat et proponat, ut patet ex eo quod idem reverendus pater illos quorum interest, visuros supplicationem et petitionem dicti Hugonis, coram se mandavit evocari, ac ad virum religiosum abbatem Præmonstratensem prædictum, et etiam ordinis capitulum generale, ex privilegio sibi a sede apostolica indulto, causarum et quæstionum hujusmodi, maxime inter eos qui eumdem ordinem sunt professi, cognitio et decisio pertineat in solidum, ita quod nulli alii de causis aut quæstionibus hujusmodi inter personas prædictas licitum est cognoscere, quacumque fulgeat dignitate, nisi sibi fuerit a sede apostolica concessum, ac nobis ab eadem sede datum sit in mandatis, ut nos ipsos Præmonstratenses, circa dictæ sedis indulta, non permittamus ab aliquibus vel ab aliquo indebite molestari, quodque molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam compellamus, et desistere compellamus, ac præmissa per rei evidentiam notoria sint et manifesta, utpote quia fratrem Guidonem, abbatem Corneoli canonice electum, seu etiam institutum per Præmonstratensem abbatem, vel ejus vices gerentem, secundum ipsius ordinis privilegia confirmata, et a prædicto archiepiscopo admissum ad curam dicti monasterii, a possessione abbatiæ prædictæ auctoritate sua privavit, ordine prætermisso, et ejus adversarium, ab abbate Præmonstratensi et patre abbate dictæ ecclesiæ excommunicatum, intrusit, in eamdem se immiscens decisionem causæ quæ inter dictum Guidonem abbatem et fratrem Hugonem, quondam abbatem, vertebatur, quam ad ipsum abbatem Præmonstratensem, vel ipsius ordinis capitulum generale, secundum indulta sedis apostolicæ, nulli dubium est pertinere, et sic per consequens notorium sit per dictum archiepiscopum abbatem Præmonstratensem et ordinem suum privari.... indulta privilegiorum suorum, nos, qui ad defensionem eorum dati sumus, vobis mandamus, virtute obedientiæ, sub pœna excommunicationis, quam ipso facto incurretis, si in exsequendo mandato nostro, imo potius apostolico, negligentiores fueritis, vel remissi, quatenus ad dictum archiepiscopum personaliter accedentes, ipsum moneatis semel, secundo et tertio, vel una pro omnibus, ut gravamina prædicta, quæ abbati Præmonstratensi et ejus ordini intulit, indilate revocet et debeat revocare, dictum Guidonem in possessionem abbatiæ de Corneolo dimittere, expulso quolibet alio intruso per eumdem. Quod si monitis parere noluerit, eidem ingressum ecclesiæ auctoritate nostra, imo apostolica, inhibeatis, quem ex tunc in scriptis eidem interdicimus; et si per octo dies in contumacia permanserit, eumdem, quem ex tunc in scriptis suspendimus, suspensum denuntietis; et si per alios octo dies suspensionem sustinuerit, ut contumax fuit, ipsum, quem ex tunc in scriptis excommunicamus, excommunicatum publice denuntietis in ecclesia majori Bisuntina, et alias, ubi et quando videritis expedire, et quoties super hoc fueritis requisiti. Pro hujus autem executione, alter vestrum alterum non exspectet, et quod inde feceritis simul, vel per se quislibet, nobis competenter rescribatis.

Datum anno Domini 1270.

CIV.

Statutum de præbendis presbyterialibus.

Ex eisdem (1).

Nos Odo decanus et capitulum ecclesiæ Bisuntinæ notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod nos, die specialiter assi- 1271

(1) T. XIV, p. 728.

(1) T. III, p. 494.

A gnata, die Sabbati in crastino Omnium Sanctorum, anno Domini 1271, ad tractandum super reformationem status ecclesiæ nostræ Bisuntinæ, tractatu super hoc in capitulo nostro præhabito diligenti, statuimus unanimiter et concorditer ordinamus, quod deinceps sint in nostra ecclesia Bisuntina quatuor præbendæ presbyterales. Una cum succentoribus dictæ ecclesiæ et curato de parochia, et illo qui tenebit altare B. Virginis in ecclesia Bisuntina S. Stephani, quod nunc tenet dominus Petrus, dictus Propheta, canonicus; qui succentores, curatus et ille qui tenebit altare jam dictum jurare in receptione beneficiorum hujusmodi tenebuntur quod infra annum a creatione sua, seu receptione in beneficio hujusmodi, computandum, se facient in B presbyteros promoveri, nisi essent tempore receptionis hujusmodi beneficiorum sacerdotes, et quod non impetrabunt dilationem aliquam, vel privilegium aliquod, contra ordinationem hujusmodi, vel statutum, vel impetrato etiam non utentur. De aliis vero quatuor præbendis presbyteralibus sic statuimus et etiam ordinamus, quod quandocumque vacare contigerit præbendas, vel earum aliquam, quas nunc tenent in ecclesia Bisuntina Simon archidiaconus de Grayaco, Fredericus de S. Quintino, dominus Gerardus de Ledone et magister Laurentius, decanus de Dola, non possint dictæ præbendæ vel aliqua earum assignari alicui vel conferri, seu pensio quæ debetur præbendæ nomine, nisi tali qui sit C ad ordinem sacerdotii jam promotus, vel infra annum, a tempore receptionis beneficii hujusmodi computandum, se faciat in presbyterum promoveri, et ad hæc facienda se adstringat in receptione beneficii præsupposito juramento, nec possit vel debeat contra statutum seu ordinationem hujusmodi dilationem aliquam seu privilegium impetrare, vel uti etiam impetrato : onus hujusmodi, seu honorem sacerdotii, dictis præbendis perpetuo imponentes; hoc excepto, quod si contingat in nostra ecclesia Bisuntina auctoritate apostolica aliquem recipi in canonicum et in fratrem, cum locus alicujus istarum præbendarum ex suæ receptionis ordine adhiberetur, et non esset habilis ad sacerdotium infra annum, statuimus et ordinamus quod præbenda proximo D vacans post illam onus hujusmodi habeat et presbyteralis sit, et inter presbyterales ex tunc perpetuo computetur, nisi casu consilii eam contingeret ab onere hujusmodi relevari. Quod si contingeret, statuimus et volumus quod præbenda proximo vacans, post illam quæ possit ordinationis hujusmodi subjacere, onus prædictum habeat et presbyteralis sit et perpetuo reputetur. Hoc etiam de aliis præbendis presbyteralibus statuimus observandum; statuto, seu ordinationi hujusmodi, adjungentes, quod illi qui tenebunt præbendas quas nunc tenent in ecclesia Bisuntina S. Joannis dictus Simon archidiaconus et etiam Fredericus, tenebuntur in dicta ecclesia residere, et ibidem in suo ordine ministrare. Illi E vero qui tenebunt præbendas quas nunc tenent in ecclesia Bisuntina S. Stephani dicti magister Laurentius et Gerardus, tenebuntur in dicta S. Stephani ecclesia residere, et ibidem in suo ordine ministrare, nisi, propter necessitatem evidentem alterius ecclesiæ vel districtus, contingeret aliter ordinari. Et hæc volumus sub virtute juramenti inviolabiliter observari, et ut statutum, seu ordinatio hujusmodi, robur obtineat perpetuæ firmitatis, sigillum ecclesiæ nostræ Bisuntinæ præsenti statuto, seu ordinationi, duximus apponendum. Actum in nostro capitulo supradicto, anno et die supradictis.

CV.

Rudolphus rex archiepiscopum Bisuntinum imperii principem instituit. *Ex apographo* (1).

Rudolphus, Dei gratia Romanorum rex semper augustus, universis sacri imperii fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit gratiam suam et omne bonum. 1274. Romani pulchritudo imperii, ex dono consurgens deifico, et fundata mirifice super immobile fundamentum per altissimum Filium, qui in sacratissimo virginis utero.... edicto parere voluit Cæsareo, evangelicæ veritatis organo præcipiens reddere Cæsari ad Cæsarem pertinentia, ostenditur a cunctis principibus veneranda. E præcellentiæ itaque prærogativa, qua viguit et vigebit, columnis meruit stabiliri, et egregiis ædificiorum juncturis indissolubiliter insigniri : inter quas quidem illustres, spectabiles et clarissimi, ad totius operis machinam supportandam, potiori cernuntur præstantia, veluti bases fixæ et immobiles, præeminere, ut quo uberius gloriæ titulis adornari se sentiunt, eo amplius in obsequiosæ sinceritatis gratitudine ceteris debeant præclarere. Sane venerabilis archiepiscopus Bisuntinus sic gratis et virtuosis suæ claræ actionis operibus erga nos et sacrum imperium se assidue repræsentat amabilem, sicque gratum et placidum nobis se exhibet prope (2) probitatis, quod nos delectat ad sui honoris augmenta consurgere, et ad Bisuntinæ ecclesiæ, quæ principalis honoris beneficentiam antiquitus a sacro promeruerit imperio, statum pacificum nostras operas applicare. Proinde eumdem archiepiscopum catervæ dilectorum nobis principum adscribimus, et consortio coruscantium gloria illustrium apicum aggregamus, feuda regalia et jurisdictionis temporalis administrationem, principatus ecclesiæ suæ prout obtinere debet, eidem de manu nostra liberalitate regia concedentes, ut omnia exerceat quæ ad usus hujusmodi exiguntur, imperii quoties casus emergunt, et officii requisierit debitum præsidentis; mandantes nihilominus et distincte præcipientes, nostræ gratiæ sub obtentu, universis et singulis Bisuntinæ ecclesiæ vassalis, ministerialibus, militibus, et cunctis hominibus, quatenus eidem archiepiscopo, tanquam dilecto nostro principi et domino speciali, reverenter exhibeant obedientiæ debitæ promptitudinem et sinceræ fidei puritatem. In cujus rei testimonium præsentem paginam sibi assignari præcepimus, (sigilli nostri) munimine roboratam. Datum Basileæ, v id. Februarii, indict. II, anno Dom. MCCLXXIV, regni vero nostri anno primo.

CVI.

Odo archiepiscopus nummos a Bisuntinis civibus accipit. *E schedis Droz.* (3).

Nos Odo, miseratione divina Bisuntinus archiepiscopus, notum facimus universis præsen- 1279. tes litteras inspecturis, quod nos confitemur et publice recognoscimus nos habuisse et recepisse integre et plenarie, per manum Odini Michaelis, civis Bisuntini, solventis nomine civium Bisuntinorum, ad ipsius Odini et dictorum civium liberationem, 150 libras Stephanienses in pecunia numerata, de 300 libris Stephaniensibus in quibus dicti cives nobis tenebantur ratione com-

(1) In Max. Par. Bibl. P. n, r. 88.
(2) Sic in codice legitur.
(3) T. XXV, p. 798.

positionis et concordiæ inter nos et dictos cives habitæ super combustione domus Willermi *de Cycons*, quondam canonici Bisuntini et molendinorum *de Tarraignon*, et super quibusdam injuriis dictis et factis contra nos et jurisdictionem nostram, occasione combustionis prædictæ. In cujus rei testimonium sigillum curiæ nostræ Bisuntinæ præsentibus litteris duximus apponendum. Datum II non. Martii, anno Dom. MCCLXXIX.

CVII.

Ex eisdem (1). *Reginaldus, abbas, omnes decimas Balmensis monasterii Othoni comiti tradit.*

1280. Nos frater Renaudus, Dei patientia abbas Balmensis monasterii, Bisuntinæ diœcesis, totusque ejusdem loci conventus, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod nos, pensata et considerata utilitate nostra et monasterii nostri prædicti, diligentique super hoc deliberatione prahabita, donamus et donavimus, tradimus vel quasi donatione facta inter vivos, illustri viro Othoni, comiti Burgundiæ palatino, dominoque Salinensi, ad vitam ipsius duntaxat, proventus, fructus et exitus decimarum nostrarum, ad nos et monasterium nostrum supra dictum conjunctim et divisim spectantes et pertinentes, in villis et finagiis de Dola et de Poloigniaco, etiam et per cessionem ipsarum decimarum, exceptis decimis fructuum et exituum vinearum et agrorum quos priores de Dola et de Poloigniaco proprie possidebant, in quorum decimis nihil percipiet, vel percipi faciet dictus comes; et post ipsius decessum dictæ decimæ, superius sibi datæ, et concessæ ad vitam suam tantum, cum omni melioratione et incremento ad nos et monasterium nostrum pleno jure revertentur. In cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus litteris duximus apponenda. Datum mense Septembri, anno Domini 1280.

CVIII.

E Monum. Basil. Eccl. *Plura Loco Crescenti dat Joannes* de Valehn.

1280. Ego Vincentius, sacerdos vicarius in *Luemeswilr*, notum facio omnibus præsentem litteram inspecturis, quod Joannes dictus *de Valehn*, in facie ecclesiæ et in choro ecclesiæ de *Luemeswilr*, et in mea præsentia, dedit, contulit penitus et guerpivit in puram et perpetuam eleemosynam, pro anima sua et pro animabus suorum omnium progenitorum, Deo et ecclesiæ Loci Crescentis, Cisterciensis ordinis, Bisuntinæ diœcesis, quidquid habebat vel habere poterat et debebat in villa et finagio de *Luemeswilr*, in domibus, casalibus, hortis, terris, pratis, nemoribus, in viis et aquis et aquarum decursibus, et in rebus aliis quocumque nomine censeantur; et specialiter omnia bona prædicta resignavit in manu fratris G., abbatis Loci Crescentis, et hoc coram me et multis aliis fide dignis; scilicet Hugone de *Keuenringuen*, Borcardo *Semtewint* et Wernhero filio suo, Ruedegero nobili, Joanne et Petro dictis Arbores, Conrardo et Borcardo de Valle Masonis, Joanne hospite, Henrico de *Steneborne*. Istis et aliis quam pluribus qui præsentes erant sub pœna quam potui, quasi ille qui ipsorum curam gerebat animarum, præcepi, A adjuravi et monui si unquam vidissent, audissent, vel etiam percepissent quod prædictus Joannes de dictis bonis uxorem suam aliquando dotaverit, vel aliquo modo obligaverit, in parte vel in toto, per quod hæc donatio vel eleemosyna impediretur. Qui omnes in animabus suis responderunt, et etiam juramento affirmarunt, quod nunquam audierunt, vel viderunt, quod aliquo modo alienaverit, maxime cum istud non in dicto loco fieri posset de jure, vel deberet. Dictus vero Joannes dixit eis : *Deus vobis retribuat, quod dixistis veritatem* : et accedens dictus Joannes ad altare, coram omnibus qui aderant, manu sacris apposita, juravit quod uxorem suam nunquam de dictis bonis dotavit, vel B modo aliquo obligavit, per quod posset præsens eleemosyna impediri. In cujus rei testimonium, et ad petitionem dicti Joannis *de Valehn*, præsentem litteram sigillo meo sigillavi. Datum et actum anno Domini MCCLXXX, in crastino (S.) Bricii.

CIX.

Odo inter canonicos Corneoli et fratres Minores Grayaci litem solvit. *E schedis Droz.* (1).

Nos Odo, miseratione divina archiepiscopus, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod cum fratres Minores apud Grayacum castrum, nostræ diœcesis, domum ædificassent et in eadem conventum instituissent, et peterent ibidem cœmeterium sibi fieri et benedici a nobis, virique religiosi frater Renaldus, abbas Corneoli, totusque conventus ejusdem loci, nostræ diœcesis, Præmonstratensis ordinis, patroni ecclesiæ Grayaci, ac rector ejusdem ecclesiæ, opponerent se, asserentes id in præjudicium suum et ecclesiæ suæ non modicum gravamen fieri, tandem, de bonorum virorum consilio, utrinsque partis consensu, auctoritate quoque nostra mediante, ita compositum et ordinatum est inter partes prædictas sicut in subsequentibus continetur; videlicet quod de eleemosynis ad dictos fratres devenientibus a parochianis Grayacensibus, ratione sepulturæ, percipiant patroni et rector duodecim denarios et unum cereum, vel candelam, si cereus non fuerit, ita tamen quod, si aliquis apud eos sepeliretur adeo pauper quod nihil ab eo percipiant dicti fratres, de eleemosyna subsequentis funeris eisdem patronis et rectori refundetur dicta summa, ita ut, pro quolibet parochiano Grayacensi qui in cœmeterio prædictorum fratrum sepulturam elegerit, semper dictam summam habeant. Hoc autem concessum est salvo jure parochiali. De jure autem parochiali intelligimus, quod corpus parochiani defuncti Grayacensis ad ecclesiam parochialem Grayacenam deferatur, nihil aliud de curati processerit voluntate, et ibidem divinum officium secundum consuetudinem celebretur; quo completo, ad fratrum prædictorum ecclesiam deportetur; dicti vero patroni et rector ultra prædicta nihil possint exigere a dictis fratribus de beneficiis ratione sepulturæ perceptis et percipiendis, nec etiam canonicam portionem. Pro aliis vero qui non sunt de parochia Grayacensi, dicti patroni et rector duos solidos percipient et unum cereum, vel candelam, si cereus non fuerit : si autem aliquis sepeliatur in cœmeterio dictorum fratrum adeo pauper quod nihil ab eo recipiant dicti fratres, sicut dictum est su-

1238.

(1) T. XVI, p. 411.

(1) T. XIV, p. 539.

pra de parochianis Grayacensibus, dicta summa, scilicet duo solidi et unus cereus, vel candela, dictis patronis et rectori de eleemosyna subsequentis funeris refundatur. Promiserunt autem frater Hugo de Virduno, custos Burgundiæ, frater Hugo *de Lavaus,* guardianus fratrum Minorum domus Grayaci totusque ejus loci conventus, bona fide, dictam compositionem fideliter et inviolabiliter observare, abrenuntiantes ex certa scientia omni juris auxilio et beneficio scripti et non scripti, constituti et constituendi, et omni privilegio a sede apostolica vel ipsius legatis impetrato, vel impetrando, omnique statuto et omni juri, rei ac rationi, quæ contra præsentes litteras opponi possent, ut hoc factum et specialiter juri dicenti generalem renuntiationem non valere. In cujus rei testimonium et munimen, nos Odo prædictus sigillum nostrum, una cum sigillis prædictorum fratrum, Hugonis de Virduno, custodis, et fratris Hugonis *de Lavaus,* guardiani, et dicti conventus Grayaci, præsentibus litteris duximus apponendum. Et nos prædicti frater Hugo de Virduno, custos, et nos frater Hugo *de Lavaus,* guardianus domus fratrum Minorum Grayaci, totusque conventus ejusdem loci, sigilla nostra una cum sigillo prædicti reverendi patris Odonis, Dei gratia archiepiscopi Bisuntini, præsentibus litteris apposuimus in testimonium veritatis præmissorum. Actum et datum VIII id. Maii, anno Domini MCCLXXXVIII.

CX.

Ex eisdem (1).

Vallem Migetes *abbas Bullionis Joanni Cabilonensi tradit.*

1289. Nos frater Guillelmus, dictus abbas Bullionis, Cisterciensis ordinis, Bisuntinæ diœcesis, totusque ejusdem loci conventus, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis et audituris, quod nos, pensata et considerata utilitate ecclesiæ nostræ, diligenti deliberatione super hoc præhabita, tradidimus et concessimus titulo permutationis nobili viro domino Joanni de Cabilone, domino de Allato, et suis hæredibus et successoribus in perpetuum, totam vallem nostram de *Migetes* et grangiam ibidem existentem, cum omnibus juribus, pertinentiis et appenditiis, prout rupes dependunt circumquaque juxta dictam vallem, nec non spatium terræ supra dictas rupes, continens duas *toises,* et quidquid infra dictos terminos habemus, habere possumus et debemus in pratis, campis, nemoribus, et aliis quibuscumque, quocumque nomine censeantur, necnon et feudum nostrum castri et villæ de S. Agnete, et omne jus quod habemus vel habere possumus et debemus in omnibus supra dictis, pro viginti libris currentis et usualis monetæ in civitate et diœcesi Bisuntina, nobis et successoribus nostris solvendis et reddendis, annis singulis, in perpetuum, in octavis festivitatis Omnium Sanctorum, apud Salinum, a dicto Joanne et suis hæredibus et successoribus, super reditus suos salneriæ Salinensis burgi communis : retinentes nobis et successoribus nostris in dicta valle ecclesiam cum cœmeterio, et habitationem infra cœmeterium duarum personarum, quarum altera saltem sit religiosa, ad usagium in dicta valle habitantium; retinentes nobis et successoribus nostris jus patronatus dictæ ecclesiæ et decimas dictæ vallis a dicto nobili et suis et aliis et omnibus in dicta valle excolentibus, seu excoli facientibus et segetes levantibus. De ceteris autem quibuscumque proventibus, sive fructibus, ibidem decimas percipere non debemus. Devestientes nos, pro nobis et successoribus nostris, nomine nostro et successorum nostrorum, de dicta valle et de dicto feodo, cum omnibus supra dictis, et dictum nobilem, pro se et suis, inducentes in possessionem corporalem et vacuam, vel quasi, de eisdem. Promittentes bona fide, pro nobis et successoribus nostris, nomine nostro et successorum nostrorum, et sub voto religionis nostræ, dicto nobili, pro se et suis solemniter stipulanti, quod contra prædicta per nos, vel per alium, non veniemus, nec alicui contravenire volenti consentiemus, clam sive palam, tacite vel expresse. Renuntiantes in hoc facto ex certa scientia doli, mali, etc., etc. Facta est autem prædicta permutatio ex concessione capituli generalis, et expresso consensu reverendi in Christo patris domini Joannis, abbatis Clarævallis. In cujus rei testimonium nos prædictus abbas sigillum nostrum, pro nobis et conventu nostro, præsentibus litteris duximus apponendum. Et nos prædictus conventus, quia sigillum non habemus proprium, sigillo dicti abbatis nostri usi sumus in hac parte. Actum et datum anno Dom. MCCLXXXIX, mense Februario.

CXI.

E schedis Droz. (1).

Odo, archiepiscopus, Burgillarum curioni Aulam Archiepiscopi tradit.

1295. Nos Odo, miseratione divina Bisuntinus archiepiscopus, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod cum bonæ memoriæ dominus Hugo, dictus *Enjays,* decanus de Sexta et curatus de *Burgeilles,* prope Bisuntium, spontaneus nobis et successoribus nostris Bisuntinis archiepiscopis et sedi Bisuntinæ cesserit, concesserit, tradiderit, vel quasi in perpetuum quietaverit mansum suum quem habebat retro ecclesiam *Burgeilles,* cum ædificio inibi existenti, in quo nunc domus nostra de *Burgeilles* consistit, nos nolentes doni accepti esse immemores, nec ingrati, nec etiam curatos ecclesiæ de *Burgeilles* in ipsa villa carere de ædificio et habitatione temporibus profuturis, de consensu et voluntate venerabilium decani et capituli ecclesiæ Bisuntinæ, ob mansum prædictum, nomine nostro et successorum nostrorum, dilecto capellano nostro domino Stephano de Monte Avium, nunc curato de *Burgeilles,* et successoribus suis curatis de *Burgeilles*, damus, donamus, cedimus et concedimus, tradimus, vel quasi in perpetuum quietamus et deliberamus mansum nostrum de *Burgeilles,* qui vocatur Aula Archiepiscopi, cum pertinentiis et appenditiis circumquaque adjacentibus, situm super flumen Dubii, quem nos et prædecessores nostri archiepiscopi quondam consueverunt habitare, ipsum Stephanum et successores suos curatos de *Burgeilles* investientes de eodem per traditionem præsentium litterarum, et in possessionem vel quasi corporalem inducentes. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris est appensum. Nos vero dicti decanus et capitulum Bisuntinum, dictæ donationi consentientes, ipsamque gratam et ratam habentes, sigilla nostra præsentibus litteris, una cum sigillo prædicti domini archiepiscopi, apposuimus, in testimonium veritatis. Actum mense Januarii, anno Domini 1295.

(1) T. XXIX, p. 67.

(1) T. II, p. 50.

CXII.

Ex apographo (1). *Pactum cum Joanne Cabilonensi de Bisuntinæ civitatis præfectura.*

1295. Omnibus præsentes litteras inspecturis Theodoricus, domini papæ camerarius, salutem in Domino. Universitati vestræ præsentibus innotescat quod nobilis vir dominus Joannes de Cabilone, dominus de Allato, pro se ipso, ac discreti viri domini Philippus de Luxovio et Stephanus de Sexta decani, procuratores, ut dicebant, reverendi patris domini Odonis, archiepiscopi Bisuntini, habentes speciale ad hoc mandatum, ut asserebant, de procuratorio nomine, pro domino archiepiscopo supra dicto, in nostra præsentia constituti, recognoverunt et confessi fuerunt talia conventiones et pacta inter se, pro se ipsis, et procuratorio nomine dicti domini archiepiscopi, fecisse, intervenisse, ac inita et firmata fuisse; videlicet, quod prædicti domini Philippus et Stephanus, decani, procuratorio nomine domini archiepiscopi præfati, promiserunt, se ad hoc præcipue obligando, quod idem archiepiscopus dabit, assignabit, et concedet in feudum domino Joanni prædicto majoriam Bisuntinam, cum ejus pertinentiis et juribus universis; pro quibus dictus dominus Joannes jurabit domino archiepiscopo prædicto fidelitatem, ac eidem homagium ligium faciet personaliter, postquam dictarum majoriæ et pertinentiarum fuerit pacificam possessionem adeptus, infra quadraginta dies ex quo diœcesim Bisuntinam intrabit, et super hoc a domino archiepiscopo fuerit requisitus, et nihilominus, in sui absentia, per procuratorem habentem ad hoc mandatum sufficiens, fidelitatem et homagium ligium prædicto domino archiepiscopo faciet, pro prædictis majoria et ejus pertinentiis, quem procuratorem idem archiepiscopus recipiet et admittet pro domino Joanne prædicto ad hujusmodi fidelitatem et homagium ligium facienda; quæ fidelitatem et homagium ligium idem dominus Joannes faciet personaliter, postquam dictam diœcesim intraverit, intra quadraginta dies, ut dictum est; pro quibus fidelitate et homagio ligio, sive personaliter per dictum dominum Joannem, sive per ejus procuratorem præstentur domino archiepiscopo memorato, idem dominus archiepiscopus solvet et assignabit, solvere et assignare faciet, infra octo dies post fidelitatem et homagium ligium præstita per dictum Joannem, seu ejus procuratores præfatos, eidem domino Joanni, seu cui ipse voluerit, mille libras Turonensium parvorum : et hæc omnia stipulatione solemni inter se invicem promiserunt accedere et observare, non contra facere, nec venire, sub pœna trecentarum marcarum argenti, quæ pœna a parte non servante conventiones et pacta prædicta solvatur, semel tamen, pacta observanti, seu volenti pacta et conventiones hujusmodi observare, nihilominus pactis et conventionibus ipsis in suo robore duraturis, prout hæc omnia in quodam instrumento publico, manu Hugonis Guidonis de Vandopera, Lingonensis diœcesis, publici notarii, scripto, et sigillis dictorum domini Joannis, ac procuratorum, munito, plenius vidimus contineri. Et ut prædicta omnia debitum sortiantur effectum, non ignari quod eorum ordinarius, seu delegatus judex non eramus, sponte ac libere nostræ jurisdictioni, ac cameræ domini papæ, quoad pœnas, excommunicationem duntaxat, se submittentes, A voluerunt quod contra partem non servantem pacta, postquam legitime constiterit de inobservatione hujusmodi, per nos, aut per alium, seu alios, ad excommunicationes et alias spirituales pœnas procedamus, prout nobis visum fuerit, et facti qualitas suadebit, atque sententiam excommunicationis et alias spirituales pœnas, si eas per nos, seu alium, seu alios, auctoritate nostra fieri contigerit, ex nunc in se voluntarie susceperint. Quare nos, supra dicti domini papæ camerarius, prædictos dominum Joannem et procuratores ad hoc apud sedem apostolicam constitutos, pro primo, secundo et tertio monemus ut pacta et constitutiones præfata adimplere debeant et servare, alioquin contra eum, B vel eos, per quem, seu quos, steterit quominus conventiones et pacta prædicta observentur et impleantur, postquam de his facta nobis fuerit certa fides, ad excommunicationis sententiam et alias spirituales pœnas procedemus, per nos, seu alios, prout facti requiret conditio et nobis videbitur expedire. Quæ omnia scribi et publicari fecimus per notarium infra scriptum, et ad majus testimonium nostri sigilli jussimus muniminc roborari. Acta, lecta et publicata fuerunt hæc Laterani, ante domum Eleemosynæ domini papæ, præsentibus magistro Joanne de *Preneste*, cameræ domini papæ clerico, Gabriele de *Fabriane*, clerico et familiari dicti camerarii, et fratre Joanne procuratore hospitalis S. Spiritus in C Saxia de Urbe, testibus, mense Maii, die 2, anno Dom. MCCXCV, ind. VIII, pontificatus domini Bonifacii papæ VIII anno primo.

Et ego Paulus de Colle Vitelli, Reatinæ diœcesis, publicus imperiali auctoritate notarius, omnibus prædictis interfui, et ea omnia, de mandato prædicti domini camerarii, scripsi et publicavi, meumque signum apposui consuetum.

CXIII.

Henricus rex Hugoni investituram confert. *E schedis Droz.* (1).

Henricus, Dei gratia Romanorum rex semper augustus, universis sacri Romani imperii fi- 1310.
D delibus præsentes litteras inspecturis, gratiam suam et omne bonum. Romani imperii celsitudo consurgens antiquitus, et fundata mirifice super immobile firmamentum excellentiæ, prærogativa qua viguit, columnis meruit stabilibus stabiliri, et egregiis ædificiorum juncturis indissolubiliter adornari : inter quos quidem illustres principes, ad totius operis machinam supportandam, præcipue ut columnas volumus potiori præstantia præmiuere, ut quo uberius gratiæ privilegiis insigniri se sentiunt, eo amplius debeant obsequiosæ vicissitudinis et obeditionis gratitudine ceteris præclarere. Sane cum venerabilis Hugo, Bisuntinæ ecclesiæ archiepiscopus, princeps noster dilectus, ad celsitudinis nostræ E nuper accedens præsentiam, Romano imperio et nobis obsequiosæ devotionis signa et omnimodæ obeditionis insignia præsentavit, nos ipsum tanquam nostrum et imperii principem ad benevolos applausus et dulcedinis admittentes amplexus, regalia feuda principatus pontificalis quem obtinet sibi de liberalitate regia concessimus, et eumdem archiepiscopum investivimus de eisdem, administrationem temporalium et jurisdictionem plenariam principatus ejusdem prænominato archiepiscopo serie præsentium concedentes. Quocirca universis et singulis vassalis,

(1) Max. Paris. Bibl., P. II, P. 88.

(1) T. II, p. 553.

ministerialibus, civitatibus, villis et hominibus suis, damus præsentibus in mandatis, quatenus ipsi archiepiscopo tanquam principi nostro et domino suo intendant in omnibus humiliter et pareant reverenter. In cujus rei testimonium præsentes litteras majestatis nostræ sigillo jussimus communiri. Datum apud Gebennam, IV id. Octobris, anno Domini 1310, regni vero nostri anno secundo.

CXIV.

Ex eisdem (1). *Rerum commutatio inter archiepiscopum Bisuntinum et rectorem S. Spiritus.*

1313. Universis præsentes litteras inspecturis frater Petrus, rector pauperum hospitalis S. Spiritus civitatis Bisuntinæ et fratres ejusdem hospitalis salutem, et fidem præsentibus adhibere. Inter reverendum patrem ac dominum dominum Vitalem, Dei et apostolicæ sedis gratia archiepiscopum Bisuntinum, nomine ecclesiæ Bisuntinæ et suo, ex una parte, et nos nomine prædicti hospitalis et nostro, ex altera, super quibusdam expressatis inferius talis exstitit ordinatio, seu permutatio, subsecuta, cujus forma sequitur in hæc verba. Nos, Vitalis, Dei et apostolicæ sedis gratia Bisuntinus archiepiscopus, notum facimus universis quod nos, nostra sedisque et ecclesiæ Bisuntinæ utilitate pensata evidenti, et quia tenemur ex nostri officii debito piis locis gratiam impertiri, illis præcipue ubi frequentius opera pietatis exercentur, et a quibus meminimus nos beneficia recepisse, nos, pro nobis et successoribus nostris, ex causa et nomine permutationis infra scriptæ, dedimus et tradidimus, vel quasi, et deliberavimus rectori et pauperibus domus hospitalis S. Spiritus Bisuntini, ad opus pauperum ibidem degentium, fuagium, usum et jus fuagii perpetuo habendum ab eisdem rectore et pauperibus, nomine dicti hospitalis, ad unam quadrigam cum duobus equis, in nemoribus sitis in territorio Bisuntino, ubique consistant, et eadem habere dignoscimur, quotiescumque voluerint et sibi viderint expedire: quod quidem fuagium, cum usu fuagii, nos promittimus bona fide pro nobis et successoribus nostris dicto rectori et pauperibus nomine dicti hospitalis legitime defendere, garantire et pacificare semper et ubique contra omnes homines, et nos contra dictas permutationem, traditionem et deliberationem non venire in futurum per nos, vel per alium, tacite vel expresse; mittentes dictos rectorem et pauperes, quo supra nomine, in possessionem vel quasi corporalem dicti fuagii, usus et juris ejusdem, per traditionem præsentium litterarum. Pro qua quidem permutatione, et ex causa dicti fuagii, habuimus et confitemur nos habere et recepisse pro nobis et successoribus nostris, nomine sedis et ecclesiæ Bisuntinæ, a dicto rectore dicti hospitalis, terras infra scriptas, cum fundis et appenditiis earumdem, sitas in finagio *d'Athalaus*, nobis et ecclesiæ sedi quam plurimum utiles et necessarias, ac non modicum fructuosas, ac viginti lectos plumeos et plura alia supellectilia sub valore et æstimatione sexaginta librarum Stephaniensium, quos lectos cum prædictis supellectilibus poni fecimus in nostra et ecclesiæ Bisuntinæ utilitate in domibus nostris de Bisuntio et de *Gy*. Quæ terræ sitæ sunt in finagio prædicto de *Athalaus*; una pecia .... Si vero in futurum, quod absit, contin-

A geret dictos rectorem et pauperes super dicto fuagio molestari, adeo quod ipsi super dicto fuagio, jure et usu fuagii, libere non gauderent, volumus et concedimus quod dictæ terræ cum melioratione, si qua in dicta terra fieret, necnon et dicti viginti lecti cum dictis supellectilibus, sub valore et estimatione dictarum 60 librarum Stephaniensium, ad dictos rectorem et pauperes libere revertantur pleno jure, contradictione cujusquam non obstante. Et ad præmissa omnia et singula tenenda et firmiter observanda, necnon ad restitutionem et traditionem dictæ terræ et dictorum lectorum et supellectilium, sub valore prædicto, dictis rectori et pauperibus in casu præmisso faciendas, nos obligamus et

B obligavimus in manibus dictorum rectoris et pauperum, nos successores nostros, nostraque sedis et ecclesiæ nostræ Bisuntinæ bona mobilia, immobilia, præsentia et futura, ubique sint et quocumque nomine censeantur, renuntiamusque in hoc facto, ex certa scientia, bona fide, omni exceptioni boni, mali, circumventionis, deceptionis, exceptioni quæ dicitur terræ, dictorumque lectorum et supellectilium, sub valore prædicto, nobis, nomine nostro sedisque et ecclesiæ Bisuntinæ a dicto rectore et ex causa dictæ permutationis non traditorum et non deliberatorum. In quorum præmissorum testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Datum die Sabbati post festum

C B. Vincentii, anno Dom. 1313.

Nos vero prædicti rector et fratres, attendentes contenta superius fore esse utilia prædicto hospitali in præsenti et etiam in futurum, et etiam ecclesiæ Bisuntinæ, nolentes in nostris artibus fraudem aliquam adhibere, promittimus, nomine nostro et etiam hospitalis nostri prædicti, fide data, garantire et pacificare præfato domino archiepiscopo et successoribus suis illa quæ superius continentur, volentes quod, nisi per nos præfato domino archiepiscopo et successoribus suis firma et plena garantia pararetur, omnia superius ordinata eo ipso essent irrita atque nulla. Et promittimus bona fide satisfacere de omnibus damnis, missionibus, et

D interesse si quæ contingeret incurrere præfatum dominum archiepiscopum, seu successores suos, ex causa prædicta, nos et hospitale nostrum et successores nostros super hoc efficaciter obligando. Et ad majorem roboris firmitatem, nos, prædicti rector et fratres, sigillum proprium rectoris et commune hospitalis præsentibus litteris duximus apponendum, rogantes venerabiles viros officiales curiæ Bisuntinæ et curiæ archidiaconalis ut ipsi sigilla curiarum prædictarum in litteris præsentibus apponi faciant in pendenti.

Et nos officiales prædicti, ad rogatum dictorum rectoris et fratrum, sigilla curiarum nostrarum præsentibus litteris duximus apponenda in testimonium veritatis, una cum sigillo ipsorum

E prædicto. Datum die Martis ante festum Purificationis B. Mariæ Virginis, anno Domini 1313.

CXV.

Vitalis, archiepiscopus, jubet ut perversi clerici comprehendantur. *Ex eisdem* (1).

Universis præsentes litteras inspecturis, Vitalis, Dei et apostolicæ sedis gratia archiepiscopus Bisuntinus, salutem in domino perpetuam 1313.

(1) T. II, p. 353.

(1) T. XXIX.

et felicem. Ex insinuatione nobilis et potentis viri domini Joannis de Cabilone, domini de Allato et de *Neelle*, necnon et illorum qui ejus nomine in terra sua jurisdictionem exercent, fama publica deferente nostris auribus est delatum, quod aliqui nostræ diœcesis, se habitu fingentes clericos, nihil vero de proprietate veri nominis clerici retinentes, Dei timore postposito et hominum verecundia retrojecta, ita sævis et enormibus actibus se immiscent, quod vias publicas cum armis, et sive de nocte et de die, bona aliena rapere, homines percutere, et cum armis publice incedere non formidant; quæque sint in quocumque laico reprehensione digna et maximis pœnis punienda non solum jura testantur, verum etiam in locis ubi servatur justitia facti experientia manifestat. Verum cum ad publicam auctoritatem pertineat quod crimina puniantur, et quod ex nostra negligentia qui nequi sunt saltem deteriores non fiant, sed potius corrigantur, ne sanguis talium in fine judicii de nostris manibus requiratur, et ad nostrum officium pertineat vitia ex quibus damna proveniunt, et decus et status Ecclesiæ sanctæ dolum patiuntur, quantum nobis est possibile, per nos vel alios nostri nomine corrigere ac etiam refrenare, ita quod boni inter malos possint tranquillitate ac pace gaudere, idcirco, de fidelitate et discretione præfati domini Joannis plenarie confidentes, qui semper ad honorem Ecclesiæ suum animum applicavit, tanquam ille qui est accensus zelo fidei purioris, maxime cum per nos sine ipso in præsente non possit remedium salubre adhibere, eidem tenore præsentium duximus indulgendum et specialem licentiam concedendum, quod ipse, per se vel per alios quos ad hoc duxerit deputandos, possit absque excommunicationis nota clericos taliter, ut superius præmittitur, incedentes, ac etiam facientes, ut melius fieri poterit, sine corporum violentia capere, vel capi facere, et eos carceri, nostri nomine, mancipare, et etiam detinere, ita quod de ipsis querelantibus possimus facere justitiæ complementum, et alii, timore justitiæ perterriti, similia facere non attentent. Datum die Sabbati in Octava Purificationis B. Mariæ, anno Domini MCCCXIII.

CXVI.

Ex edit. recenti (1). *Rudolfus, Austriæ dux, quædam ossa S. Columbini accipit.*

1362. Nos Rudolfus IV, Dei gratia dux Austriæ, Styriæ et Karinthiæ... Alberici, quondam ducis prædictarum terrarum, et Joannæ comitissæ Ferretarum primogenitus, fatemur quod, licet Hildegardis, quondam comitissa Alsatiæ, fuerit dolore dentium percussa quandiu vixit, eo quod dentem S. Columbini, quem occulte recepit, in igne probavit, et post dictum dentem restituit, nos tamen personaliter venientes in Luthram, monasterium SS. Deicoli et Columbini, tanquam hæreditarius advocatus, sub anno Dom. MCCCLXI, quinto decimo cal. Aprilis, ind. XIV, tempore D. Innocentii papæ VI, et Caroli imperatoris IV, et intrantes devote oratorium et capellam S. Deicoli prædicti, assumptis nobiscum inclyto principe duce Frederico, germano nostro, et venerabili Othone Luthrensis, Henrico Melundensis monasteriorum abbatibus, ordinis S. Benedicti, Bisuntinensis et Lingonensis diœceseum, Thoma præposito S. Antonii de Frigido

A Monte, Jacobo *de Watviller* milite, et Hildegardo *de Hergnach*, nostræ cameræ notario, flexis genibus ante sepulchrum prædicti S. Columbini, oravimus, ut permitteret de suis reliquiis aliquas nobis dari. In quo exauditi fuimus; nam sine impedimento, de licentiaque prædicti abbatis, ossa quædam... recepimus, volentes illa ducere nobiscum Viennam, ad ecclesiam S. Stephani quam in collegiatam erigere proposuimus, ibique venerabiliter recondere et servare. Datum in Luthra, anno et die prædictis, ætatis nostræ anno 22, regiminis vero nostri anno 3. Nos vero Rudolfus, dux præfatus, hanc litteram hac subscriptione manus propriæ roboramus.

B

CXVII.

Abbas S. Pauli præbendam Richardo de Montagney *confert.* E schedis Droz. (1).

Nos Theobaldus *de Nant*, humilis abbas monasterii S. Pauli Bisuntini, Jacobus prior totusque conventus ejusdem loci notum facimus universis, quod cum reverendus in Christo pater et carissimus dominus noster Guillelmus, Dei et apostolicæ sedis gratia archiepiscopus Bisuntinus, pro jucundo adventu suo possit et debeat aliquem, idoneum tamen, per nos et a nobis recipiendum in canonicum (præsentare), C ipseque dominus noster, pro jure suo nobis præsentaverit carissimum et dilectum suum D. Richardum *de Montagney*, presbyterum, virum idoneum et discretum, et nos rogaverit attente quod ipsi domino Richardo, etiam in habitu sæculari, et absque eo quod fiat canonicus, præbendam canonialem conferremus, et expresse consenserit idem dominus noster quod nobis vel successoribus nostris nullum per hoc præjudicium generaretur, cum præbendam alicui non canonico non teneamur conferre, nec aliquem recipere ad præbendam nisi primitus in canonicum sit receptus, nos tamen, volentes domino nostro archiepiscopo totis viribus complacere et ejus requestam favorabiliter exaudire, eidem D. Richardo, absque eo quod sit canonicus, nisi D velit, præbendam canonialem, sicut uni ex aliis canonicis nostri monasterii, ab ipso D. Richardo etiam in habitu sæculari viventi, anno quolibet, quandiu vixerit, percipiendam et servandam, seu cui voluerit, dum tamen personæ idoneæ et sufficienti, concedendam, ad nominationem et præsentationem domini nostri archiepiscopi prædicti, de unanimi consensu omnium nostrum, nemine discrepante, deliberatione super his habita diligenti, contulimus et conferimus per præsentes; ipse vero D. Richardus, solemni propter hoc per ipsum præstito juramento, firmavit se de cetero nobis et monasterio nostro S. Pauli Bisuntini fidelem esse, ac nobis et monasterio nostro utilia procurare, et inutilia to-E tis viribus evitare, promittentes pro nobis et successoribus nostris ipsi D. Richardo, quandiu vixerit, seu cui concesserit, præbendam integram sicut uni ex canonicis dicti monasterii ministrare et effectualiter assignare, sub omnium nostrum et monasterii nostri hypotheca et obligatione bonorum. In cujus rei testimonium præsentes litteras fieri fecimus, et nostrorum abbatis et conventus monasterii S. Pauli supradicti fecimus appensione sigillorum muniri. Datum Bisuntii, in dicto monasterio nostro, die 17 mensis Novembris, anno Dom. MCCCLXXI. 1371.

(1) Comment. de Abb. Luthr., a D. L. *Besson*, p. 214.

(1) T. VII, p. 112.

CXVIII.

Ex apographo (1).

Venceslaus, rex, a se concessas Bisuntinæ civitati libertates abrogat.

1398. VENCESLAUS, Dei gratia Romanorum rex semper augustus, et Bohemiæ rex, notum facimus tenore præsentium universis, quod, pro parte venerabilis Gerardi, archiepiscopi Bisuntini, devoti nobis dilecti, exstat majestati nostræ expositum cum querela, qualiter cives, incolæ et communitas civitatis Bisuntinæ, nostri et imperii sacri fideles dilecti, certas libertates, concessiones, immunitates et gratias infra scriptas a nostra regia obtinuerint majestate, quæ vergunt in dicti Gerardi et ecclesiæ Bisuntinæ, quæ a nobis et sacro Romano imperio dependet in feudum, gravissimum præjudicium, ipsorumque libertatibus, dominiis, juribus et privilegiis, a Romanorum imperatoribus et regibus, prædecessoribus nostris, ipsis concessis et obtentis derogare videntur, ceduntque in dicti Gerardi et ecclesiæ suæ dispendium et gravissimam læsionem. Primo enim dicti cives, prout asseritur, impetrasse dicuntur universitatem Bisuntinam, cives et incolas dictæ civitatis, et habitatores in ea, esse et fore debere tantummodo perpetuo subditos imperatoriæ majestati, et dominium dictæ civitatis non pertinere ad causam archiepiscopatus Bisuntini; perpetuum silentium archiepiscopo et successoribus suis archiepiscopis super hoc imponentes, cum adjectione pœnarum grandium, si verbo vel facto contrarium asserere præsumant; talium scilicet pœnarum, quod, si archiepiscopus de cetero se nominaverit dominum Bisuntinum, ipsi cives applicent ad eos, recipiant et gubernent regaliam, sive temporale, dicti archiepiscopi, et hoc eorum propria auctoritate : denique, quod archiepiscopus qui fuerit pro tempore teneatur facere homagium suum nobis et successoribus nostris imperatoribus infra annum et diem a die adeptæ possessionis archiepiscopatus, sub pœna perdendi regaliam et totum temporale Bisuntinum, quam regaliam, absque alia cognitione causæ, capere poterunt dicti cives et eorum auctoritate etiam exercere : item, quod nullus judex civitatis possit aliquod inventarium facere de bonis alicujus condemnandi, nisi ipso prius condemnato et mortuo, et quod tunc vocentur gubernatores civitatis ad videndum fieri inventarium prædictum : item, si contingat judicem ecclesiasticum capere aliquem civem Bisuntinum propter quamcumque causam, aut delictum qualecumque, dictus incarceratus ad requisitionem dictorum gubernatorum debeat trahi a dictis carceribus, et conspectibus dictorum gubernatorum, seu civium Bisuntinorum, præsentari, quamquam sit clericus, et antea fuerit reputatus clericus; et si se advocet pro non clerico, vel cive Bisuntino, quod tunc debeat tradi dictis civibus, vel habitatoribus Bisuntinis, liber, nisi comparuerit legitimus accusator, qui ipsum velit prosequi coram aliquo de judicibus sæcularibus dictæ civitatis : item, quod ipsi cives possint fortificare suos muros, seu turres in clausula civitatis facere, et præsertim quamdam turrim quæ de novo fit coram villa de Burgellis, quodque possint aulam communem, seu communem domum, et ædificia communia facere et habere; et, in civitate et in banleuca Bisuntinis, imponere et iudicere auctoritate propria tallias, gabellas et alia subsidia, pro necessitatibus civitatis, tam laicis quam clericis, cujuscumque status vel religionis existant; et quod tales tallias levare et exigere possint eorum propria auctoritate, et ad eas solvendas prædictos compellere, justitia non requisita; quod etiam ad hujusmodi negotia exsequenda habere possint carceres, clientes instituere, et populum convocare pro facto eorum communi; et quod possint in domibus suis mensuras ad mensurandum blada, et alia legumina mensurare, sine juris, seu tributi, archiepiscopo debiti solutione quacumque, prædictaque pondera minuere et augmentare usque ad quadraginta novem libras cum tribus partibus libræ : item, quod homines manus mortuæ, qui moram per annum et diem traxerint in dicta civitate, gaudeant privilegiis civitatis, et quod eorum domini in bonis suis extra dominium manus mortuæ existentibus nullam habeant manum mortuam, sed ipsis sit licitum de ipsis bonis secundum libitum disponere, esto quod ipsi recesserint a domino manus mortuæ, invito domino, vel nescio : item, quod in ipsa civitate, quolibet anno, fiant quatuor nundinæ, scilicet in festo Assumptionis B. Mariæ, in festo Ascensionis Domini, in festo B. Martini hiemalis, in festo Purificationis Virginis, et quod utilitas ipsarum nundinarum ad ipsos cives pertineat: item, quod omnes, cujuscumque status et conditionis existant, presbyteri, clerici, canonici, exempti vel non exempti, nobiles vel non nobiles, tenentes seu possidentes bona immobilia infra civitatem vel banleucam Bisuntinam, teneantur contribuere pro modo dictarum facultatum, dictorum bonorum immobilium, cum aliis civibus Bisuntinis, in quibuscumque talliis et subsidiis, huantiis et exactionibus pecuniariis, quæ fient in futurum per dictos gubernatores, et quod ad hoc possint cogi et compelli per dictos gubernatores sine alio judicio, prout eis videbitur faciendum : item, quod si omnia et singula prius exposita, et dictis civibus concessa, minime habuerint, vel eis usi fuerint, dicta civitas Bisuntina et habitantes in ea, illa tamen eis de novo ex certa scientia concessimus possidenda, non obstantibus quibuscumque statutis et ordinationibus in contrarium concessis, vel concedendis; injungentes etiam archiepiscopo Bisuntino et suis successoribus archiepiscopis ut omnia et singula prius enarrata, et dictis civitati et habitatoribus data, servent penitus illæsa, nec aliquid in eorum præjudicium vel gravamen faciant, seu intentent, prout indignationem nostræ majestatis voluerint arctius evitare. Super quo exstitit serenitati nostræ regiæ, cum humili precum instantia, supplicatum, quatenus cum præfata ecclesia Bisuntina sit insigne membrum sacri Romani imperii, et ad subjectionem et dominium ejus pertineat, dignaremur eidem ecclesiæ de opportuno super hoc remedio providere. Idcirco nos, ex innata nobis benignitatis clementia, nolentes cuiquam injuriam irrogare, quin potius quemvis in suis juribus, libertatibus et indultis effectualiter confovere, habito maturo nostrorum et imperii sacri fidelium et deliberato consilio, non per errorem, aut improvide, sed de certa nostra scientia et auctoritate Romana regia, decernimus, dicimus et declaramus, per concessionem nostram dictis civibus et civitati Bisuntinæ per nos factam, ut præmittitur, non fuisse, nec esse, intentionis regiæ voluisse seu velle archiepiscopo, seu ecclesiæ Bisuntinæ, in suis dominiis, juribus, et libertatibus, et gratiis, a divis Romanis imperatoribus rite obtentis, et legitime introductis, in

(1) Max. Par. Bibl. P. n. r. 88. Quædam vitia correximus hujus apographi, altero utentes exemplo quod præbent schedæ Drozianæ, t. XXVI, p. 261.

aliquo penitus derogare. Quoniam in præmissa concessione nostra, per assertionem falsitatis suppressionemque veritatis et alias subreptitie omnia et singula superius expressa sicut sunt et fuerunt per cives Bisuntinos obtenta, quæ, si viribus subsisterent, dominia, prærogativas, privilegia juraque archiepiscopi et ecclesiæ Bisuntinæ, quibus hactenus inconcusse usi sunt, penitus enervarent, in prædictorum archiepiscopi et ecclesiæ suæ Bisuntinæ, nec non sacri Romani imperii, cujus insigne est membrum, læsionem non modicam et irreparabile gravamen, idcirco ea omnia et singula superius sic expressa, in quantum, ut præmittitur, juribus, dominiis, privilegiis, libertatibus, justisque possessionibus et saisinis dictorum archiepiscopi, et ecclesiæ suæ Bisuntinæ, adversantur et præjudiciant, auctoritate Romana regia cassamus, annullamus et omnimode revocamus; decernentes hæc ipsa nullius penitus fore roboris et vigoris, nec debere dictis archiepiscopo et ecclesiæ Bisuntinæ aliquod prorsus præjudicium importare, nostris, et imperii sacri, et quorumlibet juribus per omnia semper salvis; inhibentes dictis civibus Bisuntinis, sub pœnis in litteris privilegiorum archiepiscopi et ecclesiæ Bisuntinæ, per Romanos imperatores et reges concessorum, obtentis, ne dominia, jurisdictiones, et alia jura archiepiscopi et ecclesiæ Bisuntinæ in antea et de cetero perturbare, sibi vindicare, aut usurpare præsumant, prout etiam indignationem nostram gravissimam voluerint arctius evitare, præsentium, sub nostræ majestatis sigillo, testimonio litterarum. Datum Pragæ, anno Dom. MCCCXCI (1), die decima Junii, regnorum nostrorum Bohemiæ tricesimo sexto, Romanorum vero vicesimo tertio.

CXIX.

E schedis Droz. (2).

Novissimum Theobaldi archipræsulis testamentum.

1429. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis fiat manifestum, quod, anno a Nativ. Dom. 1429, ind. VII, die vero Mercurii 14 mensis Septembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Martini divina providentia papæ V, anno duodecimo, reverendissimus in Christo pater dominus Theobaldus, miseratione divina archiepiscopus Bisuntinus, in nostrorum notariorum publicorum et testium infra scriptorum, ad hoc vocatorum specialiter et rogatorum, præsentia, personaliter constitutus, sanus mente, memoria, per Dei gratiam, et intellectu, postquam die Martis immediate præcedentis, quæ fuit 13 dicti mensis Septembris, suum testamentum nuncupatorium in venerabilis viri magistri Jacobi de Belloforti, etiam publici, et mei Luciani subscripti notariorum, ac testium ad hoc vocatorum specialiter et rogatorum etiam præsentia, fecerat et ordinaverat, quodquidem testamentum ratum et gratum atque firmum perpetuo habens et confirmans, animo deliberato et ex ejus certa scientia hunc præsentem codicillum fecit, constituit et ordinavit. Considerans namque et attendens multiplices molestias, anxietates, vexationes, inquietates et injurias quas cives Bisuntini in eum et ecclesiam suam Bisuntinam, præsertim super juribus et jurisdictionibus ecclesiasticis intulerunt, et jacturas necnon gravia labores, sumptus, expensas et damna quæ ipse dominus archiepiscopus pro ipsis civibus et eorum occasione sustinuit, tam eundo in ambassiatam pro ipsis civibus ad serenissimum principem et dominum dominum Sigismundum, regem Romanorum, quam alias, quorum occasione cives ipsi in magnis et gravibus pecuniarum summis eidem domino archiepiscopo, etiam ex judicato per ipsum dominum regem, obligantur et tenentur, volens in iis sibi talem succedere hæredem per quem et cui de præmissis et eorum singulis integre satisfieri debeat, illustrissimo principi et domino domino Philippo, duci Burgundiæ, suo domino naturali, dictas pecuniarum summas et earum quamlibet legavit et donavit, jus et actionem illas et earum singulas petendi, levandi, exigendi et recuperandi ab eisdem civibus aut eorum altero in eumdem dominum ducem totaliter transferendo. Et nihilominus ipse dominus archiepiscopus hæredem suum, in et super præmissis omnibus et singulis, præfatum dominum ducem instituit, ordinavit, deputavit ac instituit, ordinat et deputat. Supplicans humiliter idem dominus archiepiscopus, præsentis publici instrumenti tenore, præfato domino duci, quatenus de benignitate legationem et donationem hujusmodi gratanter suscipere dignetur, quam in majoribus erga dictum dominum ducem teneri se reputabat. De quibus omnibus et singulis venerandæ circumspectionis vir dominus Robertus *Anelou*, in decretis licentiatus, canonicus Parisiensis, prælibati domini ducis in curia Romana procurator, ut dicebat, tum præsens, unum vel plura, publicum, vel publica petiit, et dictus dominus archiepiscopus illud, vel illa, voluit et mandavit per nos infra scriptos notarios fieri instrumentum et instrumenta.

Acta fuerunt hæc Romæ apud S. Jacobum, prope Trans Tiberim, in domo et camera habitationis præfati domini archiepiscopi, sub anno, indictione, etc., etc.; præsentibus ibidem venerabilibus religiosis et circumspectis viris dominis fratre Arnoldo Nicolai, in sacra pagina professore, sanctæ sedis apostolicæ minore provinciario, Joanne de Prato, magistro domus Dei de Provinco, Petro *Page* rectore parrochialis ecclesiæ de Noreto, Hugueto et Stephano de *Lanthenans* clericis, et Dominico *Bigat*, laico, Senonensis et Bisuntinensis diœceseum, testibus ad præmissa vocatis specialiter et rogatis.

CXX.

Martinus papa Joannem cardinalem archiepiscopum Bisuntinum nominat.

Ex eisdem (1).

Martinus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis populo civitatis et diœcesis Bisuntinensis salutem et apostolicam benedictionem. 1429.
Ad exercendum universalis Ecclesiæ regimen divina dispositione vocati, circa quarumlibet statum ecclesiarum sollicitæ considerationis aciem extendimus, pastoralis partes officii vigilantius adhibentes ut earum singulæ pastoribus committantur idoneis, utiliumque rectorum præsidio potiantur, et, ut sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, prout expedire conspicimus, opportunitatibus commodius consulatur, libenter nostræ provisionis opem et operam importemus.

(1) Lege 1398, ut ceteræ notæ satis demonstrant.
(2) T. XXV, p. 627.

(1) T. XXV, p. 569.

Dudum siquidem cum dilectum filium nostrum Joannem, titulo S. Laurentii in Lucina presbyterum cardinalem, tunc Rotomagensi ecclesiæ præsidentem, in generali consistorio publicavissemus ejusdem Romanæ ecclesiæ presbyterum cardinalem, nos, ne propterea a quoquam hæsitari valeret an ipsum tunc absentem a vinculo quo dictæ Rotomagensi ecclesiæ tenebatur ita absolvisse voluissemus ut præfatæ ecclesiæ Rotomagensi præsidere non posset, attendentes quod idem cardinalis dictam Rotomagensem ecclesiam catenus ita laudabiliter in spiritualibus et temporalibus rexerat et gubernaverat, sicuti nos fide digna testimonia informaverant, ut non indigne mereretur illam cum dignitate cardinalatus retinere, auctoritate apostolica, ex certa scientia, declaravimus nostræ intentionis fuisse, et esse sic et non aliter, ipsum Joannem in dictæ Romanæ ecclesiæ cardinalem publicasse, nec non ac statum cardinalatus hujusmodi assumpsisse, quod per hujusmodi publicationem et assumptionem, nisi ejus expressus ad id accederet consensus, a vinculo prædicto minime censeretur absolutus, et ipsi Rotomagensi ecclesiæ præesse non desineret, sicut prius, sed illam, quam per ipsas publicationem et assumptionem sine simili consensu nequaquam vacare decrevimus, regere et gubernare valeret, in omnibus et per omnia, perinde ac si publicatio et assumptio hujusmodi non processissent, nec illis ipse cardinalis præbuisset consensum, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque ecclesia Bisuntinensis, cui bonæ memoriæ Theobaldus, archiepiscopus Bisuntinensis, dum viveret, præsidebat, per obitum ejusdem Theobaldi archiepiscopi, qui apud sedem apostolicam diem clausit extremum, esset pastoris solatio destituta, nullusque præter nos ea se de illius provisione intromittere potuisset, sive posset, pro eo quod nos dudum ante vacationem hujusmodi provisiones ecclesiarum cathedralium omnium apud dictam sedem tunc vacantium et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostræ reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane si secus super iis per quoscumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari, nos qui hodie dictum cardinalem a vinculo quod ipsi ecclesiæ Rotomagensi, cui, ut præfertur, tenebatur, de hujusmodi ejus consensu ac fratrum nostrorum consilio, et apostolicæ potestatis plenitudine, duximus absolvendum, ex susceptæ servitutis officio, quo universis obligati sumus ecclesiis, pensantes quod, si provisio dictæ ecclesiæ Bisuntinensis differretur, illa posset diversis subjacere periculis, ac gravia in eisdem spiritualibus et temporalibus subire detrimenta, et considerantes multiplicia gratiarum munera quibus personam ejusdem cardinalis Dominus earum largitor illustrare dignatus est, et quod ipse qui hactenus regimini prædictæ ecclesiæ Rotomagensis laudabiliter præfuit, et cardinalatus hujusmodi præfulget honore, dictam Bisuntinensem ecclesiam sciret et posset laudabiliter gubernare, illiusque bona et jura protegere et etiam defensare, super iis habita cum fratribus ipsis deliberatione matura, de illorum consilio et hujusmodi plenitudine potestatis, ipsi ecclesiæ Bisuntinensi de dicta ejus persona eadem auctoritate providimus, ipsumque illi in archiepiscopum præficimus, ut archiepiscopi Bisuntinensis et pastoris inibi dignitate, officio et nomine fungeretur, ac eidem ecclesiæ Bisuntinensi, quoad viveret, etiam tali quod ab illo, nisi in hoc expresse consentiret, absolvi nequiret, vinculo foret adstrictus, curam, regimen et administrationem dictæ ecclesiæ Bisuntinensis sibi in eisdem spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firmam spem, fiduciamque tenentes, quod, per ipsius cardinalis, quam in magnis et arduis experimur, continuæ circumspectionis industriam, præfata ecclesia defendetur a noxiis, præservabitur ab adversis, in ipsis quoque spiritualibus et temporalibus, auctore Domino, votivis proficiet incrementis. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus, eumdem cardinalem et archiepiscopum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes, ac debita honorificentia prosequentes, ejus monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis, ita quod ipse in vobis devotionis filios, et nos in eo per consequens patrem invenisse benivolum gaudeatis. Datum Romæ prope SS. Apostolos, II id. Octobris, pontificatus nostri anno duodecimo.

CXXI.

Litteræ de cantoris et camerarii officiis. *Ex eisdem* (1).

Reverendissimo in Christo patri et domino Joanni, miseratione divina titulo sancti Laurentii in Lucina sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ præsbytero cardinali, Rotomagensi vulgariter nuncupato, archiepiscopoque Bisuntino, Leo decanus, Johannes Ponceti archidiaconus de Faverneyo, Amictus *de Vercelles* archidiaconus de Grayaco, Guillelmus de Rhuncaleo, Andreas Bernardi, Johannes Magneti, Hugo Ermenarii, Joannes de Chatonayo, Stephanus Tolleti, Joannes Comitis, Theobaldus Virduni, Petrus *Rebrachien*, Joannes Henrichi, et Joannes Orlanti, canonici ecclesiæ Bisuntinæ, in loco capitulari nostro, more solito, ad sonum campanæ, pro negotio infra scripto, necnon certis aliis nostris et dictæ ecclesiæ pertractandis, quicquid possunt reverentiæ et honoris semetipsos cum obsequenda parata voluntate. Reverendissime pater, cum idcirco ea quæ geruntur sæpius mandantur scripturæ, ne fragilitas humana lapsu perdat memoriæ quod temporum longævis curriculis sæpius non prospexit, sitque juri consonum ut, jus suum cuique tribuendo, majores (quæ) inferioribus pertinent eisdem conservent illæsa, ad P. V. R., præsentium tenore, sub veritatis attestatione, referimus quod, ex antiquis ipsius ecclesiæ Bisuntinæ gestis et regestis, fideliter et sub tuta custodia conservatis, reperimus cantoriæ et camerariæ jura alias fuisse declarata et in scriptis redacta, prout in quadam littera, sive instrumento publico, et sigillis dictorum decani et capituli debite sigillitatis plenius continetur, cujus tenor de verbo ad verbum sequitur, et est talis: 1433.

Reverendo in Christo patri ac domino domino Vitali, Dei et apostolicæ sedis gratia archiepiscopo Bisuntino, Henricus decanus totumque capitulum ecclesiæ Bisuntinæ quidquid possunt reverentiæ et honoris cum promptitudine debiti famulatus. Cum, ratione vestræ novitatis, jura et officia cantoris et camerarii ecclesiæ Bisuntinæ possitis probabiliter ignorare, reverendæ paternitati volumus esse notum, quod præfati cantor et camerarius, per se et suos prædecessores in cantoria, ratione cancellariæ et camerariæ prædictarum, a tanto tempore de cujus memoria

(1) T. I, p. 341.

contrarium non existit, sunt et fuerunt in possessione, vel quasi, jus habendi et obtinendi, singulis annis, a dominis archiepiscopis Bisuntinis qui pro tempore præsident, vestes bis in anno. Item et essendi de consilio dicti domini archiepiscopi, absque vocatione aliqua. Item et essendi de consilio et mensa ipsius domini archiepiscopi quotiens eis placet. Item, idem cantor, quam cito per capitulum Bisuntinum est creatus in cantorem, est et esse debet cancellarius dicti domini archiepiscopi Bisuntini, et est dicta sua cancellaria accessorium dictæ cantoriæ et ipsi cantori. Item, idem cantor, ratione prædictæ cancellariæ, debet deferre sigillum archiepiscopi Bisuntini quamdiu præsens est, cum ipso archiepiscopo, et, ipso cantore absente, debet dictus archiepiscopus eligere unum de familia qui dictum sigillum deferat, qui dicto cantori jurare fidelitatem et suum homagium intrare; et cum aliquæ litteræ sigillantur sigillo prædicto, tam ipso cantore præsente quam absente, super venditionibus, vel alienationibus, aut contractibus perpetuis, idem cantor debet, ratione qua supra, unam marcham argenti percipere pro sigillo. Et vice versa prædicti cantor et camerarius tenentur dicto domino archiepiscopo ad officia infra scripta; videlicet dictus cantor debet sibi assistere in examinationibus electionum personarum suffraganeorum ipsius domini archiepiscopi, abbatum et abbatissarum sibi subditorum. Item et, confirmationibus præhabitis, *Te Deum laudamus* inchoare. Item et mandata synodalia, vetera et nova, si quæ fiant in synodis, promulgare. Item et omnes ordinandos in ordinibus examinare, quotienscumque per ipsum archiepiscopum, vel ejus vicarium, contigerit ordines celebrare, et in quibuslibet ordinibus debet unum subdiaconum et presbyterum idem cantor ad sui provisionem facere ordinari. Dictus vero camerarius, sede Bisuntina vacante, tenetur, ratione suæ camerariæ, castra, domos et possessiones temporales sedis Bisuntinæ conservare, regere et tueri, cum expensis dictæ sedis, et de fructibus per ipsum perceptis tempore vacationis tenetur futuro archiepiscopo reddere rationem, deductis expensis factis per ipsum camerarium regimine prædictorum. Item et, in festivitatibus solemnibus, debet idem camerarius coram dicto domino archiepiscopo baculum bajulare. Item et de regimine et ordinatione domus et familiæ ipsius domini archiepiscopi curam sollicite gerere, et piscatorias de Riveta, quandiu idem archiepiscopus est absens a civitate Bisuntina, bis in hebdomada percipere et negotia sedis fideliter procurare. Et hæc omnia sciat V. R. P. adeo nobis esse notoria quod nulla possunt tergiversatione celari. Quocirca V. R. P. humiliter et devote, qua decet reverentia, supplicamus, quatenus ipsos cantorem et camerarium in sua possessione, vel quasi, jurium prædictorum conservare dignemini, ac etiam confovere valeat, et vigeat bene et diu V. P. R. Datum sub sigillis nostris decani et capituli prædictorum, die lunæ post festum Inventionis Beati protomartyris Stephani, anno Domini 1313.

Et idcirco, reverendissime in Christo pater, facta prædecessorum insequentes, et jura dignitatum ipsius ecclesiæ totis viribus cupientes servari illæsa, præmissa attestamur; et insuper præmissis omnibus et singulis cantores et camerarios uti et gaudere notorie et continue nostri prædecessores viderunt, et ita antiquioribus ex nobis plerumque et sæpissime retulerunt, nosque, de nostris temporibus, quotiens eisdem cantori et camerario placuit et contigit casus, eosdem et eorum quemlibet præmissis omnibus et singulis plures ex nobis pacifice vidimus, et audivimus proborum virorum relatu, uti et gaudere notorie. Quod ut perpetuo ad hominum reducatur memoriam, a vestraque R. P., quam conservet altissimus feliciter, eisdem quæ conserventur illæsa, præsens scriptum, in formam publicam redactum, sigillorum nostrorum decani et capituli fecimus appensione muniri. Datum in capitulo nostro, die octava mensis Julii, anno Domini 1433, præsentibus ibidem domino Joanne de Clauso et Guillelmo Gavigneti presbyteris, scribis nostris.

CXXII.

Basileense concilium cives Bisuntinos hortatur ut legatos mittant. *Ex eisdem* (1).

1433. Sacrosancta generalis synodus Basiliensis, in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, dilectis Ecclesiæ filiis, gubernatoribus et rectoribus ac civibus civitatis Bisuntinensis salutem et omnipotentis Dei benedictionem. Dilectus ecclesiæ filius Joannes, titulo S. Laurentii in Lucina sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis et vice-cancellarius, archiepiscopus vester Bisuntinensis, in hoc sacro Basiliensi concilio præsens et incorporatus, apud ipsum sacrum concilium magnam fecit instantiam obtinendi licentiam ad vos et civitatem vestram Bisuntinensem transeundi, ut vobiscum esse potuisset in primo festo Nativitatis Domini, et causa concordandi et concludendi vobiscum in discordia vertente inter vos et ipsum nomine ecclesiæ suæ Bisuntinensis, juxta possibilitatem et prout rationabiliter fieri potuisset; quam licentiam ex rationabilibus et justis causis, quas tales etiam judicaretis non dubitamus, si vobis notæ essent, obtinere non valuit, sicut nec expedit solemnia membra hujus sacri concilii de præsenti ab eo absentari; sed ne defluat tempus, et dilatio inter ipsum et vos super hujusmodi vestra concordia componenda recepta transeat inutiliter, et citius finis debitus imponatur, hortamur vos et requirimus, quatenus, quantocius commode poteritis, vestros nuncios, syndicos et ambaxiatores, suffultos plenaria potestate ad hujusmodi concordiam faciendam et terminandam, cum documentis sufficientibus ad hanc Basiliensem civitatem transmittere sine ulteriori mora velitis, ut, sacro Basiliensi concilio interveniente, seu deputatis ejusdem, vobis et civitati vestræ plenaria pax et concordia cum prælato vestro qui est et fuerit pro tempore, capituloque et clero ejusdem civitatis firma et solida perpetuo dari possit; quoniam cum majore honore et securitate vestra, et civitatis Bisuntinensis, nunc terminari possit, propter auctoritatem ejusdem sacri concilii et præsentiam celsitudinis imperialis, ad quem recursus haberi poterit super iis quæ a sua auctoritate dependerent (2) quam quocumque alio tempore; et super iis intentionem vestram per latorem præsentium, aut certum alium nuntium, huic sacro Basiliensi concilio in scriptis transmittere non differatis.

Datum Basiliæ, non. Decembris, anno Dom. 1433.

(1) T. XXV, p. 630.
(2) Aliquid deest.

CXXIII.

Ex eisdem (1). *Joannes archipræsul excommunicationis sententiam in cives Bisuntinos latam abrogat.*

1435. Joannes, miseratione divina titulo S. Laurentii in Lucina S. Romanæ ecclesiæ præsbyter cardinalis, Rotomagensis vulgariter nuncupatus, ac vice-cancellarius, archiepiscopusque Bisuntinensis, omnibus et singulis capellanis, curatis et non curatis, ecclesiarumque rectoribus per civitatem et diœcesim nostram constitutis, salutem. Cum ratione et ad causam certarum tailliarum, et impositi pecuniarii facti super viris ecclesiasticis civitatis Bisuntinensis per cives, incolas et habitatores civitatis ejusdem, necnon certorum aliorum attemptatorum inde secutorum, per eosdem factorum contra aliquas personas ecclesiasticas dictæ civitatis, ceterisque aliis de causis in processibus a nobis emanatis latius expressis et contentis, ipsos cives singulariter singulos in scriptis excommunicaverimus et excommunicatos declaraverimus, aliquos in specie et alios in genere suspenderimus et anathematisaverimus, suspensosque et anathematizatos publicari fecerimus, ac civitatem ipsam cum banleuca ecclesiastico supposuerimus interdicto, cumque postmodum, convenientibus nobiscum Basileæ honorabilibus viris domino Jacobo Moveleti, militi, Stephano de Grandivalle, Stephano Amenei, in utroque jure licentiatis, Stephano *Despotoz*, civibus syndicisque et procuratoribus ac nominibus dictorum civium ac totius communitatis Bisuntinensis, et tractantibus de pace et concordia de et super omnibus litibus et querelis motis et pendentibus inter nos nomine ecclesiæ nostræ ac ipsos cives et communitatem finiendis et terminandis, et inter cetera pro reparatione fienda dicti impositi et attemptatorum prædictorum, ipsi et nos hinc inde sub certis pœnis supposuimus et submisimus de alto et basso, nominibus quibus supra, ordinationi, declarationi ac arbitramento reverendissimi ac reverendi in Christo patrum dominorum Ludovici Arelatensis cardinalis, Martialis episcopi Ebroicensis, venerabiliumque virorum magistrorum Joannis de Fruyno, decani Bisuntinensis et Guidonis Flamancheti, in sacra theologia professoris, prioris Fratrum Prædicatorum Chamberiaci, dominorum ducis Burgundiæ ac Sabaudiæ ambaxiatorum; tanquam in arbitrio arbitratores, compositores, qui deinde suam sententiam arbitralem dederunt, et ordinaverunt de et super modo reparationis faciendæ, prout hæc et alia in instrumento compromissi et sententiæ arbitralis inde secutæ latius continentur. Quare cum postmodum dicti arbitri, arbitratores et amicabiles compositores nobis requisiverint, quatenus, ante dicta sua sententia arbitrali, pro bono pacis et concordiæ, quod per amplius ex hoc sperabatur firmari in futurum, singulis ponderatis et consideratis, dictos cives, incolas et habitatores prædictos, a sententiis excommunicationis, suspensionis et anathematis, sicut præmittitur, in eos et quemlibet eorum latis, absolvere, ac interdictum per nos appositum in dicta civitate et banleuca tollere, et amovere dignaremur, nos igitur, præmissa ante dictorum dominorum arbitrorum contemplatione, dictos cives, incolas et habitatores utriusque sexus, tam nominatim expressos, quam alios quoscumque, a dictis excommunicationis, suspensionis et anathematis sententiis, in singulos eorum per nos et auctoritate nostra latis et promulgatis, absolvimus, et communioni fidelium restituimus, absolutosque ab hujusmodi sententiis et communioni fidelium restitutos tenore præsentium declaramus, interdictumque in eisdem civitate et banleuca per nos appositum tollimus, ac tenore præsentium amovemus: mandantes præterea vobis omnibus et singulis præfatis capellanis, curatis et non curatis, ecclesiarumque rectoribus et aliis qui super hoc fuerunt requisiti, quatenus dictos cives, incolas et habitatores, etiam singulariter singulos, in ecclesiis vestris, et ubi videbitis expedire et requisiti fueritis, a dictis sententiis denuntietis absolutos, dictumque interdictum, ut præfertur, per nos appositum, sublatum et per nos totaliter amotum. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris nostris duximus apponendum.

Datum Basileæ, die 24 mensis Martii, sub anno a Nativitate Dom. 1435.

(1) T. XXV, p. 638.

CXXIV.

Fredericus imperator Quintino archiepiscopo diem dicit. Ex eisdem (1).

Venerabili Quintino, archiepiscopo Bisuntino, principi nostro devoto dilecto, gratiam regiam et omne bonum. Venerabilis princeps, devote dilecte, licet pridie querela fidelium nostrorum, rectorum et gubernatorum civiumque et incolarum civitatis nostræ Bisuntinæ id exigente, nostris commiserimus atque inhibuerimus litteris ut in causa demolitionis cujusdam villagii, *Burgilles* vulgariter nuncupati, quod a nobis et Romano imperio in feodum dependet, ipsos subditos nostros prædictos, occasione causæ hujusmodi, quæ de sui natura mere profana et feodalis existit, ad aliud quam nostræ majestatis tribunal nequaquam traheres, gravi tamen cum querela nobis his diebus iterum pro parte dictorum Bisuntinensium expositum est, quomodo mandatis et inhibitionibus nostris imperialibus minime obtemperaveris, quin imo ad ulteriores processus contra et adversus eosdem extra curiam nostram, in Romana curia, et extra eamdem multipliciter, in vilipendium nostrorum mandatorum, necnon præjudicium partis adversæ non modicum, proposueris, et, quod deterius est, te supremum dominum prætactæ nostræ civitatis Bisuntinæ publice nominaveris ac nominari feceris, tibique imperii jura frivole usurpando et alias multifarie contra privilegia et indulta præfatæ nostræ civitati per divos Romanorum imperatores et reges prædecessores nostros ac per nos eisdem concessa et confirmata temerario veneris ausu, in eorum damnum et perniciem, in eo graviter pœnas in dictis privilegiis contentas incurrendo, super quibus nobis iterato exstitit humiliter supplicatum, quatenus ipsis de remedio providere dignaremur opportuno; intendentes vero supplicationem hujusmodi fore consonam rationi, et quod juste petentibus non est denegandus assensus, nostros quoque processus continuare, ac de præmissis omnibus et singulis eorumque meritis, circumstantiis, dependentiis et connexis plenius informari, justitiamque partibus hinc inde, ut tenemur, ministrare volentes, tibi committimus districtius, harum serie litterarum, præcipiendo etiam in virtute juramenti nobis per te præstiti, quatenus, die nonagesima ab insinuatione præ- 1448.

(1) T. XXV, p. 700.

sentium proxime futura computanda, si dies ipsa nonagesima juridica fuerit, alioquin prima die juridica ex tunc immediate sequente, quorum nonaginta dierum primos triginta pro primo, secundos triginta pro secundo, et reliquos triginta pro tertio peremptorio termino assignato, coram nostra majestate per te, aut procuratorem, seu procuratores tuos, plene ad causam instructos et sufficiente suffultos mandato, compareas, super dictis attemptatis de jure responsurus, ac in causa et causis hujusmodi et toto negotio principali visurus et auditurus ad omnes actus judiciales, usque ad causæ et causarum hujusmodi definitionem et terminationem inclusive, procedi, prout justitia suadebit et ordo postulaverit, ut moris est et rationis; certificantes quod sive in dicto citationis præsentis termino comparere, ut præfertur, curaveris, sive non, nihilominus ad præmissa omnia et singula, etiam declarationem pœnarum, si opus fuerit, prout juris erit procedere, tua absentia, seu contumacia, in aliquo non obstantibus. Attendentes insuper quod, lite et causis hujusmodi coram nostra majestate indecise pendentibus, non sit in partibus et extra curiam nostram aliquid attentando et innovando (1), tibi, auctoritate nostra regia, sub pœnis prædictis, et pœnis in privilegiis dictæ civitati nostræ concessis, præsentium tenore arctius inhibemus ne in causa et causis coram nobis pendentibus indecise, aliquid in vilipendium nostræ et sacri imperii jurisdictionis et præjudicium, seu gravamen prædictorum Bisuntinensium, subditorum nostrorum, attentare aut innovare præsumas; quod si secus factum fuerit, nos id totum revocare et ad pristinum et debitum statum reducere curabimus, ad omnia supradicta justitia exigente processuri.

Datum Greg., die 23 mensis Junii, anno Dom. 1448, regni nostri anno nono.

CXXV.

Ex eodem (2).

Nicolai V litteræ de bonis archiepiscopi Bisuntini decedentis.

1451.

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Pontificalis auctoritas nos ammonet ut ita temerariorum conatus repellamus, quod singuli, sua sorte contenti, non aliud quam suum sibi vindicare præsumant. Exhibita siquidem nobis nuper, pro parte venerabilis fratris nostri Quintini, archiepiscopi Bisuntini, petitio continebat, quod, retroactis temporibus, adveniente obitu archiepiscopi Bisuntini, nonnulli laici, etiam potentes et nobiles, aliæque sæculares et laudabiles personæ, bona mobilia, ad ipsum archiepiscopum dum vixit pertinentia, temeritate propria rapere, occupare et detinere præsumpserunt et præsumunt, in animarum suarum periculum, ecclesiasticæ libertatis vilipendium, ac perniciosum exemplum et scandalum plurimorum. Quare, pro parte dicti Quintini, archiepiscopi, nobis fuit humiliter supplicatum, ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ad quos, ex officio nobis commisso, pertinet dictorum temerariorum audaciam compescere, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnibus et singulis laicis, personisque prædictis, cujuscumque status, gradus, dignitatis, vel conditionis fuerint, sub excommunicationis pœna inhibemus, ne, adveniente tempore obitus archiepiscopi Bisuntini nunc pro tempore existentis, de quibusvis bonis prædicti Quintini, et pro tempore existentis archiepiscopi Bisuntini, post ejus obitum, absque scitu, licentia et voluntate hæredum, seu exsecutorum suorum, se quomodolibet impediant, aut alias bona ipsa rapere, vel usurpare, seu de illis se intromittere qunque modo præsumant, decernentes et declarantes omnes et singulos qui bona ipsa absque scitu, licentia et voluntate hæredum, seu exsecutorum hujusmodi, recipere, usurpare, aut de illis se intromittere præsumpserint, hujusmodi excommunicationis sententia eo ipso fore innodatos, a qua, nisi facta per eos integra satisfactione illorum quæ rapuerint, seu usurpaverint, hæredibus dicti archiepiscopi, vel ejus ultimæ voluntatis executoribus, per alium quam Romanum Pontificem, et in articulo mortis duntaxat, absolvi non possint, non obstantibus si laicis et personis præfatis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, a sede apostolica sit indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis, constitutionis et declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1451, XVII cal. Octobris, pontificatus nostri anno quinto.

CXXVI.

Pactum inter Claudium archiepiscopum et canonicos Vesuntionenses.

E Dunodio (1).

CLAUDIUS a Bauma, Dei et apostolicæ sedis gratia electus et confirmatus archiepiscopus Bisuntinus, sacrique Romani imperii princeps. 1557.
Notum facimus universis, præsentibus pariter et futuris, quod cum nuper, pro parte venerabilium virorum decani, capituli et canonicorum ecclesiæ Bisuntinæ, fuerimus requisiti et rogati, ut, ad obviandum discordiis, litibus et controversiis, quæ occasione privilegiorum, prærogativarum, immunitatum, libertatum, exemptionum, indultorum et concessionum prædictæ ecclesiæ Bisuntinæ dictoque capitulo, canonicis et singulis personis et familiaribus eorumdem, per summos Pontifices et alios prædecessores nostros archiepiscopos Bisuntinos indultorum et concessorum, prout alias pluries retroactis temporibus inter ipsos prædecessores nostros et capitulum prædictum orta fuerunt, suscitari possent et oriri, et maxime, ut dicebant, occasione decretorum concilii Tridentini, per quæ videntur revocata nonnulla in dictis privilegiis jurisdictionem et exemptionem concernentia, et in eis contenta, licet, secundum notabilem quamplurium jurisperitorum et cordatorum virorum opinionem, per dictum concilium Tridentinum minime revocata, sed potius, in cap. 4 sessionis et aliis capitulis dicti concilii disertis verbis approbata exstiterunt, et super privilegiis, prærogativis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, indultis, concessionibus prædictis, et aliis, prout in eorum statutis et observantiis, ac instru-

(1) Locus hic Cæsarei diplomatis corruptus videtur.
(2) T. I, p. 20.

(1) *Hist. Eccl. Bisunt.*, t. 1, instr., p. 113.

mentis et bullis confirmationum plenius continetur, informare, et nobis debite informatis, ipsas laudare, pacificare (1) et approbare vellemus et dignaremur; et novissime cum in nostro consilio mature deliberaremus au expediret decreta hujusmodi concilii, super jurisdictione per episcopos et archiepiscopos in capitula et canonicos suarum ecclesiarum exercenda edicta, contra dictos dominos decanum et canonicos ecclesiæ nostræ Bisuntinæ (quæ inter omnes istarum partium ecclesias antiquissima est, nempe Claudii Cæsaris tempore fundata, et per sanctæ memoriæ Linum papam, immediate S. Petri, apostoli, successorem, ante suum ad apostolatus apicem assumptionem sanctissime gubernata fuit) exsecutioni demandare: considerantes eosdem decanum, capitulum et canonicos jurisdictione sua nequaquam abuti, sed illam etiam cum magna nostra nostrorumque prædecessorum archiepiscoporum satisfactione usque in præsentem diem debite administrasse; archiepiscopos vero suam a prædicta distinctam jurisdictionem non solum illibatam conservasse, sed etiam ubi opus fuit officiose astitisse, ac inter archiepiscopum (qui mensam archiepiscopalem et omnia sua, jurisdictionem, reditus et bona, a mensa capitulari, canonicisque prorsus separata habet) et ipsum capitulum mutuam concordiam, observantiam et dilectionem viguisse, et vigere, ac eosdem et capitulum non solum omnia dictæ ecclesiæ onera supportasse, sed etiam multos labores gravesque sumptus, ad hæreticorum pestem a civitate (quæ imperialis et libera, ac propterea custoditu difficilior est) et diœcesi Bisuntina (quæ Helvetiis, Lotharingiæ, Germaniæ, Franciæ et Sabaudiæ adjacet) repellendam subiisse, neque ex jurisdictione, exemptione et aliis privilegiis præfatis ullum hactenus scandalum evenisse, sed e converso talem sine causa mutationem jurisdictionis, decretorumque concilii hujusmodi exsecutionem, ibi si fieret, scandalum inde in capitulo, clero et populo nostro facile generari, variasque et præsertim in istis limitrophis locis periculosas querelas, discordias, seditiones, processus, lites et indignationes orituras esse, in cultus divini diminutionem, defensionis jurium ecclesiæ neglectum, et bonorum capituli deperditionem, absque ulla vel ædificatione proximi, vel dignitatis nostræ archiepiscopalis utilitate, sed potius cum evidenti nostro damno et odio, capitulum nobis benevolum et de nobis bene meritum a nobis alienando, et ne nobis nostrisque successoribus deinceps in nostris necessitatibus assistat committendo, præmissis, aliisque rationibus, in eodem nostro archiepiscopali consilio, inter multos et prudentes viros ad id per nos accitos mature consideratis, pro bono ecclesiæ nostræ, dictique nostri capituli conservatione, attendentes etiam prædictorum capituli et canonicorum ecclesiæ Bisuntinæ ante dictæ requisitionem fore justam et rationi consonam, volentesque, quantum in nobis est, et cum Deo possumus, futuris, quæ, occasione hujusmodi privilegiorum, prærogativarum, immunitatum, libertatum, exemptionum, indultorumque et concessionum, forsan alias quam ut infra sequitur intellectorum et intelligendorum, obvenire possent, obviare scandalis, et ut litigiorum materia a collegio prædictæ ecclesiæ Bisuntinæ, procul pellatur, et inter nos successoresque nostros archiepiscopos Bisuntinos, et capitulum et canonicos prædictæ ecclesiæ Bisuntinæ, veræ et perpetuæ pacis et concordiæ

(1) Lege *ratificare*.

A unio conservetur, et, prout justitiæ suadet æquitas et ordo postulat rationis unicuique quod suum est tribuatur, informationem super præmissis fecimus, et fieri curavimus diligenter, per quam, inter cætera privilegia, prærogativas, libertates, immunitates, exemptiones, indultaque et alia jura prædictæ ecclesiæ Bisuntinæ, nec non capitulo et canonicis, personisque et familiaribus ejusdem concessas et concessa, et ab antiquo competentia, quas et quæ pro insertis ac de verbo ad verbum designatis haberi volumus, cum nimis prolixum et forte tædiosum esset singula memorare, satisque de ipsis constet per litteras et instrumenta, ac statuta dicti capituli, et alia legitima documenta desuper

B confectas et confecta, comperimus ecclesiam Bisuntinam, prædictum capitulum, canonicos, capellanos et familiares ejusdem habere privilegia, prærogativas, libertates, immunitates, exemptiones, indultaque et concessiones inferius designatas et scriptas, designata et scripta.

In primis, quod omnes et singuli canonici dictæ ecclesiæ, parochiales ecclesias in civitate et diœcesi Bisuntina obtinentes, aut qui ea obtinebunt in futurum, juxta dictorum privilegiorum indultarumque concessionum prædictarum observantiam, ad residentiam personalem in dictis parochialibus ecclesiis minime teneantur, aut sint adstricti, dum tamen in eisdem per capellanos idoneos eligendos et ponendos prædicti

C canonici, parochiales ecclesias pro tempore obtinentes, nulla alia approbatione, licentia, vel litteris officiandi a nobis, vel successoribus nostris Bisuntinis archiepiscopis, obtinenda, vel habenda, faciant desserviri, et cura animarum in eis nullatenus negligatur. Item, quod in favorem ecclesiæ Bisuntinæ prædictæ, quæ metropolis est, ac divini cultus contemplatione, capellani, clerici vel presbyteri curas animarum habentes in civitate et diœcesi Bisuntina, archiepiscopo vel ejus vicario pro tempore existenti, in synodo Maii cujuslibet anni, pro parte capituli et canonicorum prædictorum præsentandi usque ad numerum viginti quatuor, possint libere in ecclesiis sanctorum Joannis et Stephani Bisuntinensis, Deo ibidem desserviendo, perso-

D naliter residere, omnibus dolo et fraude cessantibus, absque hoc quod teneantur vel compelli possint, aut inquietari debeant quovis modo ad residentiam in eorum prædictis parochialibus ecclesiis, (dum) per vicarios sufficientes et idoneos in divinis faciant taliter desserviri, quod ipsæ parochiales ecclesiæ suis debitis non fraudentur obsequiis, et cura animarum quæ eis imminet nullatenus negligatur; quorum quidem viginti quatuor capellanorum curatorum, duodecim in ecclesia Bisuntina S. Joannis Evangelistæ, et alii duodecim in ecclesia Bisuntina S. Stephani residere, et in divinis Deo die nocteque desservire teneantur, nec aliquid ab ipsis viginti quatuor capellanis curatis debet exigi vel levari pro lit-

E teris non residentiæ, vel officiandi, aut alias hujusmodi occasione, quod in suis parochialibus ecclesiis non faciant personaliter residentiam, sed eisdem incontinenti expedire et gratis. Item, ob reverentiam dictæ cathedralis et metropolitanæ ecclesiæ, canonici ejusdem ecclesiæ possint et licitum est, in eorum domibus, in locis tamen decentibus et honestis, ac in tota diœcesi Bisuntina, etiam in locis interdicto suppositis, ubicumque eis placuerit, missas super altare portabile celebrare, et coram ipsis facere celebrari; nec non confessorem idoneum, seu confessores idoneos, unum vel plures, semel vel pluries, ac totiens quotiens eis, seu eorum al-

teri, placuerit, animarum curas habentes vel non habentes, eligere qui ipsos canonicos a perpetratis eorum et omnibus casibus archiepiscopo reservatis possit absolvere, et eis pœnitentiam salutarem injungere. Item, quod decanus et capitulum solum et in solidum, et ipsum capitulum solum, decano absente, per se, suum vel suos commissarium vel commissarios, super hoc deputandum vel deputandos, in singulares capellanos et familiares dictæ ecclesiæ cathedralis SS. Joannis et Stephani, seu in dictis ecclesiis incorporatos, seu intitulatos, seu incorporandos et intitulandos, in districtis capituli continuo moram trahentes, necnon clericos et ministros, ceterosque quoscumque choriales, familiares et servitores, beneficiatos et non beneficiatos, aliosque officiarios, cujuscumque status vel conditionis existant, etiamsi parochiales ecclesias, vel alia curata beneficia obtineant, qui in civitate vel diœcesi Bisuntina delinquent, habeant aut exerceant omnimodam jurisdictionem ecclesiasticam, eosdem delinquentes citando, excommunicando, absolvendo, mulctando, interdicendo, condemnando, corrigendo, incarcerando et puniendo, nisi in quantum jurisdictioni ejusdem archiepiscopi vel officiariorum suorum se duxerint submittendos, seu si præfati capellani et ceteri, ut præmittitur, officio vel servitio dicti archiepiscopi insistendo deliquerint; quibus casibus ipsorum correctio et punitio ad nos pertineat. Item, quod dicti canonici, capellani et familiares dictæ ecclesiæ, et cantores non possint neque debeant per archiepiscopum seu ejus officiarios, vel alterum eorum, compelli, neque cogi ad testimonium ferendum, nisi de eorum voluntate hoc processerit et sine præjudicio jurisdictionis dictorum decani et capituli. Item, quod si aliquis ex canonicis, capellanis et ceteris ante dictis, coram archiepiscopo vel officiariis suis, ad requestam partis aut alias, super re quacumque citatus fuerit, dictique decanus et capitulum, vel ipsum capitulum solum, decano absente, vel ipsemet citatus forum declinaverit, ipsum declinantem sine difficultate præfatis decano et capitulo, seu ipsi capitulo soli, decano absente, remittere teneantur, nisi, in causa super qua citatus fuerit, se jurisdictioni ejusdem archiepiscopi, vel suorum officiariorum submiserit, vel in officio, ut præmittitur, deliquerit. Item, quod archiepiscopus, vel sui officiarii prædicti, seu eorum alter, citationes fiendas, et interdicti, et excommunicationis sententias faciendas, et absolutiones impendendas, per eosdem decanum et capitulum, vel per ipsum capitulum solum, decano absente, in personas suorum subditorum, ad rogamen et preces dictorum decani et capituli, vel ipsius capituli, decano absente, exsequantur, et exsequi teneantur; et per subditos ipsius archiepiscopi, quoties et quandocumque opus fuerit, et quando fuerint legitime requisiti, faciant inviolabiliter observari. Item, quod idem archiepiscopus vel sui officiarii, seu eorum alter, canonicos, capellanos, et alios supra dictos, habentes litteras testimoniales, seu dimissorias, a dictis dominis decano et capitulo, seu ab ipso capitulo si decanus sit absens, ad sacros ordines promovere et admittere, atque litteras super promotione hujusmodi, et etiam omnes litteras, acta, testamenta et instrumenta decani et capituli, ac ejusdem capituli, decano absente, necnon singulorum canonicorum prædictorum, super contractibus, et aliis quibuscumque per notarios ipsius archiepiscopi vel ejus curiæ, et sub archiepiscopi vel officiariorum prædictorum ac aliis nominibus conficiendis, magno et parvo sigillis archiepiscopi et curiæ prædictæ, capellanorum vero et aliorum prædictorum parvo sigillo prædictæ curiæ vel cameræ, aut alio quocumque sigillo, dumtaxat gratis, et absque alicujus emolumenti receptione, sigillare, et sigillatas restituere teneantur; dictique canonici et capellani, ceterique familiares dictæ ecclesiæ, cum ab humanis decedere contigerit, exempti sint et eorum hæredes a præstatione lectorum decanis et subdecanis ruralibus; cum ille lectus de antiqua consuetudine solvatur sexcallo ecclesiæ Bisuntinæ, et durum esset duos lectos solvere, et duplicia onera supportare, cum alii non privilegiati non solvant nisi unum lectum. Item, quod publicatio testamentorum, seu ultimarum voluntatum omnium et singulorum canonicorum, capellanorum et aliorum prædictorum in civitate et diœcesi, vel alibi, pro tempore decedentium, receptionesque juramentorum ab hæredibus et executoribus dictorum decedentium in eisdem testamentis constitutis de ipsis fideliter exsequendis, computorumque auditores, vel si forsan hæredes vel executores hujusmodi aut non potuerint onus executionis hujusmodi in se suscipere, tunc executio hujusmodi, aut bonorum decedentium prædictorum custodia, ad præfatos decanum et capitulum, seu ad capitulum, decano absente, competat, et pertinere debeat inconcusse; si vero aliquis ex canonicis, capellanis et aliis prædictis ab intestato decesserit, bona quæ ab ipsis decedentibus, ratione parochialis ecclesiæ, vel beneficii curati, quam vel quod obtinebant, fuerint acquisita, ad ejusdem archiepiscopi, reliqua vero bona ipsorum ad decani et capituli prædictorum, vel ipsius capituli, decano absente, dispositionem et ordinationem debeant pertinere, dum tamen alius in dictis bonis, seu eorum parte ab intestato, jus non habeat, quo casu jus habenti in nullo volumus derogari; et quod si forsan aliquis prædictorum leprosariam, vel domum Dei, tempore sui obitus obtinuerit, bona decedentis quantum ad illa quæ concernunt domum Dei et leprosariam, ac eorum administrationem, dispositioni juris communis penitus relinquatur. Item, quod si lites et controversiæ civiles vel criminales, inter illos qui de jurisdictione dictorum decani et capituli, seu capituli, decano absente, existunt, et alios qui de jurisdictione eorum non sunt, oriri contingunt, si ille qui est de jurisdictione dictorum decani et capituli, seu capituli, ipso decano absente, sit actor, cognitio et decisio causæ ad archiepiscopum; si vero sit reus, ad decanum et capitulum supradictum, seu ad capitulum, decano absente, nisi in causa spirituali obligationis aut prorogationis, ac etiam in causa matrimoniali. Item, quod pro divino cultu in ecclesia Bisuntina laudabiliter fiendo et continuando, aut exercendo, duo, tres aut plures capellaniæ in ipsa ecclesia Bisuntina SS. Joannis et Stephani fundatæ ad collationem archiepiscopi, decani et capituli, singulorumque canonicorum et personarum ecclesiæ Bisuntinæ, tam conjunctim quam divisim pertinentes, sint per nos Claudium electum et confirmatum, et capitulum, secundum et juxta statuta dictæ ecclesiæ unitæ et alias ad numerum viginti quatuor, videlicet duodecim in dicta ecclesia S. Joannis, et duodecim in ecclesia S. Stephani, redactæ; quarum collatio, institutio, destitutio et omnimoda dispositio ad dictos decanum et capitulum spectabit et pertinebit, prout latius in statutis ejusdem ecclesiæ continetur; et ex nunc tenore præsentium unioni capellaniarum in ecclesiis SS. Joannis et Stephani prædi-

ctis, ad collationem, provisionem et omnimodam dispositionem archiepiscopi Bisuntini consentimus. Item, quod archiepiscopi vel ejus officiarii, seu alter eorum, non possint nec debeant in domibus canonicorum, capellanorum et familiarum dictæ ecclesiæ Bisuntinæ, necnon in districtu capitulari, aliquam jurisdictionem civilem vel criminalem exercere, nisi prius licentia petita et obtenta ab ipsis decano et capitulo, vel ab ipso capitulo, decano absente. Et quia, inter cetera dictæ ecclesiæ Bisuntinæ privilegia, comperimus prælibata fuisse, tam per summos Pontifices quam etiam per nostros prædecessores archiepiscopos Bisuntinos, eidem ecclesiæ Bisuntinæ, prædictisque decano et capitulo ac capellanis, familiaribus ejusdem ecclesiæ collata, concessa, et per summos Pontifices et nostros prædecessores archiepiscopos Bisuntinos non immerito confirmata, laudata et approbata, ea propter nolentes ea quæ a prædecessoribus nostris ad laudem Dei et divini cultus augmentum, dictorumque dominorum decani, capituli, canonicorum, capellanorum, familiarium et servitorum eorum libertatem, cum matura deliberatione et longo tempore, laudabiliter fuerint et sint concessa, collata, confirmata et approbata, abolere seu minuere, sed potius augmentare, laudare, confirmare et approbare, eadem præmissa omnia et singula, prout superius sunt expressa, matura deliberatione præhabita, et super his peritorum et proborum virorum adhibito consilio, ut præmittitur, et quantum ad nos attinet, laudamus, ratificamus, approbamus et confirmamus tenore præsentium; et volumus perpetuis temporibus per nos et successores nostros archiepiscopos Bisuntinos ac officiarios nostros, firmiter et inviolabiliter observari, sub tamen sanctissimi domini nostri papæ Pontificis maximi beneplacito, voluntate et consensu, cujus sanctitatem pro bono dictæ nostræ ecclesiæ humiliter supplicamus, et supplicari scorsim, vel cum dictis dominis decano, capitulo et canonicis, cupimus et intendimus, ut eadem omnia et singula supradicta privilegia, exemptiones et immunitates confirmare et ratificare dignetur, non obstantibus confirmationibus apostolicis, conciliorum decretis, et præsertim Tridentini, ceterisque contrariis quibuscumque, quibus omnibus sua sanctitas dispensando derogare dignabitur. In quorum omnium et singulorum fidem, robur et testimonium, præsentes litteras fieri fecimus, et per notarium curiæ nostræ Bisuntinæ subsignari, sigillique nostri fecimus appensione muniri. Actum et datum Arbosii, in nostra prædicta diœcesi, die decima quinta mensis Februarii, anno a Paschate millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, præsentibus ad præmissa Francisco *de la Ronde* scutifero, domino de Villanova; nobili ac sapiente viro domino Guillelmo *Maris* jurium doctore, ac pluribus aliis testibus vocatis et rogatis. Signatum, Claudius a Bauma, archiepiscopus Bisuntinus; *Trotereau; F. de la Ronde.* Est testis G. Marius. Et inferius : De mandato reverendissimi domini archiepiscopi et principis præfati, S. *de Corcelles.*

INSTRUMENTA ECCLESIÆ LAUSANNENSIS.

I.

E Chart. Laus. (1) *Ludovicus imperator Fredario Balmetam dat.*

814. In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludovicus, divina ordinante providentia imperator augustus. Quidquid enim pro opportunitate servorum Dei agimus, hoc nobis ad æternam retributionem pertinere confidimus. Igitur notum sit omni fidelium nostrorum solertiæ, præsentium scilicet et futurorum, quia placuit nobis ad matrem ecclesiæ S. Mariæ Lausonnæ, ubi Fredarius episcopus, auctore Deo, præest, propter congregationem inde consistentium, ad supplementum eorum, aliquid de rebus proprietatis nostræ concedere, atque per hoc præceptum nostrum confirmare. Id est quamdam cellulam, quæ est in eodem pago Lausonnæ, super rivulum qui vocatur Venobia, nuncupante Balmeta, quæ est constructa in honore S. Desiderii, una cum portione nobis debita in Forrarias, vel villa quæ dicitur Sclepedingus, cum ruboria qui vocatur Mauromonte, habentem plus minus colonicas viginti, cum ecclesiis, domibus, ædificiis, mancipiis, colonis, terris, vineis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus, quæsitum et inquirendum, quidquid in eisdem locis nostra justa videtur possessio, totum a die præsente et deinceps in jure ipsius sanctæ ecclesiæ tradimus donationem (2), ad necessitatem videlicet fratrum inde Deo famulantium supplendam et ad pauperes alendos, ut futuris temporibus in nostra eleemosyna inde, Deo opitulante, proficiat in augmentum. Præcipientes ergo jubemus ut nullus ex fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris, adversus prædictam ecclesiam, vel ad ejus rectores, aliquam calumniam inferre, aut aliquam contrarietatem facere tentet; sed liceat ipsas res, sicut superius intulimus, jure perpetuo habere, atque absque alicujus resultatione perennis temporibus tenere atque possidere. Et ut hæc donatio præceptionis nostræ per curricula annorum inconvulsa valeat remanere, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ melius credatur et conservetur, manu propria subscripsimus, et de annulo nostro subter jussimus sigillari. Data v cal. Augusti, anno primo, Christo propitio, imperii nostri, ind. vii.

II.

E Rer. Gallic. Script. (3) *Joannes VIII archiepiscopo Bisuntino vetat ne episcopum Lausannensem consecret.*

878. Reverendissimo et sanctissimo Theodorico, archiepiscopo Bisuntinensi, confratri nostro. Igitur quia fraternitas tua, apostolicæ et universalis Dei Ecclesiæ persecutiones audiens, compati modis omnibus distulit, nosque pro eo et cunctis aliis laborem sumentes quoquomodo visitare neglexit, satis miramur et ex parte turbamur. Quapropter monemus ut hactenus te negligentem pernoscas, et ad despectam caritatem nihilominus, postpositisque omnibus curis, ad nos visitandos una cum hoc nostro misso præsentialiter venire satagas. Cæterum audivimus,

A et auditu dolemus, ut in ecclesia Lausanensi, quæ sine patre nunc cernitur, sit orta contentio, ejusque filiorum in electione antistitis sit nefanda divisio. Unde monemus, per Deum Patrem et Filium et Sanctum Spiritum obtestamur, apostolicaque auctoritate expresse jubemus et interdicimus ut, quoad ad commune alloquium nostrum pervenias, ibi episcopum, neque jussu regis, neque ex petitu plebis, consecrare præsumas, quatenus, cum una allocuti fuerimus, auxiliante Deo, cum communi consulto, quem utiliorem prævidérimus consecrare permittamus de more. Quæ hic scribere omisimus huic legato nostro Deusdedit, glorioso magistro militum et duci, consiliarioque nostro, ut vobis dicat
B injunximus. Quem benigne recipite, et quæ vobis ex nostra parte tulerit indifferenter audite. Data iv id. Junias, ind. xi.

III.

Vodelgisus dat Campaniam Lausannensi ecclesiæ. E Chart. Lausan.

Notitia traditoria qualiter, vel quibus præsentibus bonis hominibus, qui subter firmaverunt, qualiter veniens dominus Hieronymus, Lausannensis ecclesiæ episcopus, in villam quæ nuncupatur Campanias, ibique veniens homo aliquis, nomine Vodelgisus, tradidit ei res, con- 888.
C sentiente conjuge sua, atque filiis suis, et filiabus, quas ei dominus imperator Carolus Augustus per præceptum donationis dedit, sicuti mos exstitit anteriorum regum agere fidelibus; quod et fecit, cum omnibus sibi pertinentibus ad ipsam villam, iis nominibus, Campania videlicet jam dicta villa, Fiaco, Corcella, Clingerio, Spelterias, Solpiaco, Gravato, capella una, cum mansis sex, ad unumquemque mansum jugera sexaginta, villaris scilicet ædificiis, seu accolabus ibi adjacentibus, ad integrum, his præsentibus quorum nomina subter habentur inserta, propter remedium animæ prædicti imperatoris, seu etiam Ruodulfi serenissimi regis, necnon etiam uxoris suæ, insuper filiorum filiarumque suarum, quatinus apud pium judicem veniam
D peccatorum impetrare potuissent utrique: nam, sicut superius præfati sumus, pro iis rebus, amore divino compunctus, tradidit almæ Mariæ, sive ipsi præsuli, res jam denominatas ad ipsam casam Dei, ut quidquid ipse pontifex, vel successores ipsius facere voluerint, in omnibus obtineant firmitatem faciendi. Hæc sunt nomina quorum superius spopondimus adnotata, scilicet Ragenfredus, Garimbertus, Sigardus, Ambrico, Arembertus, Berenhardus, Saturninus, aliique quamplures, quorum hic nomina adnotantur propter firmitatis vigorem, quatinus ut in prolixo tempore obtineat inconvulsam firmitatem. Facta notitia die Sabbato, xii cal. Januarii, anno primo regnante domino nostro
E Ruodolfo rege.

IV.

Reginaldus ecclesiæ Lausannensi S. Prothasium confert. Ex eodem.

Dum hujus mundi finem simulque etiam et terminum nostrum advenire non dubitamus, 890.

(1) Chartularium Lausannensis ecclesiæ recens editum reperitur in tom. VI Commental. et Docum. ad Helvet. Rom. spectantium.

(2) Forsan *et donamus.*

(3) T. IX, p. 165.

unicuique christiano providere oportet ut de terrenis ac transitoriis rebus adquirere satagat perpetuis ac sine fine gaudiis mansuris (1); quia dum locis sanctorum in luminaribus, sive in stipendiis servorum Dei, pro amore Dei et sanctorum illius, aliquid ex nostra largitate conferimus, illud nobis procul dubio ad felicitatis augmentum apud misericordem Dominum retribuere non dubitamus. Quapropter ego, in Dei nomine, Reginoldus, nimis peccator et flagitiosus, divino tamen omnipotentis Dei auxilio tactus, sumpsit mihi bona voluntas, ut, pro redimenda meorum labe peccaminum, quasdam res meæ proprietatis, quas mihi dominus Karolus imperator, per sui præcepti auctoritatem, dedit, quæ sunt sitæ in pago Lausonense, sive Waldense, id est ecclesia B. Prothasii, cum villa Draciaco, cum omnibus appenditiis, sive adjacentiis suis, cum ingressibus et regressibus, ad ecclesiam B. Mariæ Lausonensis concedere, vel condonare, deberem; quod et ita, in Dei nomine, a die præsente feci. Igitur volo atque decerno ut præfata ecclesia, cum supra memorata villa Draciaco, sicut jam fuit priscis temporibus subdita, ita et deinceps, Christo annuente, ad jam dictam sedem Lausonensem, ubi venerabilis Hieronymus episcopus præesse videtur rector, pro animæ meæ remedio sit subjecta ad omnem cultum divinitatis, atque in luminaribus, quamque et in terrenis actibus, seu et tectis ipsius ecclesiæ, seu recuperatione domorum et in stipendia clericorum ibidem Domino servientium; ea videlicet ratione ut in justa donatione (2) ipsius sedis Lausonensium episcoporum absque ulla donatione permaneant, et talem in ipsa ecclesia B. Prothasii Dei servitium eligat qui Domini cultum providere studeat; et episcopus ipsius civitatis, pro remedio animæ meæ, et genitoris mei, seu genitricis meæ, in die depositionis meæ, dare debeat fratribus præfatæ civitatis, et (3) jam dicta ecclesia S. Prothasii, refectionem unam qualem meliorem potuerit, videlicet tamen modios quatuor, friscingos tres, porcinam unam, pullos decem, vinum modios quatuor; et ipsi fratres pro nobis Domini misericordiam exorare debeant, et ipsa luminaria omnino non deficiant. Illud quoque sub obligationis vinculo adnecti placuit, ut si quis, quod absit, ego ipse, aut qualiscumque persona, ullo unquam tempore, contra hanc donationem aliquid agere voluerit, iram Dei omnipotentis incurrat, et cum Juda traditore in supplicio æterno, et insuper hæc donatio inviolabilem, Christo propitio, obtineat firmitatem, cum stipulatione subnixa. Signum Reginoldi, qui hanc donationem fieri et firmare rogavit. Signum Rodulfi, gloriosi comitis, qui hanc donationem rogatus consensit. Signum Warimberto, qui consensit. Dedolgiso teste. *Warat* teste. Trogo teste advocato. Altrico teste. Huodone teste. Ladone teste. Ego, in Dei nomine, Rodowins presbyter hanc donationem a jam dicto Reginoldo rogatus scripsi, datavi die Veneris, VIII id. Augusti, anno sexto imperante domno nostro Karolo III per circumquasque regiones feliciter.

V.

Ex eodem. *Clero populoque Lausannensibus Radulfus rex liberam episcoporum electionem concedit.*

895. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Rodulfus, divina annuente clementia piissimus rex. Quanto liberius et largius militantibus Deo opem contulerimus congruam, et quod ad cultum ipsius pertinet libenter impertierimur auxilium, credimus a benigno Deo multiplicatam nobis reddi in futuro mercedem, et in præsenti etiam auxilium opportunum confidimus largiri. Qua de causa omnium fidelium sancta Dei (1), nostrorum videlicet et futurorum, industria sciat quantum venerandus pontifex Lausannensis ecclesiæ, Boso, humillimus clementiam majestatis nostræ precibus expostulavit, quatenus, sicuti pluriores ecclesiæ per Galliam ex largitate imperatorum et regum habent liberam in eligendo pastore potestatem, ita et nos, dono benignitatis nostræ, supra nominatæ sanctæ ecclesiæ Lausannensi, cui ipse præesse videbatur, libenter indulgeremus. Cujus denique petitionem, Deo hominibusque acceptam, prono suscipientes animo, has litteras per auctoritatem regiam facere, ob honorem almæ genitricis Dei Mariæ, et emolumentum animæ nostræ, regnique nostri tranquillitatem jussimus. Constituentes omnimodis ut quando proprium rectorem, morte interveniente, filii frequenter prælibatæ Lausannensis amiserint ecclesiæ, habeant liberam potestatem secundum canonicam institutionem eligendi, sicubi dignius reperiri voluerint de propria ecclesia, pastorem. Si autem, quod non optamus, in eadem ad hoc opus idoneus minime fuerit repertus, de convicina ecclesia petant sibi dari; tantum ut nullus ibidem consecretur, nec præponatur nisi qui a clero et populo sanctæ ecclesiæ Lausannensis fuerit electus. Si quis autem aliter agere tentaverit, apud Dominum et S. Mariam sit reus. Ut ergo hoc privilegium inconvulsum per cuncta sæcula conservetur, manu nostra subter firmavimus, et de annulo nostro sigillari fecimus. Almawinus notarius, ad vicem Waltharii archi-cancellarii, recognovi. Datum V cal. Februarii, anno ab Incarn. Domini 895, anno vero domini Rodulfi regis octavo, ind. XIII.

(1) Lege *perpetua ac si fine gaudia mansura*.
(2) Lege *dominatione*.
(3) Lege forsan *in*.

VI.

Quinque colonias dat Bosoni Gerlandus comes. *Ex eodem.*

Dominis sanctis et in Christo Jesu venerabilibus fratribus de Lausanna civitate, de episcopatu domini Bosoni episcopi, ubi (2) die noctuque, Domino famulante norma, silentium funguntur officio, et in ipsa congregatione Arembertus præpositus, ceterique fratres sub regimine præsulis superius nominati ad regendum et custodiendum habere videntur. Igitur ego, in Deo nomine, Gerlandus comes et uxor mea Ayroara comitissa, inspirante pietate divina, sumpsit nobis bona voluntas ut aliquid de rebus nostris, quas dominus Ruodulfus rex per præceptum nobis dedit, pro remedio animæ nostræ, vel animæ senioris bonæ memoriæ Chonradi comitis, in omnibus mihi benefactor(is), seu animæ gloriosissimi regis nostri Ruodulfi, ad ipsam ecclesiam almæ virginis Mariæ, genitricis Dei, seu ad stipendia fratrum ibidem consistentium, concedere vel condonare deberemus; quod et ita (voluimus), in Dei nomine, a die præsente et fecimus: donamus ipse colonicas quinque, hoc est in pago Lausannensi, in fine Runiugorum, seu in ipsa villa Runingis, quidquid visi sumus habere, cum in dominicata terra, aut vineis, 895.

(1) Legendum *sanctæ Dei Ecclesiæ*.
(2) Proœmium hujus chartæ multis vitiis laborat. Cum vero fere tota scripta sit secundum eamdem formulam ac Manassis comitis diploma, anno Radulfi regnantis sexto editum, Chartul. Lausan., p. 285, librarii culpas, utentes exemplari, emendavimus.

pratis, totum et ad integrum, vobis donamus, ligamus, tradimus atque transfundimus hæc (ut) sunt mansa quinque, campis, pratis, pascuis, vineis, rivis, fontibus, arboribus pomiferis et impomiferis, aquis aquarumve decursibus, accessisque omnibus cum mancipiis, cum omnibus ædificiis superpositis; quicquid dici aut esse potest, vel ibidem tempore præsenti possidere videmus, totum et ad integrum ad ipsam ecclesiam, seu ad ipsos fratres, pro remedio animæ nostræ transfundimus, ut quidquid desuper scriptas res, vel mancipia, ipsi servi Dei facere voluerint, vel successores eorum, liberam ac firmissimam, in Dei nomine, in omnibus habeant potestatem faciendi. Si quis vero, quod fieri minime credimus, quod si nos, aut ullus nostris de hæredibus, vel quislibet ulla persona apposita, ullo tempore (fuerit), qui (contra) donationem istam, manu nostra conscriptam, venire, diei (1), aut aliquid agere tentare voluerit, in primis iram Dei omnipotentis incurrat, et a liminibus suorum sanctorum efficiatur extraneus, et cum Dathan et Abiron, qui viventes descenderunt in infernum, et cum Juda traditore, deputetur in supplicium æternum; et ne hoc valeat evendicare quod repetit; sed insuper sit culpabilis, vobis vestrisque successoribus impleturus sit dupla pecunia, et aliud tantum quantum ipsas res cmelioratas (2) apparuerint, et una ci tertio auri libras L, argenti pondera LX (3) coactus persolvat; et hæc donatio nostra in vobis facta firma et stabilis permaneat, stipulatione subnixa. Signum Geylandi et uxoris suæ Ayroanæ, insimul qui hanc donationem fieri rogaverunt. Signum Eldueno, advocati (4) S. Mario, teste. Signum Borgone teste. Signum Walpertus testis. Signum Waruntus testis. Ego Austerius rogatus subscripsi. Odelerdus rogatus subscripsi. Ego, in Dei nomine, Saturninus cancellarius, ac si indignus presbyter, hanc donationem rogatus subscripsi, datavi die Martis, anno octavo, intrante (5) nono, regnante domino Rnodulfo rege.

VII.

Ex eodem.

Boso decimas capellæ S. Petri concedit.

905.

Si quis Christianorum fidelis, accensus igne divini amoris, ecclesiam in rebus propriis ædificare voluerit, primum a proprio episcopo consilium et licentiam expostulet, velut institutio docet ecclesiastica, quatenus ejus consultu et auxilio sic futura ædificetur ecclesia, ut jugiter et laudabiliter in ipsa Domini et sanctorum ejus peragatur cultura. Denique ego Boso, humilis episcopus, qui præsum ecclesiæ Lausannensi sanctæ Dei genitricis Mariæ, notum volo esse omnibus præsentibus et futuris sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, qualiter Airfredus diaconus petiit nos ut capellam, quæ erat a nobis dedicata, quibusdam decimis fulciremus. Quod nos libenter audivimus, et juxta consilium nostri archidiaconi, sive præpositi, et canonici S. Mariæ, et virorum nobilium qui erant vicini, preces et vota illius adimplevimus. Concedimus itaque decimum ad prælibatam capellam quæ constructa est in honore S. Petri, ut decimas quas, quod ad villare Bitusiaco aspiciunt, ibi concedimus, excepto de terra S. Paulo, habemus (6), ut in præfata ecclesia officium Christi

(1) Pro *diei* lege *dicere*.
(2) *Ipsæ res emelioratæ*.
(3) Sic forte legendum, ut in charta Manassis : *Et una tres auri libras, seu argenti pondera sexaginta*.
(4) *Advocato*.
(5) Forte *instante*.
(6) Forsan legendum : *Decimas quas, quoad villare Bitusiacum aspiciunt, ibi, excepto de terra S Pauli, habemus*.

A omni tempore perficiatur, et sacerdos qui ibi præerit tempore instituto, in festivitate S. Petri, omni anno, pro ipso decimo ad fratres persolvat tritico modium unum, vinum sex, frescengas berbicinas duas, et si in uno anno negligens de ipso censo apparuerit, in alio anno in duplum componat. Ideo autem, ut ab hominibus hæc nostra auctoritas verius credatur et religiosius habeatur, propria manu firmavimus, una cum fratribus nostris firmare jussimus. Ego Boso, misericordia Dei humilis episcopus, hanc auctoritatem consensi et subscripsi. Hieronymus presbyter subscripsi. Magnerius presbyter subscripsi. Willihelmus presbyter subscripsi. Beroldus subdiaconus. Possessor præpositus subscripsi. Aymo presbyter B subscripsi. Evo presbyter subscripsi. Gamalbertus presbyter. Bernardus presbyter. Drogo subdiaconus subscripsi. Joannes levita subscripsi. Sicardus levita subscripsi. Sanson presbyter subscripsi. Lampertus presbyter subscripsi. Ego, in Dei nomine, Saturninus, ac si indignus presbyter, sive cancellarius, hanc auctoritatem eo ecclesiæ rogatus scripsi, datavi die Dominico, III nonas Maii, anno decimo octavo regnante domino nostro Ruodulfo rege. Feliciter, Amen.

VIII.

Bertha regina Paterniacum condit.

E Rer. Gall. Script. (1). 960 (2).

C Cunctis sane considerantibus patet, quod ita Dei dispensatio quibusque divitibus consulit, ut ex rebus transitoriis quæ possidentur, si eis bene utantur, semper mansura præmia valeant promereri. Quod videlicet divinus sermo possibile ostendens, atque ad hoc omnino succedens dicit : *Divitiæ viri redemptio animæ ejus*. Quod ego Bertha, dono Dei regina, sollicite perpendens, ac propriæ saluti, dum licitum est, providere cupiens, ratum, imo pernecessarium duxi, ut ex rebus, quæ temporaliter mihi collatæ sunt, ad emolumentum animæ meæ, aliquantulum impertiar, quippe quæ adeo in his videor excrevisse, ne fortassis totum ad curam corporis in supremo redarguar expendisse; quin potius, cum suprema D sors cuncta rapuerit, quiddam mihi gaudeam reservasse. Quæ scilicet causa nulla specie vel modo congruentius posse fieri videtur, nisi ut juxta præceptum (non) ad tempus, sed continue..... monastica possessione congregatos ex propriis sumptibus sustentem, ea si quidem fide, ea spe, ut quamvis ipsa contemnere nequeam, tamen dum mundi contemptores, quos justos credo, susceperim, justorum mercedem accipiam. Igitur omnibus in unitate fidei viventibus, Christique misericordiam præstolantibus, notum sit, quod, ob amorem Dei et Salvatoris Jesu-Christi, res juris mei, S. Mariæ videlicet et S. Petro et S. Joanni et S. Mauritio, cum sociis suis, et illis sanctis qui in isto loco requiescunt, qui dicitur Pater- E niaca, consentientibus filiis meis, Conrado gloriosissimo rege, necnon et Rodolpho duce, de propria trado dominatione ipsum oppidum Paterniacum, cum omnibus rebus ad ipsum pertinentibus, mancipiis utriusque sexus, cum prædiis suis, quorum nomina hic tenentur scripta, excepto uno prato ad domum Petri, campis, pratis, sylvis, aquis, aquarum decursibus, farinariis, exitibus, et regressibus, cultis et incultis, unam ecclesiam ad Carcerem, cum appenditiis suis, et aliam ecclesiam ad Pulliacum, tertiam,

(1) T. IX, p. 667.
(2) Anno 962 apud Buquetium. Annus vero 960 cum anno Conradi vicesimo quarto congruit.

id est capellam ad Pibirsin, cum omnibus illuc A pertinentibus, et tale prædium quale acquisivi in Votone et Vocisino, et Stispurga, et filiis ejus, cum omni integritate, dono S. Mariæ et supradictis sanctis ego Bertha, gratia Dei regina, primum pro amore Dei, deinde pro anima domini mei beati Rodulphi regis, et pro anima filii mei Burchardi episcopi, et eorum quorum debitores sumus, et Othonis gloriosissimi regis, necnon pro anima filiæ meæ reginæ Adheleidæ, et filiorum meorum Conradi serenissimi regis, et Rodolphi ducis, et pro me ipsa, et pro salute animarum nostrarum et corporum, et omnium qui propter amorem Domini illud templum Dei gubernare aut augere volunt, pro statu etiam et integritate catholicæ religionis; eo siquidem dono tenore, ut B in honore S. Mariæ et supradictorum sanctorum monasterium regulare construatur, ibique monachi juxta regulam B. Benedicti viventes congregentur, qui ipsas res perenni tempore possideant, teneant, habeant atque ordinent; ita dumtaxat ut ibi venerabile orationis domicilium votis ac supplicationibus fideliter frequentetur, conversatioque cælestis omni desiderio et ardore intimo perquiratur et expectetur; sedulæ quoque orationes, postulationes atque obsecrationes Domino dirigantur, tam pro me quam pro omnibus, sicut eorum memoria supra digesta est; sintque ipsi monachi, cum omnibus præscriptis rebus, sub potestate et dominatione Maioli abbatis, qui, quamdiu vixerit, secundum suum scire et posse eis re- C gulariter præsideat; post discessum vero ejus, habeant iidem monachi potestatem et licentiam quemcumque sui ordinis, secundum placitum Dei atque regulam S. Benedicti promulgatam, eligere maluerint abbatem atque rectorem, ita ut, nec alicujus potestatis contradictione contra religiosam..... impediantur : per quinquennium autem Romæ decem solidos ad limina Apostolorum, ad concinnanda luminaria, præfati monachi persolvant, habeantque tuitionem ipsorum Apostolorum atque Romani Pontificis defensionem; et ipsi monachi corde et animo pleno prælibatum locum pro posse et nosse suo ædificent. Volumus etiam ut nostris successorumque nostrorum temporibus, prout opportunitas atque possibilitas D ejusdem loci sese dederit, quotidie misericordiæ opera pauperibus, indigentibus, advenis, peregrinantibus, summa intentione ibidem exhibeantur. Placuit etiam huic testamento inseri, ut ab hac die, nec nostro, nec parentum nostrorum, nec fastibus regiæ magnitudinis, nec cujuslibet terrenæ potestatis jugo subjiciantur monachi ibidem congregati : nec aliquis principum sæcularium, non comes quisquam, nec episcopus quilibet, nec Pontifex supradictæ sedis Romanæ, (per Deum et in Deum omnesque sanctos ejus et tremendi judicii diem contestor, deprecor), invadat res ipsorum Dei servorum, non distrahat, non minuat, non præcambiat, non beneficiet alicui, non aliquem prælatum super eos contra eorum E voluntatem constituat. Et ut hoc nefas omnibus temerariis ac improbis arctius inhibeatur, adhuc idem inculcans subjungo, et hoc obsecro vos, o sancti apostoli et gloriosi principes terræ, Petre et Paule, et te Pontifex Pontificum apostolicæ sedis, ut per auctoritatem canonicam et apostolicam, quam a Domino accepisti, alienes a consortio sanctæ Dei ecclesiæ et sempiternæ vitæ prædones et invasores, atque distractores harum rerum, quas sanctæ Mariæ et prædictis sanctis, hilari mente promptaque voluntate, dono, sitisque tutores ac defensores jam dicti loci Paterniaci et servorum Dei ibi commorantium ac commanentium, harum quoque omnium facultatum, propter eleemosynam et clementiam ac misericordiam piissimi Redemptoris nostri. Si quis forte (quod absit, et quod per Dei misericordiam et patrocinia apostolum evenire non æstimo) vel ex propinquis aut extraneis, vel ex qualibet conditione, vel potestate, qualicumque calliditate, contra hoc testamentum, quod pro Dei amore omnipotentis ac veneratione S. Mariæ matris Domini et prædictorum sanctorum fieri sancivi, aliquam concussionem inferre tentaverit, primum quidem iram Dei omnipotentis incurrat, auferatque Deus partem illius de terra viventium, et deleat nomen ejus de libro viventium; fiatque pars illius cum his qui dixerunt Domino Deo *Recede a nobis*, et cum Dathan et Abiron, quos terra aperto ore deglutivit, et vivos infernus absorbuit, perpetuam incurrat damnationem : socius quoque Judæ, Domini proditoris, effectus, æternis cruciatibus retrusus teneatur; et ne in præsenti sæculo humanis oculis impune transire videatur, in corpore quidem proprio futuræ damnationis tormenta experiatur, sortitus duplicem direptionem cum Heliodoro et Antiocho, quorum alter, acribus verberibus coercitus, vix semivivus evasit, alter vero superno nutu percussus putrescentibus membris et scatentibus vermibus miserrime interiit, ceterisque sacrilegis, qui ærarium domus Dei temerare præsumpserunt, particeps existat; habeatque, nisi resipuerit, archiclavum totius monarchiæ ecclesiarum, juncto sibi sancto Paulo, obstitorem, et amœni Paradisi aditus contradictorem, quos, si vellet, habere poterat per se piissimos intercessores : secundum mundialem vero legem his quibus intulerit calumniam centum auri libras, cogente judiciaria potestate, compulsus exsolvat, et congressio illius frustrata nullum omnino obtineat effectum, sed hujus firmitas testamenti omni auctoritate suffulta, semper inviolata ac inconcussa permaneat, cum omni stipulatione subnixa.

Signum dominæ Berthæ reginæ, quæ hanc traditionem cum manibus filiorum suorum Conradi regis ac Rodolphi ducis subtus confirmavit. Signum Conradi filii, regis. Signum Henrici comitis. Signum Eleardi. Signum Gausleni. Signum Abo. Signum Wandalrici. Signum Azzonis. Signum Hivonis. Signum Burewardi. Signum Engescaldi. Signum Merii. Signum Rudolphi comitis. Signum Anshelmi. Signum Adelgolhi. Signum Woradi. Signum Borno.

Ego Sunthardus hanc chartam ad vicem Ponchoni, cancellarii, scripsi.

Data in die Martii, Kal. Aprilis, anno XXIV regnante Conrado rege. Actum vero Lausona civitate.

IX.

Pactum inter Auspertum presbyterum et ecclesiam Lausannensem. *E chartul. Lausann.*

SACROSANCTÆ venerabilis genitricis Dei Mariæ, quæ sita est in pago Lausonensi, ubi domnus Eginolfus episcopus rector esse videtur, Turimbertus præpositus cunctique fratres eidem ecclesiæ famulantes. Ego in Dei nomine, Auspertus presbyter, inspirante pietate divina, sumpsit mihi bona voluntas ut aliquid de rebus meis propriis ad ipsam Dei ecclesiam, vel ad ipsos servos Dei ibidem famulantes, concedere vel condonare deberemus, quod a præsente die feci, videlicet molendinum unum et vineam; et postea fuit mea petitio et domni prædicti pontificis, cunctorum fratrum benevolentia, ut ipsas res scilicet et presbyteratum sanctæ domni Prothasii ecclesiæ, loco 970.

beneficii, epistola donationis, quousque dum vivis, usum fructumque possideas; eo namque ordine ut per unumquemque annum in festivitate S. Clementis refectionem prætestatis fratribus in sancta Dei genitricis ecclesia servientibus persolvas: sit vero talis refectio, duos scilicet porcos optimos, duos modios frumenti purgatissimi, et unum modium vini: et post tuum discessum, quandoquidem Deus permiserit, ad ipsam Dei ecclesiam, vel ad fratres ejusdem ecclesiæ famulantes, deveniat. At vero si uno anno negligens apparueris, alio anno proximo duplum componere cogaris. Si quis vero, aut ego ipse, aut ullus hæredum meorum, contra hanc donationem, quod plenissime per bonam voluntatem egi, aliquid dicere, agere, tentaverit, sciat se compositurum auri libras quinque, et hæc ipsa nostra donatio inconvulsa permaneat. Ego Eginolfus, humilis episcopus, hæc donatio a me facta est. Ansiysus præsens fuit. Turimbertus præsens fuit. Emmo præsens fuit. Umbertus præsens fuit. Hiringus presbyter. Evcrardus præsens fuit. Ego, in Dei nomine, Adalwinus, presbyter, hanc donationem rogatus scripsi et datavi, die Sabbato, xv cal. Junii, anno tricesimo tertio regnante domno nostro Chuonrado rege.

X.

E sch. Droz. (1). *Declarantur dona S. Gallo ab Eginolfo, Lausannensi præsule, facta.*

982. ANNO ab Incarn. Dom. DCCCCLXXXII, imperante serenissimo Othone Juniore, decimo anno postquam post patrem augustum solus cepit monarchiam, indict. x, VIII id. Maias, religiosissimus Eginolfus, ecclesiæ Lausannensis antistes, a liminibus Apostolorum rediens, venit ad monasterium S. Galli, cui jam pridem ob memoriam disciplinæ, qua pueritiæ atque adolescentiæ diebus in eodem loco gratantissime imbutus est, plurima largitatis suæ insignia, nunc in thesauris sanctuarii ornatibus congruis, tum etiam sustentaculis fratrum ibi Deo militantium usui necessariis impertivit, confidens se sanctorum patrocinia apud Dominum ibidem impetraturum, simulque in aspectu multum ante dilectæ congregationis gavisurum. In ipso autem ingressu ejus quanta benignitate abundaret ostendit; nam multorum pignora sanctorum, quæ et a cubiculo domini apostolici in Romana urbe impetraverat, et a propria diœcesi, seu tota provincia Burgundiæ extulerat, eidem cœnobio intulit; scilicet ut ejusdem incolis, multiplicato numero intercessorum, fieret augmentum meritorum. Cumque ab abbate præcipuæ sanctitatis Immone et ab omni congregatione affectu quo dignum erat sumptus esset, suæ eos præsentiæ affabilitate nimium lætificavit. Secunda enim feria quartæ hebdomadæ sanctorum Paschalium dierum illuc veniens, amore eorum incitatus, usque ad exactum S. Pentecostes diem pausavit, crebra fratres omnemque familiam sancti loci munificentia alimentorum exhilarans. Inter hæc rogatus ab abbate, ut locum quemdam in pago Aregennæ, nuncupatum Hucinga, quem ipse antea ex hereditario jure suo eidem sancto monasterio contradidit, sed sibi, dum viveret, usum fructuarium reservavit, censu videlicet quotannis persoluto, ejusdem monasterii usibus penitus nuncuparet, solita sibi dapsilitate annuit, conditione quæ infra notabitur. Sexta cal. Junii, ingressus ubi abbas cum generalitate fratrum considebat, eamdem possessionem, cum omnibus ejus fructibus, funditus utilitati sanctæ congregationis attribuit, eo scilicet pacto ut neque per beneficium foris, neque subjectionem alicujus ministri intra monasterium, usus qui exinde acquiri posset fas sit fratribus auferri; sed bis in annis singulis, hoc est semel in festivitate sancti confessoris Martini, et in aliquo alio die, dum viveret, post abitum autem suum in anniversario ejusdem, cum sufficientia quæ ibidem inveniri valet, monachis familiæque S. Galli ministretur. Precabatur etiam ut et aliquid ei ex rebus supra memoratis in vicinitate nominati cœnobii præstaretur, unde iteratus, seu frequentatus ejus adventus, quod maxime cupiebat, non solum non esset onerosus abbati, verum etiam fructuosus multum amatæ fraternitati: de quo etiam supplicabat ut si quid forte, seu de sua patria illatum, seu in eisdem locis augmentatum, post obitum ipsius inveniretur, reservatis incolis et culturæ locorum necessariis, reliqua trifarie partita ob ejus animæ quietem distribuerentur, quippe ut una pars fratribus, altera familiæ intra monasterium, tertia pauperibus erogaretur. Cui petitioni abbas, cum omni congregatione, affectuose annuens, quidquid in Henonna eo die usuum habuerat, sive in salica terra, sive decimis, mansoribus tributisque, vel quibuscumque rebus ad eumdem locum pertinentibus, et in Wate duos mansos, et in Pernaneti vineam, prius abbatis arbitrio privatim pertinentem, omnia cum prioribus colonis, et in *Roskachen* sagenam cum piscatoribus, cunctisque utensilibus necessariisve, cum manso advocati Luctolti, qui etiam tunc intererat, prout idem episcopus petierat, præstitit. Insuper etiam universi in sacro illo consessu conspiravere, ut tam ipsi quam post eos in eo loco Deo militaturi pro eodem liberalissimo pontifice, seu in corpore manente, seu feliciter ad Dominum migrante, eadem quæ pro unoquoque eorum solet assiduitas precum solveretur. Ut autem tam egregii viri, id est domini Eginolfi episcopi, largitas et per largitatem perpetrata conditio nequeat a posteris ignorari, decretum est ut per conscriptionem memoriæ tradita regulæ S. Benedicti deberet innecti, quatenus qui se in ejus præsentia illa non sunt experti beneficia, edocti litteris orent pro eo Dominum universitatis.

(1) T. XLIV, p. 81.

XI.

Prædium, nomine Wilram, Radulfus III ecclesiæ Lausannensi restituit. E Monum. Zapf. (1).

IN nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, gratia Dei Rodulfus humilis rex. Justis domini imperatoris augusti, videlicet Othonis, admonitionibus animum commisimus, ut expulsis scelerum tenebris, ad veram lucem, quæ Christus est, pervenire possimus. Quocirca nos oportet ecclesiasticam providere indigentiam, atque tanti imperatoris admonitionem perpendere, ut quæque prisci parentes nostri injuste abstulerunt juste et legaliter, prout possumus, restituamus. Est enim fiscus Lausannensis in comitatu Valdensi, qui vocatur Wilra, pertinens ad eumdem episcopatum: hunc immerito tulerunt Bosoni episcopo, quem reddimus Deo et ejus genitrici B. Mariæ Virgini, cum suis omnibus adjacentiis et pertinentiis, cum campis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, montibus et planitiebus, cum exhibitionibus et redhibitionibus, seu cum iis 998.

(1) Zapfii editionem in quibusdam emendavimus, utentes Droziano apographo, t. XLIII, p. 36.

omnibus quæ ad prælibatum fiscum aspiciunt, A vel aspicere debent, hujus nostri inscriptione præcepti. Per hoc itaque nostræ auctoritatis præceptum, et per tantam carissimi imperatoris admonitionem interdicimus, ut nullus dux, marchio, comes, vicecomes, sculdalscio, vel qualibet magna, parva, atque submissa persona sanctam ecclesiam Lausannensem, sive ejus præsulem, de his omnibus prædictis in aliquo inquietare præsumat. Quod si quislibet præsumpserit, non sibi evindicet quod repetit, sed insuper sit culpabilis, et impleturus auri obrizi libras 199; medietas cameræ nostræ inferatur, et medietas quibus fuerit illata injuria; insuper angelorum maledictionibus intentus, et clavigeri Petri, sive nobilissimi auctoris Pauli, seu omnium apostolorum B vinculis illaqueatus, martyrumque, confessorum, virginum, anathemate perpetuo damnatus, infernali cremetur incendio. Ut autem hujus nostræ donationis præceptum inviolabile perseveret, sigillo nostri nominis insigniri jussimus. Signum domini et serenissimi regis Rodolphi. Anselmus, Domini regis cancellarius, hoc præceptum recognovit. Anno Incarnat. Dom. noningentesimo nonagesimo septimo (1), regni vero domini Rodolphi regis quarto. Actum in Agauno, vi id. Februarii.

XII.

E Chart. Lausann. *Radulfus rex Lausannensi ecclesiæ mediam villam Evonant restituit.* C

1009. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Rodulfus, divina favente clementia rex. Sanctas Dei ecclesias, a Deo devotis fidelibus viris constructas, eorumque eleemosynarum largitionibus locupletatas, dum nemo recte credentium abneget, æquum est nostrique præcipue officii proprium ut si qua eis aut violenta manus præsumptuose diripuit, aut forte valentior indiscrete et non jure austulit, regia auctoritate restituantur. Quapropter noverit sancta mater Ecclesia catholica, cum filiis suis vivis et victuris, qualiter ob animæ nostræ remedium humilesque petitiones Agaldrudis reginæ, conjugis nostræ dilectissimæ, necnon et petitiones Burchardi archiepiscopi, fratris nostri D cari, devotasque petitiones episcoporum Hugonis et Anselmi, comitumque Ruotulfi et Bertulfi, interventumque Henrici episcopi, nobis per omnia fidelissimi, reddidimus sanctæ Dei genetrici Mariæ ad episcopatum Lausannensem, cui ipse præest, videlicet medietatem *Evonant* villæ, sicut antiquis determinationibus illo appendebat, eo tempore quo antecessores nostri, causa ingruentium necessitatum, inde austulerunt. Sic illud reddimus, cum ecclesia superstante et vineis, et pratis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, omnibusque ad illam medietatem pertinentibus, in omnibus usibus, utilitatibus, sicut tuto quidam, quamquam injuste, visus est possidere, quousque vitæ regnique E nostri insidiator et præjudicatus impugnator quidquid in regno nostro habere visus est legibus amisit. Volumus etiam ut deinceps ad episcopatum Lausannensem subjectum illo serviat et Henrico episcopo, et illi quemcumque Deus ei subrogaverit per successionem æternam, nemine contradicente et inquietante. Situm est in comitatu. Unde hæc a nobis facta credantur, et a posteris nostris non infringantur, manu nostra roboravimus et sigillari jussimus. Signum domini Ruodulfi, regis piissimi. Pandulfus, cancellarius, recognovi. Data xv cal. Februarii, luna xxx, anno ab Incarnat. Dom. MVIII, regnante domino Ruodulfo rege, anno decimo septimo. Actum urbe.

(1) Lege 998, ut Georgio Guillelmo Zapfio placet, Monum. Anecd., t. I, p. 71.

XIII.

Radulfus rex ecclesiæ Lausannensi comitatum Valdensem dat. E recenti edit. (1).

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Ruodulfus, divina favente clementia serenus rex. 1011. Justis fidelium nostrorum petitionibus acquiescere consiliisque eorum, statui regno, nominis dignitati, honoris amplitudini, augmentis proficientibus, piæ voluntatis assensum, more antiquorum nos præcedentium regum, præbere utile justum ducimus et honestum. Unde notum sit omnibus ævi præsentis et futuri temporis fidelibus, qualiter ob animæ nostræ remedium locique Lausonnensis honorificentiam, ubi pater noster nosque post eum regalem electionem et benedictionem adepti sumus, insuper et petitiones Irmengardis reginæ, conjugis nostræ dilectæ, necnon et postulationes Burchardi, archiepiscopi, fratris nostri, et episcopi Hugonis, Anselmique episcopi, et ob servitia Heinrici, episcopi Lausonnensis ecclesiæ, donamus Deo et S. Mariæ ad episcopatum Lausonnensem et episcopo Heinrico, qui huic ecclesiæ præesse videtur, comitatum Waldensem, sicut ab antiquis terminationibus est determinatus, cum omnibus pertinentiis, in stopbariis, in exactionibus, in omnibus usibus et utilitatibus, legaliter et firmiter ad tenendum Lausonnæque perpetualiter permanendum, absque omni inquietatione et contradictione alicujus personæ. Ut hæc a nobis facta credantur, et a posteris nostris non infringantur, manu nostra firmando roboravimus et sigillo nostro jussimus insigniri. Signum domni Ruodulfi regis pii. Pandollus, cancellarius, recognovi. Data viii cal. Septembris, anno Incarn. Dom. MXI, indict. v, regnante domno Ruodulfo rege anno XVIII; actum Vivesci.

XIV.

Henricus IV imperator Burchardo episcopo amplas possessiones tradit. E recenti edit. (2).

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus, divina favente clementia, rex. 1079. Fide et veritate hominis gratia Dei, favor populi, munificentia regum, et largitate (3) omnium comparatur caritas. In quibus dum (4) nobis Burchardus, sanctæ Lausannensis ecclesiæ episcopus, præ ceteris placuit adjunctius, servivit diligentius, adhæsit familiarius, ejus tam acceptabile quam fidele servitium respeximus, et si quas ecclesiæ suæ res ut fit plerumque largius insumpserat et attriverat, ob remedium suæ nostræque culpæ supplevimus. Omnium ergo tam futurorum quam præsentium cognoscat industria, qualiter nos ea quæ dedimus sanctæ Dei genitricis Mariæ, prædictæ ecclesiæ auxiliatrici potentissimæ, prædia et curtes has, Muratum, Lustriacum, Carbarissam, Corise, Cubizaca, Leuco, Natres, et quidquid dux Adolphus (5), ob multas in nos regnumque nefandas præsumptiones, omni divina et humana lege tam vitæ quam rerum proscriptus et damnatus, quidquid vero ipse suique infra fluvium Samina et montem Jovis et pontem Genevensem et infra

(1) Comment. et Docum. ad Helvet. Rom. pertin. t. VII, p. 1.
(2) Ibidem, p. 3.
(3) Alias *largitatis*.
(4) Alias *dum venerabilis*.
(5) Alias *Rodulfus*.

montana Juræ et Alpium habuerunt, cum omnibus appenditiis, hoc est utriusque sexus mancipiis, areis, ædificiis, pratis, pascuis, terris cultis et incultis, silvis, venationibus, aquis aquarumque decursionibus, molis, molendinis, piscationibus, viis, in viis exitibus et reditibus, et cum omni utilitate quæ ullo modo inde provenire poterit, in proprio tradimus, tradendo firmavimus. Cujus traditionis testem hanc chartam scribi et propria manu corroboratam, ut supra videtur, sigillo nostro duximus insigniri. Signum domini Henrici IV, regis invictissimi. Gerhardus cancellarius et episcopus recognovi. Data anno Dom. MLXX (1), indict. II, anno vitæ ordinis domini Henrici IV, regis invictissimi, vicesimo quinto, regni vicesimo quarto. Spiræ acta feliciter, Amen. B

XV.

E Chart. Saviniac. *Pactum inter episcopum Lausannensem et abbatem Saviniacensem.*

1111. Noverit omnis ecclesia quod ego Geraldus, episcopus Lausannensis, et domnus Pontius, abbas Saviniensis, nostra admonitione convenientes, et quidquid quæstionis habuimus in medium proferentes, post multimodam disceptationem in hunc definitionis terminum consensimus, ut, si Lustriacensis ecclesia aliquid de alodio S. Mariæ dono seu vadimonio susceperat, hæredes pro modo rei liberam redimendi facultatem haberent; si autem hæredes deficerent, ego ipse, seu canonici nostri, idem facere possent, et hoc hactenus : de cetero autem non habeat jus quidquam de alodio S. Mariæ quoquomodo suscipiendi, absque consensu et laude nostra, atque capituli. In hac autem definitionum parte nosmetipsos eadem lege constringimus. De servis autem hoc promulgamus, ut quotquot Lustriacensis ecclesia possedit, eorum videlicet qui ex parte matris de familia S. Martini et a patre de familia S. Mariæ nati sunt, sicut usque modo tenuit, sic perenniter libere et absque calumnia teneat : deinceps autem non sic, sed æqua in omnibus divisio fiat, et nos quoque in hac parte eadem lex coerceat. Si quis vero de familia S. Mariæ in territorio S. Martini manet, illum ad modum cambiendi quandocumque voluerit concedimus facultatem. Quod si cambire non potuerit, in exactionibus nostris erga illos servabimus mediocritatem. Ego Geraldus, episcopus, in capitulo nostro, cum consensu clericorum nostrorum, hæc omnia confirmari et scribi jussi. S. Hugonis decani, testis. S. Vuitgerii, testis. S. Amaldrici, testis, et aliorum clericorum ac laicorum. Actum est hoc Lausannæ, anno ab Incarn. Dom. CXI, feria quarta, natalis S. Luciæ, luna decima. De sociis domni abbatis hi testes affuerunt : Girinus decanus, Wigo miles, Stephanus miles, Stephanus, Gauzerannus et frater ejus. Petrus. De Lausannensibus adhuc isti, Amaldricus testis, Turumbertus testis, Burchardus testis, et alii multi videntes et audientes.

XVI.

E Chart. Altæ Cristæ (2). *Guido, Lausannensis episcopus, fundationem Altæ Cristæ approbat.*

1134. Guido, Dei gratia Lausannensis ecclesiæ episcopus, dilecto filio suo Guidoni, abbati Cari Loci, salutem et paternam benedictionem. Jesu A Christi vices agere credimus in terris, ad nostrum profecto pertinere officium, omnes quidem pro viribus exaltare et tueri religiones, sed eam præcipue quæ in spirituali ac nuda paupertate consistit, hujus vanæ felicitatis nihil cupiens interius, et solis exterius necessariis contenta. Unde Guido, fili carissime, locum Altæcrestensem ad domum ordinis vestri construendum, assensu capituli nostri, per annuum censum unius libræ ceræ tibi concedimus, et in perpetuum libere possidendam episcopali auctoritate irrefragabiliter confirmamus, quantum videlicet ostenderunt monacho et fratri tuo Germano duo majores mei Petrus de *Chebres* et Gautherius de *Poidoux*, cum Uldrico, fratre suo, ex una parte, sicut extenditur semita de *Pallexiu* per pratum de Larsi usque ad pontem Ordeorum, et, ex altera parte, a ponte Ordeorum, sicut rivus ejusdem pontis dilabitur in *Corbiron*, et ab inde sicut *Corbiron* extenditur, et usuaria per totam terram meam. Confirmat etiam tibi nostræ sedis auctoritas quicquid datum, vel conferendum est prædictæ domui, de terris, de pratis, de aquis, de nemoribus, ad jus episcopale, sive casamentis ecclesiæ nostræ pertinentibus, et quicquid Bonus Filius de *Chebres*, laudante uxore sua cum filiis suis, dedit vel daturus est in Villari Gramonis. Confirmamus etiam tibi quicquid in manu mea domnus Amedeus *de Blonay* et Gautherius filius ejus, quicquid videlicet inter duas aquas *Biorde* et *Corbiron*, sub via quæ C ab *Ercotaux* per campos grangiarum tendit Lausannam, usuaria etiam per totam terram suam, et quicquid de feudo suo dedit, vel daturus est aliquis, et tractum *de Bay* singulis quintis feriis, a festo S. Andreæ usque ad Purificationem B. Mariæ. Si quis igitur contra hujus paginæ nostræ assertionem obviare præsumpserit, a sacratissimo corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi eum sequestramus, donec condigna satisfactione ad pœnitentiam redeat. Actum Lausannæ solemniter, in claustro B. Mariæ, sub his testibus, Ludovico *de Grauson*, Ameraudo decano, Conone de Rocha, Amarico decano, Richardo et Rogerio monachis Bellævallis, anno 1134.

XVII.

Charta fundationem Altæ Ripæ referens. E schedis Drozi (1).

Guido, Dei gratia Lausannensis episcopus, carissimo filio suo Guidoni, abbati Cari Loci, salutem et paternam benedictionem. Officii nostri multiplex exigit occupatio ut religiosorum virorum diligamus consortium, et utamur consilio. Cum enim Deum præ oculis habeant, falli siquidem possunt ex infirmitate conditionis, sed fallere nequeunt ex infirmitate religionis. Propterea, Guido, fili carissime, religionis vestræ consilium sitientes, tibi in diœcesi mea vestri ordinis abbatiam construere gratanter annuimus, ac nostræ E sedulitatis obsequium, quantum nostra permiserit occupatio, benigne promittimus. Fratribus ergo Deo et B. Mariæ in Alta Ripa servituris concedimus, et quod apostolica ordini vestro sancitum est auctoritate et nos prædictis fratribus auctoritate nostræ confirmamus paginæ; decimas videlicet laboris et totius nutrimenti eorum; præterea quidquid in manu mea concessit dominus Wilhelmus de *Glane* eisdem fratribus libere et quiete perpetuo possidendum, scilicet totam Altam Ripam, præter saccum frigidum, pesdum et cressimentum circumquaque in campis et in nemore, secundum quod divisum fuit monacho et

1137.

(1) Lege XLXXIX.
(2) Comment. et Doc. ad Helv. Rom. Spect., t. XII, part. 2, p. 1.

(1) T. LXIII, p. 45.

confratri tuo Germano, videntibus et testificantibus Wilhelmo de *Curtion* et Petro ministro, qui duo concesserunt quidquid ibidem habebant, laudante Hugone a quo prædictus Petrus habebat. Concesserunt etiam quidquid in eodem frigido pesdo habebant Nantelmus de Groslerio et Nantelmus de *Ecuvillens*. Præter hæc concessit dominus Wilhelmus triginta sex jugera cultæ terræ apud *Ecuvillens*, pratum d'*Ossel*, novem falcatas prati apud *Dampierre*, pratum *Molinvafin*, fabricas de S. Symphoriano, quidquid habet in *Unens*, si sine hærede legitimæ uxoris sæculum exierit. Concessit etiam in manu mea, quod quicumque de posse suo, causa conversionis, ad locum prædictum venire voluerit, liber veniat, cum tota substantia sua et allodio suo : similiter quidquid aliquis clericorum ad advocationem ejus pertinentium de terris, sive beneficiis, ecclesiæ suæ, prædictæ domui concedere voluerit, ei ipse concedit, si Lausannensis episcopi potuerit assensus haberi. Insuper et usimentum totius terræ suæ. Dedit etiam in manu mea Uldricus de *Neiruz*, laudantibus filiis suis, allodium suum de Sartari usque ad campos de *Matrens*. Confirmamus etiam prædictæ domui donum Nantelmi, filii Wilhelmi de Groslerio, et donum Wilenci de *Curtion*, qui dederunt quidquid habebant in Desalcio, coram Wilhelmo de *Glane*, Girardo de Ruverio, Petro presbytero; et donum Cononis de Porta, qui coram eisdem testibus dedit pratum Bennum; similiter et donum Wilhelmi clerici, qui dedit casale suum *d'Ecuvillens*, laudante Petro presbytero, et domino Wilhelmo de *Glane*, præsentibus et videntibus Wilenco de *Curtion*, Buamundo *Joram :* similiter et donum Wilenci de *Marly*, qui dedit quidquid habebat ad Portum, videntibus et testificantibus Germano monacho et Joanne presbytero de *Marly*. Ut autem de his quæ ad jus suum pertinent pauperum Domini sustentetur necessitas, concedimus prædictis fratribus per annuum censum trium solidorum, et, ut ratum permaneat, episcopali decernimus auctoritate, quidquid ecclesia de *Unens* habet in territorio ejusdem villæ in campis, in pratis, in nemoribus et usimentis, et decimas totius laboris et nutrimenti eorum in illo territorio et aliis territoriis eidem ecclesiæ adjacentibus; et hoc laudantibus Wilhelmo decano et Conone presbytero de *Unens*. Præter hæc, laudante Petro, presbytero de *Ecuvillens*, concedimus vobis per annuum censum sex denariorum duodecim jugera terræ, quæ possidet ecclesia de *Ecuvillens*. Anno ab Incarnatione Domini 1137, indict. xx. Actum solemniter apud S. Symphorianum. Testes Lambertus de Ponte, Pontius de Montefalcone, Guido de S. Symphoriano, Guido de *Poidus*, Giroldus Salterius, Bonus Filius et Uldricus ministri.

XVIII.

Ex edit. recenti (1).

Guidoepiscopus Lacui Jurensi Bellam Vuardam dat.

1140. Cum in gremio sanctæ matris ecclesiæ multi ceteris prædivites foveantur, et eos lex fidelium sustentare minus habentes admoveat, ego Guido, Lausannensis episcopus, quosdam Dei servos et scilicet abbatem de Lacu et concanonicos suos, quibus meæ possessionis impartiri particulam elegi. Noscant qui tam præsentes quam futuri, quod ego locum quemdam qui Bella Vnarda vocatur, in *Jurat*, ad ædificandam abbatiam eis dono, transfundo, et eorum voluntati alligo et

(1) Comm. et Docum. ad Helv. Rom. spectantia, t. I, prim. part. p. 174.

A adstringo : omnem et enim cultum, sive incultum, tam in terra quam in aquis et silvis, quod in usu proprio ibi possidebam, vel alii de me tenebant, sicut mons Gurgii et mons Guberti pendent et aquas jaciunt, scilicet quod vulgo dicitur *Forest*, illuc usque ubi quidam rivus cadit in aquam *Granet*, liberum, ab omni exactione solutum, eorum facio. Concedo quomodo in prædicto loco omnibus qui voluerint, exceptis nominatim excommunicatis, liberam et absolutam sepulturam. Factum est autem hoc donum VIII idus Martii, Lausannæ, in capitulo B. Mariæ ipsius ecclesiæ, canonicis concedentibus et laudantibus, et subscriptorum testimonio confirmatum. Arducius, Gebennensis episcopus et Lausannensis præposi- B tus testis; Moyses abbas testis; Richardus prior et Willelmus monachus, et canonici Emerardus decanus, Geroldus cantor, Petrus de Ponte, Algodus, Uldricus de *Corbeire*, Petrus et Petrus atab..., Hugo de *Jolens*, testes; Ludovicus decanus, qui quidquid parochialis vir infra supra scriptos terminos habebat ibidem coram prænominatis testibus ipsi abbati concessit et dedit. Amedeus, dominus de *Blonay*, quidquid in eodem loco, sive in advocatia, sive in decimis, possidebat, et insuper nominatam decimam de *Poysdor*, in manu mea ad opus eorumdem fratrum deseruit et reddidit, et hoc scripto restitui rogavit. Ego Guido, episcopus, testis, Emerardus decanus et Udricus de Corsi, et Richardus prior et Boso C sacerdos, Valcherius de *Poysdor*.

XIX.

Ardutius, Gebennensis episcopus, census dat Rivorii monialibus.

Ex edit. recenti (1).

Ardutius, sanctæ Gebennensis ecclesiæ minister. humilis, omnibus in Christo renatis. In perpetuum sacratis Deo virginibus, quæ, sub habitu religionis, pro opera sanctitatis Christo suo, ac benefactores suis assiduis vigiliis et orationibus eidem commendare student, beneficiis subvenire, et eas obnoxias nobis facere non modicæ felicitatis est. Inde est quod ego Ardutius, Gebennensis D episcopus, illam medietatem censuum casualium pratorum, quam in potestate de Chebri a domino Lausannensi episcopo tenui, pro remedio animæ meæ et antecessorum meorum, liberaliter donavi et contradidi S. Mariæ et sororibus de Rivorio, tam præsentibus quam futuris, et earum usibus in perpetuum profuturam. Hæc autem donatio celebrata est in manu domini Theoderici, abbatis de Lacu, ad cujus abbatiam claustrum de Rivorio pertinere dignoscitur, annuente et concedente domino Widone, episcopo Lausannensi. Hujus doni testes fuerunt Emeradus decanus et Giroldus cantor, Lausanneuses canonici, Petrus major de Chebri et filius ejus Raymundus, Galcherus conversus, Petrus de Dompero, Ulrichus et Joannes, E filius ejus, de *Poydoux*, Aimo prior de Rivoria. Actum est hoc anno ab Incarn. Dom. 1141, ind. IV, tempore Clementis papæ, regnante Luthcrio imperatore (2). 1141.

(1) Comm. et Docum. ad Helv. Rom. spectantia, t. I, p. 178.

(2) Annus 1141 indictionis revera quartus est ; sed imperiti oscitantisve librarii manus scripsit eo anno Clementem papam Lothariumque imperatorem vixisse. Clemens pseudo-papa anno 1100 decesserat, Lotharius imperator, Clementis minime coævus, anno 1137.

XX.

E Chart. Tel. *Guido, Lausannensis episcopus Telæ possessiones confirmat.*

1142. GUIDO, Dei gratia sanctæ ecclesiæ Lausannensis episcopus, dilecto filio suo Joanni, gratia Dei abbati omnibusque fratribus ibidem Deo servientibus in perpetuum. Quæ religionis studio et sanctitatis amore locisque Deo dicatis conferuntur convenit ut pontificali auctoritate et ecclesiastico munimine velut sanctum..... protegantur. Quamobrem Joannes, fili carissime, ecclesiam gratia Dei in honore beatæ Mariæ semper virginis constructam, in qua te, Deo auctore, dignum dispensatorem constituimus, sub nostra nostrorumque successorum protectione imperpetuum assignamus. Quod etiam apostolica potestate Cisterciensi ordini sancitum est auctoritate, et nos tibi tuisque successoribus auctoritatis nostræ successorumque nostrorum confirmamus pagina. Decimas videlicet totius laboris ac nutrimenti vestri. Præterea damus et confirmamus vobis terram in qua sita est abbatia, sicut prædecessor meus domnus Geroldus episcopus, laudante toto capitulo, Bernodo et etiam Borchardo fratre ejus de *Pulie*, reddentibus in manu ipsius quicquid in eadem terra juris habebant, Willelmo sacerdoti donavit pro annuo censu unius libræ ceræ in purificatione beatæ Mariæ reddendæ. A principio videlicet *Jorat* usque ad flumen Parjura, et ex alia parte a flumine *Mein* usque ad Chambcroniam, exceptis pratis hominum de Pullei, quæ tunc temporis infra terminos prænominatos erant exculta. Testes Narduinus prior Montisbenedicti, magister Anselmus Lingonensis, Ardutio præpositus, Emenradus decanus, Uldricus de Campania. Damus etiam vobis quamdam partem *Dasilen* ad vineam ædificandam, sicut Wacherus minister meus de *Poydors*, coram fratre suo Alberto et Giroldo et Haymone de *Poydors*, fratri Willelmo monacho divisit. Id est a planta mea usque ad feodum Cononis de Quantinm. Damus etiam vobis ipsam plantam, laudantibus illis qui eam plantaverunt. Testes Walcherus et Albertus de *Poydors*. Sed confirmamus vobis donum Cononis de Quantium, qui nostro assensu dedit vobis quamdam partem in eodem territorio, id est ab ea parte quam dedi usque ad plantam Walcheri de *Poydors*. Dedit etiam vobis ipsam plantam, laudante et donante ipso Walchero qui a prædicto Conone eam tenebat. Testes Falco de Quantium, Lodovicus dapifer, Albertus Carho. Hoc donum laudavit Wido, filius prædicti Walcheri. Testes Petrus villicus de *Chebre*, Uldricus frater Walcheri de *Poydors*. Confirmamus etiam vobis donum Lodovici dapiferi et uxoris suæ, Willelm. videlicet et Dalmasci, qui dederunt ecclesiæ vestræ quicquid habebant in supradicta parte *Dasilen*. Testes Emenradus decanus, Petrus de Ponte. Amadeus etiam de *Blonay*, laudante filio suo Willelmo, dedit vobis decimas prædictæ terræ quantum ad ipsum pertinebat. Testes Wido abbas Cariloci, Uldricus de *Bren*, *Rinnith* de Rumillei. Damus etiam vobis et confirmamus terram quæ sita est juxta abbatiam vestram, quam dedit vobis Amadeus, comes Gebennensis, coram conventu vestro in capitulo. Dedit etiam vobis pasturam pecorum per totam terram suam. Testes Emenradus decanus, Loduwicus et Willelmus dapiferi. Willelmus etiam et Albertus frater ejus de Pullei reddiderunt in manu comitis prædicti quicquid in prædicta terra juris habebant, et ipse dedit vobis illud, laudante filio suo Willelmo. Testes Haymo de Fulcinei, Loduwicus et Willelmus dapiferi. Terra autem prædicta terminatur sicut via de *Montmorin* pergit ad petram Agusoriam, et sicut dividitur terra de *Awines* a terra de *Jorat*. Ardutio etiam Gebennensis episcopus me præsente dedit vobis quicquid in prædicta terra habebat. Testes Herbertus Augustensis episcopus, Pontius abbas Bellævallis, Wido abbas Cariloci. Borcardus etiam et Dewinus frater ejus de Pullei dederunt vobis quicquid in prædicta terra juris habebant, pro annuo censu duorum solidorum in festivitate beatæ Mariæ reddendorum. Testes Rodulfus de Turri, Andreas sacerdos, Umbertus filius Bovonis. Præterea damus vobis et confirmamus terram de Montanun cum appendiciis suis, ubi Wido Barata dedit ecclesiæ vestræ in manu mea quicquid ibidem habebat, sicut via Visana pergit in *Jorat*. Testes Uldricus de Campania, Rainaldus de *Stavael*. Idem Wido Barata dedit ecclesiæ vestræ in finibus illis quamdam partem de *Jorat*, sicut videlicet rivus qui dicitur *Longefange* pergit in fluvium de *Montuis*, et sicut mons in fluvium de *Montuis* dependet, et sicut dividitur parvum nemus a magno usque ad terram de Montanun, et sicut aqua de *Montuis* intrat in fluvium de Thela, et sicut via sancti Ipoliti pergit in *Jorat*. Insuper et usus nemorum suorum, quotquot vobis fuerit necessarium in ædificiis construendis, et pascua pecorum per totam terram suam de *Jorat*. Testes Emenradus decanus, Symeon sacerdos S. Laurentii, Lodovicus dapifer, Girardus *li* marescalcus, Umbertus de *Botens*. Laudaverunt hoc donum uxor ejus et filii ejus. Testes Ingitius et Ogerius milites. Confirmavimus etiam vobis terram de Alodiis, quam dedit ecclesiæ vestræ prædictus Wido Barata, laudantibus uxore sua et filio Uldrico. Testes Landricus de *Vorflens*, Philippus de *Wilens*. Hoc donum laudavit etiam Willelmus, filius ejus, in domo vestra, coram fratribus et Philippo de *Wilens*. Landricus etiam laudavit hoc donum. Testes Humbertus de *Botens*, Petrus Bunugus. Damus etiam vobis in perpetuum tempus possidenda et confirmamus quæcumque ecclesiæ vestræ collata vel conferenda sunt apud *Cuzei*, ubi Raynaldus de *Stavael* et filius ejus Cono dederunt vobis quamdam partem montis ad grangiam faciendam, decimasque ejusdem terræ quantum ad ipsos pertinebat, et usamentum et pasturam per totam terram suam, pasturam pecorum insuper et usus nemorum suorum quotquot fuerit vobis necessarium, absque venditione. Testes Cono de *Morens*, Engitius de *Fraces*, Bovo de *Bussey*, Giroldus villicus de *Cuzei*. Sub eisdem testibus idem Giroldus dedit vobis quicquid juris in eadem parte montis.... abet donationibus et rebus quibuscunque fecit vobis vel facturus est supradictus Raynaldus. Idem etiam Giroldus, laudante uxore sua et filiis suis, dedit vobis quicquid habebat in Sagis et in terra de Destalum pro annuo censu quatuor solidorum in nativitate B. Joannis Baptistæ reddendorum, hac tamen conditione ut si ipse vel aliquis filiorum suorum in domo vestra sæculo renuntiaverit, præscriptus census exinde minime persolvatur. Testes Everardus sacerdos de *Cuzei*, Joannes decimator de Paterniaco, Rodulfus de Silva, Nantelmus de Bollo, Pontius de *Tornei*. Petrus et Wibertus frater ejus et mater eorum Magnutia dederunt vobis octo jugera terræ et pratum quod habebant subtus *Festignei*, et pasturam pecorum *des Pontet* usque ad *Mameres*, pro annuo censu duorum solidorum in nativitate beati Joannis Baptistæ reddendorum, tali tamen conditione ut si quis fratrum prædictorum in domo vestra sæculo renuntiaverit, census præscriptus ulterius non persolvatur. Testes Otto de *Treis*, Philippus

de *Marnant*, Ingitius et Dominicus de *Festignei*. Confirmamus etiam vobis donum Conradi de *Gardun*, qui dedit vobis terram de *Vallecheneve*, laudante uxore sua et filiis uxoris suæ Ottone et Willelmo, pro annuo censu duorum solidorum in festivitate beati Joannis Baptistæ reddendorum. Testes Rigaldus de Cormenho, Petrus de *Sedors*, Petrus de *Pontet*, Joannes decimator de Paterniaco. Alemannus de *Fonz*, laudante uxore sua et filiis suis, concessit vobis pasturam pecorum per totam terram suam. Testes Sifridus de *Mameres*, Amaldricus de *Evonant*, Uldricus faber de *Evonant*. Umbertus de Pringiei concessit vobis pasturam pecorum per totam terram suam. Testes Luduwicus dapifer, Willelmus de Suprapetram, Boimundus de *Bevais*. Hæc igitur et quæcumque auctore Deo ad præsens possidetis, vel in futurum possessuri estis, laudamus et concedimus vobis, præsentis decreti pagina confirmamus. Si qua igitur ecclesiastica sæcularisve persona sciens hanc nostræ diffinitionis paginam, vestræ ecclesiæ defensatricem, contra eam venire præsumpserit, eamque in quavis parte perfringere tentaverit, a sacratissimo corpore et sanguine Dei et domini nostri Jesu Christi aliena fiat, et in extremo examine districtæ ultioni subjaceat, nisi satisfactione quod temere peccavit emendaverit et ad pœnitentiam venire festinaverit. Actum Lausannæ in domo episcopali solemniter, XII calend. Febr., anno ab Incarnatione Domini M°C° quadragesimo ij. Epacta XXII. Indictione V. Ego Girardus abbas Altæripæ interfui. Moyses abbas Boni Montis testis. Abbas Borcardus Balernensis testis. Ego Petrus de Ponte cancellarius subscripsi. Ego Falco de Quantium testis.

XXI.

Fondatio Fontis Andreæ.

F. Monum. Hist. Novi Castri. 1143.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Wido, Lausannensis episcopus, quia pontificali cathedræ, divino auctore, licet indigni præsidemus, etsi omnibus nostræ diœceseos fidelibus, prout facultas suppetit, in communi prodesse debemus, circa illos tamen qui, abjecta mundi sarcina, felici naufragio ad placidum ac tranquillum contemplationis portum enatarunt præcipue invigilare decrevimus, quatinus pia vicissitudine ex eorum beneficiis aliquod nostræ imperfectioni subsidium comparemus. Notum igitur esse volumus tam futuris quam præsentibus, qualiter locum qui Fontana Andreæ dicitur, cum pascuis, piscariis et usualibus ad eumdem locum pertinentibus, ad consilium et ordinationem domini Wachelmi abbatis ecclesiæ Corneoliensis, dominus Richardus, abbas de Lacu Jurensi, laude capitis (1) sui et nostro assensu tradidit, ita duntaxat ut, singulis annis, fratres præfati loci ecclesiæ de Lacu, in festo S. Mariæ Magdalenæ, libram ceræ persolvant; hoc etiam interposito, ut abbas in eodem loco constituatur, qui cum subjectis sibi fratribus secundum regulam B. Augustini, ad tenorem Corneoliensis cœnobii vivat. Si vero abbas de Fontana Andreæ ab ordine et consuetudine Corneoliensis ecclesiæ deviaverit, abbas Corneoliensis super correctione sua bis tertiove eum commonebit. Quod si incorrigibilis apparuerit, episcopus Lausannensis, sub præsentia et testificatione abbatis Corneolii et duorum ejusdem ordinis coabbatum, in ecclesia Lausannensi, sine dilatione et reclamatione majoris audientiæ ordinis sui, transgressorem deponet : depositum vero episcopus Lausannensis ad ecclesiam Corneoliensem remittet, et alium idoneum canonica fratrum electione et abbatis Corneolii consilio e vestigio surrogabit. Abbas autem Corneolii, de quo prædictus locus, scilicet Fontana Andreæ, religionis hujus sumpsit exordium, ab omni illum temporalis commodi exactione, tam in præsenti quam in futuro, absolvit; ut vero ibi ordo teneatur invigilabit, et laboris sui mercedem juges ibidem orationes habebit. Ut autem fratres qui ad eumdem locum pro salute animæ suæ convenerint sine omni inquietudine soli Domino vacare possint, ab omni exactione, tam nostra quam ministrorum, illum absolvimus. Canonicam vero abbatum professionem et filialem obedientiam ac in synodo nostra illorum præsentiam, et assiduas orationes, nobis tam quam successoribus nostris in eodem loco retinemus. Præterea confirmamus eidem loco quæcumque bona impresentiarum possidet, vel in futurum oblatione fidelium, concessione regum vel principum, liberalitate Pontificum, seu aliis justis modis, acquirere poterit. Ut autem hæc rata et inconcussa in perpetuum maneant, hoc scriptum fieri jussimus et sigilli nostri impressione et testium subscriptione roborari præcepimus; et ne quis aliquid horum infringere temere præsumat, anathematis sententiam interposuimus.

Actum Lausannæ, VI cal. Martii, anno Incarn. Domin. MCXLIII, ind. VI, epacta III, concurrente IV. Signum Turumberti decani. S. Petri decani. S. Timerandi decani. S. Giroldi decani. S. Cononis canonici.

XXII.

Conradus II imperator Amedeo possessiones Lausannensis ecclesiæ confirmat. Ex edit. recent. (1).

1145.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Conradus divina favente clementia Romanorum rex secundus. Justitiæ diffinitio est constantem et perpetuam habere voluntatem tribuendi unicuique quod sibi jure competit. Quam virtutem cum omne hominum genus partim et natura, partim institutis regalibus edoctum, colere semper et exercere habeat, præcipue tamen regiæ dignitati concernit tale animi habitum immutabiliter induere. Eis autem personis nostra dignatio in omni pietatis et æquitatis defensione perpensiorem debet adhibere benevolentiam, quæ divinis sincerius mancipatæ sunt obsequiis et nobis in administratione regni sollicite agentibus et orationis mundæ beneficio, et veracis consilii subsidio, et indefessi laboris studio assistunt. Quapropter omnium, tam futurorum quam præsentium, noverit industria, qualiter nos, ob regni nostri firmam stabilitatem, et animæ nostræ nostrorumque parentum perpetuam salutem, necnon interventum et petitionem Amedei, venerabilis Lausannensis episcopi, eamdem Lausannensem ecclesiam sub nostræ defensionis patrocinio suscepimus, et omnes possessiones eidem ecclesiæ pertinentes, et nominatim Muratum, Lustriacum, Carbarissam, Corisc, Cubizacha, Leuco, Natres, et quidquid dux Rodulfus, ob multas in regnum tempore prædecessoris nostri Henrici imperatoris nefandas præsumptiones omni divina et humana lege tam vitæ quam rerum proscriptus et damnatus, et quidquid ipse suique infra fluvium Samina et montem Jovis et pontem Genevensem et infra montana Jurium et Alpium habuerunt, cum omnibus appenditiis, sicut in privilegio præfati Henrici con-

(1) Pro *capituli*.

(1) Comm. et Doc. ad Helvet. Rom. Spect., t. VII, p. 13.

tinetur, prædicto venerabili episcopo et ecclesiæ Lausannensi regia auctoritate confirmamus; præterea omnes donationes a Lamberto, qui eidem ecclesiæ utcumque præesse videbatur, de rebus ecclesiæ factas, viribus carere decernimus, edicto regali præcipientes ne aliqua persona, magna sive parva, de rebus Lausannensis ecclesiæ, occasione donationis Lamberti, quidquid retinere audeat; sed præfatus episcopus suique successores omnes res illas sine alicujus contradictionis molestia deinceps libere ac pacifice obtineant. Et ut hæc nostra confirmatio rata et stabilis permaneat, hanc inde chartam scribi et sigilli nostri impressione insigniri jussimus, et testes qui præsentes aderant subtus notari fecimus, quorum nomina hæc sunt: Henricus, Moguntinus archiepiscopus; Albero Trevirensis; Arnoldus Coloniensis; Burcardus Argentinus; Bucro Worm.; Sifridus Spirensis; Wibaldus Stabulis abbas; Ruothardus *Ewerat* abbas; Emicho Chonaugensis abbas; Fridericus dux Suevorum et filius ejus Fridericus; Dethelrichus comes de *Luxembor;* Emicho comes de *Lyninge;* Voppo comes de *Henniberg*.

Signum domini Couradi, Romanorum regis secundi.

Ego Alnodus, cancellarius, vice Henrici, Moguntini archiepiscopi et archi-cancellarii, recognovi. Anno Domin. Incarn. 1145, ind. VIII, regnante Conrado, Romanorum rege secundo, anno vero regni ejus octavo. Data est Wormatiæ. In Christo feliciter, Amen.

XXIII.

E Chartul. Tel. *Amedeus archiepiscopus multa Telæ data recenset.*

1147. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Amedeus, Dei gratia Lausannensis episcopus, quia pontificali cathedræ Deo patiente licet indigni præsidemus, etsi omnibus nostræ diœceseos fidelibus ex officio curæ pastoralis vigilantiam debemus impendere, circa illos tamen studiosius vigilare debemus qui, marcescibili flore labentis mundi calcato, felici naufragio ad placidum et optabile contemplationis portum enataverunt, quatinus pia vicissitudine aliquod imperfectioni nostræ subsidium comparemus. Notum sit igitur tam posteris quam præsentibus, quod Guido de *Gummens* terram, quam a domino Guidone episcopo prædecessore meo tenebat, annuentibus liberis ejus, in manu ipsius episcopi reddidit, eo quidem tenore, quatinus prædictam terram usibus pauperum ecclesiæ genitricis domui (1) de Thela profuturam ipse dominus Guido deputaret. Dedit etiam idem episcopus præfatæ ecclesiæ, benigno favore capituli sui, grangiam de *Jurat* cum appenditiis suis, pro censu unius libræ ceræ quoque anno in Purificatione B. Mariæ reddendæ. Dedit etiam vineam de *Dasiloi* cum circumstantiis suis omnino libere possidendam. Amedeus episcopus vineam quamdam, clausum Galteri de *Runens* appellatam, largitus est, laudante Rainmundo ejusdem villæ cum uxore sua, testantibus Guillelmo de *Scublens*, Lodovico dapifero, Guillelmo monacho, Alberto presbytero de *Runens*, et Guillelmo presbytero de *Vuarens*. Amedeus de *Blenai*, laudantibus filiis suis Galcerio et Guillelmo, nihilominus uxore Galcerii laudante, misericorditer dictæ ecclesiæ contulit decimam vinearum quas fratres excolere poterunt in *Dasiloi*, sub testimonio Guidonis abbatis Cari Loci, Radulphi de Rota, Oldrici de *Breu*, Gebroldi Rachis Gebennensis. Constantinus et Balduinus frater ejus de

A *Nuruls*, assentiente Amedeo comite Gebennensi, laudantibus etiam uxoribus, filiis et filiabus eorum, contulerunt mediam partem de *Vilar Alerenhc* censualiter pro tribus solidis, in Nativitate beati Joannis persolvendis. Hujus donationis testes sunt Lodovicus et Guillelmus de Lausanna, dapiferi, et Guillelmus minister de *Sotens*. Alaricus de Vilario Comitis et Cono frater ejus dederunt quamdam partem de *Conestun* pro censu trium solidorum quoque anno in Nativitate B. Mariæ reddendorum, testantibus Guidone de *Lucens*, Petro de *Nuruls*, laudante Humberto de *Consonai* et concedente quicquid in eodem territorio fratres poterunt adipisci; hoc etiam uxore, filiis et filiabus ipsius Humberti gratanter faventibus.
B Doni vero hujus testes sunt Guillelmus de *Saches*, Nantelmus de Superpetra. Guillelmus de *Scublens* et Cono frater ejus similiter totiens dictæ ecclesiæ contulerunt locum contiguum abbatiæ a terra S. Ipoliti usque ad terram de Cusi; et a plana via usque in fluvium Thelæ. Testes supradictæ donationis sunt Jordanus de *Sclepens*, Humbertus de *Morrens*, Martinus de Luseri. Remmundus de *Cerbre* quod habebat in vineis de *Dasiloi* libere præfatæ donavit ecclesiæ, et quæsituram piscationis ejus penitus ei remisit, testantibus Petro de Lustriaco, Galcerio et Alberto de *Poidor*. Sub eisdem vero nominatis testibus Petrus de Lustriaco dedit pasturam per totam terram suam ad usus pecorum ecclesiæ. Ut autem hæc in perpetuum
C rata et inconvulsa permaneant, præsente chartam impressione imaginis nostræ et testium subscriptione roborari voluimus. Et ne quis aliquid horum infringere præsumat, anathematis sententiam interposuimus. S. Guillelmi de Blena, S. Zachariæ, S. Ezmenradi, S. Petri, decanorum, S. Uldrici de Campania, S. Hugonis de *Jolens*, presbyterorum. Actum anno Dominicæ Incarnationis M°C° quadragesimo septimo. Indictione decima. Epacta septima decima. Concurrente secunda.

XXIV.

Manno, abbas Altæ Cristæ, cum Burchardo de Domno Martino paciscitur. E Chart. Altæcr.

D Ad notitiam tam præsentium quam futurorum pervenire volumus, quod Buchardus de Domno Martino et fratres ejus Uldricus sacerdos, et Willelmus, et Albertus, annuatum censum quem habebant in grangia de Pineto primum invadiaverunt fratribus de *Altcrest*. Postea placuit omnibus ut omnino darent prædictis fratribus de *Altcrest*, et de suo proinde acciperent. Buchardus viginti duo nummos invadiaverat pro duodecim solidis; postea habuit quindecim, et omnino dedit, tam ipse quam uxor et omnes pueri ejus. Uldricus sacerdos et Willelmus, frater ejus, partem sui census invadiaverant pro quindecim solidis, et deinde
E habuerunt alios quindecim, et omnino dederunt. Hoc laudavit uxor Guillelmi, et omnes filiæ ejus. Albertus similiter invadiaverat partem sui census pro septem solidis et sex nummis; deinde habuit a fratribus septem solidos et sex nummos et dedit omnino, et uxor ejus. Et si fratres de *Altcrest* inde calumniam habuerint, garentiam portabunt contra omnes. Hoc factum est ante ecclesiam Domni Martini, coram his testibus, Joanni abbate, Radulfo converso ejus de Tela, Bomnudo milite de Villa et Ulrico monacho, et Conone fratre de *Altcrest*, et duobus filiis *Sibor* de Domno Martino, Alberto et Uldrico, et Humberto cliente Buchardi de Louna. Et ipsimet promiserunt se ferre testimonium bona fide. Sed quod tunc non circa 1150.

(1) Forsan *Domini* loco *domui*.

aderant filiæ Willelmi in eadem die, Willelmus tres filias quas habebat in grangiam de Pineto in vespere duxit, et ibi laudaverunt, et abbas Magno illis tribus dedit agnum unum in testimonium, quem ante se duxerunt. Inde sunt testes prædictus Bonnudus miles et duo prædicti filii *Sibor* et Ulricus monachus, et Humbertus de Lonna et Thorencus et Anselmus de *Sothens*.

XXV.

E Chart. Tel.

Amedeus Telæ collata jura sancit.

1154. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ego Amadeus, Lausannensis ecclesiæ minister humilis. Ex officio curæ pastoralis nobis incumbit circa subditos paternæ pietatis affectu vigilare, et ne quis eorum quorumlibet perturbetur incursu modis omnibus providere. Notum igitur volumus fieri, tam instantibus quam posteris, quod Mainerus de Parli et filii sui, pro remedio animarum suarum, sese et sua Deo et ecclesiæ B. Mariæ de Thela contulerunt. Cujus rei testes fuerunt Humbertus sacerdos de Parli, Landricus miles. Raimmundus, ejusdem villæ incola, se ipsum et terram suam prædictæ dedit ecclesiæ. Inde testes fuisse dinoscuntur Uldricus sacerdos de *Vilar*, Martinus et Ascelinus frater ejus. Hamericus, ejusdem villæ miles, et Cono frater ejus se et quicquid in eadem villa possidebant prædictæ dederunt ecclesiæ. Georgius etiam et mater sua sese et possessiones quas habebant in eadem villa, præfatæ nichilominus ecclesiæ donaverunt. Cujus doni testes fuisse dinoscuntur Guillelmus prior et decanus Lausannæ, Landricus miles de Parli. Guillelmus quoque de *Fai* supradictæ dedit ecclesiæ totum alodium quod in eadem habebat villa, præter illud quod casalibus erat attributum. Hoc vero factum est assensu et laudamento uxoris ejus et filiastræ suæ. Inde testes habentur Martinus de *Vilar*, Haimmo de *Hastens*, Hugo de *Sals* et Landricus frater ejus. Uxor Alexis et filii ejus terram quam in prædicta villa libere possidebant simili modo memoratæ largiti sunt ecclesiæ, excepto quod in festo S. Joannis pro jam dicto dono decem eis denarii persolvuntur. Cujus rei testes fuerunt Petrus major, frater Bertini, Amaldricus frater ejusdem mulieris, quæ hoc donum fecisse dinoscitur, Dodo quoque et Ascelinus frater ejus, Rainaldus filius Alberti de *Gummens*. atque Paris armiger Uldrici de *Gummens*. Bartholomæus præfectus de Bellomonte, ad cujus dominium prædicta villa spectare dicebatur, uxor quoque ejusdem et filius suus Ebalus laudaverunt, et laudando pacti fuerunt, quod quicquid domus de Thela impræsentiarum in toties dicto territorio et villa de Parli possidebat, vel deinceps quibuscumque justis modis posset adipisci, eidem domui conservaret, et si quis ipsam domum inquietare vel perturbare præsumeret, ipse defensor ejus et adjutor existeret. Quod si forte quivis familiæ suæ damnum domui de Parli inferret, hoc audito domnus Bartholomæus damnum ex integro restitueret. Ceterum si ablata nollet vel differret resarcire, ipse Bartholomæus, ex quo domnus abbas de Thela sive nuncius ejus eum commoneret, in castro Bellimontis obses tamdiu remaneret quo usque damnum illatum redintegraret. Præterea pepigit quod adversus suos et quoslibet extraneos ipsam domum vivaciter defendere studeret et manutenere. Ne autem hoc violari liceat, ipse dominus Bartholomæus, Uldricus quoque de *Gummens*, Soldanus de *Chesnus* et Cono filius ejus, Paganus minister, tactis sacrosanctis reliquiis, juraverunt, quod si prædicta pactio violaretur, post admonitionem factam ab abbate vel nuntio ejus, tam ipse quam prædicti juratores, si non emendarent clamorem auditum, absque mora in castro Bellimontis obsidionem tenerent. Præterea concessit fratribus abbatiæ de Thela per omnem terram suam pasturas et usamenta, eo tamen tenore quod si quid damni cuiquam in eundo vel pascendo facerent, ipsum damnum re comperta repararent. De ista donatione et pacto dictum fuit et confirmatum, quod si quid horum ipse Bartholomæus defraudaret, tota terra sua teneretur in banno quoad usque de illatis injuriis satisfaceret abbati et fratribus suis. Testes supradictæ pactionis et doni fuerunt Guillelmus prior atque decanus Lausannensis, Uldricus de *Fons*, Hugo de S. Desiderio, Uldricus sacerdos de Auriniaco, Hugo monachus de *Bienvilar*, Nathelmus miles de Rocha, Trumbertus de Rogano, Lambertus atque Rainaldus de *Spinles*, Rodulphus de Pantheroia, Henricus miles de *Gummens*, qui in villa de Parli dimidiam partem decimæ quam jure hereditario possidebat fratribus de Thela pro remedio animæ suæ penitus concessit, et remisit omnem decimam quæ ipsi Henrico de labore et agricultura fratrum competebat. Concessit etiam eis et dedit quod ubicumque prædicti fratres terram excolant, unde ipsi Henrico decima persolvi debeat, iidem fratres decimam sibi retineant. Inde testes fuisse dinoscuntur Cono de *Hastens*, Albertus frater ejus, Haimmo de *Heslens*, Thomas cognatus Haimonis, Albertus Berterus, Rodulfus et Guillelmus de Pantheroia. Ut autem hoc donum ratum et inconvulsum perduret, præsentem chartam fieri factam imagine nostri sigilli bullari fecimus. Actum anno Verbi incarnati millesimo centesimo quinquagesimo quarto, ind. secunda, epacta quinta decima, concurrente quarto.

XXVI.

Adrianus papa IV Altam Cristam protegendam suscipit. E Chart. Altæcres.

Adrianus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Mannoui, abbati monasterii de *Altocrest*, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : locum in quo ipsa abbatia sita est, cum terra eidem abbatiæ contigua, asientias et usamenta per totam terram Lausannensis episcopatus, grangiam de *Altocrest* cum appenditiis suis, terram Villarii Gramonis et terram de Calvata, grangiam de Sale cum possessionibus suis, et quidquid habetis ex dono Amedei de Blonaio et Gualcherii filii ejus inter duas aquas Burdæ scilicet et *Corbiron*, usamenta per totam terram suam, et quicquid de feudo eorum rationabiliter acquirere potueritis, et tractum de *Bai* singulis quintis feriis a festo S. Andreæ

1155.

usque ad Purificationem S. Mariæ, et vineas de Rivoria, grangiam de Sartis cum possessionibus suis, terram de Dosa, terram *Froschais*, pratum Leporinum, nemus usque ad fontem montis *Chiblin*, terram de *Castellens*, et partem illam nemoris de *Orons* quam Hugo, prior S. Mauritii, dedit, terram quam habetis ex dono Guarnerii de Palaziolo et avunculi ejus Baldradi, vineas et terram de *Desale*, quam habetis ex dono venerabilis fratris nostri Amedei, Lausannensis episcopi, et prædecessoris ejus Guidonis ad faciendas vineas, grangiam de *Pinoi*, cum appenditiis ejus, tres partes terræ de Villare *Cothonoi*, et villare *Abonoi*, grangiam de *Boloch* cum appenditiis suis, terram quam habetis ex dono Durandi de Monticulis et Alberti fratris ejus, et terram Alberti de *Willerens*, decimas præterea quas venerabilis frater Amedeus, Lausannensis episcopus, et Guido prædecessor ipsius vobis et ecclesiæ vestræ dederunt, auctoritate apostolica confirmamus. Decernimus ergo ut nulli hominum liceat supradictum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia et integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Si quæ igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Adrianus, catholicæ ecclesiæ episcopus, S.
Ego Guido, presbyter cardinalis titul. S. Grisogoni, S.
Ego Arbaldus, presbyter cardin. tit. S. Praxedis, S.
Ego Manfredus, presbyt. card. tit. S. Luciæ, S.
Ego Aribertus, presb. card. tit. S. Anastasiæ, S.
Ego Imarius, Tusculanus episcopus, S.
Ego Odo, diaconus card. S. Gregorii ad velum aureum, S.
Ego Leucius, Portuensis et S. Rufinæ episcopus, S.
Ego Gregorius, Faranensis episcopus, S.
Ego Guido, diac. card. S. Mariæ in Porticu, S.
Ego Gerardus, diac. card. S. Mariæ in Via Lata, S.

Datum Romæ apud S. Petrum, per manum Rolandi, S. Romanæ ecclesiæ presbyter icardinalis cancellarii, xi cal. Maii, indict. iii, Incarn. Domin. anno MCLV, pontificatus vero domini Adriani papæ IV anno primo.

XXVII.

E Chart. Altacr.

Judicium de tertia parte prædii Castellens.

1157. Quum ea quæ dicuntur nullius constant esse momenti, nisi certa ratione et memorabili stabilitate firmentur, idcirco compositionem illam diu agitatæ controversiæ inter abbatem S. Mauritii et abbatem de *Altcrest* ne oblivione deleatur qualiter sit terminata, ut manifesta omnibus fieret et ob hoc certa fiat, necessarium scribere duximus. Abbas itaque S. Mauritii tertiam illam partem terræ de *Castellens*, quam rogatu felicis memoriæ papæ Eugenii, et Bernardi, abbatis Claræavallensis, fratribus de *Altcrest* datam fuisse negabat, in pace et quiete imperpetuum tradidit possidendam; tamen eamdem terram ab his qui eam tunc tenebant usque ad calendas Maii extorquere posset: quam si posset recuperare, laudante capitulo suo, scripto confirmare et sigillo proprio communire deberet. Quod si hoc usque ad prædictas calendas facere non posset, ad arbitrium Torenci de *Illens*, Bochardi de *Granges*, Duranni de *Scotals*, aliam terram, convenienti loco, domui de *Altcrest*, positam, et supradictam partem terræ de *Castellens* valentem eodem modo tradere et concambire deberet (1). Si vero nec hoc quidem facere vellet, vel negligeret, fratres de *Altcrest* primum concambium, pro eodem censu quem prius debebant, reciperent, et tandiu tenerent donec abbas S. Mauritii memoratam tertiam partem terræ de *Castellens* supra dictis fratribus in pace et quiete redderet possidendam. Quod si infra dictas calendas ob hoc fratres de *Altcrest* aliquid perderent, abbas S. Mauritii ex integro restituere debet. Sed et illam terram quæ aggere cingitur imperpetuum possidendam contradidit, pro censu duarum librarum ceræ, in festivitate B. Mauritii reddendarum; quæ, ob memoriam pacti et convenientiæ hujus in cereis transformata, ante illius venerabilis ecclesiæ sacrosanctum altare, ad missas diei illius festi ardere debet. Hæc autem compositio facta est per manus Petri, archiepiscopi Tarentasiensis, Amedei, episcopi Lausannensis, anno ab Incarn. Dom. MCLVII, regnante Frederico imperatore. Testes adfuerunt Emmerradus et Giroldus decani, Huldricus de *Fons*, et magister Anselmus, canonici. Datum Lausannæ, per manus Giroldi cancellarii, vi cal. Septembr.

XXVIII.

Amedeus, Gebennensis comes, Altæ Cristæ possessiones, in dominio suo sitas, confirmat. *E schedis Droz.* (2).

Amedeus, Dei gratia comes Gebennensis, Manno, abbati Alti Crestensis, omnibusque fratribus ibidem servientibus eorumque successoribus in perpetuum. Res comitum tunc fideliter ac prudenter dispensari creduntur, cum in usus pauperum Christi expenduntur, et ad necessitates servorum Dei supplendas disponuntur. Unde ego necessitatibus ecclesiæ vestræ providere, inopiamque vestram aliqua ex parte supplere dispono, quatenus orationibus vestris a malis præsentibus eruar, et per Dei misericordiam vitæ æternæ socier. Tibi igitur tuisque fratribus in Alto Crestensi Deo servientibus, vestrisque successoribus, do et concedo, et sigilli mei impressione confirmo, omnia usuaria tam in nemoribus quam in agris per totam terram meam. Insuper confirmo pacem firmam in omnibus possessionibus et tenoribus vestris, videlicet in terra Warnerii *de Paleisul*, quam habet pro censu quinque modiorum frumenti, in terra *Dorac* (3), in Sartis, in Pyneto, in villari de *Boneul*, et in omnibus usuariis de *Jorat*. Quam si quis fregerit, pacem meam non habebit, donec mihi et fratribus nostris de Alto Crestensi congruam satisfactionem fecerit. Hoc actum est Lausannæ, juxta monasterium S. Mariæ, in præsentia Landrici episcopi, 1162.

(1) Sic, ut videtur, legendum : « Aliam terram, convenienti loco positam, et supradictam etc., etc., domui de *Altcrest* eodem modo tradere et concambire deberet. »
(2) T. XLIII, p. 60.
(3) Alias *Dose*.

qui hoc laudavit, et Guillelmi *de Blonai*, decani, et Geroldi, decani, et Emelradi, decani, et Ulrici *de Fonz*, et Willelmi *de Scublens*, et Lodoici, Dalmatii et Amaldrici, dapiferorum, Nicolai et Widonis de Moldone, vice-dominorum. Hi omnes testes sunt. Anno MCLXII, regnante Frederico imperatore.

XXIX.

E rec. edit. (1). *Landricus episcopus donationem Altæ Cristæ ab Amedeo factam confirmat.*

1165. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego, Landricus, de gratia Dei Lausannensis episcopus, dilectis fratribus *Alcrest* rei gestæ veritatem in perpetuum. Res et possessiones pontificum recte tunc ordinantur, cum in usus pauperum distribuuntur; ideoque ego Landricus, Lausannensis episcopus, donum et eleemosynam quam fecit domui de *Alcrest* fratribusque ibidem Deo servientibus prædecessor meus, bonæ memoriæ, Amedeus Lausannensis episcopus, laudo et concedo; scilicet tredecim annuales solidos quos Uldricus minister noster Bonifilius de Chebra annuatim, remota omni frustatoria occasione, de officio ministerii sui tandiu reddere debetur, usque dum censum quem eidem Uldrico prædicti fratres debent duorum modiorum frumenti, et avenæ duorum modiorum, alibi persolvendorum. Et ut hoc ratum et inconcussum permaneat, sigillo domini Petri, Papiensis episcopi et legati Romani, et impressione sigilli nostri munio et corroboro. Actum hoc solemniter in logia quæ est ante domum meam Lausannæ, præsentibus et laudantibus dapiferis meis Lodoico et Dalmatio et Petro *d'Esculens*, qui hujus rei testes sunt. Præter istos sunt adhuc testes Petrus, prædictus legatus, et Joannes abbas de Tela, et Stephanus monachus de Alta Cumba; anno vero Domin. Incarn. 1165, ind. XIII. Hoc autem factum est regnante Frederico imperatore, Bertulfo rectore Burgundiæ.

XXX.

E schedis Droz. (2). *Institutio canonicorum regularium S. Augustini in ecclesia S. Marii Lausannensis.*

1168. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Arducius, sanctæ ecclesiæ Lausannensis præpositus, universusque canonicorum conventus, præsentibus et futuris in perpetuum. Nihil in homine Christiano detestabilius esse deprehenditur, quam si propositum vitæ districtionis quod in se habere ex humana imbecillitate non valet, in alio detestetur, et ascensiones virtutum, quas in corde suo disponere non appetit, in alieno contemnat. Alia profecto bona merita nostra facere possumus, si ea in aliis diligemus, et eis perficiendis congrua adminicula non subtrahamus. Inde nimirum est quod præmia divinæ retributionis attentius contemplantes, eximium quoddam pietatis opus ac devotionis prædecessorum nostrorum, hujus videlicet ecclesiæ canonicorum, prudenter inchoatum, sed usque ad tempora nostra quibusdam impedimentis aliquatenus turbatum, divina favente clementia ad debiti status integritatem perducere, et ei competentem stabilitatis ordinem assignare desideramus. Institutionem itaque canonicæ professionis in ecclesia S. Marii, quæ de jure capituli nostri esse dignoscitur, tam a prædecessoribus nostris quam a nobis factam, efficacem et

A ratam esse volumus, et modis omnibus approbamus, et ut in ea canonici regulares secundum regulam B. Augustini perpetuo Deo deserviant firma in perpetuum et valitura stabilitate et unanimi consensu quemadmodum dispositum est confirmamus, salva in omnibus in institutione domini Petri, venerabilis Papiensis episcopi, et apostolicæ sedis legati, quam nobis et ecclesiæ S. Marii perpetuo observandam scriptura interveniente mandavit; ita scilicet ut decedente priore, seu abbate, si ad illum statum ecclesia pervenerit, libera et canonica de canonicis regularibus ejusdem ecclesiæ S. Marii electione celebrata substituta persona, in capitulo matricis ecclesiæ, episcopo et canonicis præsentetur, consensu communi et auctoritate tam episcopi quam capituli omni exactione cessante confirmetur, confirmata vero episcopo debitam obedientiam et capitulo fidelitatem compromittat. Ut autem hujus nostræ devotionis sinceritas plenius elucescat, et copiosius augeatur, præfatam ecclesiam S. Marii beneficiis ampliare cupientes, præbendas decedentium canonicorum nostrorum a die obitus usque ad anniversarium diem pro redemptione animarum nostrarum eis ex integro concedimus, statuentes quatenus, ut moris est, continuis triginta diebus et postmodum singulis septimanis specialiter pro defunctis canonicis nostris usque ad anni circulum missas celebrare non desistant: unam quoque præbendam prioribus seu abbatibus præfatæ ecclesiæ, tam de præsenti quam in futurum perpetuo substituendis, in ecclesia matrice concedimus, et eum hebdomadarium cum reliquis sacerdotibus ecclesiæ nostræ canonicis, submota omni licentia pro se vicarium interponendi censemus. Ecclesias etiam quas concessione nostra jam dicta ecclesia B. Marii possidere dignoscitur, videlicet ecclesiam de *Donesie*, cum decimis et appenditiis suis, ecclesiam Vilari Comitis et ecclesiam de *Vuirul* et ecclesiam de Corevone cum decimis et appenditiis earum, et terram de capella Waldana, decimas quoque seu quæcumque alia prædia, tam in vinis quam in agris et pratis, sive ædificiis, quocumque titulo ex largitione nostra percepit, approbamus et præsentis scripti testimonio confirmamus. Porro ad insinuandam reverentiæ observantiam et subjectionis integritatem, qua sæpe dictam ecclesiam S. Marii matrici ecclesiæ constat esse adstrictam, statuimus ut canonici regulares in præcipuis festis et in solemnitatibus beatæ Virginis Mariæ et in rogationibus ad matricem ecclesiam cum solemni processione conveniant, quatenus ex eorum præsentia et ecclesia decoretur et obsequium divini cultus celebrius peragatur. Nos quoque, ad majorem devotionis ostensionem, eis processionem in natalem S. Marii, in vesperis et in missa persolvendam, concedimus, et eodem die convivium, refectionem, pro ipso situ loci, quam alio tempore reddere consueverant, in posterum exhibendam consentimus: ad majoris insuper familiaritatis cumulum, statuimus ut ad sepeliendos canonicos nostros cum processione canonici S. Marii conveniant, et nos ad eorum canonicos sepeliendos conveniamus. Sed ne tenor hujus nostræ dispositionis cujuscumque versutia seu machinatione queat labefactari in futurum, rei gestæ seriem innotescendam hujus scripturæ testimonio commendamus, et sigilli nostri impressione communimus.

Actum est hoc in capitulo Lausannensi, anno Incarnationis Dominicæ 1168, indict. II, epacta IX, concurr. I, cal. Martii, luna septima, feria sexta, præsidente domino Arducio, præposito nostro, venerabili Gebennensi episcopo; præsentibus etiam canonicis, videlicet Wiberto et Ai-

(1) Comm. et Doc. ad Helvet. Rom. spectantia, t. I, p. 196.
(2) T. XLIII, p. 64.

mone sacerdotibus, Eimrado decano, Gerotta decano et præcentore Wilhelmo de *Bluinar* decano, Ulrico decano et thesaurario, Ottone decano, Petro cellelario, Petro dapifero, Anselmo magistro, Richardo magistro.

XXXI.

E schedis Droz. (1). *Landricus episcopus Altæ Ripæ ecclesiam S. Petro sacram dat.*

1173. Landricus, Dei gratia Lausannensis episcopus ecclesiæ, dilecto filio Guillelmo, venerabili abbati Altæ Ripæ, omnibusque ibidem Deo servientibus eorumque successoribus perpetua pace et consolatione gaudere. Quia Christi vices in Ecclesia Dei agere credimur, subditis nostris prodesse magis quam præesse ipsius exemplo debemus; illis tamen præcipue pastoralis prospicere debet auctoritas, qui, sibi nihil Christo carius æstimantes, omnia pro ipso postposuere, atque nudi nudam ejus crucem portare proposuere. Quapropter, Guillelme fili carissime, pacem tuam, omniumque tibi secundum Cisterciensis ordinis rationem vicissim succedentium quietem omnimodis sitientes, insuper utilitati vestræ paterno consulentes affectu, totam ecclesiam de S. Petro, cum omnibus quæ possidet, tibi tuisque successoribus monachisque in ecclesia de Alta Ripa Deo et B. Mariæ servientibus in perpetuum donamus, et ne per possessorem hujus ecclesiæ, videlicet de S. Petro, aliqua in posterum insectatio oriatur, tibi tuisque successoribus hoc juris in prædicta donamus ecclesia, ut nulla detur nisi sacerdoti qui vestrum consilium suum honorificare studuerit ministerium ecclesiam teneat (2); alioquin ad vestrum imperium eam dimittat, et vestro iterum assensu alius qui dignus subrogetur. Hæc igitur et quæcumque auctore Deo ecclesia Altæ Ripæ possidet nunc, vel in posterum legitime possessura est, sub nostri successorumque nostrorum muniminis clypeo protegenda atque conservanda auctoritatis nostræ pagina sigillique nostri impressione confirmamus. Testes sunt Geroldus, decanus de Lausanna, Cono *d'Escuwillens*, Otto de *Puliez* et Petrus de S. Petro sacerdotes, Nanthelmus prior de Rubeo Monte, Hugo clericus de *Bittens;* Theodoricus prior, Julianus, Cono et Henricus monachi de Alta Ripa. Actum anno Incarn. Dom. 1173, concurr. VII, et epacta IV.

XXXII.

E Telæ Chartul. *Bulla Alexandri papæ III in gratiam Telensis abbatiæ.*

1177. Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Joanni, abbati monasterii de Tela, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacra religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium, in quo divino mandati estis obsequio, sub B. Petri et nostram protectionem suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Dei et B. Benedicti regulam atque in-

A stitutionem Cisterciensium fratrum in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; grangiam de *Vilar Alyerant;* grangiam de *Montunum*, cum appenditiis suis; ecclesiam et grangiam de *Cuzie*,
B cum appenditiis suis; ecclesiam et grangiam de *Parlye*, cum appenditiis suis; grangiam de *Buirum*, cum appenditiis suis; grangiam de *Boslens*, cum pertinentiis suis; grangiam de *Bussens*, cum appenditiis suis; cellarium de *Pringens*, cum appenditiis suis; cellarium de *Daseley*, cum pertinentiis suis; vineas de Manso; grangiam de *Joret;* terram de *Sugnens;* terram de *Munens;* terram de *Junières;* grangiam de *Chevressei*, cum appenditiis suis; terram S. Andreæ; terram de *Lavirum*. Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna diligentia providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ut nullus infra clausuram locorum, seu grangiarum vestrarum, violentiam facere, rapinam, seu furtum committere, aut ignem ap-
C ponere, vel homines capere, seu interficere audeat. Liceat etiam vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e sæculo fugientes ad conversionem vestram suscipere, et eos absque ullius contradictione in vestro collegio retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam in loco vestro professionem, sine licentia abbatis sui fas sit de claustro discedere; discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus a vobis decimas præsumat exigere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus posses-
D siones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed et illibata omnia et integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si quæ igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ
E ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud distinctum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Alexander, catholicæ ecclesiæ episcopus, S.

Ego Ildebrandus, basilicæ XII Apostolorum presbyter cardinalis, S.

Ego Joannes, presb. card. tit. S. Anastasiæ, S.

Ego Boso, presb. card. S. Pudentianæ, tit. Pastoris, S.

Ego Theodinus, presb. card. S. Vitalis, tit. Vestinæ, S.

Ego Petrus, presb. card. tit. S. Suzannæ, S.

(1) T. XLIV, p. 123.
(2) Corruptus sane locus.

Ego Hubaldus, Ostiensis episcopus, S.
Ego Guilterius, Alemensis episc., S.
Ego Guillelmus, Portuensis et S. Rufinæ episc., S.
Ego Manfredus, Prænestinus episc., S.
Ego Jacobus, diaconus card. S. Mariæ in Cosmedino, S.
Ego Ardicio, diac. card. S. Theodori, S.
Ego Hugo, diac. card. S. Eustachii juxta templum Agrippæ, S.
Ego Hugo, diac. card. S. Angeli, S.
Ego Raynerius, diac. card. S. Georgii ad velum aureum, S.

Datum Ferrarii, per manum Gratiani S. Romanæ ecclesiæ subdiaconi et notarii, VII cal. Maii, ind. x, Incarn. Domin. anno MCLXXVII, pontificatus vero domini Alexandri papæ III anno decimo octavo.

XXXIII.

E Monum. Novi Castri.

Landricus, Lausannensis præsul, Fonti Andreæ quasdam decimas concedit.

1177. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Landricus, Dei gratia Lausannensis ecclesiæ episcopus, Wilhelmo abbati S. Michaelis de Fontana Andreæ et fratribus ejusdem loci in perpetuum. Notum tam præsentibus quam futuris fieri volumus, quod decimas de Fontana Andreæ et de Champreveiro et de *Chaceres*, quas ejusdem loci fratres de propriis suis agris, sive de vineis, ecclesiæ de *Arins* singulis annis reddere debebant, eisdem fratribus habendas concessimus; Theodorico quoque S. Imerii præposito et prædictæ ecclesiæ de *Arins* plebano et Lausannensis ecclesiæ decano consentiente, et pro eodem apud nos intercedente : ita videlicet ut iidem fratres de Fontana Andreæ ecclesiæ de *Arins* singulis annis septem solidos pro jam dictis decimis persolvant. Testantibus Gualtero abbate de Lacu, Giroldo abbate de Balelaia, Theophano priore de Lacu, Petro priore Fontis Andreæ, Rembaldo canonico de Balelaia, Rodulfo canonico Grandisvallensi, Pontio Lausannensis ecclesiæ decano, Constantino capellano de Columberio. Quicumque autem huic nostræ auctoritati contrarius esse voluerit, vinculo anathematis donec satisfaciat eum perpetuo ligamus. Hoc factum est in Balelaia, Alexandro existente papa, Frederico regnante, VIII cal. Junii, anno ab Incarn. Dom. MCLXXVII, ind. x.

XXXIV.

E schedis Droz. (1).

Lis de regalibus juribus inter Fredericum imperatorem et Rogerium præsulem.

1179. Henricus, Dei gratia Argentinensis minister humilis. Residentibus nobis in præsentia Domini nostri imperatoris, cum aliis coepiscopis et confratribus nostris, considentibus etiam multis baronibus, dominus Rogerius, Lausannensis episcopus, de ipso imperatore querimoniam deposuit, dicens quod ipse dominus imperator, tempore episcopi Hagmedei, antecessoris sui, dignitatem ipsius Lausannensis ecclesiæ in tantum diminuerat, quod cum Lausannenses electi a sola manu imperiali regalia accipere semper consuevissent, et deberent, ipse dominus imperator jus suum in regalibus concedendis duci Berchtoldo contulisset, nec super hoc tunc temporis Lausannensem episcopum citasset, nec præsentem, nec confessum, seu convictum denuntiasset. Plurimas A etiam molestias et injurias contra ducem Berchtoldum, quamvis absens foret, proponebat. Ad hoc dominus imperator respondit, se quidem prædicto duci Berchtoldo illud jus contulisse, et cum dux Berchtoldus jus istud per eum possideret, eo absente se respondere debere negabat. Cumque super his dominus imperator a nobis sententiam quæsivisset, juxta conscientiam nostram judicavimus quod dominus imperator in iis quæ Lausannensis episcopus adversus eum proponebat, etiam duce absente, episcopo justitiam exhibere deberet : in his vero quæ contra ducem proponebat, duce rationabiliter citato, ejus præsentiam exspectaret. Huic sententiæ dominus archiepiscopus Bisuntinus et Spirensis et Gebennensis B episcopi consenserunt. Cum autem a Basiliensi episcopo quæreretur de consensu sententiæ, judicavit quod dominus imperator nec debuit, nec potuit duci Berchtoldo conferre jus regalium et auferre ecclesiæ : veruntamen quia in qualicumque possessione dicebatur per dominum imperatorem, dixit quod non debebat hoc retractari nisi duce præsente, vel absente ob contumaciam. Huic sententiæ laicorum multitudo consensit.

XXXV.

Bulla Alexandri III ad Rogerium recens electum missa.

Ex edit. recenti (1).

C

1179. Alexander episcopus, venerabili fratri Rogerio, Lausannensis ecclesiæ episcopo, et apostolicæ sedis legato, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Cogit nos summi pontificatus auctoritas fratribus et coepiscopis nostris tam vicinis quam longe positis paterna provisione consulere, et ecclesias eorum gubernationi commissas in suis juribus confovere. Sed tibi et ecclesiæ tuæ tanto sollicitius adesse compellimur, quanto devotionem et probitatem tuam ex longa conversatione et familiaritate manifestius sumus experti. Ea propter, venerabilis in Christo frater episcope, tuis justis postulationibus gratum impertimus assensum, et ecclesiam Lausannensem, D cui Deo auctore præesse dignosceris, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona, etc., etc.; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, ea videlicet quæ tempore Burchardi, quondam Lausannensis episcopi, ab Henrico imperatore jam dictæ ecclesiæ pia sunt devotione collata, et quæ tempore Amedei, prædecessoris tui, a Conrado, illustri Romanorum rege, sunt sui scripti robore confirmata, scilicet Muratum et Cubizaca, potestatem de Corsiaco, de Polliaco, vallem de Lustriaco; quidquid dux Rodulfus et sui habuerunt, cum omnibus appenditiis suis, sicut in scripto præfati Henrici continetur. Et cum quique pastores positi sunt in ædificationem, non in E destructionem, apostolica auctoritate decernimus, ut nec tibi, nec successoribus liceat bona Lausannensis ecclesiæ distrahere vel alienare, sed potius quæ indebite distracta ad jus ejusdem ecclesiæ tuo studio revocentur. Apostolica quoque auctoritate nihilominus interdicimus, ne tibi, aut ipsis, de cetero licentia pateat Lausannensem majoriam alicui in feudum dare. Præterea felicis recordationis patris et prædecessoris nostri Eugenii papæ vestigiis inhærentes, omnes donationes a Lamberto, qui, a Viriberto hæresiarcha ordinatus, Lausannensi ecclesiæ utcumque præfuit, de rebus ipsius ecclesiæ factas, evacuamus et irritas

(1) T. XLIII, p. 68.

(1) Comm. et Doc. Helv. Rom. Spect., t. VII, p. 24.

esse censemus. Ad hæc quia nobilis vir Berchtoldus prædicto Amedeo, prædecessori tuo, et successoribus ejus hujuscemodi dicitur præstitisse juramentum quod in ecclesia Lausannensi liberam permitteret electionem fieri, quod nihil eorum quæ ab episcopo tenebantur sibi acquireret, quod servitium quod pro Chebri et Lustriaco in mutatione episcopi debebatur ipse vel hæres suus de cetero non exigeret, sed ea de manu sua episcopus sine omni datione reciperet sicut et alia regalia, et quod ea quæ ecclesia ipsa perdiderat, et quæ a longo tempore alienata fuerunt bona fide pro viribus recuperare juvaret, quod ad villas ecclesiæ suos non permitteret ire pro pabulo vel aliis necessariis, nec in villis ipsis hospitaretur, et quod in palatio episcopi aut in domibus clericorum aut militum eis invitis hospitium non haberet, nec ab eodem palatio vel domibus quidquam violenter auferret, juramentum ipsum ratum habemus et firmum, sub interminatione anathematis inhibentes ne præfatus dux vel hæres ejus contra ea quæ diximus juramento firmata venire præsumat. Insuper tibi concedimus usum pallii ex amore, ad sacra missarum solemnia celebranda, ut eo utaris festivitatibus istis duntaxat, videlicet, in Natali Domini, in festo B. Stephani, in Epiphania, in quatuor festivitatibus B. Mariæ, in Cœna Domini, in Sabbato Sancto et Pascha, in Ascensione Domini, in Sabbato Pentecostes, et in ipso festo Pentecostes, in festo B. Joannis Baptistæ, in festo BB. Petri et Pauli, in festo Omnium Sanctorum, in consecrationibus ecclesiarum et ordinationibus clericorum, in præcipuis festivitatibus ecclesiæ tuæ, in anniversario consecrationis tuæ. Jura quoque et rationabiles consuetudines ecclesiæ et civitatis tuæ auctoritate apostolica confirmamus. Decernimus ergo ut nulli omnino, etc., etc. Ego Alexander, catholicæ ecclesiæ episcopus, etc., etc. Datum Anagnii, XVI cal. Novembris, ind. XII, Incarn. Domin. anno MCLXXVIII (1), pontificatus vero domini Alexandri papæ III anno vicesimo primo.

XXXVI.

E Monum. Hist. Novi Castri. *Uldricus de Novo Castro in Fontem Andreæ munificum se præbet.*

1179. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Uldricus, dominus Novi Castri, et Berta, uxor mea, notum esse volumus tam futuris quam præsentibus, quoniam, pro salute animarum nostrarum et prædecessorum nostrorum, ecclesiæ S. Michaelis Fontis Andreæ silvam quæ a circummanentibus Vavra nuncupatur excolendam et meam grangiam construendam, quæ est inter *Anes* et *Champion*, libere et absque ulla retentione, liberis nostris concedentibus, in perpetuum contulimus: concessimus etiam eidem ecclesiæ liberum usum pascuorum ubique fuerint intra terminos terræ nostræ, et si aliquando contigerit quod damnum cuipiam ibidem commorantium intulerint, damnum sine sæculari exactione et placitatione restituent: permisimus etiam fratribus incolentibus locum illum usum nemoris quod prope eos est in monte, ad carrucas construendas et caros, quæ ad habitacula ædificanda fratribus necessaria: remisimus etiam fratribus prædictæ ecclesiæ in perpetuum decimas annonæ de terra quæ dicitur *Chaumpreveroz*, cum decima vineæ clausi eorum: nihilominus etiam non semel dictæ ecclesiæ, abbati et fratribus, concessimus quod quicumque de hominibus nostris ad conversionem venire voluerint libere eos recipiant ea cum conditione, ut si allodium et pecuniam habuerint, et ex his aliquid ecclesiæ ad quam se transferent dare voluerint, licebit: de feodo autem, nihil nisi consensu meo, vel ejus ad quem pertinet. Præterea cum supradictis præfatæ ecclesiæ concessimus in prato de *Chablay* quadraginta carratas feni, singulis annis, et, paci eorum invigilantes, locum eis determinavimus et certis metis consignavimus. Ut autem dona mea firma et inconcussa permaneant, præsentis scripti cum munitione et sigilli nostri impressione proborumque virorum attestatione firmamus. Testes sunt abbates Waltherius de Lacu Jurensi, Geroldus de Bellelagia, Martinus de Humili Monte; clerici: Theodoricus de Novo Castro, decanus et præpositus tunc S. Imerii, et Lausannensis ecclesiæ canonicus; Henricus, prædicti domini capellanus; milites: Petrus dominus de *Cheis*, Guillelmus *de Sauvegnez*, Albertus *de La Tort*, Hermannus frater ejus, Borcardus *de Anes*, Girardus frater ejus. Actum hoc anno Incarn. Domin. MCLXXIX, epact. XI, currente VII, ind. XII, Alexandro papaute, Frederico Romanorum augusto imperatore.

(1) Lege 1179, ut cæteræ notæ plane concordes satis probant.

XXXVII.

Rogerius præsul Friburgensibus hanc potestatem facit ut in vicinis monasteriis tumulentur. E coll. Dipl. Frib.

Rogerius, Dei gratia Lausannensis ecclesiæ episcopus, apostolicæ sedis legatus, universis tam præsentibus quam futuris. Tunc demum juste pastor ecclesiæ baculum fert, si non solum ab hostibus visibilibus, sed etiam invisibilibus, et corporaliter et spiritualiter oves suas defendere curaverit. Et quia præsens vita ad male faciendum semper prona est, necessariæ sunt multis maximeque defunctis eleemosynæ et orationes justorum. Inde est ergo quod ego, rogatu baronum de *Friburch*, cum consilio et assensu Hugonis sacerdotis et decani ejusdem *Friburch*, annui petitioni Friburgensium, ut quicumque ex iis se sepeliri voluerint in cœnobio quod vocatur Altaripa, sive Humilis Montis, sive Paterniacensi, ex parte Dei nostram licentiam habeat, salva justitia præsulis et sacerdotis. Et ut hoc ratum et irrevocabile permaneat, præsentem paginam sigilli nostri impressione firmare curavimus. Testes sunt Petrus prior de S. Mario, Ottho decanus de *Crissie*, Nanthelmus de *Escublens*, Willelmus de *Orsenens*, canonici de Lausanna; Engnitius de *Martrans*, Joannes de *Vilar*, Petrus de S. Petro, sacerdotes; Willelmus *Achars*, Albertus de Monte Richerio, Cono et Conradus fratres de *Montmacun*, Cono de Barbereschi, Albertus de *Dueus*, Salaco de *Muntcuchin*. Actum anno Incarn. Dom. MCLXXXII, VIII id. Maii, in die dedicationis basilicæ de *Friburch*. 1182.

XXXVIII.

Jura Altæcrestensibus a Guillelmo de Rota concessa. E Chart. Altæcr.

Notum sit præsentibus et futuris quod Wulliermus miles de Rota, filius Cononis, dedit in eleemosynam Deo et B. Mariæ de *Alcrest*, et fratribus ibidem Deo servientibus, omnes illos homines de suis qui se in monachos vel conversos reddiderint in eadem domo. Dedit etiam eidem domui tenementum unius hominis et quidquid aliud habebat in villa de *Boloz*. Testes fuerunt dominus Garnerius, Clarævallensis abbas, et dominus Ysaac, abbas de Alpibus, in quorum præsentia hæc eleemosyna facta est et quorum sigillis 1188.

præsens scriptum, ipse Wullicrmo jubente, munitum est. Testes sunt etiam Stephanus, tunc abbas de *Alcrest*, quem idem Wulliermus, pro eadem eleemosyna in pace conservanda, osculatus est, Narduinus cellelarius Boni Montis, Radulfus miles de *Ullens*. Factum est hoc anno ab Incarnat. Domini millesimo centesimo octogesimo octavo.

XXXIX.

E sch. Droz. (1).

Rogerius præsul Altæ Ripæ possessiones summatim confirmat.

1201. ROGERIUS, Dei gratia Lausannensis episcopus, omnibus quorum interest scire rei gestæ memoriam in perpetuum. Ad notitiam tam præsentium quam futurorum volumus pervenire, quod inter nos et fratres Altæ Ripæ lis orta est occasione cujusdam census quem nobis ab eis credebamus deberi, ipsis fratribus ex adverso contendentibus quod minime credebant se debere; quæ lis, seu controversia, per communes amicos sic est sopita. Confirmamus siquidem de consensu capituli nostri prædictis fratribus, et per eos ecclesiæ de Alta Ripa, ecclesias de *Venens* et de *Escuvillens*, et omnem donationem quam bonæ memoriæ Guido, Lausannensis episcopus, prædecessor noster, contulit in eisdem, tam in parochiis quam in territoriis earumdem, sub annuo censu trium solidorum Lausannensis monetæ reddendo nobis in synodo æstivali, et hoc salvo jure episcopi et decanorum. Confirmamus etiam quidquid juste et canonice ecclesia de Alta Ripa possidet de largitione prædecessorum nostrorum. Huic confirmationi præsentes fuerunt Aimo de Thela, Joannes de Alta Ripa, Bernardus de *Alcrest*, Helias de Alta Cumba, et W. de Alpibus abbates; magister Henricus sacrista, Remundus de *Vuillens*, Umbertus de *Pont*, Enguicus magister, Bauduinus et Cono de *Estevaiel*, canonici Lausannenses; Suido dapifer et Guido *Vuillens* milites. Et ut hoc firmum permaneat, præsens scriptum sigillo nostro fecimus roborari. Actum est hoc Lausannæ, anno ab Incarnat. Dom. 1201, v cal. Julii.

XL.

E sch. Drozianis (2).

Petrus, Bellicensis episcopus, quædam Altæ Ripæ data memorat.

1209. PETRUS, Dei miseratione Bellicensis episcopus, licet indignus, omnibus præsentem paginam inspecturis rei gestæ notitiam cum salute. Noverit universitas vestra quod Jacobus et Rudolfus, milites de *Pont*, de consensu et voluntate aliorum fratrum et hæredum suorum, dederunt, prout melius potuerunt libere et quiete et absque ulla retentione, vel jurisdictione, in meram et puram eleemosynam, pro remedio animarum suarum et antecessorum suorum, domui et fratribus Altæ Ripæ quidquid juris habebant vel habere videbantur in tenemento et triboliors (3) de *Chavanes*, in terris, in pratis et casalibus et aliis omnibus, sed et hæredes qui ad ipsum tenementum pertinebant ubicumque, longe, vel prope essent. Actum est hoc anno ab Incarn. Dom. 1209, in præsentia totius conventus Altæ Ripæ, in manu Joannis tunc temporis abbatis ejusdem domus, in dominica Ramis Palmarum, in præsentia mea, Petri scilicet fratris prædictorum militum, qui eadem die me Deo et B. Mariæ in eadem domo obtuli. Testificamur etiam quod pater meus et fratres mei præscripti pasturas per totam terram suam atque dominium fratribus Altæ Ripæ ad sua animalia nutrienda contulerunt. In cujus rei testimonium postea factus episcopus sigillum meum præsenti chartæ apponi feci.

(1) T. XLIV, p. 131.
(2) T. XLIV, p. 132.
(3) Verbum hoc corruptum est. Lege *triblagio*, vel *tribulagio*. De triblagio, tributi genere, consulendus Cangius.

XLI.

E Monum Basil. Eccles. (1). circa 1209.

Confirmatio jurium Herilacensis abbatiæ.

EGO Bertholdus, Basiliensis præpositus et Ulricus frater meus, et Bertholdus fratruelis meus, domini Novi Castri, paci et quieti Herilacensis ecclesiæ jugiter et fideliter investigantes, cui, præsidentibus Deo et beato Joanne-Baptista patronis et tutoribus, nos inibi, successione hæreditatis, jure fungimur fundationis et advocationis, præsentis scripti robore et cautione, et sigilli nostri impressione curavimus confirmare ea quæ eidem cœnobio a nostris progenitoribus, ejusdem loci fundatoribus, et episcopo Rodolfo Basiliensi, confundatore, et aliis fidelibus sunt collata, et usque ad hæc nostra tempora a præfato cœnobio libere possessa, ne personæ Deo ibi servientes quorumlibet pestilentium incursione turbentur et injusta vexatione molestentur, sive in prædiis, pascuis, communalibus, aquarum piscationibus, ex devota oblatione fidelium, ex larga munificentia nobilium principum et judicum terræ, ex affectuosa et promptissima conniventia et communi consensu plebium, et omnium quorum interest de communalibus ordinare et ordinata confirmare, quorum prædia et terræ, ex utraque parte lacus et Telæ, ad præfatum cœnobium limitantur. Ex eis autem quæ in dubium possent venire, ex temporis prolixitate et simplici et minus cauta dominorum de cœnobio sustinentia, quædam expressis verbis duximus notanda: scilicet ea quæcumque in valle de *Nuerol* de communalibus usque ad nostra tempora sepibus habent inclusa, cum prato de Vilo, aggere et sepibus incluso, cum piscatione in *Landerun* libera, ex dono senis Hessonis de *Usenberc*, sicut idem Hesso eamdem piscationem sine ullius contradictione libere possedit omni tempore, et longo post tempore a præfati Hessonis filio Burchardo et Heinrico, Basiliensi episcopo, in quadam communalium demonstratione fuit recognitum et confirmatum, præsente et adstipulante universa plebe de *Nuerol*. Piscatio etiam a populis quæ sitæ sunt in ripa lacus, subtus cellam proxime, usque ad rivum qui Vilo influit in lacum, ab initio fundationis ex dono omnium quorum interest libere est ei collata, ut nullus infra illos terminos præsumat piscari, absque abbatis et fratrum suorum licentia; ita tamen ut pisces, quos ibi piscans ceperit, per medium dominis dividat. Item in pascuis contra piscinas dominorum et hospitalis, quantum lapide secatoris in latum trajici potest, et in longum quantum piscina, cum legitimo aquæ suæ decursu, tenet, ad dominorum et hospitalarii ad fenum secandum spectat utilitatem, ita ut nullus ibi fenum secare præsumat, nisi forte domini ibi secare voluerint. Quicumque ergo hæc et alia cœnobii Herilacensis tenementa juste possessa irritare attentaverit, et justitias ejus infregerit, et contra dona et legitima ejus ire temere præsumpserit, ab episcopis Giroldo Lausannensi et Rodulfo Basiliensi, dedica-

(1) Non unum hujus diplomatis vitium emendavimus e Monum. Hist. Castri Novi, p. 42.

toribus ejusdem cœnobii sancita, et sub anathematis vinclo, quasi sub cera, contra invasores cerata et sigillata et confirmata, et privilegio curiæ Romanæ roborata, noverit se primo vinclo anathematis innodatum, et banni episcopalis obnoxium, tanquam rerum ecclesiasticarum invasorem et sacrilegum; postremo Deo et B. Baptistæ, patronis et tutoribus, pro tanto reatu pœnas æternas exsolvet; et advocato seu judici terræ qui pro tempore fuerit injuriam componat, et dominis damnum quod in piscatione, sive in alia quavis injuria, intulerit duplum restituat.

XLII.

E sch. Droz. (1). *Litteræ Berchtoldi præsulis de decimis Altæ Ripæ restitutis a Gualthero de Blonay.*

1216. Berchtoldus, Dei gratia Lausannensis episcopus, omnibus scire volentibus rei gestæ notitiam. Notum vobis facimus quod Galtherus, filius domini Petri *de Blonay*, post injurias aliquotiens illatas domui et fratribus Altæ Ripæ, super decimis vinearum de Favargiis, commissorum pœnitudine ductus, eo videlicet tempore quo signum crucis accepit, a fratribus prædictæ domus, mediantibus nobis, petiit cum omni supplicatione sibi quod injuste commiserat misericorditer indulgeri. Quod postquam a jam dictis fratribus, sicut eos facere decuit, obtinuit, recognovit idem Galtherus jam dictas decimas vinearum et possessionum de Favargiis a prædecessoribus suis domui Altæ Ripæ per eleemosynam fuisse collatas, et se omne gravamen quod eadem occasione sæpe dictis fratribus irrogarat injuste et per violentiam intulisse. Quapropter si quid juris et calumniæ in supra dictis decimis habebat in manu abbatis Altæ Ripæ penitus resignavit, et donationem totius decimæ cunctarum possessionum quas habent infra parrochiam S. Symphoriani, sicut a prædecessoribus suis habuerant, eis fideliter et sine retentione laudavit, earum videlicet rerum quarum investituram eo tempore iidem fratres habebant. Unde quia nobis constat sæpe dictas a prædecessoribus suis et nostris eisdem fratribus collatas fuisse decimas, eorum donationem et recognitionem hujus et resignationem approbantes, sigilli nostri et confirmationis munimine roboramus. Testes sunt magister Alanus, canonicus Lausannensis; Petrus clericus, filius domini Jordani de Fruencia; Rainaldus, dominus de *Estevaiel;* Cono, filius domini Petri *de Corberes;* Richardus de S. Martino; Berchtoldus de Treillaris; Albertus, filius domini Philippi de Turre; Wuill., filius domini Petri de *Tornie*, et multi alii. Datum per manum Radulfi de Fruencia, cancellarii Lausannensis. Apud *Murat*, anno ab Incarnat. Dom. 1216.

XLIII.

Ex edit. recenti (2). *Bercthóldus præsul advocatiam Lausannensis ecclesiæ post Bercthóldi, Zaringiæ ducis mortem, nemini se concessurum promittit.*

1220. Bertholdus, divina miseratione Lausannensis episcopus, omnibus tam præsentibus quam futuris rei gestæ memoriam. Pastorum cura diligens ab ovili debet lupos arcere, et ex malis præteritis futura in posterum vigilantius præcavere. Ea propter dignum duximus apicibus annotari quod cum Bertholdus, Zaringiæ dux, advocatiam Lausannensem longo tempore tenuisset, quam contra voluntatem prædecessorum nostrorum sibi per emptionem indebitam usurpaverat; quæ advocatia cum hominium ligium deberet episcopo, memoratus dux nec hominium, nec aliud inde servitium ecclesiæ fecisset, sed, de bono mali causam assumens, in possessiones ecclesiæ rapinas, incendia, homicidia, læsiones, membrorum mutilationes, non solum in laicis, sed in clericis et sacerdotibus exerceret; eodem duce mortuo, nec malitiæ suæ meritis filium vel filiam relinquente, dicta advocatia etiam ad manum nostram secundum jus libere devoluta, nos igitur timentes, ne, si dictam advocatiam infeodaremus alicui, exemplum perpetratæ per eam malitiæ in posterum derivetur, consilio fratrum et hominum nostrorum, eamdem advocatiam in manu nostra retinuimus et altari B. Mariæ obtulimus, in manu sacerdotis canonici juramento confirmantis nullo alienationis modo eam a nobis de cetero dimittendam, nisi per æquitatem inevitabilis judicis hoc facere cogeremur; et tunc consilio capituli nostri præ cunctis aliis uteremur. Interfuerunt huic facto Cono præpositus, Willielmus thesaurarius, Rodulfus cantor, Willielmus prior S. Marii, Galterus sacrista, Petrus *Chey*, Joseph, Giroldus Carbo, Nicholaus de *Hyens*, Nicholaus de *Villens*, magister Halanus, magister Adoycus, Uldricus de *Vanel*, Giroldus dapifer, Willielmus de *Grançon*, Petrus de Vileta, Cono de *Vonz*, Jacobus de *Grallie*, Petrus de Fruenci, Raymundus de Roveno, Amedeus, Joannes de *Cossonay*, canonici Lausannenses; Hyeblo de *Esсublens*, Nicolaus dapifer, Umbertus villicus, Petrus de Lausanna, Willielmus *Bever*, milites. Actum in vestibulo Lausannensi, anno Incarn. Domin. MCCXIX, XI cal. Februarii, sigillo nostro pro firmitatis robore confirmatum. Datum per manum Roderici cantoris et cancellarii nostri.

XLIV.

Guillelmus episcopus Cononi præposito concedit ut unum clientem liberum ab omni vectigali habeat. E Chart. Lausann.

Willermus, Dei gratia Lausannensis episcopus, omnibus præsentem paginam inspecturis salutem perpetuam. Ne rerum gestarum memoria per temporum curricula ab humanis sensibus elabatur, utilis inolevit consuetudo scriptorum. Juxta quam universitati vestræ transmittimus quod nos, de consensu et voluntate capituli, et familiarium nostrorum, necnon consilio militum et burgensium nostrorum, concessimus et dedimus Cononi, præposito Lausannensi, in augmentum feodi sui, quod a nobis habebat, unum burgensem abergare et habere infra villam nostram Lausannensem, exemptum et liberum ab omni jurisdictione, exactione, et etiam consuetudine tam nostra, quam totius villæ, ut eodem modo quo propria familia præfati capituli erga ipsum capitulum tenetur, vel etiam quo nos nostra, tali siquidem modo ille burgensis, sive abergator suus, et ejus hæres, erga ipsum præpositum, quicumque præpositus fuerit, teneatur, et sit ab omni consuetudine et usagio aliorum burgensium liber et exemptus, et, sicut de bannis, et legibus, et aliis commissis tenetur capitulo sua familia satisfacere et respondere, sic prædictus homo ille soli præposito respondere et satisfacere teneatur, hoc retento quod *la waiti* faciet in ipsa die in qua ipsam debet facere casale illud in quo morabitur. Si autem contigerit quod ipse, vel aliquis hæredum suorum, ab ipso casali se vellet 1223.

(1) T. XLIV, p. 136.
(2) Comment. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. VII, p. 31.

removere, et ad alium locum transferre, totum nsagium et omnes consuetudines villæ, sicut et alii burgenses, episcopo facere teneretur. Si vero sine hærede eundem mori contigerit, liceret sæpedicto præposito loco et casali illius alium substituere eodem modo quo et primus fuerat institutus, et ita videlicet quod si ad cavalcatam vel ad *furcri* non exiret et non iret cum aliis, bannum et legem, quam propter hoc deberet, præposito solvere teneretur. Et ut hoc inconvulsum permaneat in perpetuum, nos præsentem paginam nostro et capituli nostri sigillis fecimus roboravi. Actum anno Incarn. Dom. MCCXXIII. Datum per manum dilecti nostri Rudolfi de Fruentia, cantoris et cancellarii.

XLV.

E rec. edit. (1).

Filii Humberti Clerici in potestatem canonicorum Lacus Jurensis traducti.

1225. Ego Ebalus, dominus de Grandissono, præsentibus et futuris rei gestæ notitiam. In perpetuum sciant præsentes omnes et futuri, quod Reynaudus miles de *Balmes* movit calumniam contra filios Humberti Clerici de *Cuarnens*, quos suos esse dicebat: porro dicta calumnia, mediantibus viris sapientibus, est pacificata tali modo, quod jam dictus Reynaudus dedit ipsos memoratos Humberti Clerici filios domui de Lacu et fratribus ibidem Domino famulantibus in eleemosynam, sed et ipsi sæpedicti filii fratribus dictis se ipsos dederunt. Actum est hoc apud *Cuarnens*, in manu domini Humberti, tunc abbatis de Lacu, laudatibus uxore supradicti Reynaudi militis, et filiis Reynaudo, Girardo et Williermo, anno Dom. 1225. Quapropter dictus abbas Humbertus de Lacu, de bonis ecclesiæ suæ, supradicto Reynaudo militi de *Balmes* dedit 35 solidos et 3 aunas albi panni. Cum præsens essem, rogaverunt me tam abbas quam filii Humberti Clerici dicti, una cum memorato Reynaudo, milite, et filiis, ut hoc præsens scriptum facerem, et ad testimonium rei gestæ sigillo meo roborarem. Testes autem qui interfuerunt sunt hi: Girardus de *Bavoes*, prior de Lacu, Williermus et Falco, canonici de Lacu, Williermus capellanus de *Cuarnens*.

XLVI.

E Mon. Hist. Novi Castri.

Excommunicatio lata in eos qui jus cudendæ monetæ sibi vindicarent.

1226. Willermus, Dei gratia episcopus Lausannensis, omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint æternam in Domino salutem. Sciant tam præsentes quam posteri quod nos alienatam quondam ab ecclesia Lausannensi monetam, de manu nobilis viri Bertholdi, domini Novi Castri, ad manum nostram et ecclesiam multa pecunia revocavimus, advocatiam quoque Lausannensem quam Haymo, dominus de Fucignis, per emptionem indebitam factam a comitibus de *Quiburc* sibi vindicare nitebatur, ab eodem Haymone multis laboribus et sumptibus acquisivimus, videlicet calumniam quam dictus Haymo de ipsa advocatia, sive juste, sive injuste, faciebat, quam in manu nostra guerpivit et resignavit. Quia vero de dicta alienatione monetæ et de dicta advocatia tempore ducis Bertholdi nobis et toti patriæ multa mala et gravia evenerunt, ne similia possint in posterum pullulare, excommunicavimus

A solemniter, præsente clero et populo Lausannensibus, omnes illos qui prædictam monetam vel advocatiam de mensa episcopi Lausannensis quoquo modo in posterum separabunt. Rogavimus quoque nos et capitulum nostrum venerabilem patrem Joannem, archiepiscopum Bisuntinum, ut prædictam excommunicationis sententiam confirmaret; cui petitioni dictus archiepiscopus gratanter acquievit, et viva voce, in ecclesia Lausannensi, prædictum factum et excommunicationem, et postmodum per suas litteras, confirmavit. Actum Lausannæ, anno Incarn. Domin. MCCXXVI, xiv cal. Augusti.

B

XLVII.

Solodorenses cives se ad præstandam ceram Altæ Ripæ obligant. E sched. Droz. (1).

Anno Domini 1235 (2), cal. Augusti, ego Ulrichus de Turego atque alii quidam cives Solodorenses, laudantibus hæredibus nostris et uxoribus, quorum nomina in subsequentibus expressa sunt, dedimus domui Altæ Ripæ, et fratribus ibidem Deo servientibus in perpetuam eleemosynam, in manu domini Hugonis, abbatis Altæ Ripæ, pro nobis et pro antecessoribus nostris, uxore et hæredibus, quamdam summam ceræ ad missas illuminandas quotidie dum cantantur; et singulis annis debet persolvi in perpe- 1230.
C tuum in assumptione B. Mariæ, juxta quod, cum auditur obitus cujuslibet nostrum, oratio specialis injungatur in capitulo pro anima defuncti, vel defunctæ, et absolvatur, et scribatur in calendario in Alta Ripa anniversarium ipsius. Ego Ulrichus dedi duas libras ceræ quolibet anno super domum meam; quæ si non reddantur ab eo qui domum habuerit illi de Alta Ripa domum tamdiu possideant donec census ceræ eis reddatur. Hoc laudavit Gertrud uxor mea, et filii mei Henricus et Albertus. Henricus, cognominis Dives, dedit eodem pacto super prædium suum quod habet extra portam (Hoc laudaverunt uxor mea Adheleta et hæredes Fridericus et *Helurich* et Anna) libram ceræ singulis annis. Item Ulrichus,
D frater ejus, libram ceræ eadem lege supra quoddam prædium suum extra portam, singulis annis, laudantibus uxore et hæredibus, Burchardo Henrico et Anna. Thietricus miles similiter libram ceræ eadem lege super domum in urbe, laudantibus matre Esbethildi et uxore Adeledi. Rodulfus miles libram ceræ in perpetuum eadem lege, quod laudaverunt uxor sua Hemma, Constantinus filius et Bertha filia, super domum suam. Burchardus, filius præpositi, dedit libram ceræ singulis annis super domum quam habet in Ripa, quod donum laudavit Agnes uxor sua. Ut hoc ratum et inviolabile perduret, constitutum est a nobis burgensibus et abbate ut fiant de hoc duæ chartæ, una conservetur in Alta Ripa sigillata
E sigillo capituli et burgensium Solodorensium, altera reservetur apud Solodorum in sacristinia. Testes hujus facti sunt canonici Solodorenses plures, et populus ejusdem civitatis fere totus, quia in ecclesia factum est, ubi multi convenerant utriusque sexus homines.

Actum feliciter apud Solodorum, circa finem mensis Julii.

(1) Ann. abb. Lacus Jur. a D. Fred. *de Gingins la Sarraz*, p. 151.

(1) T. XLIV, p. 156.

(2) Lege potius 1230, v. cal. Augusti, scilicet *circa finem mensis Julii*, ut infra legitur.

XLVIII.

E Chart. Tel. *Pactum inter abbatias Telæ et Altæ Ripæ.*

1230. Fratres Joannes abbas, Willelmus prior et Humbertus cellerarius, monachi de Thela, cum voluntate capituli, vendunt domui Altæripæ grangiam de *Cugie*, pretio 5000 solidorum Lausann. Concedunt etiam eidem jurisdictionem in pasturis inter aquas Broyæ et Mentuyæ, a villa de *Thierreus* versus *Donnaluy*, et pro annuo censu XV solidorum ecclesiam suam de *Cugie* cum capellis ejus. Hæc omnia facta sunt de consilio patrum suorum abbatum et conventuum Bellæ Vallis, Morimundi, et abbatis Cisterciensis, et de voluntate dominorum de *Stavaiel*, scilicet Cononis præpositi Lausannensis, Willelmi et Raynaldi fratrum, et Willelmæ uxoris domini Willelmi, et Pontiæ uxoris domini Cononis defuncti, et filiorum suorum Raynaldi et Willelmi, Sibillæ uxoris domini Raynaldi, et filiorum ejus Willelmi, Petri, Henrici, Jacobi et filiarum Andæ, Clementiæ, Petronillæ, qui omnes promiserunt in manu Hugonis, abbatis Altæripæ, omnia supramemorata manutenere et defendere contra omnes, sicut etiam servaverunt omni tempore. Propter quod accipimus ab illis de Altaripa triginta libras Lausannenses. Actum apud grangiam de *Cugie*. Testes Geroldus abbas de Altocresto, conventus de Thela et de Altaripa, Raymundus de Roveno canonicus Lausannensis, Petrus de *Donnaluy*, clericus, Amedeus prior de Selva, Richardus sacerdos de *Arconcie*, Girardus sacerdos de *Cugie*, Cono et Giroldus milites et fratres de Domno Petro, Rodulfus miles de *Combremont*, Albertus, Humbertus et Matthæus ministrales dominorum de *Stavaiel*, Petrus de Selva, et Narduinus villicus de *Cugie*.

XLIX.

E Chart. Laus. *Bonifacius præsul munus dimittit.*

1239. B., sola Dei miseratione episcopus quondam Lausannensis, C., præposito Lausannensi, et capitulo, militibus et civibus universis sibi carissimis salutandis salutem et pacem perpetuam in D Christo. Quia non est ponderatio vitæ continentis, nec est ponderatio salutis animæ, nec dabitur aurum obrisum pro ea. Quam enim dabit homo commutationem pro anima sua? Ideo proponens et disponens providere saluti propriæ et saluti animarum mihi commissarum, necnon et utilitati ac profectui Lausannensis ecclesiæ, in qua posuerat me Deus ut fructum facerem, quem facere, Dei gratia cooperante, speraveram, sed non valui curare Babylonem, nec sanare Emoroissam, in qua non est sanitas a planta pedis usque ad verticem, quæ prægravissime ventrem dolet et latera sine spe sanationis, ne inaniter laborem in domo exasperante, quæ non potest pacificari, cum multis instantiis petivi, sicut jam dudum petiveram frequenter et instanter, per me et per alios, ces- E sionem a domino papa et fratribus, quam per Dei gratiam tandem, licet cum magna difficultate, obtinui : quod vos celavi cum nuper essem Lustriaci; propter causas diversas non duxi propalare, donec fuissem locutus venerabili patri domino archiepiscopo Bisuntinensi. Det vobis Dominus Jesus Christus pastorem qui valeat conterere Sathanam vos conturbantem sub pedibus suis. Quod diu fui in curia Romana non fuit culpa mea. Diutius ibi moratus fuissem, si per omnia voluntati domini papæ consensissem. Accepi mutuo C marcas et X a cive Romano Petro de Turre, et fratre suo, pro quibus debent eis persolvi C et XI

A marcæ in proximis nundinis apud Barram, alioquin excrescent usuræ gravissimæ. Litteras domini papæ habent prædicti fratres executorias, et executorem dominum Gaufredum, episcopum Sabinensem, qui debet compellere dominum episcopum ad persolvendam pecuniam prædictam. Et vos domini canonici debetis instare commonendo dominum episcopum, quem Deus providum et strenuum det vobis, ut cogitet sollicite de persolvendo. Prædicti fratres habent litteras meas in quibus est summa CLII marcarum, sed ipsi remiserunt mihi XII marcas, pro eo quod possem habere litteras domini papæ prædictas, quas impetravi cum magna difficultate Cum solutio fiet prædictæ pecuniæ exigantur litteræ meæ B et papales. Refero gratias domino præposito, et omnibus qui me honoraverunt, canonicis et aliis; condonet Dominus omnibus qui me injuste offenderunt : si quem injuste offendi, quod non memini, veniam peto Diligat Dominus omnes qui diligunt ecclesiam Lausannensem : humiliet omnes inimicos ejus. Ipsam diligimus et personas ejus et homines, et semper diligemus, parati ad bonum ejus promovendum semper, utcumque valebimus. Ceterum significamus vobis et asserimus, salva conscientia et bona fide, quod decanatum de vineis contulimus Uldrico de Chebre, ante Nativitatem Domini proximo præteritam; et excommunicamus omnes contradictores et injuriantes eidem in eodem decanatu, quem, C contra salutem animæ suæ, inquietat thesaurarius Lausannensis W. Commoneatis eumdem quod dimittat in pace prædictum Uldricum. Circa festum S. Martini proximo præteritum fuit annus quod recepi litteras de morte Adæ, qui tenuit ecclesiam de Severi, quam statim contuli magistro Balduino. Hoc dico bona fide, coram Deo et angelis suis, sicut de prædicto decanatu. Insuper sciatis quod omnes litteras de causa Chunicensis ecclesiæ dimisi Romæ in domo Prædicatorum, in archa quadam parva clausa, exhibendas tantum episcopo Lausannensi, vel nuntio suo; in quibus quia fit mentio frequens de imperatore et baillivis suis, nullus auderet ferre litteras ipsas de curia. Favorabilem habui dominum papam et omnes fratres in prædicta causa; sed fortes adversarios inveni, notarium domini papæ, et magistrum Joannem Capuanum et Conradum marescallum papæ, qui sunt fratres de domo Teuthonicorum : fratres autem domus Teuthonicorum non in gratia sunt domini papæ, quia offenderunt eum, sicut audivi in curia, et ab ipso domino papa. Sit vobis pax et salus perpetua in Christo. Summa consilii est in causa ecclesiæ Chunicensis defendere ecclesiam gladio martiali, quæ gladio martiali impugnatur. Eadem ecclesia debet refundere expensas ecclesiæ Lausannensi, quas feci eundo Romam. Carens sigillo usus sum sigillo domini archiepiscopi. Valete semper in Christo. Orate pro me.

L.

Litteræ Petri, Bellicensis episcopi, de pacto inter monachos Altæ Ripæ et Aimonem de Pratellis. E sch. Droz.

Universis ad quos præsentes litteræ pervenerint Petrus, Dei gratia Bellicensis episcopus, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod constituti in præsentia nostra Haymo et Henricus, domicelli de Pratellis, recognoverunt fide interposita, in manu fratris Henrici, abbatis Altæ Ripæ, mansum unum, situm apud *Escuvillens*, cum appenditiis suis, qui dicitur terra de *Chennens*, quem aliquando tenuerat ab eis Jacobus 1244.

Bouzans; quem mansum guierpiverunt hæredes Jacobi *Bouzans* in manu dictorum fratrum. Hunc mansum dederunt prædictæ ecclesiæ pro quindecim libris Lausannensis monetæ et una vacca. Hunc mansum tenent dicti fratres dictæ ecclesiæ omnibus modis garantire. Hujus rei testes sunt Hugo cellelarius de Alta Ripa, Stephanus cantor, Berardus portarius, Uldricus sacrista, Willhelmus clericus de *Marlie*, Willhelmus domicellus de Gruieria, Albertus de *Escuvillens* et Petrus ejusdem villæ, et plures alii. Actum anno Dom. 1244. Et ut hoc ratum et in perpetuum firmum perduret, præsentes litteras sigilli nostri munimine curavimus sigillare.

LI.

Ex edit. recenti (1). *Pax Aquianensis inter Joannem electum et Amedeum comitem Sabaudiæ.*

1244. Nos Joannes, Dei gratia electus Lausannensis, et nos Amedeus comes Sabaudiæ et in Italia marchio, et nos Petrus de Sabaudia, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod cum discordia verteretur inter nos dictum electum ex nomine nostro et ecclesiæ Lausannensis ex una parte, et nos Petrum de Sabaudia ex altera, maxima guerra inter nos diutius agitata, tandem per Petrum dominum de *Granczon* et dominum Humbertum de *Vernay* et Guillielmum thesaurarium Lausannensem, Uldrichum dominum de *Vipens* et Amedeum dominum de Montefalcone datum medium hinc inde a partibus, qui bona fide juraverunt pro utraque parte istam discordiam ad concordiam revocare, de consensu utriusque partis dicta guerra et discordia sopita fuit in hunc modum. Quod nos dictus Joannes, electus Lausannensis, quidquid ecclesia Lausannensis habebat apud *Romont*, vel habere debebat, dedimus, cessimus in perpetuum domino Amedeo, comiti Sabaudiæ, et suis. Item damus et concedimus dicto Amedeo comiti, nomine Lausannensis ecclesiæ, quod apud *Romont* forum fiat die Martis qualibet septimana. Item dedimus et concessimus dicto Amedeo comiti et suis hæredibus quidquid dicta Lausannensis ecclesia habebat, vel habere debebat inter Glana et Glanno. Item dedimus et concessimus dicto Amedeo suisque hæredibus quidquid ecclesia Lausannensis habebat, vel habere debebat apud *Bossens* et in territorio de *Bossens*, salvo jure ecclesiæ de Dompero. Item dedimus et concessimus in perpetuum dicto comiti et suis quidquid ecclesia Lausannensis habebat, vel habere debebat apud Estevaya, super acquisimento quod nos dictus electus, nomine Lausannensis ecclesiæ, a Willelmo quondam domino de Estavaya, Raynaudo, Willelmo et Joanne fratribus, nepotibus suis, Willelmeta filia sua, consentientibus, acquisivimus, pro quibus Raymundus homagium ligium fecerat, nomine ecclesiæ Lausannensis, nobis, ut pro prædicto feudo facere tenebatur. Chartam vero hujus acquisitionis, vel emptionis, dicto comiti nomine investituræ tradidimus, cedendo ei omnia jura et actiones quæ nobis, nomine Lausannensis ecclesiæ, possent competere. Promittentes bona fide dicto comiti et dicto Petro de Sabaudia, quod, usque ad festum B. Michaelis proximo venturum, feudum, usagium feudi de Estevaya, et homagium, in quo dictus Raynaudus nobis dictæ ecclesiæ Lausannensi tenebatur, domino Petro, de voluntate ipsius comitis, fieri faciemus, vel ante dictum terminum quod hæc fiant laborabimus fideliter. Si vero usque ad dictum terminum nos dictus electus homagium pro dicto feudo, ut dictum est, dicto Raynaudo et fratri suo dicto Petro non faceremus fieri, promittimus bona fide dicto Petro nos tenere hostagia cum tribus sociis, scilicet domino Uldrico de *Vipens*, domino Willelmo de Bioleto, domino Petro senescallo Lausannensi, ubi nobis magis placuerit,* apud Viveis, vel apud Meudunum, quousque dicta omnia super usagio de Estavaya compleantur; altero vero prædictorum locorum electo, ad alterum non possumus redire : et si nos dictus electus in hostagio dicto termino non rediremus, vel postquam redierimus hostagium non teneremus, promisimus quingentas libras Lausannenses dicto Petro de Sabaudia dare et solvere, et nihilominus dictus Amedeus comes et dominus Petrus jus suum de Estavaya, ut nobis concessum est, possint modis omnibus petere et habere. Omnia vero supradicta nos dictus electus nomine Lausannensis ecclesiæ damus et concedimus in augmentum feudi de Meudono dicto Amedeo comiti et suis in perpetuum; et dominus Amedeus comes omnia ista debet habere ab ecclesia Lausannensi, et quidquid est apud *Romont* in feudum similiter, solummodo quod pro feudo de Meuduno antiquitus fieri consuevit; et si quid in dictis locis Amedeus comes, vel Petrus frater suus, in posterum acquireret, illud debet tenere similiter dictus Amedeus comes in feudum ab ecclesia Lausannensi, et nos super iis quæ ibi acquirerent debemus dare et solvere domino Petro de Sabaudia centum libras Lausannenses.

Nos vero Amedeus comes Sabaudiæ, Petro fratre nostro volente et consentiente, dedimus et concessimus dicto electo Lausannensi et ecclesiæ in perpetuum quidquid nos Amedeus comes et frater noster Petrus habemus, vel habere debemus, in fortia de *Locens* et in alodium, secundum quod fossata et palatium modo ibi existentia superius comprehendunt; et si quid homines nostri, vel Petri fratris nostri, in dicta fortia habent, vel habere debent, nos Petrus de Sabaudia illud dicto electo promittimus et ecclesiæ acquirere. Item nos Amedeus comes dedimus dicto electo et ecclesiæ, Petro fratre nostro volente et consentiente, decem solidos censuales apud *Locens*, et albergamentum pro quo dicti solidi debebantur, et terram de *Monz*, quæ jacet ante castrum de *Locens*. Nos vero Amedeus, comes Sabaudiæ, de consensu et voluntate Petri fratris nostri hæc dedimus dicto electo et ecclesiæ Lausannensi pro supradictis rebus a dicto electo, nomine Lausannensis ecclesiæ, in feudum nobis datis; hoc acto etiam expressim inter partes quod dictus electus et successores sui in supradictis feudis, quæ a dicta ecclesia nos Amedeus comes tenemus et possidemus, vel Petrus frater noster a nobis tenet et possidet, si eidem electo et ecclesiæ necesse fuerit stare et redire, possit, et successores sui similiter, facere, dum uterque nostrum facere voluerit et accipere uti debuerit rationem. Nos autem Joannes, dictus electus Lausannensis, de consensu capituli nostri Lausannensis, omnia supra dicta pro nobis et successoribus nostris bona fide promisimus attendere et servare, nec unquam per nos vel per aliquam aliam personam contravenire. In cujus rei testimonium sigillo nostro et capituli Lausannensis præsentes litteras fecimus sigillatas. Datum Aquiani, anno Domini 1224, in octava Pentecostes.

(1) Comment. et Docum. ad Helv. Rom. spect., t. VII, p. 42.

LII.

Ex edit. recenti (1).

Pactum inter Joannem episcopum et Aimonem de Fuciniaco.

1253. NOVERINT universi præsentes pariter et futuri has litteras inspecturi, vel etiam audituri, quod nos Joannes, Dei gratia Lausannensis episcopus, ex una parte, quod nos Aymo, dominus de Fucigniaco, ex altera, sponte et gratuita voluntate invicem super discordiis, controversiis, causis, litibus et guerris quas habebamus, vel poteramus habere, usque ad hodiernam diem, pacem et concordiam fecimus tam pro nobis quam pro coadjutoribus nostris in hunc modum. Videlicet quod nos prædictus episcopus obligamus prædicto domino de Fucigniaco, pro triginta millibus solidis Gebennensibus, vel Lausannensibus, omnia temporalia civitatis et diœcesis Lausannensis, quæ ad nos pertinent, vel pertinere debent, his exceptis: videlicet acquisitione quam fecimus a capitulo Bisuntinensi, et acquisitione quam fecimus a domino de *Guesresteyn*, et exceptis viginti una marchis quas debet nobis ecclesia Cunicensis, et excepto foragio Lausannensi; et de fructibus et obventionibus et eschetis prædictæ gageriæ nos prædictus episcopus debemus percipere medietatem, aliam vero medietatem dictus dominus de Fucigniaco; eschetæ autem immobilium erunt de dicta gageria, et fructus eorumdem dividentur, et proprietas remanebit penes nos, ita tamen quod de medietate quam percipiet in iis quæ excepimus, si illa haberet obligata, tantumdem percipiet in medietate quæ ad nos debet venire de dicta gageria. Actum est etiam inter nos quod castra et munitiones dictæ gageriæ debent custodiri per homines ecclesiæ Lausannensis, qui debent poni nunc per dominum de Fucigniaco, de consilio nostro et assensu: si vero durante obligatione contigerit aliquem de dictis custodibus mutari, illud fiat per dictum dominum de Fucigniaco, de nostro consilio et assensu; qui custodes tenentur per fidelitatem et juramentum nobis et dicto domino servare, et reddere jura dictæ gageriæ, prout superius est expressum. Et ut dicta compositio firmior habeatur, sæpedictus dominus de Fucigniaco fecit nobis fidelitatem, in qua debet perseverare quamdiu tenebit dictam gageriam. Post redemptionem vero dictæ gageriæ, si noluerit perseverare in dicta fidelitate, remanebit dictus dominus quantum ad fidelitatem in eo statu in quo erat ante acceptam gageriam: ita tamen, si vellemus habere rationem de eo, vel ipse de nobis, super fidelitate vel feodo, staremus juri ad invicem coram illis de curia Lausannensi quos dominus Fucigniaci duceret eligendos. Præterea actum est inter nos quod cum quædam de prædicta gageria sint creditoribus obligata, quædam vero non, pro non obligatis solvit nobis ad præsens decem millia solidos, pro quibus obligamus sibi ea quæ non sunt aliis obligata. De residuis autem viginti millibus solidis debet redimere, infra festum B. Martini hiemalis primo venturum, gagerias ab aliis creditoribus quas duxerit redimendas, quas gagerias sibi obligamus; et si alias gagerias ultra summam prædictam redimere voluerit, arbitrio suo relinquatur, et fructus dividantur secundum formam supradictam; et si nos ultra prædictam summam triginta millium solidorum redimeremus aliqua aliis creditoribus obligata, nec essent de gageria dicti domini Fucigniaci, nisi prius dictus dominus de Fucigniaco solveret nobis ea de quibus essent redempta a nobis. De fructibus autem prædictæ gageriæ ita convenimus, quod, deducta sorte et expensis si quid residuum fuerit, de illo residuo acquiescet dictus dominus consilio abbatis de Alpibus et prioris Fratrum Prædicatorum Lausannensium. Ad hæc promisimus ad invicem alter alterius jura nostra et possessiones nostras defendere et servare. Item actum est quod homines pertinentes ad castra et munitiones dictæ gageriæ teneantur juramento custodibus seu castellanis prædictorum castrorum et munitionum jura nostra et domini de Fucigniaco fideliter reddere et servare; ita quod si alter nostrum in dicta gageria vellet violentiam facere alteri, prædicti homines teneantur per juramentum auxilium, consilium, pro posse suo dare contra violentiam inferentem, quousque satisfactum esset de violentia. Et si custodes, seu castellani, essent absentes morte vel aliquo alio modo, homines pertinentes ad castra et munitiones teneantur per dictum juramentum castra et munitiones dictæ gageriæ ad utilitatem nostram et domini de Fucigniaco fideliter observare, prout superius est expressum, quousque præsens esset castellanus. Nos vero dictus episcopus confitemur prædictam summam pecuniæ in utilitatem ecclesiæ nostræ fore versam, et juravimus nos et dictus dominus de Fucigniaco super sacra Dei evangelia omnia supradicta, universa et singula, alter alteri fideliter observare. Item homines nostri quos dictus dominus elegit juraverunt sibi omnia jura sua et possessiones durante gageria fideliter defendere et servare, et homines prædicti domini quos nos elegimus nobis idem juramentum fecerunt. Item vero dominus juravit civibus nostris Lausannensibus jura sua et possessiones pro posse suo defendere et servare. Excepimus autem nos et dictus dominus ab isto juramento viros nobiles dominum Petrum de Sabaudia et R. comitem Gebennensem. Adjectum etiam est quod si nos dictus episcopus vellemus redimere prædictam gageriam, et dictus dominus nollet recipere pecuniam suam, dicti custodes, seu castellani, non tenerentur juramento seu fidelitate dicto domino, nisi quantum ad pecuniam suam recuperandam. Abrenuntiavimus autem exceptioni non numeratæ pecuniæ, doli, et in factum, et omni exceptioni tam juris canonici quam civilis, quæ nobis posset competere contra dictam compositionem. Et nos dictus dominus de Fucigniaco juravimus universa et singula supra dicta fideliter observare prout superius sunt expressa. In hujus rei testimonium nos dictus episcopus et nos prædictus dominus de Fucigniaco sigilla nostra, cum sigillis nobilis viri R. comitis Gebennensis et prioris Fratrum Prædicatorum Lausannensium, præsenti paginæ duximus apponenda. Actum Lausannæ in curia, anno Dom. 1253, in octava Paschæ.

LIII.

Radulfus de Novo Castro Præmonstratensibus Locum Dei dat. E Mon. Episc. Bas. (2).

RODULFUS, Dei gratia comes de Novo Castro, universis præsens scriptum inspecturis notitiam subscriptorum. Facilius ab humana elabuntur memoria quæ non scriptorum et sigillorum testimoniis roborantur. Noverint igitur tam præsentes quam posteri, quod nos, de consensu et voluntate uxoris nostræ Rigenzæ, nec non dilecti filii nostri Rodulfi, dedimus in eleemosynam libere et absolute Locum Dei, antiquitus dictum *Sta-* 1255.

(1) Comment. et Docum. ad Helv. Rom. spect., t. VII, p. 52.

(1) T. I, p. 626.

dowe, cum pertinentiis suis, et aquis adjacentibus, a loco qui dicitur *Orpunt* usque *Meinrieth*, ordini Præmonstratensi, per manus religiosorum virorum abbatis et conventus Bellelagiæ, ordinis memorati, Basiliensis diœcesis, in eorumdem provisione et ordinatione præfatum Locum Dei perpetualiter submittendo; tali conditione tamen apposita, ut, cum de bonis nostris et aliorum bonorum hominum eleemosynis ibidem poterit abbatia construi, de consilio Laci Juris, Bellelagiæ, Fontis Andreæ abbatum et nostro construatur. Hujus rei testes sunt Willelmus, Henricus, Stephanus, supra scriptorum locorum abbates; Conradus, canonicus Bellelagiæ; Petrus, incuratus de Belno, Conradus de *Nuerol*, sacerdotes; Ulricus, nobilis de *Ulvanch*, miles, et alii quam plures. Ne autem talis donatio nostra in posterum possit infirmari, sigillo nostro fecimus præsens scriptum communiri. Datum *Arberch*, anno Dom. MCCLV, in octava Nativitatis Mariæ Virginis.

LIV.

E sch. Droz. *Litteræ episcopales de quadam pactione inter Humbertum de Fernag et monachos Altæ Ripæ.*

1256. Nos Joannes, miseratione divina Lausannensis episcopus, notum facimus universis Christi fidelibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, quod religiosi viri abbas et conventus Altæ Ripæ, Cisterciensis ordinis, nostræ diœcesis, promiserunt bona fide et tenentur pitantire 366 pauperes, in pane et caseo, annis singulis, pro remedio animæ nobilis viri Humberti de *Fernag*, militis, et antecessorum suorum; qui dominus Humbertus prænominatus abbati et conventui propter hæc singulis annis, dicto termino, facienda in perpetuum ab ipsis, dedit et concessit 45 libras Lausannensis monetæ in pecunia numerata; quam pecuniam dicti abbas et conventus in utilitatem suæ ecclesiæ esse conversam confitentur; et sæpe dictus abbas et conventus assignaverunt facienda super omnibus suis possessionibus et præcipue super grangiis suis de *Luxie* et de *Favarges*, et appenditiis earum, si ea quæ dicta sunt non adimplerent. Si vero sæpe nominati abbas et conventus prædicta non facerent prout dictum est, nos ipsos non deffendemus, nec deffendere tenemur, imo ipsos ad hæc facienda compellere debemus. Prædicta vero eleemosyna, dictis pauperibus concedenda, fieri debet in domo dicti Humberti, apud Rotundi Montem. In cujus rei testimonium nos sigillum nostrum, ad preces dictorum abbatis et conventus, cum sigillo ejusdem abbatis, præsenti paginæ apponi fecimus. Datum anno Dom. 1256, Dominica qua cantatur *Lætare Jerusalem*.

LV.

Ex edit. recenti (1). *Pactum inter Joannem episcopum et Petrum de Sabaudia.*

1260. Joannes, Dei miseratione episcopus ecclesiæ Lausannensis, universis præsentes litteras inspecturis salutem et notitiam rei gestæ. Quoniam personam carissimi consanguinei nostri illustris viri domini Petri de Sabaudia quærendis et procurandis nostris et ecclesiæ nostræ utilitatibus fore novimus plurimum opportunam, considerantes quod gratis præventus beneficiis nostræque munificentia largitatis circa prædicta tanto magis indefesso studio laborabit quanto eum majoribus

A prærogativis duxerimus honorandum, nos, habita super hoc plenaria deliberatione, propter evidentem utilitatem nostram et ecclesiæ nostræ, medietatem totius temporalis jurisdictionis quam habemus et habere debemus in civitate, vico et infra banna Lausannæ, tam in bannis, clamis, justitiis, occasionibus, faureriis, quam etiam eschetis, ita tamen quod si possessiones venirent in eschetam, venderentur, et pretium inter nos communiter divideretur, et donec venderentur dividerentur inter nos proventus et exitus earumdem, excepta laude possessionum quæ venduntur, prout prædicta ad nos pertinere noscuntur, eidem domino Petro ad vitam nostram concedimus et donamus. In cujus donationis et conces-
B sionis testimonium et memoriam evidentem præsentes litteras conscribi jussimus, et sigilli nostri impressione muniri. Datum Lausannæ, in festo B. Laurentii, anno Dom. 1260.

LVI.

Joannes episcopus fundationem Filiæ Dei approbat. E schedis Droz. (1).

Joannes, Dei gratia episcopus Lausannensis, universis præsentes inspecturis rei gestæ notitiam cum salute. Quoniam ex officii nostri debito pia desideria permovere tenemur, idcirco dilectis in Christo filiabus Juliettæ de Villa et suis consodalibus vitam religiosam ducere cupientibus, et 1269.
C instanter petentibus ut apud *Romont*, nostræ diœcesis, in loco ubi resident, parochiæ de *Villaz*, cum assensu curati loci, auctoritate nostra sibi liceat monasterium construere sanctimonialium, ordinis S. Benedicti, benigno favore concedentes, duximus indulgendum, et locum ipsum Filiam Dei in posterum appellandum. Quem videlicet locum et ordinem prædictum eisdem confirmamus, et omnia quæ in præsenti habent et possident, et tam præsentes quam futuras loco eodem Deo et gloriosæ matri suæ pro tempore servituras, cum omnibus rebus habitis, vel legitime acquirendis, sub protectione nostra et successorum nostrorum recipimus, ut sic divinis officiis vacare possint feliciter et devote. In cujus rei tes-
D timonium præsentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum anno 1268, mense Februario.

LVII.

Albertus rex Gerardo episcopo regalia jura confert. Ex edit. recenti (2).

Albertus, Dei gratia Romanorum rex semper augustus, universis sacri Romani imperii fidelibus præsentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum. Romani imperii celsitudo consurgens antiquitus et fundata mirifice super immobile firmamentum excellentiæ prærogativa qua viguit columnis meruit stabilibus stabiliri, et egre- 1302.
E giis ædificiorum juncturis indissolubiliter adornari: inter quas quidem illustres principes ad totius operis machinam supportandam præcipue ut columnas voluit potiori præstantia præeminere, ut quo uberius gratiæ privilegiis insigniri se sentiunt, eo amplius debeant obsequiosæ vicissitudinis redhibitione gratuita ceteris præclarere. Sane cum venerabilis Gerhardus, episcopus Lausannensis, princeps noster dilectus, ad celsitudinis nostræ præsentiam nuper accedens, Romano imperio et nobis obsequiosæ devotionis signa prætenderit, et omnimodæ obeditionis in-

(1) Comment. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. VII, p. 56.

(1) T. XLIV, p. 209.
(2) Comment. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. VII, p. 81.

signia præsentarit, nos quoniam tanquam nostrum et imperii principem ad benevolos applausive dulcedinis admittentes complexus, regalia feoda principatus pontificalis, quem obtinet, sibi de liberalitate regia concessimus, et eumdem episcopum investivimus de eisdem, administrationem temporalium et jurisdictionem plenariam principatus ejusdem ecclesiæ prænotato episcopo præsentium serie committentes. Quocirca universis et singulis vasallis, ministerialibus et hominibus suis, et ecclesiæ suæ, damus præsentibus in mandatis quatenus ipsi Gerhardo episcopo tanquam principi nostro et suo domino intendant in omnibus humiliter et pareant reverenter. Datum in *Rinvelden*, anno Domini 1302, v cal. Januarii, indict. 1, regni vero nostri anno quinto.

LVIII.

E schedis Droz. (1). *Litteræ Gerardi præsulis de ecclesia* Melton *Loco Dei collata.*

1305. Nos Girardus, Dei gratia episcopus Lausannensis, notum esse volumus universis, tam præsentibus quam futuris, quod cum illustris vir Rudolfus comes Novi Castri, dominus de *Nydowe*, ob remedium et salutem animarum suæ et prædecessorum suorum pure et simpliciter jus patronatus ecclesiæ de *Melton*, nostræ diœcesis, quod apud ipsum dinoscitur pertinere, ad ecclesiam Loci Dei, ordinis Præmonstratensis, ejusdem nostræ diœcesis, ad abbatem et conventus ejusdem Loci transtulerit, et eisdem contulerit pleno jure, ut divinus ibidem cultus et officium valeat eo commodius et uberius exerceri, nobisque supplicaverit ut hujusmodi piæ collationi consensum adhibentes, vellemus auctoritate ordinaria confirmari, nos in præmissis ipsius comitis affectum et pium desiderium attendentes, eidem collationi assensum præbuimus, eamque tanquam justam, rationabilem et salubrem, auctoritate ordinaria præsentibus confirmamus. In cujus rei testimonium sigillum nostrum duximus præsentibus apponendum. Datum Lausannæ, anno Dom. 1305, vigilia Assumptionis B. Mariæ.

LIX.

Ex edit. recenti (2). *Canonici Lacus Jurensis omnia sua bona Aymoni de Sarrata in quindecim annos obligant.*

1324. Nos frater Joannes de Lustriaco, divina permissione abbas humilis abbatiæ Lacus Jurensis, Præmonstratensis ordinis, Lausannæ diœcesis, totusque conventus ejusdem loci, notum facimus universis quod nos, scientes et spontanei, nulla machinatione circumventi, plene instructi de jure et de facto nostro, habito super hoc diligenti tractatu et consilio in capitulo nostro, ut moris est, inspicientes et considerantes quod ecclesia nostra de Lacu Jurensi adeo erat, et est diversis et infinitis debitis oppressa, et tanta paupertate gravata, et ad tantam inopiam conversa, quod de bonis et reditibus dictæ ecclesiæ, usurarum voragine, prope diem unus solus canonicus nostrum, seu conversus, vitæ poterat sustentari, ita videlicet quod nos atque oportebat pro victualibus et necessariis nostris extra ordinem et claustrum vagabunde dispergi et verecunde mendicare, divinum cultum nos oportebat ibidem omnino relinquere, et ab eo cessare, ob defectum victualium et oppressi nimia paupertate, nos

(1) T. XLIV, p. 270.
(2) Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. I, part. 2, p. 192.

E igitur avide cupientes statum dicti monasterii nostri in melius reformare, divino auxilio inspirante, dimisimus et dimittimus, concessimus et concedimus ac deliberamus per præsentes, prout melius et sanius potest intelligi, aut exprimi, viro nobili Aymoni *de Montferrand*, domino de Serrata, advoerio et gardiatori nostro, et fundatori ecclesiæ nostræ prædictæ, per successores suos, ab antiquo, videlicet per spatium quindecim annorum tantum, et non ultra, a data præsentium inchoandorum et continuo subsequendorum, prædictum locum nostrum Lacus Jurensis, cum suis pertinentiis et appenditiis universis, fructibus, reditibus, exitibus, proventibus, juribus, rationibus, actionibus quibus-B cumque, ad dictam ecclesiam nostram et ad nos spectantibus, seu pertinentibus quoquo modo, videlicet in terris, pratis, ochiis, hominibus, vineis, pascuis, decimis, furnis, molendinis, baptitoriis, aquis, aquarum decursibus, pasturis, et aliis rebus quibuscumque, sub forma et conditionibus inferius denotatis. Imprimis quod dictus dominus Aymo, dominus de Sarrata, et sui debent ad præsens et in instanti, et possunt per conditiones expressas inter nos factas intrare, subire, tenere, possidere et habere, durante termino prædicto tantum, omnes res et possessiones, fructus, reditus et proventus, ac exitus nostros dicti loci, quos et quas habemus et habere debemus in villa de Sallinis et ejus territo-C riis, in quibuscumque rebus existentibus in villis et territoriis de Monte Villa et de *Lapraz*, et decimis eorumdem, prata, pascua nostra et nemora, quæcumque sint, quorum possessionem ad præsens habemus, aut habere debemus, quoquo modo, in quibuscumque locis existant, quæ prædictus dominus de Sarrata vice et nomine nostri, ad præsens et in futurum, poterit ad se trahere, nancisci ac vindicare, tali conditione in præmissis apposita, quod prædictus Aymo, dominus Sarratæ, debet et tenetur, durante termino quindecim annorum prædictorum, pro cultu Domini in eadem abbatia exercendo, tribus aut quatuor fratribus, canonicis et conversis, ibidem existentibus, in victualibus et vestitibus D decenter providere, una cum abbate dicti loci, qui nunc est, et qui pro tempore fuerit, atque, processu temporis, majorem quantitatem fratrum tenere in dicta abbatia, si ejusdem abbatiæ accreverint et sufficiant facultates. Item actum est in præmissis quod tres canonici, vel conversi, debent habere pro præbenda sui vini, bis in die qualibet, tertiam partem unius quarteroni vini, ad mensuram Sarratæ. Item debet et tenetur dictus dominus de Sarrata abbati dicti loci qui nunc est, et cui pro tempore fuerit, decenter duplicem præbendam in omnibus ministrare; et debet dicto abbati tenere unum roncinum pro se, si abbas ipsum emere et tenere voluerit, et unum valletum pro persona dicti abbatis ser-E vienda, quibus, roncino et valleto, dictus dominus Sarratæ debet et tenetur expensis sufficienter ministrare. Item debet et tenetur dictus dominus de Sarrata visitatores nostri ordinis semel in anno, infra nostram abbatiam dictam, decenter recipere, si venerint, et eis more solito victualia ministrare. Animalia etiam quæ habemus, et quæ nobis sunt concessa a domino Grandissoni, et utensilia nostra, debemus et tenemur tradere dicto domino de Sarrata per inventorium. Ipse vero dominus de Sarrata, finito dicto termino, ea nobis reddere tenetur, exceptis illis animalibus quæ morte, vel alio casu fortuito, essent perempta. Item actum est inter nos et dictum dominum Sarratæ, per conventiones prædictas,

quod si aliquæ res, possessiones, reditus, sive A bona obligata, alienata, vendita, vel quovis modo distracta, ad nos et ad dictam abbatiam, ecclesiam nostram, aliquo modo reverti contingerent, aut reverti deberent, durante termino supradicto, quos illos reditus, res et possessiones, et bona quæcumque essent dictus dominus de Sarrata et sui tenere et intrare debent, ipsaque, de concessu nostro, abbatis et conventus prædicti, tenetur idem dominus Sarratæ, in utilitatem nostram et dictæ nostræ abbatiæ, ac augmentum cultus divini, exponere et penitus implicare prout sibi et nobis melius videbitur expedire; dantes et concedentes, nos abbas et conventus prædicti, præfato Aymoni, domino Sarratæ, advoerio nostro, plenam et liberam potestatem ac speciale B mandatum pro nobis, vice et nomine nostro, res et possessiones, et bona, et reditus nostros, in quibuscumque locis existant et a quibuscumque teneantur, juste vel injuste, redimendi, petendi, exigendi, recipiendi, possessionem adipiscendi atque vindicandi, ita tantum quod, finito dicto termino, nos possumus ab ipso rehabere illas res et illa bona per ipsum adepta, seu acquisita, pro eodem pretio pro quo acquisierit supradicta, quotiescumque voluerimus, a factis recollectis usque ad dominicam Bordarum immediate subsequendam : expensas vero et missiones quas dictus dominus de Sarrata vel sui facerent ac sustinuerint quoque modo, in adipiscendo, redimendo, vindicando, seu vel recuperando res, bona, C jura, reditus, possessiones et proventus nostros prædictos, et in factis, causis et negotiis nostris tractandis, ubicumque sint, et in eundo et redeundo ad nostrum capitulum et ad nostros superiores abbates, vel ad Romanam curiam, pro negotiis nostris expediendis, nos abbas et conventus prædicti tenemur ex pacto conventionum nostrarum, et promittimus sub observandis religionis nostræ et sub hypothecqua et expressa obligatione omnium rerum nostrarum et bonorum nostrorum, præsentium et futurorum, præfato domino de Sarrata et suis integre reddere, et penitus resortire, et super iis sibi credere, suo tantum simplici juramento, loco plenæ probationis, sine aliqua dictarum expensarum, aut missionum, D declaratione, vel monstra, et hoc antequam bona et reditus nostros reddere teneantur, cedentes et concedentes dicto domino Sarratæ omnia jura et omnes actiones nobis competentes. Item promittimus, nec possumus aliquid de dictis bonis vendere, vel alienare, durante dicto termino, nec aliquem canonicum recipere, aut conversum, nisi de expressa voluntate dicti domini Sarratæ, et prædicta omnia attendere, et, si contrarium faceremus, videlicet quod, durante dicto termino, aliquem canonicum, vel conversum, reciperemus, seu aliquid de bonis dictæ abbatiæ alienaremus, nisi de voluntate dicti domini Sarratæ, nos, in eo casu, volumus accresci terminum per duos annos in quolibet actu contrario ultra terminum E prædictum. Per aliquam autem possessionem, seu tenueriam, quam, durante dicto termino, vel post, præfatus dominus de Sarrata, vel sui, habebunt in loco, et rebus, et possessionibus, et reditibus prædictis, ipsi mutare non possunt, quin nobis et successoribus nostris dicta bona et reditus nostros reddere teneantur, quia in pactum deductum est, satisfacto sibi de expensis et missionibus prædictis, prout superius est expressum. Nec possunt prædictus dominus de Sarrata nec sui aliquid dannosum facere in prædictis, salvo alto dominio, et etiam mero et mixto imperio, quod debet dictus dominus Sarratæ habere, et habet, tanquam advoerius, in dicto loco nostræ abbatiæ, et in locis et territoriis ejusdem, tam ultra lacum dictæ abbatiæ quam infra, seu circa, quæ sibi debent et suis hæredibus salva remanere nunc et in futurum. Renuntiantes in hoc facto, nos prædicti abbas et conventus, per juramenta nostra et sub voto nostræ religionis, quilibet nostrum in solidum prout sibi competit, omni exceptioni doli, mali, metus, læsionis, deceptionis, circumventionis, actioni in foro, omnibus privilegiis ordinis nostri impetratis et impetrandis, realibus et personalibus, pactioni in contrarium factæ vel faciendæ, relaxioni juramenti, officio et implorationi judicis, actioni, dividendæ constitutioni ob jus porrectum, et juri nonnullarum constitutionum, omni auxilio ordinario et extraordinario, beneficio restitutionis in integrum, et omnibus aliis exceptionibus juris et facti, per quas venire possemus contra prædicta, vel aliqua de prædictis, in totum vel in partem, et juramus contra non venire, sed promittimus attendere et observare. In quorum omnium testimonium præmissorum nos abbas et conventus prædicti sigilla nostra præsentibus litteris duximus apponenda. Datum et actum in cœnobio nostro dictæ ecclesiæ nostræ Lacus Jurensis, Sabbato ante festum B. Michaelis archangeli, anno Dom. 1324.

LX.

Litteræ Joannis papæ XXII, quibus ecclesia Meldunensis, ecclesiæ Lausannensi unita, ab ea disjungitur. *E sch. Droz.* (1).

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Romanus Pontifex, cui 1329.
ecclesiarum omnium et ecclesiasticorum bonorum dispositio plenaria divinitus est commissa, ecclesias et bona earum interdum unit, subjicit et concedit, interdum vero exunit et dividit, prout secundum providentiæ suæ salubre consilium, locorum et temporum conditione pensata, conspicit expedire. Sane sicut oblata nobis venerabilis fratris nostri Joannis, episcopi Lausannensis, petitio continebat, olim bonæ memoriæ Petro, episcopo Lausannensi, proximo prædecessore ejusdem Joannis episcopi, tunc vivente, significante nobis quod ipse et ecclesia Lausannensis gravibus erant oppressi oneribus debitorum, ad quorum relevationem et ad debitam hospitalitatem et alia eis incumbentia onera supportanda, eorum facultates minime suppetebant, et supplicante nobis sibi et dictæ ecclesiæ super iis per sedis apostolicæ providentiam subveniri, nos, volentes ipsis de illo in hac parte subventionis remedio providere, per quod commodius possent a prædictorum onerum sarcina liberari, dictamque hospitalitatem tenere, ac supportare alia onera supradicta, parrochialem ecclesiam de Melduno, Lausannensis diœcesis, ad ejusdem episcopi Lausannensis collationem spectantem, cum omnibus juribus et pertinentiis suis episcopali mensæ Lausannensi auctoritate nostra in perpetuum connecti mandavimus et uniri, certis super hoc per nostras litteras exsecutoribus deputatis, qui postmodum, cum dicta ecclesia per obitum quondam Petri Salterii, rectoris ejusdem ecclesiæ, vacavisset, ecclesiam cum omnibus juribus et pertinentiis eidem mensæ auctoritate apostolica perpetuo univerunt et etiam applicarunt; verum eo quod dicta ecclesia de Melduno in solemniori loco et capite totius terræ dilecti filii nobilis viri Ludovici de Sabaudia, domini Vuaudi, consistit, et non (per) vicarium regi, sed gubernari consueverit

(1) T. XLIV, p. 343.

per rectorem, propter unionem prædictam in populo dicti loci de Melduno grave scandalum est exortum, propter quod præfatus Joannes episcopus, qui gaudere non poterat commodo hujus unionis, nobis humiliter supplicavit et unionem et applicationem hujusmodi dissolvere et cassare, dictamque ecclesiam a prædicta mensa eximere, et eam in pristinum statum in quo erat ante unionem hujusmodi reducere, dictæque mensæ de recompensatione alia providere paterna diligentia procuraremus. Nos itaque, propter prædictas causas, ejusdem episcopi supplicationibus inclinati, prædictam ecclesiam de Melduno, eidem mensæ, ut præmittitur, unitam, cum omnibus juribus et pertinentiis supra dictis, a prædicta mensa auctoritate apostolica eximimus, dictam unionem et applicationem de ipsa mensæ prædictæ factas, et litteras nostras super hujusmodi unione et applicatione confectas auctoritate apostolica prædicta cassantes totaliter ac etiam revocantes, volentes quod præfata ecclesia deinceps, non per vicarium, sed per rectorem proprium valeat gubernari; decernentes etiam ex nunc irritum et inane, si secus super his et quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ exunionis, cassationis, revocationis, voluntatis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem super hoc attentare præsumat, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum se noverit incursurum.

Datum Avenione, x cal. Octobris, pontificatus nostri anno quarto decimo.

LXI.

E Monum. Hist. Novi Castri.

Pactum inter comites Radulfum de Novo Castro et Radulfum de Nidowa super electione abbatis Herilacensis.

1332. Nos Rudolfus, dominus Novi Castri et Ludovicus filius ejus, ex una parte, et Rudolfus de Nidowa, comites, ex parte altera, notum facimus universis quod cum dissensiones et scandala mota fuerint temporibus retroactis super vacationibus abbatum in ecclesia, seu abbatia Erliacensi, et nunc vacet per obitum domini Nicholai, quondam abbatis dicti loci, nos dictæ partes convenimus, pro evitandis dictis dissensionibus et scandalis, in hunc modum, videlicet quod nos prædictus dominus Rudolfus, comes de Nidowa, volumus et concedimus quod prædictus dominus Rudolfus, dominus Novi Castri, comes, hac vice de electione celebranda possit ordinare prout sibi videbitur expedire; et si aliqui monachi de dicta abbatia essent super hoc rebelles in aliquo, promittimus ipsos inducere prout melius poterimus, bona fide, quod ipsi petitionibus dicti domini Rudolfi, domini Novi Castri, acquiescant. Nos vero prædicti Rudolfus, dominus Novi Castri, et Ludovicus ejus filius, comites, volumus et concedimus, et pro nobis et hæredibus nostris promittimus, vice versa, quod, quamprimum alias dictam abbatiam vacare contigerit, dictus dominus Rodulfus, comes de Nidowa, vel hæredes sui, de electione inibi celebranda possit ordinare prout sibi videbitur expedire; et si aliqui monachi de dicta abbatia tunc essent super hoc rebelles in aliquo, promittimus, pro nobis et hæredibus nostris, ipsos inducere prout melius poterimus, bona fide, quod ipsi petitionibus dicti domini Rudolfi, comitis de Nidowa, vel hæredum suorum acquiescant; quod si forte acquiescere prædictis petitionibus noluerint, nos vel hæredes nostri dictis monachis non debemus contra dictum dominum comitem de Nidowa, vel hæredes suos, dare auxilium, consilium, vel juvamen. Volumus etiam et ordinamus nos partes prædictæ, quod prædictæ promissiones et ordinationes durent perpetuo, ita quod quando una electio fiet de voluntate partis unius, quod alia immediate sequens electio fiat de voluntate et consensu alterius partis nostrorum comitum prædictorum nostrorumque hæredum successive, fraude et dolo penitus circumscriptis; promisimus et promittimus siquidem unaquæque pars nostrorum alterius (1), quod nos non permittemus quod abbates futuri in dicta abbatia aliquas faciant distractiones vel alienationes, venditiones, vel feodales concessiones quibuscumque personis, de bonis, hominibus, nemoribus, rebus et possessionibus dictæ abbatiæ, quocumque nomine censeantur, nisi de scitu et consensu illius partis, vel domini, in cujus dominio vel advocatia dicta bona et possessiones consistant, in quibus tales alienationes præsumerent attemptare. In quorum omnium robur, evidens et testimonium, sigilla nostra, videlicet partium prædictarum, præsentibus sunt appensa. Datum et actum in Novo Castro, secunda die mensis Junii, anno Domini MCCCXXXII.

LXII.

Joannis episcopi litteræ de canonicis Lacus Jurensis homicidii reis. Ex edit. recenti (2).

1336. Nos Joannes, Dei gratia episcopus Lausannensis, notum facimus universis, quod, quum ad aures nostras pervenisset quod quidam canonici abbatiæ Lacus Juriensis, Præmonstratensis ordinis, Lausannæ diœcesis, motu diabolico et odii fomite, toxicassent et toxicari procurassent virum innocentem et religiosum, dominum Humbertum de Friburgo, abbatem de novo creatum in dicta abbatia Lacus Juriensis destituta pastore, nos, nolentes tam horrendum scelus et factum judaicum sub dissimulatione transire, ne sanguis de nostris manibus requiratur, ad inquisitionem dicti facti processimus in hunc modum. Primo, capi fecimus apud Insulam Perrodum de Loco, clericum, qui dicebatur manus suas dictæ toxicationis esse pollutus: qui clericus captus, sub periculo animæ suæ nobis retulit et confessus fuit, simpliciter et de plano, præsentibus quam pluribus fide dignis, quod frater Joannes *Cuastron*, dictæ abbatiæ canonicus, qui prior exstiterat, causa dictæ toxicationis sibi tradidit toxicum et venenum per quod dictus abbas et socius suus fuerunt toxicati. Cupientes itaque ne factum prædictum remaneret impunitum, capi mandavimus et jussimus, in prædicta abbatia, dictum fratrem Joannem *Cuastron* per Vullielmum de *Pampigniez*, familiarem nostrum, et per Joannem de Dallieno, domicellos, qui domicelli et commissarii nostri in hac parte venti, cum quibusdam coadjutoribus de terra domini *de Cossonay*, nobis dictum fratrem Joannem *Cuastron* adduxerunt in nostra prisone captivatum. A quo quidem fratre Joanne inquisivimus veritatem dicti sceleris perpetrati, coram certis publicis notariis et testibus fide dignis. Super quo nobilis vir Aymo, dominus de Sarrata, advoerius et fundator, ut asserit, ab antiquo dictæ abbatiæ, merum et mixtum imperium et jurisdictionem omnimodam obtinens, ut asserit, in eadem, nobis graviter est conquestus, dicens, asserens et allegans quod ipsum fratrem Joannem, seu quem-

(1) Forsan *alteri*.
(2) Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. I, p. 211.

quam alium, capi fecisse non debuissemus in A loco abbatiæ prædictæ, jurisdictionis suæ, nisi per manum suam, aut gentium et familiarium suorum. Quare nos cum instantia requisiit quod nos ipsum fratrem Joannem *Cuastron* remitteremus eidem, ad faciendum et remittendum prout esset rationis. Nos igitur, de consilio peritorum, præsente dicto domino Humberto, abbate dictæ abbatiæ, remisimus et remittimus, mandamu per nostrum baillivum Lausannæ dicto domino de Sarrata dictum fratrem Joannem *Cuastron*, ad hoc quod ipsum remittat et transmittat dicto Præmonstratensi ordini, secundum excessus et sua delicta et statuta dicti ordinis puniendum, et tali pœna quod cedat ceteris in exemplum. Vullielmus vero de *Pampigniez* et Joannes de Dal- B lieno prædicti confessi sunt, et attestati sunt, et asserunt in veritate quod ipsi, tanquam familiares nostri, et de mandato nostro, prædicta fecerunt, et quod non vocaverunt secum aliquos de terra domini *de Cossonay* nisi in adjutorium eorumdem, et quod prædicta non fecerunt de alterius domini, vel personæ, mandato, voluntate, vel consensu; quod quidem dominus Aymo, dominus *de Cossonay*, scienter et sponte testificatus est et confessus fuit in veritate esse verum, nolens idem dominus *de Cossonay* quod per dictam captionem factam in dicta abbatia, ut prædicitur, per dictos domicellos, de dicto fratre Joanne, alicui in suo jure præjudicium generetur. In cujus rei testimonium nos præfatus episcopus, tam pro nobis C quam ad preces et requisitiones dicti Aymonis, domini *de Cossonay*, Vullielmi de *Pampigniez* et Joannis de Dallieno prædictorum, sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Datum Lausannæ, die tertia mensis Martii, anno Dom. 1335.

LXIII.

Ex edit. recent. (1).

Amedeus, comes Sabaudiæ, jura episcopi, ecclesiæ et civitatis Lausannensium recognoscit.

1356. Nos Amedeus, comes Sabaudiæ, dux Chablaisii et Augustæ, et in Italia marchio et princeps, notum facimus universis quod nos, cum dominus D noster carissimus dominus Carolus, divina favente gratia Romanorum imperator et semper augustus, ac Bohemiæ rex, nobis et nostris causarum appellationum civilium et criminalium, vel aliarum quarumcumque, commissarum, vel committendarum, ab omnibus et singulis, tam ecclesiasticis et sæcularibus, existentibus ad præsens et in futurum, in nostro Sabaudiæ comitatu ac infra limites et pertinentias ejusdem comitatus, cognitionem, decisionem et audientiam concesserit, et indulserit gratiose, (quæ) ad ipsum dominum imperatorem et Romanum imperium pertinebant, et pertinere debebant, prout in dicti domini imperatoris litteris et privilegio plenius continetur, quorum occasione reverendus in E Christo pater dominus Aymo *de Cossonay*, episcopus Lausannensis, necnon capitulum, cives et subditi Lausannenses, nos ad præmissa et ea tangentia receperint et admiserint gratiose, juxta tenorem privilegii prædicti, recognoscendo hujusmodi subjectionem et jura ad nos et nostros in ipsos et ipsorum successores pertinere, hinc est quod nos, volentes ipsos tractare favoribus gratiose, dictis episcopo, capitulo, civibus et subditis Lausannensibus, pro se et suis successoribus, pro nobis et nostris, omnia et singula infra scripta concedimus et pariter indulgemus.

Primo quod commissarius noster et successorum nostrorum, deputatus et deputandus circa dictas appellationes et earum audientiam, juret pro nobis et successoribus nostris episcopum, capitulum Lausannense, eorumque homines, res et bona, jura et jurisdictiones, franchesias, libertates, consuetudines Lausannenses, illæsas servare, non infringere, et bona fide servare, tuerique et oppressionibus defendere, et juvare in tuitione et recuperatione suorum jurium. Item idem et burgensibus, civibus et probis hominibus, eorum rebus et bonis Lausannæ et Vallis Lustriaci intendimus et volumus observare. Item quod dictus commissarius qui pro tempore fuerit de causis prædictis cognoscat et cognoscere possit Lausannæ, secundum consuetudinem ibidem hactenus observatam, faciendi fideliter juxta ipsam consuetudinem justitiæ complementum. Item quod consuetudo quæ est ibidem, ut a castellanis majoribus et aliis officiariis episcopi ad baillivum, et de baillivo ad episcopum, seu ipsius specialem commissarium, appelletur, illæsa debite servetur. Item quod a sententia, sive passamento, dicti commissarii nostri ad ullum alium ulterius appelletur. Item quod nos prædictos episcopum, et capitulum, singulas personas eorumque subditos, jura, res et bona defendere, justitia mediante, et custodire ab omni vi et violentia et oppressione fideliter ubilibet teneamur bona fide, quamdiu coram nobis vel nostrorum deputato parati erunt effectualiter facere conquerentibus justitiæ complementum, prout et quemadmodum imperator tenebatur ante concessionem præsentem. Item quod ubi papa, vel imperator, seu alius, dictum episcopum præsentem et futurum, super prædictis modo aliquo molestarent, vel alias, ut supra, nos tueri et defendere eumdem debite teneamur, et eidem favorem et auxilium impendere requisitum. Item quod nos, vel commissarius noster, fines sui privilegii antedicti excedere non possimus, nec debeamus. Item quod nullum impedimentum apponemus in posterum quominus dictus dominus episcopus, ejus capitulum et quilibet per se, vel singulariter et conjunctim castellani et officiarii eorum, libere possint justitiam facere et jurisdictiones suas libere exercere, prout soliti sunt temporibus retroactis, nec aliquid de eorum juribus, seu jurisdictionibus quibuscumque, nobis appropriabimus, salvis appellationibus ante dictis et pertinentiis earumdem. Promittentes bona fide universa et singula supradicta attendere, et firmiter et inviolabiliter observare, attendique facere et inviolabiliter observari, et contra in aliquo non facere aliqualiter vel venire; et ea per dictum commissarium teneri volumus et mandamus et firmiter observari. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum.

Datum Aquiani, die secunda mensis Septembris, anno Domini 1356.

LIV.

Breve Pauli II in gratiam Joannis Michaelis. E sched. Droz. (1).

Dilectis filiis civibus et burgensibus civitatis 1466. et villæ Lausannensis Paulus papa II. Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. Nuper, de consilio venerabilium fratrum nostrorum, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, providimus Lausannensi ecclesiæ tunc vacanti de persona dilecti filii Joannis Michaelis, Lausannensis electi, vobis et eisdem fratribus nostris ob suorum

(1) Comm. et Doc. ad Helv. Rom. spect., t. VII, p. 156.

(1) T. XLIV, p. 690.

exigentiam meritorum accepta, ac ecclesiæ dictæ utili et idonea, necnon, ut credimus, dilecto filio nobili viro Amedeo, duci Sabaudiæ, qui eum tanquam dilectum cancellarium suum nobis totiens antea commendavit, non immerito grata, præficiendo eum illi in episcopum et pastorem. Nunc vero intelligimus electum ipsum, causantibus prohibitionibus et resistentiis quorumdam, nullam facere diligentiam pro capienda possessione, ut sibi commissum populum regat; de quo sumus vehementer admirati. Quocirca discretionem vestram hortamur, et per apostolica vobis scripta mandamus ut eumdem electum, pro nostra et apostolicæ sedis reverentia, devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes, ei, tanquam devoti filii præfatæ Romanæ ecclesiæ et ecclesiasticæ libertatis defensores, contra quoscumque possibilibus favoribus et auxiliis assistatis, pareatis et intendatis, ut pacificam ipsius ecclesiæ possessionem consequi valeat, instando etiam apud præfatum ducem, contoralemque (1) et fratres ejus, ut hanc nostram provisionem nolint impedire, aut contra eam facere resistentiam, sub spe promotionis dilecti filii Francisci de Sabaudia, notarii nostri, eorum fratris, de qua (tam propter ætatis ejus defectum, quam etiam propter nostram ab initio nostri pontificatus deliberationem nullatenus mutandam, de non promovendo quemquam ad dignitatem episcopalem, qui non perfecerit vigesimum septimum annum ætatis suæ, quam deliberationem usque in hunc diem inconcussam servavimus, et deinceps servare intendimus) non potuimus eis complacere, et minus possemus nec faceremus iu futurum, si, quod non credimus, ejus respectu vel alias hæc nostra provisio impediretur, sed cogeremur pro honore nostro et ipsius sedis taliter providere ut ipsa nostra provisio debitum effectum haberet, et contrariantes censuris ecclesiasticis et aliis opportunis juris remediis constringerentur; quod tamen non posset esse nisi molestum nobis, qui confidimus nos taliter in præmissis facturos et operaturos quod nobis ad similia pervenire non sit opus, sed ipse electus in vobis devotionis filios et vos per consequens in eo patrem invenire benivolum gaudeatis.

Datum Romæ, apud S. Marcum, sub annulo piscatoris, die 18 Novembris 1466, pontificatus nostri anno tertio.

LXV.

E sch. Droz. (2). *Epistola Leonis papæ ad episcopos Sedunensem et Bellicensem de restauratione Lausannensis ecclesiæ.*

1514. Dilecte fili noster et venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Exponi nobis fecerunt dilecti filii capitulum ecclesiæ Lausannensis, quod videlicet ecclesia Lausannensis sumptuoso et firmissimo opere, etiam marmoreo, in portis et aliis locis fabricata fuisset, nihilominus venerabilis frater Aymo, modernus episcopus Lausannensis, a quindecim annis vel circa decursis, asserens se velle eamdem ecclesiam pulchriori et moderno opere decorare, portam et forsan alias illius structuras et ædificia etiam marmorea, destrui et demoliri fecit, eamque, videlicet incœptam, ulterius reficere non curans, et ruinis plenam dimittit, et quamvis ordinis S. Benedicti professor ac senio confectus existat, et ex eadem ecclesia et illius fructibus, reditibus

A et proventibus ecclesiasticis, annis singulis, quinque millia ducatorum auri, vel circa, percipiat, tamen, parum de suæ animæ salute cogitans, quæ in refectione dictæ ecclesiæ exponere deberet suis consanguineis et forsanis, castris et aliis pro eis emptis, ac forsan pecuniam, quod sacrilegum est, conferre, et matrimonium cum dicta ecclesia contractum fœdare non erubescit, eam, propter dictam demolitionem, sordibus, pluvie et ventis quibus luminaria exstinguuntur subjici non curando. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præmissa sint mali exempli, et ex tarditate refectionis hujusmodi prædicta ecclesia in deteriores casus incidere posset, turpeque et abominabile sit ecclesiam prædictam, quæ in B finibus Helvetiorum plurimum est notabilis, a proprio prælato sic tractari, et, nisi a dicto Aymone vivente reficiatur, verisimiliter creditur quod ejus successor operis magnitudinem recusabit, ad cujus etiam perfectionem fabricæ ejusdem ecclesiæ reditus brevi tempore non sufficerent, pro parte eorumdem capituli, ad quos hujusmodi cura pertinet, quodque propterea multotiens præfatum Aymonem episcopum interpellari fecerunt, nobis fuit humiliter supplicatum ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, attendentes canonicas sanctiones quibus prælati et rectores ecclesiarum eas non demoliri, nec destruere, et construere et reficere debent, hujusmodi supplica- C tionibus inclinati, vobis per præsentes committimus et mandamus quatenus vos vel alter vestrum, per vos, vel alium, seu alios, si evocato dicto Aymone episcopo et dilecto filio Sebastiano de Monte Falcone, coadjutore cum futura successione, eidem Aymoni episcopo, et episcopatus Lausannensis auctoritate apostolica, ut dicitur, deputato, et aliis qui fuerint evocandi, summarie, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura judicii, sola facti veritate inspecta, appellatione remota procedendo, vobis de prædicta demolitione constiterit per idoneos et expertos architectos, per vos eligendos, quanta pecunia pro perfectione hujusmodi fabricæ opus sit æstimari faciatis, ac præfatum Aymonem episcopum ut in- D fra aliquem brevem terminum, arbitrio nostro moderandum, pecuniam sic æstimatam hujus modi apud locum securum, seu personam fide et facultatibus idoneam, realiter et cum effectu deponat, moneatis. Alioquin, eodem termino elapso, omnia et singula castra et alia bona per præfatum Aymonem episcopum, ex dictæ ecclesiæ et aliis proventibus ecclesiasticis, suo vel alio nomine empta et retenta, et consanguineis, vel aliis, directe vel indirecte collata libere apprehendatis et apprehendi faciatis, et in perfectione dictæ fabricæ exponatis, et nihilominus, quia verisimiliter eadem non sufficerent, omnes et singulos fructus, reditus et proventus prædictos, reservata eidem Aymoni episcopo portione congrua pro illius victu, nostro arbitrio moderanda, sub firmo E et arcto sequestro, usque ad perfectionem prædictam, sub censuris et pœnis in ..... ad compescendum contentis, observando ponatis, et illorum pretia, ut præfertur, deponi et custodiri, ac per idoneos et expertos magistros ad dictæ ecclesiæ perfectionem et continuationem procedi faciatis per censuras ecclesiasticas et alia juris opportuna remedia, oppositione... postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, non obstantibus decretis Bonifacii papæ VIII, prædecessoris nostri, quibus inter alia cavetur ne quis ad civitatem ac ditionem nisi in certis exceptis casibus, nec in ullis ultra unam dietam a fine.... ad judicium evocetur, seu ne

(1) Scilicet *uxorem*, ob communitatem *tor.*
(2) T. XLIV, p. 779.

judices a sede apostolica deputati, extra civitatem et ditionem in quibus deputati fuerant, contra quoscumque procedere, aut aliis, vel aliis, vices suas committere præsumant.

Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo A piscatoris, die 21 Februarii MDXIII (1), pontificatus nostri anno primo.

(1) Lege 1514.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ BASILEENSIS.

I.

Ex Als. Diplom. (1).

Childericus II servos monasterio S. Gregorii confert.

673. CHILDERICUS rex Francorum, vir inluster, Chadicho duce, Rodeberto consule. Illud nobis ad stabilitate regni nostri procul dubium credimus pertinere, si petitionibus sacerdotum, in quo nostris fuerint auribus prolatæ, perducemus ad effectum. Ideo cognoscat magnitudo, seu utilitas vestra, quia nos homines illos qui conmanunt in *Monesensishaim* et *Onenhaim*, quantumcumque ipsi ad partī fisco nostro retebant, tam freda quam reliquas functiones, Valedio abbate ad monasteriolo Conflentis hoc plena et integra voluntate visi fuimus concessisse. Quapropter jubemus ut neque vos, neque juniores, seu successoresque, vestris idem ex hoc contrarie non existetis, nisi, sicut diximus, quantumcumque memorati homines, qui in ipsas de quas villas conmanere videntur, totum et ad integrum ipsius Valedio abbate omnes functiones reddere debeant. Et ut hæc præceptio pleniorem obtineat vigorem, manus nostras subterscriptionibus subter decrevimus roborare. Childericus rex recognovit. Datum sub die quarto quod fecit mensis Martius, anno XIII regni nostri.

II.

Ex edit. Brequin.

Diploma Theodorici IV, quo dona monasterio Morbacensi collata confirmat.

727. THEODERICUS, rex Francorum, viris apostolicis patribus episcopis, necnon inlustribus viris, patriciis, comitibus, vel omnibus agentibus, tam præsentibus quam futuris. Si petitionibus sacerdotum quod ad proprietatem ecclesiarum pertinet devota mente præstamus, retributorem omnium bonorum Dominum Jesum Christum ex hoc nos habere confidimus. Igitur dum et venerabilis vir Perminus, gratia Dei episcopus, nostris temporibus cum monachis suis, Deo inspirante, pro evangelio Christi peregrinatione suscepta, monasterio virorum in heremi vasta, quæ Vosagus appellatur, in pago Alsacinse, in loco qui vocatur Vivarius Peregrinorum, qui antea appellatus est *Muorbach*, in alodo fidele nostro Eborhardo comite, cum ipsius adjutorio, Deo donante, conatus est constituere, vel cœnobio sancto ibidem instituere in honore Dei et genetricis Domini nostri Jesu Christi, semper virginis Mariæ, seu S. Michaelis archangeli, vel SS. Petri et Pauli, beatis apostolis, et S. Leudegaris martyris, cum sociis eorum, ubi ipsi famuli Dei sub sancta regula solitariam vitam fruantur, petiit ipse vir Dei Perminus episcopus serenitati nostræ, cum ipso jam nominato fidele nostro Eborhardo comite, talem ob hoc nostrum emanare præceptum de omni corpore possessionis ipsius monasterii, quicquid ad præsens tenere vel donare videtur, aut quod inantea a quocumque, Deo inspirante, ibidem recte fuerit conlatum vel delegatum, per nostrum præceptum deberemus in Dei nomen plenius confirmare. Quod nos pro mercede nostra in omnibus fecisse cognoscite: et ad prædictis A famulis Dei talem emisimus decretum, ut nullus episcoporum, nec præsentes, nec qui fuerint successores, nec eorum ordinatores, ut quibuscumque judiciaria potestas, pro quocumque ingenio possint quocumque ordine de loco ipso aliquid auferre aut abstrahere; ut facilius liceat ipsa familia Christi, quæ ibidem in Dei nomine adunare desiderant, eorum rectam delegationem quiete per tempora possidere, et sancta regula conservantes proprio privilegio, quæ nobis præ manibus ostenderunt, Deo jubente, sub tranquillitate possint permanere: quia nihil de canonica auctoritate convellitur, quicquid ad talem familiam Christi, ad laudem Dei die noctuque canendam, conceditur. Idcirco, pro cœlesti intuitu, talem B nobis beneficium præstitisse cognoscite, ut maneat quicquid antefati viri Dei ad ipso monasterio conquæsiverint vel laboraverint, et quod jam dictus fidelis noster Eborhardus per sua strumenta ibidem adfirmavit, vel a ceteris conlata fuit aut fuerit, sub nostra emunitate ejus temporibus absque ullius inquietudine, Deo auxiliante, cuncta eis proficiant in augmentis. Additur tamen, etsi abbas congregationis ipsius episcopus fuerit postulatus, ut ei presbyteros vel diaconos pro missas celebrandum debeat ordinare, absque commodi acceptione instituat; et si rogatus, conditam ecclesiam, chrisma, tabulas, gradus ecclesiæ, absque commodi acceptione faciat: quod si ipse renuerit, altero quemlibet pontificem, C qui gratis hæc tribuat, licentia habeat supplicare, et ille hoc facere; et nullo unquam tempore parrochiæ ipsius pontificis, in cujus diocœse situm est monasterium, potestatem nullam habeat inquietandi, non ipse, non archidiaconus, non Ecclesiæ judices, nec censum mittere, neque pastum, neque honorem in rebus monasterii requirere non audeant. Et si abba ipsius congregationis de hac luce vocatus fuerit, nullus ibidem de alio monasterio, nec de civitate, nec pro parentela, nec ab episcopo ordinatus, neque per potestatem, neque per præmium, aut quolibet ingenio, cuicumque judici nullus præsumat inibidem abbatem ordinare, nec, quandocumque necessitas evenerit, abbatem instituere, nisi quem ipsa congregatio et melior pars elegerit, secundum quod D regula et privilegia ipsorum continet, ipsi sibi dignum constituant pastorem. Et illud nobis placuit pro integramento, vel stabilitate, regni nostri innectere, ut ipse monasterius sub defensione et tuitione Dei et nostra stirpe regia per succedentia tempora valeat consistere inconvulsum, et nulla publica judiciaria potestas, nec præsente, nec futuro tempore, in curtis, vel territoriis, ubicumque ipsius monasterii, ad causas audiendum, vel freda undique exigendum non præsumat ingredere, nec fidejussores tollere, et quicquid tam de ingenuis quam de servientibus super territoriis ipsius monasterii omni commanentibus, fisco de freda aut harebannus, unde poterat sperare ad luminaribus vel stipendiis superscriptis famu- E lis Dei et nostra indulgentia ad integrum mancipentur effectui, et nobis regnantibus, aut postmodum tempora succedentium regum, quod nos pro Dei amore et timore indulsimus quemquam hoc non præsumat convellere; sed omne quiete et integra emunitate hoc quod decrevimus inviolabile auxiliante Deo perseveret. Et, ut hæc præceptio erga ipso monasterio firmius ha-

(1) T. I, p. 4.

beatur, manus nostræ subscriptionibus subter decrevimus roborari. Theodericus, rex Francorum. Data quod fecit mense Julio, die duodecimo, anno VII regni nostri; Gundulfi villa, in Dei nomine, feliciter, Amen. Gerbaldus obtulit.

III.

Ex edit. Brequin.

Eberhardus Morbacensi monasterio dona confert.

728. QUANTUM intellectus sensusque humanus mente potest sagaci pensare atque solerti indagatione perpendere, nihil amplius valet in hujus sæculi luce de gaudiis fugitivis lucrare, quam quæ de rebus suis locis venerabilibus in alimoniis pauperum curet impendere, quatenus fragilitatem nostram, quam omnes generaliter patiuntur, priusquam subitanea transpositione eveniat, oportet pro salute animæ cogitare, ut non inveniat quemquam imparatum, et sine aliquo respectu discedat a sæculo; quin potius, dum proprio libertatis jure consistit, ex caducis substantiis in æterna tabernacula vitam quærat intrare æternam, ut inter justorum consortium desiderabilem valeat adipisci locum, et retributorem sibi præparet Dominum, uti de fructu paradisi mereatur indeficiente foveri, cujus de vivo fonte perfecta fide poscenti nec subtrahetur poculum, nec minuetur alveus, sed potius quisquis hauserit irrigatur dulcedine cœlitus, atque suavis ei flagrat odor balsami paradisi. Ergo ego in Dei nomine Eberhardus, filius Adalberti quondam ducis, ac si vilissimus Christi famulus, dum non habetur incognitum qualiter ante hos annos, una cum consensu pontificum, sacerdotum, et germano meo Leudofreudo duce, et conjuge mea Emeltrude, in re mea propria, in loco qui dicitur Maurobaccus, qui nunc vocatur Vivarius Peregrinorum, in pago Alsacensi, in honore S. Petri principis apostolorum et sanctæ Dei genitricis Mariæ ceterorumque sanctorum, a novo meo opere, in quantum mihi vires Deus dedit, monasterium ædificavi, et illis diebus, juxta quod in illo priore testamento continet, de rebus meis aliquid ditavi. Nunc autem Salvator et Redemptor humani generis, qui omnes vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, non meis meritis exigentibus, sed pro clementia sua, me in corpore visitare dignatus est, et fallax temporaleque lumen subtraxit, ut ad verum, quod ipse est, me ac si indignum perduceret lumen; etiam sua providentia, quamvis me optante, ex proprio corpore legitimum hæredem qui mihi successor existeret, similiter subtraxit. Propterea considerans qua gravor sarcina peccatorum, et reminiscens bonitatis Dei dicentis: *Date eleemosynam et omnia munda sunt vobis;* de tanta igitur miseratione et pietate Domini confisus, nullum meliorem hæredem quam Ecclesiam Christi, et qui propter nomen ipsius militant, vel pauperes fieri decreverunt, habere me judicavi. Idcirco ad monasterium supra memoratum Maurobaccus, sive Vivarius Peregrinorum, ubi venerabilis vir Romanus abbas, cum peregrinis monachis suis in servitio Dei consistere videtur, donamus a die præsente, donatumque in perpetuum esse volumus, in ducatu Alsacensi, seu in pago Troningorum, et in pago Alsegaugensi, loca indominicata, nuncupantes: *Heimonewiler*, *Chuzicha*, *Gyldulfowiler*, Chuntilingas, *Deosesheim*, seu ad Strazburgum illam vici *Hyppeneshaim*, *Hittenheim*, *Selatstat*, *Perehhaim*, *Wicheurebint*, *Otaleswiler*, *Cundolteshaim*, *Loffcia*, Waranangus, qui dicitur Villare Eberhardo, Lilenselida, *Hirzfeld*, *Flobotesheim*, Leimone, Datira, cum basilica ubi S.

A Desiderius in corpore quiescit, vel quod ad ipsam ecclesiam adspicere videtur, seu quicquid in ipso fine Dadarinse et infra præceptum Walaho continet, quem nos de Animgo seu consortes ipsius, vel de quibuscumque hominibus per venditionis titulum dato pretio comparavimus, vel ad ipsam villam adspicere videtur, necnon et Pereprangiis, *Baltowiler*, *Watonewiler*, cum basilicis ad ipsa loca adspicientibus, vel quicquid ad ipsas basilicas adspicere videtur: ista omnia, cum ceteris domibus, ædificiis, mancipiis, ministerialibus, libertis, accolabus, farinariis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumque cursibus, adjunctis, adjacentiis, appenditiis, peculium utriusque sexus, mobilibus et immobilibus, quicumque B in jam dicta loca ex successione parentum meorum mihi legibus obvenit, vel in parte contra germanum meum Leudofredum recepi, vel postea per quodlibet adtractum, Deo auxiliante, augmentavi, ut dixi, quantum in ipsa loca, vel appenditiis ad præsens possideo, totum et ad integrum ad jam dictum monasterium in alimoniis vel substantia monachorum ibidem habitantium, seu successorum eorum, vel susceptione pauperum, Christo auxiliante, a die præsenti dono atque transfundo, et de jure meo in jure et donatione ipsius monasterii, vel rectorum ipsius, trado perpetualiter ad possidendum. Similiter infra ipsum ducatum, vel supra memoratos pagos, excepto quod ad alias casas Dei, cum subscriptione manu C propria, per donationes nostras delegavimus, et quod adhuc ad ipsam vel alias casas Dei, vel quod Deo sacratæ relictæ nostræ Hemeltrudæ per donationem firmamus, vel in quatuor loca his nominibus *Maurowiler*, cum appenditiis suis in *Luterbach*, quod Amalo in beneficiatum habuimus, seu quod servus noster Bertoinus per beneficium nostrum visus est habere; hoc est, in figo Delemonte, et in *Althaim*, seu quod Haimerico in *Hilloneviler* beneficiatum habui, vel de mancipio nostro scopulicolas quas in genicio nostro habuimus, plus minus numero quadraginta; in reliquo vero, quod superest, ubicumque intra ipsos pagos nostra est possessio, vel ad vassos nostros beneficiatum habui, sic illa loca superius nominata, D a die præsente cum ceteris domibus, ædificiis, mancipiis, ministerialibus, libertis, accolabus, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, adjunctis, adjacentiis, adpenditiis, peculium utriusque sexus, mobilibus et immobilibus, ut diximus, quicquid ex successione parentum meorum legibus mihi obvenit, vel in parte contra germanum meum Leudofredum recepi, et ex quolibet attractu, Deo auxiliante, adquisivi principaliter de jure meo, in jure et dominatione jam dicti monasterii vel rectoris ipsius, omnia et in omnibus, nisi quod superius exceptavimus, totum et ad integrum trado atque transfundo ad possidendum; ut ab hac die supra memorata pars monasterii vel rectores ipsius, seu successores eorum, E habendi, tenendi, possidendi, vel quicquid de prædictis rebus pro opportunitate ipsius monasterii facere decreverint, liberum in omnibus patiantur arbitrium. Præsentem vero donationem nequaquam vilitate gestis municipalibus alligare curavimus et omnino decernimus, ne aliquando in eam ob hunc casum quisquam valeat repetere. Quod si aliqua instrumenta de ipsis villis, vel etiam alias res de nomine nostro in adversitatem prædicti monasterii quolibet ordine comprehensas, aut anterius posteriusve pernotatas, excepto quod superius exceptatum esse diximus, vel per subscriptionem manus meæ propriæ ad casas Dei ante delegavi, vel ad præsens similiter facio, quod nos intra jam dictas nec fecimus nec facere roga-

vimus, a quocumque præter istum quem firmissimum volumus esse, quolibet tempore fuerint ostensæ, nullum sortiantur effectum, sed vacua et inania appareant; auctorem vero criminis atque falsarium nec inultum tunc tempore patiatur judiciaria severa potestas. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, si ego ipse, aut aliquis hæredum aut prohæredum meorum, aut ulla opposita persona, vel etiam quislibet homo, præsentem paginam, vel quæ acta mea, quæ ego devoto animo pro æterna retributione feci et firmare rogavi, infringere conaverit, vel temptare aut minuere præsumpserit, is primitus iram omnipotentis Dei, et omnium sanctorum, vel angelorum ejus offensionem, sed et cunctæ Ecclesiæ catholicæ excommunicationem, et ab omni populo christiano se extraneum, et pœnam illam quam Dathan et Abiron aperta terra deglutivit, viventesque eos infernus absorbuit, vel damnationem quam Judas Scariottis, qui Christum tradidit et suspensus crepuit medius, sic diffusa viscera ejus igne æterno penitus intereat, vel Sodomorum interitu, qui sulphureo igne flammante consumpti sunt, et diem judicii experiendam damnandorumque omnium iniquorum consumendum se exhorrescat; et insuper, si Deum timere noluerint, judicantes principibus cum..... auri libras centum, argenti talentas centum similiter coactus insolvat, et quod repetit non vindicet; et hæc facta mea omni tempore firma et inviolata permaneant, cum stipulatione subnixa. Actum Habendo castro, sive Romasco Monte monasterio, publice, anno octavo regnante domino nostro Theodorico rege.

IV.

Ex edit. Brequin. (1). 730.

Theodo Morbaco quasdam res vendit.

Domino venerabili et in Christo patri Romano abbati, una cum sancta congregatione vestra de monasterio quod vocatur Maurobaccus, ego in Dei nomine Theodo venditu constat me vobis vendidisse, et ita vendidi, omnem portionem meam in marca *Hamarisstad*, hoc est quinium, cumque ibidem mea videtur esse possessio in terris, silvis, sicut superius diximus, quantum in ipso fine est, unde accepi a vobis sicut inter nos placuit atque convenit, in annona, vel alio pretio, valente solidos triginta, in ea ratione ut ab hac die habeatis ipsas terras, et silvas possideatis, vel quidquid exinde facere volueritis, liberam ac firmissimam in omnibus habeatis potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse, aut hæredes mei, seu quælibet persona, quæ contra hanc venditionem, quam ego spontanea voluntate fieri rogavi, venire tentaverit aut infringere voluerit, et a meis hæredibus defensatum non fuerit, imprimis omnipotentis Dei, vel angelorum ejus, offensam se perincursurum contremiscat, et insuper duplum tantum quantum a vobis accepi coactus exsolvat, et partibus auri libra una argento... quinque se damnabilem sciat, et quod petit evendicare nequeat, sed hæc venditio omni tempore firma permaneat stipulatione subnixa. Actum *Murbach* monasterio, publice, anno decimo regnante Theoderico rege, sub die XI cal. Madias. Signum Theodonis, qui hanc venditionem fieri rogavit. S. Sigranni. S. Odilhardi. S. Wiglulfo. S. Adalindi. S. Feuuilfi. S. Lantberti. S. Trodolaigi. Ego in Dei nomine Joannes lector hanc venditionem (2), dictante domino Romano abbate.

(1) Diplom. Chart. edit. nov., t. II, p. 359.
(2) Deest *scripsi*.

V.

Charta Hildefredi pro Morbaco.

Ex edit. Brequin. (1). 736.

Domino venerabili in Christo patri Romano, abbati de monasterio qui vocatur Maurobaccus, sive Vivarius Peregrinorum, in honore S. Petri et Leodegarii ceterorumque sanctorum constructum, ego Hildefredus precor et supplico gratiæ vestræ, ut mihi in usum beneficii ecclesiæ, ecclesiæ vestræ, sitam in pago Alsacensi, in locis nuncupatis, hoc est: *Dorloshaim*, *Colobosishaim*, *Bodenhaim*, *Ulcishaim*, *Hunishuns*, *Hachinhaim*, *Ercafetilshaim*, *Ensusshaim*, *Rotmarshaim*, *Eistatis*, *Grosinhaim*, *Rosusago* in *Gonzolnihuns*, in Warida, Hugilagishus in *Ossinhuns*, in *Soessas*, quæ vir illustris Eberhardus pro animæ suæ remedio delegavit, concedere deberitis, quod pro mercede vestra fecistis, ut, dum advivo, ad usufructum cum gratia vestra tenere deberem, nullum præjudicium vel diminutionem nostra possessio partibus monasterii vestri generare deberet, et, post meum quoque discessum, pars monasterii vestri in suam revocet dominationem. Et censuimus nos annis singulis in luminaribus ecclesiæ vestræ, octava die ante Pascha Domini, ceræ libras decem reddere debeam; et, si de ipso censu negligens apparuero ante, et post ipso placito infra quadringinta dies non reddidero, jam dictas res in vestram faciatis revocare dominationem. Factas precarias anno sexto decimo regnante Theoderico rege, et absque quinquennio renovatione conscriptas. Signum Hildefredo, qui hanc precariam fieri rogavit. S. Sigiddo. S. Wicfrido. S. Sigifrido. S. Alperio.

VI.

Ludovici Pii pro Morbaco privilegium.

E Spic. Eccl. Lunigii (2). 816.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludovicus divina ordinante providentia imperator augustus. Notum sit omnibus fidelibus nostris, tam præsentibus quam et futuris, quia vir venerabilis Guntramnus, abba ex monasterio quod dicitur Vivarium Peregrinorum, quod est situm in ducatu Alsatense, super fluvium *Morbac*, constructum in honore S Leodegarii et S. Petri principis apostolorum, vel S. Mariæ semper virginis, detulit nobis auctoritatem domni et genitoris nostri Caroli, bonæ memoriæ, serenissimi augusti, in qua continebatur eo quod homines liberos, qui ad prædictum monasterium tempore avi nostri Pippini regis obedientes fuerunt eo tenore ad ipsam casam Dei..... et postulavit idem Guntramnus abba, ut, sicut tempore avi nostri Pippini regis et domni genitoris nostri Caroli prædicti homines obedientes fuerunt, ita et nostro.... Præcipientes ergo jubemus, ut, sicut in eadem præceptione continetur, nullus quislibet ex judiciaria potestate, aut missi discurrentes præfatos homines liberos qui tempore domni et genitoris nostri ad prædictum monasterium deservierunt inquietare, aut calumniam generare, aut aliquam injustam contrarietatem facere præsumat; sed liceat eis, secundum eorum consuetudinem, quando melius valuerint, ad ipsum monasterium deservire, et obedientes in omnibus esse. Et ut certius hanc nostram jussionem esse credatis, de annulo nostro subter jussimus sigillari. Durandus diaconus, ad vicem Helisachar, recogno-

(1) Diplom. Chart., t. II, p. 369.
(2) T. V, p. 958. Quædam correximus ex editione D. Buquetii, Rer. Gallic. Script., t. VI, p. 495.

vit. Data xi cal. Septembris, anno Christi propitio A tertio imperii domini Ludovici augusti piissimi, ind. ix. Actum Aquisgrani, palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

VII.

E Spic. Eccles. Lunigii (1).

Charta servorum quorumdam permutationem referens.

835. Cum constet quia Ethardus, servus S. Leodegarii de monasterio *Murbach*, accepit uxorem de nobilibus parentibus, nosque parentes ejusdem humiliter postulantes ne progenies de illis procreata in servitio permaneret, quatenus propriis monasterii prædictum Ethardum cum progenie B sua redimere potuissemus, qua de re *Sigmar*, venerabilis abbas de prædicto monasterio *Murbach*, licentia a domno imperatore Ludovico accepta, dedit cum advocato suo Hartmanno, eum consensu fratrum, prædictum Ethardum, et filium ejus Gerradum, filiamque ejus Eteardam mihi Hiltibaldo, advocato eorum, seu prædictis parentibus, et accepit a nobis e contra in concambio, una eum prædicto advocato suo Hartmanno, totidem mancipia his nominibus, *Richeman*, *Tegenhant*, Wolpharda, in jus et dominationem perpetuam prædicti monasterii, ut unaquæque pars exinde habeat liberam potestatem faciendi quodcumque voluerit. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, contra hanc commutationem C venire tentaverit, quam tanta auctoritate ex utraque confecimus, aut eam infringere conatus fuerit, nulla tenus valeat evindicare quod mala voluntate inchoaverat; insuper inferat partibus fisci auri libras duas, argenti pondera tria; et hæc commutatio omni tempore firma et stabilis permaneat stipulatione subnixa. Actum Hilciaeo, palatio regio, anno vicesimo secundo imperii domni Ludoviei imperatoris. Ego Hildibaldus, advocatus, cum prædictis petentibus hanc commutationem fieri rogavi. Ego Arnoldus cancellarius scripsi et subscripsi, notavi die Martis p. x cal. Aprilis.

VIII.

Ex Als. Diplom.

D *Radulfus, rex Burgundiæ, Adalberoni, episcopo Basileensi, dat abbatiam Grandis Vallis.*

999. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Rodolfus, divina favente clementia rex Præclarius et laudabilius nostrique nominis auctoritati plus congruum esse nil omnino nostrorum comprobatur judicio, quam si in ecclesiarum Dei restaurationibus quotidianisque augmentationibus plurimum operam demus. Unde omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus innotescimus, qualiter, honesto Ageldrudis, reginæ conjugisque nostræ dilectissimæ, consentientes suggestui, ob continua Adelberonis, Basiliensis episcopi, ordine disposito fideliter nobis impensa servitia, abbatiam E S. Mariæ sanctique Germani, quam Grandem Vallem appellant, ad Basiliensem episcopatum, diversis ex casibus attenuatum, restaurationis adminiculis locupletandum, cum omnibus suis appendiciis integriter donavimus. Sit ergo deinceps, ut nobis usque, ita præfato subdita episcopatui, ejusque regimini, quemcumque Dominus loco eidem præesse concesserit. Hæc autem ut certius a nobis facta credantur, et nunquam a nobis, seu posteris nostris, infrangantur, manu nostra roporavimus et sigillo nostro insigniri jussimus.

Datum Basileæ, anno Domini DCCCCXCIX, anno regni sexto.

(1) T. V, p. 956.

IX.

Henricus II quædam bona ecclesiæ Basileensi dat. E Mon. Episc. Basil. 1005.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia rex. Quamdiu piis sacerdotum petitionibus, superaddendo quid venerabilibus illorum locis, sive episcopatibus, præberemus augmentum, æternæ remunerationis procul dubio inde nobis provenire credimus remedium. Quapropter omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, præsentium scilicet et futurorum, noverit industria, qualiter nos, interventu Adelheronis, dilecti nobis Basiliensis episcopi, quoddam prædium, judiciaria acquisitione juri nostro adscriptum, vel acquisitum, in villa quæ dicitur Obphinga, situm in pago *Brisihgowe* nuncupato, et in comitatu Adelberonis comitis, sanctæ Basiliensi ecclesiæ, sub honore S. Mariæ constitutæ, æterna ac inenodabili traditione accommodantes, proprietavimus, cum omnibus eidem prædio juste et legaliter pertinentibus, et appendititis, tam rebus mobilibus quam immobilibus, quæsitis et inquirendis, ædificiis, areis, terris cultis et incultis, aquis aquarumque decursibus, viis et inviis, exitibus et redditibus, seu cum omnibus quæ vel rite scribi vel vocari possunt quoquolibet modo, utilitatibus et adhærentiis. Præcipientes igitur regali auctoritate jubemus, quatenus idem præfatus episcopus Adalbero suique successores liberam dehinc habeant potestatem possidendi, ædificandi, commutandi, precariandi, seu quidquid libeat omnimode ad utilitatem monasterii in eodem prædio faciendi. Et ut hæc nostræ traditionis auctoritas stabilis et inconvulsa permaneat, hanc chartam inde conscriptam manu propria roborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Signum domini Henrici, regis invictissimi. Eberhardus cancellarius, vice Willigisi, recognovi. Datum id. Julii, ind. iii, anno Dominic. Incarn. MC, anno vero domini Henrici II regni quinto. Actum in Basilea feliciter, Amen.

X.

Monasterium canonicorum regularium in Sanamariniana valle instituitur. Ex Als. Dipl.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Bertholfus, Dei gratia abbas Murbacensis, notum esse cupio omnibus bonæ voluntatis hominibus, tam futuris quam præsentibus, qualiter Berneherus presbyter, inter nostros non obscurus, locum in montanis nostris, *Eichberg* dictum, ab ecclesia nostra nobis satis utiliter commutavit, ut perversæ mentis hominibus omnis deinceps disceptationis aditus obstruatur. Ipse namque, in villa *Gebenwilre*, vineam unam cum subjacente area, ad furnum Calicum sitam, in capellam et altare S. Leudegarii, per manum advocati nostri comitis Wernheri, rite et absolute contradidi, et tunc demum ab eadem capella et altari sancti et patroni nostri Leudegarii, manu ejusdem, expetitum locum *Eichberg*, manu Cunonis *de Berchols*, in jus et fundationem cellæ recepi. Quod annuentibus et annitentibus nobis ideo constat actum esse, quia utilius hoc quod accepimus illo quod dimisimus, prius in publico et plenario placito nostro, *Hosteim* ante Septuagesimam habito, jurato testimonio in nostri præsentia firmatum est, septem de *Gebenwilre* et septem de S. Amarino id facientibus. Hic, quamvis præposteratum, non est tamen intermittendum quam prompto animo et quam magno adminiculo filii nostri homines S. Leudegarii studium nostrum prosequerentur. Hoc

A eodem tempore convenerunt primarii de villis nostris de *Gebeuwilre*, de *Bercholz*, de *Hosteim*, de *Ysenheim*, de *Mercheneheim*, de *Rethereshein* et ceteris ruribus circumquaque adjacentibus, et tam pro se quam pro suis concivibus ad novum veri Dei templum, exemplo illius antiqui... Jebusei, fundum et holocaustum oblaturi, de communi suo commarchio et silvestri contermino gratuita benevolentia in tantum addiderunt, ut plus quam decuplo hoc circumquaque exsuperet quod a nobis mutuatum est : omnem quippe tractum inter exteriorem *Craz* et *Geishuserweg*, inter fontem Gucgelmanni et *Wisebach*, usque in exteriorem *Goltbach*, a quo nomen loco jam inditum est, omnem inquam tractum infra hos quinque terminos situm illuc designaverunt, et secundum B scita jurisperitorum ad cellam Golthacensem in dedicando oratorio donari fecerunt. Quod quia jam dedicatum et circumscriptionis suæ fundis et aliis pluribus et melioribus prædiis dotatum adauctumque videmus, Deo gratias agamus, et de eorum quiete qui illuc a sæculo elabuntur pro posse divinitus dato aliquid provideamus. Statuimus igitur, ut locus, sicut justum est, agnita tantum super se stabili et immobili ditione *Murbach*, sine susceptione, sine censu, sine exactione alicujus servitutis, in gremio ejus semper subsistat. Regula sancti patris Augustini, secundum instituta professorum ejus, illic jugiter vigeat. Penes eos qui illic professionem faciunt libera per se secundum Deum tam eligendi quam etiam C constituendi prælati potestas permaneat. Dominum abbatem Murbacensem in maximo honore et memoria orationum jugiter habeant; aliquando se visitantem tanquam dominum suum devotissime suscipiant. Ipsi et fratribus secum venientibus, tanquam sibi, canonico ordine singulas præbendas apponant. Si quid supererogabitur, tanquam ex superabundantia caritatis pro benedictione accipiant. Sicut autem hæc omnia nostro molimine facta, nostra jussione conscripta sunt, ita etiam ad sui perpetuum et immobile stabilimentum sigillo nostro impressa sunt, et habent innumerabiles fautores et testes ecclesiasticos et sæculares, et hos præcipue quorum nomina subscripta sunt. Nogger præpositus, Eppo custos, D Marquardus præpositus Lucernensis, Luthfridus camerarius, Udalricus cellerarius, Folmarus et Eberhardus clerici; et alii fratres religiosi. Liberi : Theodericus de *Rotenleim*, *Waltere de Rothenburc*, alius *Waltere* item de *Rotenburc*, *Gerhard de Bellunwilre*, *Burchart de Waltenheim*, Eppo de *Nuwenuar*, ministeriales nostri : de *Bercholz;* Cuno, *Diethelm* frater ejus, *Cunrath* filius ejus, *Wernhere, Billunch* frater ejus, *Sigefrith*. De *Osteim; Wernhere*, Heimmo et *Bernhere* frater ejus, *Wolchere*. De *Yseuheim; Billunch*. De *Gebunwilere;* Ruodeger et Hugo frater ejus, *Bertolf*, item Ruodeger, *Bernhere, Adelbreth, Huc*, Cuno. De *Blathesheim; Meinwarth* et *Burcharth* frater ejus. E De *Ucholz; Lutfrith, Ruodolf*, Cuno, fratres. De *Waldenwilre; Baldemar, Gothefrith, Arnolth* et *Eberharth* frater ejus. De *Buhele; Burchart*, Hazzo, Waltho, *Burchart* fratres, Adelbero. Ex quibus Wernherus de *Hosteim*, Wernherus de *Bercholz*, *Adelbreth, Bertholth*, Hugo de *Gebenwilere*, cum præfato Cunone de *Bercholz*, eumdem locum in jus suum more provincialium a manu comitis Wernheri, advocati nostri, tuendum susceperunt. Scripta est autem hæc charta super ea quæ continet acta, anno Domin. Incarn. MCXXXV, ordinationis vero nostræ tertio decimo, regnante glorioso imperatore Lothario, gente Saxonum oriundo.

XI.

Conradus II S. Blasium ecclesiæ Basileensi condonat. E Mon. Episc. Basil.

IN nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Chuonradus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Quoniam temporum transeuntium antiquitas hominibus damnosam ingerit oblivionem, instituit SS. Patrum auctoritas scripturarum testimonio memoriæ commendare et confirmare quæ defluentis temporis volubilitas consuevit alienare. Unde omnibus notum esse volumus, tam futuris quam præsentibus, qualiter quidam fidelis noster Reginbertus, bonæ memoriæ laicus, in foresto quod dicitur *Schwarzwald*, secus flumen quod dicitur Alba, locum solitarium ad Deo ibi serviendum elegit, atque inibi cellulam in honore S. Blasii martyris construxit. Sed quidam malitiosi homines, timoris Domini pariter et amoris minus experti, non dubitabant eum crebrius inquietare, ac diversis injuriis infestare. Qua de causa necessitate compulsus ad nos se contulit, et causa propter quam venerat ordine exposita, nostræ imperialis defensionis auxilium postulavit. Nos vero rem auditam diligentius considerantes, et a comprovincialibus attentius perquirentes, deliberatione et judicio regni principum, supradictum forestum nostro regali dominio pertinere apte cognovimus. Sic denique, regni primatum consilio, interventu quoque dilectæ conjugis nostræ Giselæ imperatricis, et carissimi filii nostri Henrici regis, atque obtentu domini Adalberonis, reverendi Basiliensis episcopi, rogatu etiam prædicti Reginberti, eumdem locum, ad reprimendam nequitiam pravorum hominum et contumaciam, S. Mariæ Basiliensis ecclesiæ designavimus, et cum omnibus appenditiis acquisitis ac acquirendis, silvis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, legali institutione contulimus, et transfunditus donando confirmavimus, ea scilicet lege et corroboratione ut nullus deinceps dux aut marchio, comes vel vicecomes, aut aliqua magna persona locum illum inhabitantes et Deo servientes audeat præsumptuosa invasione inquietare, distrahere aut diminuere. Si quis autem hujus nostri præcepti sententiam aliqua transgressione infringerit, aut infringere attentaverit, banno nostro subjaceat, insuper et 60 libras auri, 20 fisco regio, 20 Basiliensi episcopo et 20 concussis fratribus componat. Hujus autem privilegii auctoritas postmodum firma et inconvulsa permaneat. Quod ut credatur verius, et omni ævo conservetur firmius, sigilli nostri impressione subter insigniri fecimus. Datum II id. Maii, indict. VIII, anno vero Dom. Incarnat. MXXV, anno autem domini Chuonradi regnantis secundo, imperii vero primo. Actum Ulmæ feliciter, Amen. 1025.

XII.

Conradus II ecclesiæ Basileensi quasdam argenti fodinas tradit. E Mon. Episc. Basil.

IN nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Conradus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Quoniam ad salutem corporis et animæ nostræ, parentumque nostrorum, profuturum esse credimus, si aliquid ad nostrum imperiale jus pertinens ecclesiis Dei conferimus : ideo omnibus Christi nostrique fidelibus, præsentibus scilicet et futuris, notum esse volumus, qualiter nos, pio interventu dilectæ conjugis nostræ, Gyzelæ videlicet imperatricis, atque carissimi filii 1028.

nostri Heinrici regis, necnon domini Odalrici, A sanctæ Basiliensis ecclesiæ venerabilis episcopi, obtemperantes petitioni, quasdam venas et fossiones argenti in comitatu Bertholdi et in pago *Brisichgouwe*, atque in locis *Mojeberch*, *Lupercheinchaha*, *Cropach*, *Steinebronnen* superius et inferius, et in valle *Sulzberc*, *Baden*, *Luxberc* nominatis, aliisque inibi locis inventas et sitas, quicquid inde nostrum jus attingit, cum omni utilitate quæ ullo modo inde provenire queat, ecclesiæ supra scriptæ contulimus, et in perpetuum tradidimus. Et ut hæc nostræ liberalitatis auctoritas firma et inconvulsa omni permaneat ævo, hoc præsens præceptum inde conscribi fecimus, atque nostri signi impressione sigillari jussimus. Actum in *Pollingen*, anno Domin. Incarn. B MXXVIII.

XIII.

E Monum. Episc. Bas.

Henricus III ecclesiæ Basileensi Augustanum agrum dat.

1041.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus, divina favente clementia rex. Si loca Deo dicata, more prædecessorum nostrorum, larga manu amplificamus, præmia nos apud omnium remuneratorem suscepturos in hac et in futura vita speramus. Inde vero quoniam sanctæ Basiliensis ecclesiæ episcopatum nimis humilem tenuemque conspicimus, paupertati ejus de bonis C nostri juris aliquantum consulere decrevimus. Quapropter omnium Christi nostrique fidelium, tam futurorum quam præsentium, noverit universitas, qualiter nos, pro remedio animæ piissimi genitoris nostri, divæ memoriæ, Conradi imperatoris augusti, simulque pro nostra salute, quemdam nostræ proprietatis comitatum, Augusta vocatum, in pago *Ouguestowe* et *Sisgowe* situm, prætitulatæ Basiliensi ecclesiæ, in honore sanctæ Mariæ constructæ, Theoderici ejusdem sedis episcopi commoniti servitute, paternæque memores in eum benevolentiæ, potestative concessimus, et de nostro jure in suum jus, cum omni pertinentia, in proprium tradidimus; eo nimirum tenore, quatenus prædictus Theodericus episcopus, suique D successores liberam de eodem comitatu habeant potestatem tenendi, inbeneficiandi, vel quicquid sibi ad utilitatem prælibatæ ecclesiæ placuerit inde faciendi. Et ut hæc nostræ traditionis auctoritas stabilis et inconvulsa omni permaneat ævo, hanc chartam inde conscribi, subtusque manu propria corroboratam, sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Actum Spiræ, anno Domini MXLI.

XIV.

E Mon. Episc. Bas.

Henricus III Richardo, S. Mariæ servo, prædium quoddam dat.

E

1052.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Omnibus Christi nostrique fidelibus, tam futuris quam præsentibus, notum esse volumus qualiter nos, ob interventum et petitionem Theoderici, venerabilis Basiliensis episcopi, Richardo, S. Mariæ servo, tale prædium quale nos in villa *Ensicheshein* habuimus, in pago Alsatia et in comitatu Cuononis comitis situm, cum omnibus suis pertinentiis, hoc est areis, ædificiis, terris cultis, agris, pratis, pascuis, campis, silvis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, exitibus et reditibus, viis et inviis, quæsitis et inquirendis, seu cum omni utilitate quæ ullo modo inde provenire potest, in proprium dedimus atque tradidimus; ea videlicet ratione, ut prædictus *Richarth* de præfato prædio liberam dehinc potestatem habeat tenendi, dandi, vendendi, commutandi, precariandi, posteris relinquendi, vel quidquid sibimet placuerit inde faciendi. Et ut hæc nostra imperialis traditio stabilis et inconvulsa omni permaneat ævo, hanc chartam inde conscribi, manuque propria, ut subtus videtur, corroborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Data cal. Junii, anno Domin. Incarn. MLII, ind. v, anno autem domini Heinrici tertii regis, secundi imperatoris, ordinationis ejus vicesimo quarto, regni vero tertio decimo, imperii sexto. Actum *Soletrin*, feliciter, Amen.

XV.

Leo IX Grandem Vallem et S. Ursicinum ecclesiæ Basileensi confirmat.

E Mon. Episc. Basil.

1053.

Leo, episcopus, servus servorum Dei, Theoderico, dilecto in Christo fratri et coepiscopo nostro, Basiliensis ecclesiæ antistiti, suisque successoribus, perpetuam in Domino salutem. Quotiens a nobis illa tribui sperantur, quæ rationi incunctanter convenium, animo nos decet libenti concedere, justisque petentium votis satisfacere. Quia vero fraternitatis vestræ dilectio postulavit a nobis quatinus vestræ Basiliensi ecclesiæ omnia quæ nunc possidet, et aliquo jure ad eam pertinere videntur, ac specialiter et nomine tenus abbatiam S. Mariæ sanctique Germani, quam Grandem Vallem appellant, cum cella S. Ursicini, sicut Radulfus, Burgundionum rex, pagina concessionis suæ tradidit eidem vestræ Basiliensi ecclesiæ, et filius noster dulcissimus Henricus imperator secundus sua pagina, cum adhuc rex esset, confirmavit, nos quoque nostræ apostolicæ auctoritatis privilegio confirmaremus et corroboraremus. Inclinati precibus vestris, per hujus nostri apostolici munimimis robur, jam dictam abbatiam S. Mariæ sanctique Germani, et cellam S. Ursicini, necnon omnia quæcumque modo possidere videtur vestra Basiliensis ecclesia, et ad eam qualibet ratione pertinere dinoscuntur, simulque illa quæ amodo in usque in proprium habitura et possessura est, vobis vestrisque successoribus confirmamus atque corroboramus; statuentes apostolica censura, sub divini judicii obtestatione, ut nullus imperator, nullus rex, nullus dux, marchio, comes, vice-comes, et præterea nulla ecclesiastica sæcularisve potestas, aut quælibet magna parvaque persona, contra hoc nostræ confirmationis et corroborationis privilegium venire pertentet, inferendo molestiam, calumniam, violentiam, vel contradictionem aliquam, prædictæ vestræ Basiliensi ecclesiæ, de memorata abbatia S. Mariæ sanctique Germani, et cella S. Ursicini, ceterisque omnibus bonis ad eam pertinentibus et quoquo pacto in æternum perventuris. Quod quisquis temerario ausu præsumpserit, nostri anathematis apostolicò gladio percussus sit usque ad dignam satisfactionem. Qui vero inconcussum et illibatum hoc nostrum observaverit privilegium benedictionis gratiam a Domino Deo consequi mereatur et æternæ vitæ particeps efficiatur. Amen.

Datum IX cal. Decembris, per manus Petri diaconi, bibliothecarii et cancellarii sanctæ et apostolicæ sedis, anno Domini Leonis papæ quinto, indict. III.

XVI.

E Mon. Bas. Episc.

Henricus IV ecclesiæ Basileensi comitatum Herkingen *dat.*

1080. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia rex. Rebus transitoriis non transitoria comparare est procul dubio sapere; sicut pro non manentibus manentia negligere est desipere. Quod nos considerantes, nostræque salutis monitoribus obaudientes, fidelem nostrum Burkardum, Basiliensem episcopum, respeximus, dum petitionem ejus in petitionis effectum duximus; quia talis fuit petitio, in quo honor esset Deo et episcopi satisfaceremus fideli servitio. Pro nostra igitur nostrorumque parentum, et carorum nostrorum vivorum ac defunctorum salute, simulque præfati Basiliensis episcopi petitione, necnon Berthæ, et regni et tori nostri sociæ, Huolmanni Spirensis, Conradi Trajectensis, Burchardi Lausannensis episcoporum, ceterorumque fidelium nostrorum ammonitione, sanctæ Dei genitrici, perpetuæ Virgini, Mariæ, ad ecclesiam Basiliensem, ubi Burchardus episcopatum (tenet), quemdam comitatum nomine *Harikingen*, in pago *Buhsgowe* situm, cum omnibus appenditiis comitatus, in proprium tradendo firmavimus, firmando tradimus, ea conditione, ea lege, eo jure, ut Burchardus, ejusdem ecclesiæ Basiliensis episcopus, suique successores, eumdem comitatum legitime possideant ad utilitatem ecclesiæ. Cujus traditionis testem chartam hanc scribi jussimus, quam, ut infra videtur, nostra manu corroboratam, et sigilli nostri impressione insignitam, omnibus sæculis notificandam reliquimus. Anno Dominicæ Incarnat. MLXXX, ind. IV, VIII id. Decembris, anno autem ordinationis domini (Henrici) quarti regis 28, regni 26. Actum Spiræ feliciter, Amen.

XVII.

E Mon. Episc. Bas.

Burchardus, episcopus, monasterium S. Albani instituit.

1103. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Amen. Cum ex injuncto nobis divinitus officio vicem dominicam in ecclesia gerere debeamus, providendum nobis summopere est ne magis gloriam propriam quam justitiam quærere a Domino judicemur, et talentum creditum in terram magis fodere quam cum fœnore ad Dominum reportare comprobemur. Bonum ergo operantes ad omnes non deficiamus; tempore enim suo metemus vitam æternam. Hujus rei gratia ego Burchardus, divina miseratione Basiliensis episcopus, pro mearum negligentiarum correctione, proque omnium fidelium tam vivorum quam corporeis vinculis solutorum redemptione, anno Dominicæ Incarnationis MLXXXIII, hoc cœnobium in honore S. Salvatoris et B. Dei genitricis semperque Virginis Mariæ sanctique Albani martyris institui; et, ut divinum die noctuque inibi redundaret servitium, vitæ conversationique monachorum ipsum deputavi, ordinationi Cluniacensis abbatis contradidi; ita ut quicumque prior ab ipso creabitur, quia ecclesia ipsa cura animarum, de consilio et de consensu cleri nostri, investita est, stabilis et absque omni calumnia et gravamine, nisi legitimis rationibus convincatur, quod absit, perseveret; utque, corporis necessitatibus supersedentes, solum divinis vacarent laudibus, partim de propriis reditibus, partim de his quæ ipse mea acquisivi industria (1), et cetera vitæ neces-

(1) Hic deesse aliquid videtur.

A saria abundanter ordinavi. Verum quum ab ineunte temporis ætate sic se habent sæcularia ut semper mali detrahant bonis, et livor edax hoc nititur invertere, quod ad cultum divinæ religionis maxime bonorum virorum ædificatum est conamine, necessarium putavi colonias et vineas omnesque reditus huic cœnobio subjectos litteris mandare, et unde, vel qualiter, quorumque testimonio B. Albano fuerint donata charta præsenti adnotare. Ego Burchardus episcopus, qui istam congregationem institui, consilio fidelium meorum, tam laicorum quam clericorum, de propriis meis reditibus dedi S. Albano, fratribusque Deo eique famulantibus, Loerrachum, cum ecclesia omnibusque suis appenditiis, tam B in vineis quam in agris, pratis et silvis; ecclesiam de *Howingin*, cum suis; ecclesiam de Chandro, cum suis; in villa quæ dicitur Inferior Basilea, ecclesiam, cum suis; curtim et ecclesiam de *Hegindorf*, cum suis; in civitate Basiliensi, ecclesiam B. Martini et decimam in villa quæ dicitur *Huningin*; medietatem ecclesiæ in villa quæ dicitur *Kemiz*, et medietatem villæ cum suis appenditiis; ecclesiam de *Bozinsheim*, cum suis appenditiis, ea tamen ratione ut prior ab ipsis institutus vicos nostros per omnia ibidem habeat in cura animarum, sicut et prior S. Albani in civitate Basilea, sicut fluvius Birsicus determinat; ita tamen ut capellani ab ipsis electi vices ipsorum in his quæ ad plebis curam pertinent C agant; ecclesiam et villam de *Appenwiler*, cum suis appenditiis; silvam quæ sita est juxta S. Albanum; molendina in ripa *Birse*, cum pratis et agris adjacentibus; in villa quæ dicitur *Bynmingin* duos mansos; *Rinwiler; Ampringin; Hapsichheim; Gutzwiler*; Westhalda, curiam unam cum vineis; *Uffheim; Ranspach; Michelnbach; Oberwiler; Brattele; Gelterchingin; Dürne; Holstein; Metzin.* His prædictis curtibus et ecclesiis prænotatis cœnobium S. Albani martyris fundatum est. Advocatum super prædictas curtes institui nobilem virum videlicet Rudolfum, *Honberg* comitem, ex ista parte Rheni. In ulteriori vero parte Rheni T., dominum de *Rottheln.* Qui homines ipsorum et res, sine omni sibi substituto subadvocato, D tuitionis virtute sine læsione fideliter defensare satagant, non tyrannidem iniquæ exactionis exerceant. Quod si excesserint, et monachi ab iniquo gravamine clamare super eos compellantur, semel, secundo tertiove commoniti, si emendare noluerint, a jure suæ advocationis sine omni contradictione ab episcopo removeantur, et alii qui digni sint loco ipsorum subrogentur. Ecclesiam vero ipsam et locum cum omnibus suis appenditiis, a muro civitatis usque ad pontem *Byrse*, et omnia quæ in banno urbis continentur, quæ jurisdictionis ipsorum sunt, ordinationi prioris et judicio successorumque dimisi; nisi cum judicium sanguinis agitur, quod meis officialibus judicandum reservavi. Removens per hoc omnem sæcularem personam, ut monachi inibi Deo servientes, ab omni strepitu mundanorum exempti, soli Deo liberrime vacare prævaleant. Porro infra septa E monasterii, sicut a porta superiori intratur, quæ omnia nomine Domini Sabaoth dicata sunt, prohibemus, et sub pœna excommunicationis et comminationis tremendi judicii Dei interdicimus, ne aliquis temere quid malignari, vel aliquam potestatem iniquam super inhabitantes exercere præsumat. Quod si Dei nutu et misericordia, quod fieri non discredo, ecclesia ipsa rebus et religione in tantum exaltata fuerit, et judicio episcopi, quicumque loco mei successit, id posse fieri videatur competenter, fratres ipsius loci sibi de suis eligant abbatem, qui ab abbate Cluniacensi sine

contradictione instituatur. Precor igitur, et obtentu perfectæ caritatis veræque fraternitatis obtestor omnes successores meos, quatenus perenne præmium in prædicti cœnobii amplificatione mecum sperare contendant, meamque concessionem et confirmationem evertere minime præsumant; sed monachos inibi Deo sanctoque Albano famulantes pro animarum suarum salute, sub libero et tranquillo Dei servitio, ab omni contrarietate et perturbatione defendant. Si quis autem, quod absit, spiritu malignitatis inflatus, hanc nostræ confirmationis chartam infringere tentaverit, vel fratres in Deo servientes molestiis inquietare, vel omnino perturbare præsumpserit, odium Dei et S. Mariæ sanctique Albani martyris, necnon omnium sanctorum, incurrat, et fisco regio centum libras auri persolvat, et conamina illius per Dei potentiam irrita fiant. Ut autem conscriptio hæc rata et stabilis in ævum permaneat, eam sigilli nostri jussimus impressione signari. Testes hujus rei sunt Chuno, Lausannensis episcopus, Rudolfus præpositus, Hupoldus vice-dominus, Bercholdus thesaurarius, Hugo decanus, Adelbertus canonicus, Eberhardus canonicus, Rudolfus advocatus, Adelbertus comes, Hermanus comes, Ludewicus comes, Burchardus miles, Adelbertus pincerna, Lambertus dapifer, Aymo, Wernerus, Reinherus, Hezo, Burchardus et alii quam plures. Acta sunt hæc Basileæ in præsentia Burchardi episcopi, qui hanc chartam dedit, indict. xi, luna prima, regnante imperatore Romanorum Henrico IV et filio ejus rege Henrico V.

XVIII.

E Biblioth. Cluniac.

Alia charta Burchardi, episcopi, pro monasterio S. Albani.

1105.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis ego Burchardus, Basileensis ecclesiæ Dei gratia episcopus, antiquam cum domno Hugone, Cluniacensis ecclesiæ abbate, retinens familiaritatem et amicitiam, monasterium S. Albani, in suburbio Basiliensis civitatis supra ripam Rheni constitutum, cum omnibus ejus appenditiis, eidem abbati Hugoni omnibusque ejus successoribus regendum et ordinandum sub regulari disciplina subjeci; hac scilicet intentione et conditione, ut merita et orationes universæ Cluniacensis ecclesiæ mihi omnibusque meis tam prædecessoribus quam successoribus omnique familiæ B. Mariæ opitulentur in salutem æternam. Notum igitur facere volumus omnibus, cum fide ac devotione religionem christianam colentibus, quod hanc subjectionem fecerim consilio et consensu tam cleri quam populi nostri. Precor igitur, et obtentu perfectæ veræque fraternitatis obtestor omnes successores meos, quatenus idem præmium in prædicti cœnobii amplificatione mecum sperare contendant, nostramque concessionem et confirmationem evertere minime præsumant; sed monachos Cluniacenses ibi Deo sanctoque Albano famulantes, pro animarum salute, sub libero et tranquillo Dei servitio, ab omni contrarietate et perturbatione defendant. Hanc igitur chartam ob hoc conscripsimus, ut ecclesiæ Cluniacensi et ecclesiæ Basiliensi perpetuo sit in testimonium, ne aliquis sit ausus evertere quod ad cultum divinum ordinatum est catholicorum virorum dispositione. Si quis autem, quod absit, spiritu malignitatis inflatus, hanc nostræ confirmationis chartam infringere tentaverit, vel fratres Cluniacenses inibi Deo servientes molestiis inquietare, vel omnino perturbare, contenderit, odium Dei et S. Mariæ, cui libens semper deservio, sanctique Albani A martyris specialis patroni mei, necnon omnium sanctorum incurrat (1), et fisco regio centum libras auri persolvat, et conamina illius per Dei potentiam irrita fiant. Ut autem conscriptio hæc rata et stabilis in ævum permaneat, ea sigilli nostri jussimus impressione signari. Acta sunt hæc apud Basiliam, anno Domin. Incarnat. MCV, indict. xiii, feria secunda Paschalis hebdomadæ, luna xxii, regnante Romanorum imperatore Henrico IV et filio ejus rege Henrico V, anno autem ordinationis Burchardi, episcopi Basiliensis, qui hanc chartam dedit tricesimo tertio, anno vero ordinationis Hugonis abbatis Cluniacensis, cui data est, quinquagesimo septimo.

B

XIX.

Henricus imperator fundationem Lucellensis abbatiæ confirmat.

Ex Albat. Diplom.

1125.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus, divina favente clementia, Romanorum imperator augustus. Credimus ad regalem nostram majestatem pertinere totius regni curas et præcipue omnium ecclesiarum commoda considerare, atque cuncta eis adversantia sub omni festinatione abolere. Nobilium itaque virorum, Hugonis, Amedei et Richardi de Monte Falconis devotionem perpendentes, et piis eorum desideriis benigne assentientes, S. Mariæ monasterium, quod in C fundo Basiliensis ecclesiæ, de munifica largitione venerabilis Bertulfi episcopi et Basiliensis capituli illis concesso, in eo scilicet loco qui Luciella vocatur, a biennio pie fundarunt, regia auctoritate communimus, nostro imperiali banno statuentes ut locus ipse cum suis appenditiis, villis, terminis, silvis, prædiis, mancipiis et quæcumque bona Christi fideles ad idem cœnobium de suo jure obtulerint, sub nostra et nostrorum successorum tutela et advocatia firma semper, illibata et libera permaneant, decernentes ut nulli mortalium liceat idem cœnobium temere perturbare, aut ejus possessiones injuste auferre, vel aliquo modo imminuere. Regali quoque prohibitione sancimus ne quisquam se in abbatis institutione D vel destitutione ullatenus intromittat; sed is pro vero abbate teneatur quem concors hujus domus congregatio secundum regulam S. Benedicti saniore consilio elegerit, pro deposito vero habeatur quem pater domus illius unde hæc exivit pro demeritis reprobaverit; et ut abbas cum fratribus ex parte nostra vel imperii advocatum, quem utiliorem providerint, sibi instituant; qui si postmodum gravis et inutilis fratribus fuerit, remoto eo, alium sibi præficiant. Nec aliquis hujusmodi advocatiæ bannum a rege vel imperatore suscipiat, nisi qui abbate eligente et fratribus petentibus, ad tantum officium dignus et idoneus videatur. Ut autem hoc præceptum nostrum stabile et inconvulsum permaneat, hanc inde chartam conscribi et sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Si quis autem, quod absit, hujus præcepti nostri violator exstiterit, auri purissimi cen- E tum libras componat, et scriniis imperatoris et dicti monasterii persolvat. Et hoc præsente et petente memorato venerabili Basiliensi episcopo fecimus, sub his testibus: Anserico, Bisontino archiepiscopo; B., Argentinensi episcopo; Conrado, duce Zaringiæ; Godefrido, comite Palatino; Adelberto, comite *de Lowenstein*; R., comite de Novo Castro, Bertulfi episcopi germano fratre; Udalrico, comite de *Egisheim;* Hugone, comite

(1) Quod sequitur, usque ad *Acta sunt*, deest in editione D. J. Trouillatii.

de *Tagesburc*; Friderico, comite de Ferretis; Conrado, comite de *Horburc*, et pluribus aliis Imperii fidelibus.

Data Argentinæ, anno Domin. Incarn. MCXXV, VI id. Januarii.

XX.

F. Mon. Episc. Basil. *Singula Lucellensis abbatiæ bona recensentur.*

1136. In honore sanctæ et individuæ Trinitatis, Humbertus, Dei gratia Bisuntinus archiepiscopus, et Adalbero, Basileensis episcopus, dilecto in Christo filio Christiano, Lucellensi abbati, ceterisque ejusdem loci fratribus, eorumque successoribus de cetero perenniter emersuris in perpetuum. Episcopale regimen ea Dei providentia licet indigni suscepimus, ut religiose viventium pia sollicitudine commodis insistamus, et eorum usibus necessaria prout possumus augmentemus, augmentata auctoritatis a Deo collatæ robore defensemus. Tuis igitur tuorumque postulationibus clementer annuentes, confirmamus vobis ipsam ecclesiam B. Virginis Mariæ de loco qui Lucela dicitur, in quo secundum ordinem Cisterciensis propositi Deo omnipotenti militatis, sicut eam vobis, laude Basiliensis ecclesiæ capituli, volentibus et rogantibus Hugone et Amedeo et Richardo de Monte Falconis, et aliis qui loci participes et possessores exstiterant, beatæ memoriæ præsul Bertolfus, cum appenditiis collatis et conferendis, pro una libra ceræ annuatim Basiliensi ecclesiæ solvenda, contradidit; eo scilicet tenore ut possessores adjacentium terrarum, quocumque modo teneant, sub eadem libra ceræ, per constitutionem domini episcopi Bertolfi et nostram, vestræ ecclesiæ libere absoluteque donare liceat. Ad hæc addimus silvam de *Chals*, et novalia ex omni parte facta de ipsa silva, a furno veteri et deinceps, cum prato quod est in valle super Calmillis, et agris et pratis et aliis quæ per manum Bertolfi et nostram, a quibus tenebat, dedit ecclesiæ vestræ Burchardus, frater Henrici de *Asuel*, teste ipso Henrico et Sigenando de Grandivalle, et Huzone de Pluvioso, Wernero vice-domino de Basilea, Henrico de Alla. Prædictusque Huzo et parrochiani de *Frigiscurth* omnem communitatem pascuorum et aliorum usuum, et quidquid habebant a publica via usque ad vestrum cœnobium, pro hostiis ad divinum officium eorum ecclesiæ administrandis, excepta silva, vobis concesserunt. Henricus quoque de *Asuel*, teste Sigefrido et Adelberone de *Ferretes*, terram de *Purtuis* vestræ ecclesiæ dedit. Similiter Cono, filius Huguilini, quidquid habuit in Cumba Reculini, in pratis et silvis et campis et aliis usualibus, teste Vulverado et Stephano, dante et laudante domino ejus Henrico, vobis donavit. Frater quoque Birictelo, teste Henrico de *Asuel* et Henrico de Cova, et Billungus socer ejus, laudante uxore et filiis, teste Burchardo et Stephano, quidquid possessionis et juris habuerant in Arsis vobis itidem donaverunt. Præterea Bonus Filius et Macelinus et fratres ejus, teste Stephano et Wichardo et Vulverado, quidquid ibidem habuerant ecclesiæ donaverunt. Ad *Muntaun* quoque Huzo et Petronilla uxor ejus, cum filiis suis, Gerardo, Warnero, Hugone, et Warnerus frater Huzonis, teste Henrico et Burchardo fratre ejus, Henrico de Cova, Rengero de Granfontana, Adalberto presbytero de *Bus*, per manum Bertolfi episcopi, quidquid ibidem omnino juris omnium rerum habuerant, absque ulla retentione Lucelensi ecclesiæ tribuerunt. Pari

A modo Willelmus et Henricus de *Granges*, laudante et itidem faciente Othone, filio Bernardi et matre ejus Elisabeth, testibus Huzone de Pluvioso et Gerungo de Butunsulza, quartam partem allodii de *Muntaun* vestræ ecclesiæ libere tradiderunt. Eodem modo Martinus et fratres ejus Walterus et Gerardus allodium quod apud Coronotum habebant, vobis condonaverunt, et calumniæ quam Walterus et Gerardus injuste fecerant cum uxoribus et filiis ac filiabus suis finem facientes, apud Basileam per manum Burchardi de Alla et Reincelini de Coronoto, testibus Henrico de *Asuel*, Huzone et Warnerio de Pluvioso, Theobaldo et Walterio de Coronoto, Sinberto et Warnerio vicedomino de Basilea, pacem firmaverunt. Regenerus et Gerardus de *Purrentru*, Ytherus de Coronoto quidquid sibi habebant vobis donaverunt.
B Warnerius de Pluvioso et Walterius de *Granges*, teste Henrico de Cova et Thieboldo de *Wandeleincurt* et Warnerius de *Bunfol*, teste Burchardo de Chalmillis et Reynero, presbytero de *Purrentru*, mansum de *Miecurt* vobis contulerunt. Item Joceramnus de Rocha coram Huzone de Pluvioso, et Bernardus, frater ejus, præsente Hugone decano, et Othone fratre ejus et Joffrido de castro S. Mariæ, et Gerardo, Richardi Cabouis filio, necnon Hoda cum filiis suis Richardo et Everhardo, et filia sua Petronilla, ac Bernardus ipsius filiæ maritus, teste Henrico et Burchardo de Cova, et Haymo, in præsentia Anserici archiepiscopi et Richardi de Monte Falconis, atque Philippus coram Manegaudo, Hugone, et fratribus S. Ursicini,
C hi omnes, inquam, sub præscriptis testibus, tertiam partem de *Libunwiler* vestris usibus contulerunt. Petrus quoque de *Vi*, cum Gurmundo fratre et uxoribus eorum et filiis, et Stephanus atque Odo fratres illorum, coram Anserico archiepiscopo et Richardo de Monte Falconis et Frederico comite de *Ferretes*, atque Simon de Monte Falconis cum fratre Viviano, teste Richardo de *Uerlces* et *Raalt* de *Munthecherul*, quidquid habuerunt in *Libunwiler*, *Multperun*, vestræ religiositati dederunt. Robertus itidem de *Antul*, coram *Raalt* de *Monthecherul* et Stephano ministro, septimam partem Munini montis vestræ ecclesiæ dedit. Flandina vero de *Danjur* sex reliquas partes de *Munin* et quinque jugera in valle contra
D *Danjur*, omnium suorum consilio, vobis cum filio dedit, uxore Oliveri laudante : testes sunt Petrus de *Vi* et Wido de *Danjur*. Petronilla vero, soror Petri de *Vi*, cum viro suo Joanne et filiis, teste Theodorico presbytero, et Walone de Novo Castro, quidquid ibidem habebant vobis tradiderunt. Abbatissa de Balma, communi consilio sororum et casatorum suæ ecclesiæ, tertiam partem de *Libunwiler* et de *Montprun*, pro quatuor solidis Basiliensium in festo S. Mariæ, mediante Augusto, annuatim reddendis, vobis concessit. Pontius Paganus, cum Petro et Pontio, filiis suis, mansum allodii in planitie de *Danjur*, laudante Joffrido, teste Widone et Adalberto, vobis tradidit. Manegaudus quoque thesaurarius mansum
E in *Monleoth*, et alium in planitie contra *Danjur*, laude sororum, præsente Humberto archiepiscopo et Widone Lausannensi episcopo, vobis dedit. Petrus etiam de Novo Castro mansum allodii in Cumba *Rendewin*, et tertiam partem totius decimæ laboris vestri, et omnia quæ in montibus illis sive in planitie jura habuit, laude Widonis de *Tyson*, teste Humberto archiepiscopo et Stephano archidiacono, ecclesiæ vestræ tradidit. Himmilina quoque, uxor Amedei, laudantibus filiis, mansum in Cumba *Rendewin* vestræ fraternitati tradidit. Item Walo de Novo Castro prata in *Montprun*, laude uxoris et filiorum vobis tradidit. Joceran-

nus et Bernardus fratres, cum uxoribus et filiis, decimam totius laboris vestri grossioris annonæ, teste Gerardo et Widone de *Danjur*, et mansum in *Monleoth*, teste Gerardo de Cova et Manasse de *Arlevens*, vobis tradiderunt. Item Wido, prior de Valle Clausa, cum filio, et assensu fratrum Ricardi, Gerardi, Regnerii aliorumque omnium, cum casatis, Carbone clerico, Pontio presbytero, Mamardo, Conone et aliis multis tertiam partem totius decimæ de *Libunwiler*, pro decem et octo nummis Basiliensibus, in passione SS. Petri et Pauli annuatim reddendis, vobis præstitit. Bertholdus itidem de Tuana prædium quod apud *Muzuilir* habuit vobis libere dedit, teste Friderico comite de *Ferretes*, Henrico de *Asuel*, Hudelardo comite de *Soltires*. Item Burcardus, qui tenebat curtem de Calmillis ab episcopo Adalberone, reddidit ipsi episcopo omnia quæ in eadem curte libera habebat, vel in futurum quoquo modo conquirere posset, eo scilicet pacto ut ipse episcopus eam ecclesiæ de Lucela eodem modo daret; quod et factum est in manu Christiani abbatis; testes ego Adalbero episcopus, *Crilieb* præpositus Basiliensis, Albero archidiaconus, Siginandus præpositus Grandis Vallis, Burcardus dator ipsius terræ, Sinzo villicus Basiliensis, Billundus de *Borognuns*. Ut autem hæc omnia rata et inconcussa futuris temporibus permaneant, ego Humbertus, Bisuntinensis archiepiscopus, et ego Adalbero, Basiliensis episcopus, laudamus hæc et confirmamus, et sigillorum nostrorum impressione consignamus, excommunicantes et a gremio sanctæ matris ecclesiæ segregantes, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et divini Redemptoris nostri alienamus omnem hominem cujuscumque dignitatis, cujuscumque conditionis, qui huic nostræ institutionis paginæ temerariis ausibus obviare præsumpserit, et eam in quavis parte perfringere. Conservantibus autem sit pax et exsultatio et bonorum omnium multiplicatio. Facta sunt autem hæc anno Incarnationis Dominicæ MCXXXVI, ind. XIV, epacta XV, concurrente III°, sub præsulibus Humberto, Bisuntinensi archiepiscopo, et Alberone itidem Basiliensi episcopo. Sed et Petrus, Tarentasiensis archiepiscopus, et Ortlebus Basiliensis præpositus, Wicardus quoque prior Sancti Pauli Bisuntinensis, hujus descriptionis seu confirmationis testes fuerunt. Regnabat igitur tunc temporis Lotharius Romanorum imperator, quando hæc charta scripta et facta est. Gerardus de Novo Castro dedit vobis mansum unum in planitie contra *Danjur*, laudante uxore sua et matre uxoris suæ, Adeleida, uxore Ottonis de Mandura et filiis suis, Wernero et Hugone; testes sunt Wilellmus de *Frumnundans*, Pontius de *Reinsundans*, *Bunsfils* de *Sancei*, Walto de Egelinga, *Lorenz* minister ejus, Theoldus de *Purrentru*.

XXI.

F. Mon. Episc. Basil.

Innocentii II litteræ quibus Bellelagiæ possessiones confirmantur.

1141. INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Geroldo, abbati Bellelagiæ, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regulariter constituendis, in perpetuum. Quoties illud a nobis petitur quod religioni et honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et B. Imerii ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri et nostra protectione suscepimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus secundum B. Augustini regulam et institutionem fratrum Præmonstratensium perpetuis ibi temporibus inviolabiliter conservetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona ipsa ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: ecclesiam S. Ursicini de *Noerol* cum appenditiis suis, Ruscam vallem cum appenditiis suis, curiam de *Boescort* cum appenditiis suis, vineas apud Bielnam. Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus omnino clericus vel laicus decimas a vobis exigere præsumat. Prohibemus etiam ut nullus præter Basiliensem episcopum ipsius loci advocatiam occupare præsumat. Decernimus ergo ut nulli hominum præfatam Bellelagiensem ecclesiam liceat temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, retinere, minuere, seu quibuslibet molestiis fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Basiliensis episcopi canonica reverentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam venire tentaverit, secundo tertiove commonita si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Innocentius catholicæ ecclesiæ episcopus. Datum Laterani, per manum Gerardi, sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis et bibliothecarii, II id. Martii, ind. V, Incarnat. Dom. anno MCXLI, pontificatus domini Innocentii II papæ anno tertio decimo.

XXII.

Eugenius III Beinweil abbatiæ possessiones confirmat. F. Mon. Episc. Basil.

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Wernhero abbati ecclesiæ omnium Sanctorum, constructæ in loco qui dicitur *Beinwilr*, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. 1147. Quotiens illud a nobis petitur quod religioni et honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et præfatum omnium Sanctorum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, in proprietate nobilium virorum Nokeri, Oudelhardi, Burchardi, Oudalrici constructum, et ab eisdem B. Petro, cum omnibus suis pertinentiis, pia devotione oblatum, sub ejusdem principis apostolorum et apostolicæ sedis protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio

communimus; statuentes ut quascumque posses- A
siones, quæcumque bona præfata ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum, vel principum, seu aliis justis modis, oblatione fidelium, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant : in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : Liela; *Nugerol*, et capellam ejusdem villæ, cum omnibus mancipiis suis; *Sweren*, et capellam ejusdem villæ, cum omnibus pertinentiis suis; *Grindel*, et medietatem capellæ ejusdem villæ; *Muluhein*, *Herisvile*, et omnem decimationem infra rupem quam incolæ *Lamartsflou* appellant; *Morspach; Blackwen, Ramolswilre; Turlanstorf.* Chrisma vero, oleum sanctum, B
consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum, sive monachorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diœcesano suscipiatis episcopo, siquidem catholicus fuerit, et ea gratis et absque pravitate vobis voluerit exhibere; alioquin a quocumque malueritis catholico suscipiatis episcopo. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel pars fratrum consilii sanioris secundum Dei timorem et B. Benedicti regulam providerint eligendum. Ad indicium autem perceptæ hujus a Romana ecclesia libertatis, et quod locus ipse juris B. Petri sit, et a præfatis C
nobilibus viris apostolicæ sedi sub unius aurei censu oblatus, bizantium unum nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita si non satisfactione D
congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Cunctis autem eidem loco jura servantibus fiat pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen.

Datum Altisiodori, per manum Guidonis sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi et cardinalis et cancellarii, x cal. Augusti, ind. x, Incarn. Domin. anno MCXLVII, pontificatus vero domini Eugenii papæ III anno tertio.

XXIII. E

E Mon. Basil. Episc.

Bellelagiæ possessiones ab eodem Eugenio III confirmantur.

1148. Eugenius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Gyraldo abbati monasterii de Bellelagia, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus congrua nos oportet consideratione prospicere, ne aut alicujus necessitatis occasio desides faciat, aut, quod absit, robur conservationis infringat. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum locum, in quo divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus; statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium impresentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : ecclesiam de *Boescorth* cum omnibus appenditiis suis; ecclesiam de *Thafenne*, cum pertinentiis suis, sicut venerabilis frater noster Ordlibus, Basiliensis episcopus, vobis rationabiliter concessit, et scripto suo firmavit; ecclesiam S. Ursicini de *Rngerol;* vineas de Bielno; curiam de *Boescorth*. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum locum temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque si divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen.

Ego Eugenius, catholicæ Ecclesiæ episcopus. Datum Losannæ, per manum Guidonis, sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis, cancellarii, xvi cal. Junii, ind. xi, Incarn. Dom. anno MCXLVIII, pontificatus vero domini Eugenii papæ III anno quarto.

XXIV.

Ortliebus episcopus bona S. Albani Basileensis confirmat. Ex Alt. Dipl.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, amen. 1145.
Quia, juxta Pauli beati dictum, unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem, studendum est nobis ut ea irrefragabiliter operemur quæ divinæ placeant pietati, quatenus opere felici perfecto mercedis palma gratulemur perpetuo, etc., etc. Ea propter, quia rursum scriptum est *quæ seminaverit homo hæc et metet*, ego Ortliebus, gratia Dei Basiliensis episcopus, notum volo fieri omnibus tam præsentibus quam futuris de ecclesia S. Albani, a beatæ memoriæ Burchardo episcopo fundata, ut quæcumque bona, quæcumque possessionum subsidia tam in decimis quam vineis, pratis, silvis, agris, annuis reditibus, seu quibuslibet prædiis, collata, quæcumque misericordiarum impendia largitate principum, vel oblatione fidelium, impertita esse noscuntur, vel a monachis ibidem constitutis justis modis, Domino annuente, acquisita sunt, quæ et usque ad hæc tempora jam sub quinque episcopis in pace et quiete possederunt, usibus fratrum inibi Deo servientium integre illibata et indiminuta per decurrentium ætatum successiones permaneant. In quibus hæc nominatim huic chartæ in-

serere necessarium duximus : ecclesiam de *Buessiszhein* novam et veterem, cum suis appenditiis, ea ratione ut prior de *Buessiszhein* vices nostras in cura animarum ibidem habeat, sicut et prior de S. Albano in civitate Basilea usque ad hæc nostra tempora habuisse dignoscitur et habere, ita tamen ut sacerdotes ab ipsis electi vices ipsorum, in iis quæ ad plebis curam pertinent, agant, juxta privilegia a sede apostolica Cluniacensi ecclesiæ collata; in villa quæ inferior Basilea, villam et ecclesiam cum suis appenditiis; in civitate Basilea, parochiales ecclesias S. Albani et S. Martini, sicut fluvius Pirsicus determinat; medietatem ecclesiæ in villa quæ dicitur *Kemps*, et medietatem villæ cum suis appenditiis; ecclesiam de *Hagendorf*, cum suis appenditiis; *Loerrach* cum ecclesia omnibusque suis appenditiis, tam in vineis quam in agris, pratis et silvis; ecclesiam de *Houthingen*, cum suis appenditiis; ecclesiam de Candro, cum suis appenditiis; silvam quæ est juxta S. Albanum; molendina juxta S. Albanum; prata in ripa *Birse;* decimas in villa quæ dicitur *Huningen*, *Rimwilr*, *Amperingen*, *Lethdenchoven*, *Habchenshein*, *Guzwilre*, *Sierentze*, *Altingen;* in villa quæ dicitur Westhalda, curtim unam cum vineis, *Morswilr*, *Uffheim*, *Romspach*, *Michelenbach*, *Oberwilre*, Bratella, *Arnolstorf*, *Gelterchingen*, *Durnun*, *Hoelnstein*, *Meten*, *Bladoltzheim*, *Biningen;* ecclesiam de *Howingen*, cum suis appenditiis; ecclesiam de *Ænschossingen* cum suis appenditiis, *Machstat*. Et ut hæc rata et inconvulsa in posterum consistere queant, ego Ortliebus, præfixo nominis mei charactere, supposita sigilli impressione, ea communio et confirmo, et auctoritate omnipotentis Dei et B. Mariæ semper Virginis sanctorumque apostolorum Petri et Pauli, necnon et B. Albani martyris, omnium sanctorum et domni Anastasii papæ ac nostra corroboro; et ne quis ea temere infringere præsumat penitus interdico. Testes hujus rei sunt Egelolfus abbas Morbacensis, Ortliebus abbas S. Gregorii, Volmarus prior S. Albani, Petrus prior Columbariensis, Reinerus prior de *Buessiszheim*, Ruodolfus præpositus Basiliensis, Sigumandus præpositus S. Germani, Tietherus archidiaconus Basiliensis, Albero decanus, Hugo canonicus *de Harseburg*, Bertholdus dux Burgundiæ, Fridericus comes de Firreto, Warnerius *de Hohenburg* comes, advocatus Basiliensis, Hesso *de Uensenberg*, Burkardus *de Hasenburg*, Conradus vice-dominus Basiliensis et Hugo frater ejus, et alii quamplures tam clerici quam laici. Si quis autem, spiritu malignitatis afflatus, contra hanc nostræ confirmationis chartam temere venire tentaverit, et præfatos fratres inquietare, vel bona eorum diripere, auferre, vel ablata retinere præsumpserit, odium omnipotentis Dei et B. Mariæ semper Virginis, necnon et B. Albani martyris et omnium sanctorum incurrat, et fisco regio centum libras persolvat, et conamina ejus Dei potentia irrita fiant. Amen.

Acta sunt hæc Domin. Incarn. anno MCLIIII, ind. II, Friderico imperatore augusto monarchiam Romani imperii obtinente, domino Anastasio papa sedi apostolicæ feliciter præsidente.

XXV.

E Mon. Episc. Basil.

Fredericus I ecclesiæ Basileensi ecclesias Grandis Vallis et Ursicini confirmat.

1160. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Varios inter rerum eventus ecclesiarum Dei utilitatibus nos providere, earumque gubernationibus quotidianisque amplificationibus operam dare, eisque a prædecessoribus nostris donata sancire, atque irrefragabiliter confirmare, intuitu Dei, nostri non ambigimus esse officii; æstimantes pro ejus cultu instanter nobis sollicitandum, cujus nutu nostrum stabit imperium. Eapropter universis sanctæ Ecclesiæ filiis insinuari volumus, qualiter divæ memoriæ prædecessor noster Rodulfus, Burgundionum rex, abbatiam S. Mariæ sanctique Germani, quam Grandem Vallem appellant, cum cella S. Ursicini, ad Basiliensem episcopatum diversis ex casibus attenuatum atque imminutum, restaurationis adminiculis locupletandum, cum omnibus appenditiis suis integre donavit, atque propria charta sua illi perpetualiter confirmavit. Nos igitur, pia facta ejus stabilire desiderantes, atque Orthliebi, ejusdem Basiliensis ecclesiæ episcopi, precibus acquiescentes, quem terra mareque nostro non excepit exsortem periculo, eadem prænominata monasteria, hac renovationis nostræ charta, præscriptæ ecclesiæ confirmamus; eo nimirum tenore, ut deinceps præfato subdita sint episcopatui ejusque regimini, quemcumque Dominus loco eidem præesse concesserit; statuentes etiam ut in arbitrio ejus sit ordinare de præbendis fratrum ejusdem ecclesiæ, et fratres inibi dare atque collocare, absque fratrum ejusdem loci contradictione. Hæc autem ut a nobis rata certiusque facta credantur, et nunquam a nobis seu posteris nostris infringantur, manu nostra roboramus, et sigillo nostro insigniri jussimus. Testes autem sunt omnes qui interfuerunt Papiæ in concilio, tam spirituales principes quam sæculares. Data Papiæ, XVI cal. Martii, anno Domin. Incarnat. MCLX, regnante domino Friderico, Romanorum imperatore augusto, anno autem regni ejus sexto.

XXVI.

Lucius papa III quamdam pactionem inter abbatiam Lucellensem et præpositum Basileensem approbat. E Monum. Episc. Basil.

Lucius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Conrado, abbati, et fratribus Lucellensibus, salutem et apostolicam benedictionem. Cum inter vos et dilectum filium nostrum Henricum, præpositum Basiliensis ecclesiæ, quæstio super decimis ageretur, mediante venerabili fratre nostro Henrico, Basiliensi episcopo, eadem quæstio finem debitum amicabili, sicut accepimus, compositione suscepit. Ita videlicet ut, salva privilegiorum auctoritate, quadraginta solidi Basiliensis monetæ annuatim a vobis pro bono pacis jam dicto præposito persolvantur, et ipse vos ulterius super exigendis decimis non infestet. Nos ergo compositionem ipsam, sicut absque pravitate facta est, et ab utraque parte recepta, ratam esse decernimus eamque auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Veronæ, V cal. Martii. 1185.

XXVII.

Lucius III de decimis ad Basileensem ecclesiam pertinentibus nonnulla decernit. E Mon. Episc. Bas.

Lucius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico, Basileensi episcopo, ejusque successoribus salutem et apostolicam 1185.

benedictionem. Ex injuncto nobis a Deo aposto- A latus officio fratres et coepiscopos nostros sincera tenemur caritate diligere et eorum utilitati studiosius, auxiliante Domino, providere. Cum autem quartam decimarum partem, quæ ad jus episcoporum Basiliensium pertinere dinoscitur, quidam antecessores tui, frater episcope, partim vendiderint, partim quibusdam in beneficium dederint, bonæ memoriæ O., quondam prædecessor tuus, suo eam studio revocavit. Ne autem quarta ipsa alienari a quoquam denuo valeat, felicis memoriæ Innocentii prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, auctoritate apostolica interdicimus, districtius inhibentes, ne aliquis successorum tuorum decimas ipsas in beneficium dare, vel aliter alienare præsumat, sed integre et absque B diminutione tuis tuorumque successorum usibus reserventur. Præterea quia prava consuetudo in Dei ecclesiis est penitus extirpanda, consuetudinem illam, quam quidam antecessores tui habebant, ut tribus continuis annis de decimis illis nihil acciperent, in quarto vero anno omnes ipsius anni decimæ ad manus episcopi devenirent, quoniam tam ipsis episcopis quam quibusdam ecclesiis gravis et sæpius est damnosa, ad exemplar præscripti antecessoris nostri decernimus de cetero non servandam; statuentes ut singulis annis quartam decimarum partem in ecclesiis tuæ diœcesis quæ non sunt ab hac præstatione solutæ, tu et successores tui in frumento, vino et ceteris terræ fructibus absque alicujus con- C tradictione percipere auctoritate nostra libere valeatis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hujus nostræ constitutionis (paginam sciens) (1), contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Veronæ, II id. Martii.

XXVIII.

E Mon. Episc. Basil.

Henricus VI ab ecclesia Basileensi medium Brisacum Vetus mediumque Eckartsberg montem accipit. D

1185. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Heinricus divinæ clementiæ providentia Romanorum rex. Ne digna factorum memoria indignæ oblivionis senescat incommodo, regiæ majestatis auctoritate ea roborari expedit quorum ad posteros transmissa cognitio, dubietatis præcidens molestiam, honestam commoditatem inducit. Noverit igitur Christi fidelium tam præsens ætas quam successura posteritas, quod dilectus princeps noster Heinricus, Basileensis episcopus, nobis Heinrico, Dei gratia Romanorum regi, in beneficio concessit medietatem curtis *Brysach* et medietatem montis *Brysach*, excepta una mansione Burchardi de *Usenberc*, medietatemque mon- E tis qui dicitur *Eggehartberc*, ita ut a nobis et ab ipso prædicti montes et curtis possideantur pro indiviso. Prædictæ quoque curtis et utriusque montis medietatem, cum agris cultis et incultis, bannis, silvis, pratis, pascuis, molendinis, aquis aquarumque decursibus, piscariis, pedagiis, et cum omnibus eorum pertinentiis, nobis contulit in feodo, eo modo quod nos et idem episcopus *Brysach* pariter muniemus et tenebimus communiter. Nulli in monte illo assignabimus mansionem, nisi mercatus officium voluerit exercere. Nullus ibidem instituetur scultetus absque pari utriusque nostrum voluntate. In monte *Eggehartberc* uterque nostrum domum sibi faciet, et milites ibidem mansuros unanimi recipiemus consensu. Universos reditus statutos, vel emergentes proventus et exactiones de prædictis montibus, quoquo modo obvenientes, percipiemus æqualiter. Rupem istam devotus noster jam dictus Heinricus, Basiliensis episcopus, muniendo firmabit; a quo si quis eum prohibere attentaverit, regiæ sublimitatis nostræ dominatio ei præstabit auxilium. In eadem rupe locum mansionis unius nobis feodali jure tenendum assignabit; et nos unum de ministerialibus Basiliensis ecclesiæ ad consensum episcopi in ea collocabimus. Ad majorem autem Basiliensis ecclesiæ commoditatem et cautelam, inter nostram excellentiam et prænominatum episcopum ea firmata est conventio, ut neque nobis, neque alicui hæredum nostrorum, prætaxatum beneficium vel in totum, vel in parte, alicui personæ concedere liceat, aut a manu propria nullatenus alienare, sine voluntate Heinrici, Basiliensis episcopi, aut ejus successorum; nec ipse Heinricus, Basileensis episcopus, aut aliquis successorum ejus, sine nostra aut hæredum nostrorum. Si divinæ ordinationis gratia plures nobis provideat hæredes, aliquis eorum, qui rex vel imperator non fuerit, beneficium illud ab episcopo tenebit, homagium ei faciendo. Si vero unicus nobis fuerit hæres, qui, Domino favente, regni acceperit gubernationem, hoc ipsum feodum ea integritate qua et nos ab episcopo possidebit. Et nos hæc omnia ex parte nostra fideliter observanda data fide promisimus. Ut autem hæc omnia in omne ævum rata permaneant et inconcussa, præsentem paginam conscribi fecimus et auctoritatis nostræ sigillo communiri. Hujus rei testes sunt Hermannus marchio de *Baden*, Heinricus marchio de *Rumesberc*, comes Ludowicus de Pfirreto, comes Sygebertus de *Werde*, Wernherus comes de *Hohenberc* et frater suus comes Fridericus, Heinricus majoris Basiliensis ecclesiæ præpositus, Conradus decanus, Dietherus archidiaconus, Joannes camerarius, Egelolfus de *Urselingen*, Richardus de *Hasenburch*, Turingus de *Ramestein*, Wernherus marescalus de Argentina, Hugo de Reno, Wernherus filius ejus, Hugo vice-dominus, Turingus marescalus, Ulrichus et alii quam plures. Acta sunt hæc anno Domin. Incarn. MCLXXXV, ind. III, mense Julio, regnante domino Heinrico, Romanorum rege, anno regni ejus decimo sexto. Datum apud Basileam. Ut autem omnes respicientes hoc scriptum (1) et attenticum sigilli nostri subter impressione signare decrevimus; sed verum attenticum reconditum est in altari majoris ecclesiæ Basiliensis.

XXIX.

Henricus episcopus monachos Lucellenses eximit ab una veræ libra quotannis ecclesiæ Basileensi conferenda. E Mon. Episc. Basil.

Henricus, Dei gratia ecclesiæ Basiliensis episcopus, Wezeloni monasterii S. Mariæ de Luciscella venerabili abbati, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, omne bonum in perpetuum. Vestra laudabilis conversatio, ac religiositatis vestræ copiosus cœtus, qui ultra ducentas personas regulares Altissimo die noctuque jugiter famulantes complectitur, promereri videntur ut me non minus pronum atque favorabilem experiamini, quam beatæ memoriæ præsules Ber- 1189.

(1) Ea verba in editione D. Trouillatii desunt.

(1) Aliquid deesse videtur.

thulfum, Adalberonem et Ortlibum, prædecessores nostros, sensistis beneficos. Sane quoniam ratum constat vestrum monasterium et vos, per speciales libertates et gratias vobis indultas per Pontifices et Cæsares, sub sanctæ Romanæ ecclesiæ et imperii potestate, defensione ac tutela solum et omnimode constitutos esse. Ne igitur aliquid minimum obsistat quominus ea libertate totaliter gaudeatis, idcirco ego Henricus episcopus erga vos et vestrum monasterium, vestrumque sanctum institutum, sub quo ab adolescentia inter vos conversari merui, sincerum gerens dilectionis affectum, ab annuo censu unius libræ ceræ, quæ juxta prælibatorum episcoporum factam inter vos et illos conventionem, annuatim et huc usque pendere consuevistis, communicato consilio, cum ecclesiæ nostræ capitulo, obtentoque ejus consensu, vos absolvendos duxi, atque harum serie absolvo, dictam pensionem deinceps per vos præstandam vobis penitus relaxando. Acta sunt hæc in curia nostra Basiliensi, anno Incarn. Dom. MCLXXXIX, ind. xiii, regnante Frederico, Romanorum imperatore. Ut autem hæc omnia rata et inconcussa futuris temporibus permaneant, ego Henricus, Basileensis episcopus supra dictus, sigilli nostri impressione hanc chartam consigno, excommunicando et a gremio sanctæ matris Ecclesiæ segregando omnem hominem, cujuscumque dignitatis aut honoris sit, qui huic nostræ relaxationis paginam temerariis ausibus contraire præsumpserit, et eam in quavis parte infringere. Conservantibus autem sit pax et exultatio et bonorum omnium multiplicatio. Amen.

XXX.

E Monum. Basil. Episc.

Episcopus Basileensis jura recenset in præpositura S. Ursicini ad diversos pertinentia.

1210. LUTHOLDUS, Dei gratia Basiliensis episcopus, universis veritatem amantibus qui præsentis paginæ tenorem audierint rei gestæ notitiam. Quia per violentiam et impunitatem, quæ nutrix est injuriarum, pravæ sæpius emergunt consuetudines, per quas ecclesiarum libertas jugo illicite deprimitur potestatis, ad obviandum huic malo præsidentium debet auctoritas armari zelo justitiæ, et fideli super eas custodia, ne ipsarum periclitentur jura et dignitas, excubare. Noverit ergo tam præsens ætas quam successura posteritas nos præsentis scripti testimonio commendasse, quod, cum in ecclesia B. Ursicini, cui, auctore Deo, tam in spiritualibus quam sæcularibus præsidemus, quæ essent jura potestatis, quæ episcopi, quæ præpositi, quæ canonicorum et quæ advocati, vellemus cognoscere, convocatis et præsentibus ad diem super hoc constitutam Borchardo advocato et sapientioribus terræ, necnon fidelibus et hominibus ipsius ecclesiæ, per eosdem homines, nobis et ecclesiæ juramento fidelitatis adstrictos, et interrogatos, eadem jura didicimus eorum nobis recognita in hunc modum.

Potestas et dominium ecclesiæ S. Ursicini ab antiquo præfixos habet terminos et distinctos : a fonticulo prope exclusam de *Bromuncort* usque ad collem montis *Grimarch;* inde ad rupem quæ appellatur Altarc; inde per ambitum usque ad rupem de *Luc;* inde ad spinam de Monte Falconis usque ad montem Boveti; rursus inde usque ad viam carrariam de Monte Rotundo, et inde usque ad rupes quæ Duæ Sorores appellantur.

Intra præfatos terminos quicumque fuerit mansionarius per annum et diem, nisi sit servus alicujus personæ nobilis vel privatæ, juramentum fidelitatis tenetur præstare Deo et B. Ursicino, Basileensi episcopo, præposito et canonicis S. Ursicini divino ibidem obsequio mancipatis. Semel annuatim in autumno debent omnes ad generale placitum convenire, securi veniendo et redeundo, coram præposito et canonicis jura ecclesiæ et potestatis referre, de causis emergentibus ibi stare in judicio, et de iis quæ per fidelitatem fuerint requisiti salva conscientia judicare. Ab antiqua libertate ecclesiæ infra prædictos terminos nullus est tributarius, nec ab ullo quicquam exigi debet præter reditus et debita terrarum servitia; nisi aliqui sint ibi de se ipsis pro duobus vel quatuor denariis censuales, ab omnibus exactionibus, talliis, gextis, sive hospitationibus, quibuslibetve oppressionibus debent esse liberi et exempti.

Episcopus omnibus præesse debet sollicite, ut pater et dominus et defensor. Canonici liberam habent electionem, et quemcumque ipsi canonice elegerint in præpositum vel canonicum præsentatum sibi debet episcopus, cessante omni refutationis obstaculo, investire. Investitus præpositus de iis quæ sunt annexa præposituræ de quodam videlicet archidiaconatu obedientiam, de jurisdictione vero sæculari episcopo facit hommagium, ex utroque habens præesse terræ infra prædictos terminos constitutæ.

In eadem potestate quatuor sunt villicaturæ. Unam habet episcopus pro se in curte de Ravina; unam habent præpositus et canonici in curte de *Hoscort*. In villicaturis de S. Ursicino et de *Vilars* duæ partes coloniarum sunt canonicorum, tertia vero episcopi; quæ tamen ab eis indivise possidentur, ut tertia pars episcopi duas partes canonicis tueatur. Proinde spectat ad episcopum ut cum consilio præpositi et canonicorum, in illis duabus villicaturis ponat villicos et deponat. Ad villicos pertinet justitias facere de iis quæ pertinent ad henburgiam et non de aliis, nisi de voluntate præpositi et assensu. Episcopales reditus et canonicorum requirere debent et colligere diligenter, et qui solvere noluerint ab eis cogendi sunt, salvo jure præpositi ad quem noscuntur vadia pertinere. Quem præpositus utilem et idoneum providerit ad cellariam episcopi, clavem sibi debet committere, et inde requisitum unum debetur præposito annuatim. Nec cellerarius, nec villici de reditibus et de rebus episcopi, de sumptibus, de ratiocinationibus, tenentur reddere rationem alicui, nisi præposito qui super eos est et summus ibi in negotiis et rebus episcopalibus procurator.

In banno super venditione vini infra potestatem duæ partes ad canonicos, ad præpositum tertia dinoscitur pertinere.

A rivo qui dicitur *Clarbez* et per decursum Dubii fluvii, usque ad Campum Mandati, tredecim sunt piscaturæ. Octo episcopi pro se, una præpositi, quatuor vero sunt canonicorum. Ad manum præpositi pertinent omnes præstationes piscariarum, molendinorum, terrarum, decimarum, tam episcopi quam canonicorum, exceptis terris claustralium feodorum. In villa S. Ursicini duodecim sunt libera casalia, totidem feodis claustralibus assignata. In singulis singuli hospites sub ea manere debent securitate, quod nullus eorum pro aliqua querimonia, præterquam de injuria quæ vocatur *fravail,* trahendus est in causam, nisi ante canonicum qui est dominus casalis, si præsens fuerit; si absens est, quadraginta diebus est exspectandus; si non venerit, tunc ad præpositum de facienda justitia pertinebit. Ejusdem esse debent libertatis quatuor ibidem casalia quorumdam militarium feodorum. Quicumque pro aliqua querimonia, neglecta jurisdictione præpositi, advocatum adierit, præ-

posito facit injuriam et satisfactione tenetur de illa. Si in furto vel latrocinio, vel aliquo gravi excessu, aliquis deprehensus fuerit, quem punire judicis intererit sæcularis, judicio comparium potestatis carcerali custodiæ mancipari debet, et teneri in domo præpositi per unam vel duas noctes, et deinde advocato vel nuntiis ipsius etiam per judicium præsentari. De omni causa, præterquam de monomachia, omnia tam majora vadia quam minora veniunt in manum præpositi. Minora præpositus habet pro se; de majoribus vero, quæ sunt sexaginta solidorum, pro injuriis quæ vocantur *fravail*, duas partes habet præpositus, et tertiam advocatus. De tali autem vadio liberum est præposito, sive advocato, illo absente, totum si vult retinere, usque ad tres solidos, quorum duo erunt præpositi et tertius advocati. Secus est de monomachia, et in illis quæ sine advocati præsentia terminari non possunt. De monomachia, siquidem ex quo firmata fuerit cautione, diem assignatam debet notificare præpositus advocato, ut veniat ad id quod sui juris est exsequendum. Postquam vero advenerit, sive peragatur duellum, sive non, de compositionibus et vadiis, quæ tunc, jure exigente, veniunt in manum advocati, neuter sine altero quicquam potest remittere, quia competunt ambobus communiter in expensas : post quas, si quid erit residuum, duas partes præpositus, tertiam advocatus habebit. Item cum advocatus venerit, vocatus a præposito propter aliquem contumacem quem præpositus coercere non possit, tunc, ambobus simul residentibus in judicio, si contumax cogatur satisfacere, licet vadia veniant in manum præpositi, nihil tamen præpositus sine advocato remittere debet ex eis in expensas amborum communiter deputatis. De residuo post expensas præposito debent duæ partes et advocato tertia provenire. Ad nullas alias causas audiendas, vel judicandas, debet advocatus intrare terminos potestatis; hoc solo etiam cum duobus præmissis casibus excepto, quod si forte ad dedicationem ecclesiæ, cum ibi est forum annuale, in propria persona pro custodia fori venire voluerit; et de iis solummodo quæ ad ipsum forum pertinent, et non de aliis facere justitias tunc incumbit. Pernoctare debet in domo præpositi sine damno ipsius, expositis sibi vasis et utensilibus qualia sunt in domo. De claustro ministrari debent sibi sexaginta panes claustrales, unus modius vini, unus porcus qualis dari solet in claustro, et duo modioli de avena. Si præsens non fuerit, nihil horum ei canonici ministrabunt. Sane cum alias habeat advocatus extrinsecas advocatias super homines ecclesiæ, ubi solet ei juramentum fidelitatis præstari, quod tamen sibi infra jam dictos terminos de jure et consuetudine non debetur. Exinde constat ad ipsum pertinere, maxime infra eosdem terminos, ut ipsam ecclesiam in sua penitus libertate illæsam custodiat, et super homines et res illius nil juris vel potestatis ulterius vel aliter quam prædictum est debeat exercere.

Volentes igitur de exigentia rationis ejusdem ecclesiæ libertati prospicere, ad conservanda illi jura sua, quemadmodum in præsenti pagina prænotata sunt et distincta, ne processu temporis tradantur oblivioni aut pravæ cedere cogantur consuetudini, hanc eamdem paginam auctoritate sigilli nostri, necnon sigillis Basiliensis, Monasteriensis et Ursicinensis ecclesiarum, dignum duximus roborare. Supra dicta jura præmisso modo coram nobis rite et publice recognita fuerunt in ecclesia B. Ursicini, anno Dom. Incarn. MCCX, ind. XIII. Nomina vero testium quæ præfatæ recognitioni interfuerunt sunt hæc : Cuonra-

A dus, Basiliensis ecclesiæ thesaurarius; Otto, præpositus ecclesiæ S. Leonardi in Basilea; de canonicis ecclesiæ B. Ursicini, Philippus præpositus, Hugo thesaurarius, Heinricus, Hugo, Walterus, Heinricus, Otto, Burchardus; de canonicis Monasteriensis ecclesiæ, Sigenandus et Ulrichus; Vivianus, Solodoriensis ecclesiæ canonicus; Burchardus, capellanus noster; Henricus, plebanus de *Zullenshem;* Ruodulfus, plebanus de Chalmis; laici vero, Lutholdus miles de *Suomoldeswalt,* Ulrichus de *Schonenvels,* Petrus mareschalcus noster, Ulrichus magister coquinæ, Heinricus camerarius, Hugo *Fleco*, Heinricus Ulrichus et fratres ejus Arnoldus et Henricus de *Telsberc,* Hugo miles de *Porrendrut,* Gotefridus de Capella, B Philippus de *Vilar;* de hominibus vero præfatæ ecclesiæ, Henno de *Vilar,* Warnoldus, Burchardus, Lowenilus de *Montenolt,* Simon de S. Ursicino et frater ejus Willehelmus, Hugo, Manegoldus, Dietericus, Chuno, Gerardus, Vivianus et alii multi.

XXXI.

Lutholdus episcopus compositionem confirmat initam inter abbatem Bienweil *et Radulfum* Thierstein *comitem.* E Mon. Episc. Bas.

Lutholdus, Dei gratia Basiliensis episcopus, universis et singulis præsentem paginam inspecturis rei gestæ notitiam. Ne labantur cum tempore quæ geruntur in tempore, scriptis solent authenticis roborari. Sciat igitur præsens ætas et futura posteritas, quod, litigantibus in nostra præsentia dilectis nostris Henrico, abbate de *Bienwilre,* ex una parte, et nobili viro R., comite de *Tierstein* et R., filio suo, ex altera, tandem nobis et aliis viris discretis mediantibus, talis inter ipsos compositio intervenit. In arbitrio domini B., ducis Zeringiæ, fuit ab utraque parte compromissum, si dictus comes homines ad monasterium de *Bienwilre* spectantes compellere deberet ut eidem abbati fidelitatis facerent juramentum, et si iidem homines, secundum consuetudinem aliorum cœnobiorum, valla, in morte sua, abbati reddere tenerentur. Quæ duo dominus dux, inquisita veritate, apud S. Blasium facienda recognovit. Statuimus etiam ut prænominatus comes nullam procurationem ab abbate et conventu ratione advocationis requireret in Nativitate Domini, in Pascha et in Pentecoste, nisi esset ab abbate et fratribus invitatus. Si autem alias quandoque ad locum accederet, nihilque malitiose ab eis exigeret, sed gratanter reciperet quod ei benevole erogaretur, nec ad curtes dicti cœnobii accederet, hospitia vel alia servitia requirendo. Insuper quicumque de hominibus ecclesiæ ab abbate et fratribus in eisdem curtibus fuerit villicus, vel œconomus, constitutus, et servientes eorum conducti et pactati ab omni exactione liberi permanebunt. Item abbas in villis suis villicos libere constituet, et duas partes habebit, comes vero tertiam, de omni questu judiciali. Servi vero qui cheminatam abbatis malitiose infregerint vallem a villa *Ergiswilr* intrare non debent, nisi gratiam ipsius primitus consequantur. Ut autem hæc nostra constitutio firma et stabilis de cetero permaneat, præsentes litteras sigillo nostro et abbatis et etiam comitis fecimus sigillari. Testes autem hujus compositionis sunt Arnoldus abbas de *Muorbach,* Conradus decanus Basiliensis ecclesiæ, Otto præpositus S. Leonardi, Conradus de *Pheffingen,* Berctholdus de Winzela, Cono de *Telsperc,* Ruodulfus Dives, Wernherus de *Ifental,* Wolricus *chuchimeister,* Wolricus de

Loupirstorf et decanus de *Wintersingin* et alii quamplures. A

XXXII.

Ex Alsat. Diplom. *Ecclesiæ collegiatæ S. Amarini statuta ab Arnoldo, abbate Murbacensi, data.*

1216. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Sane cognovimus quod fideles Ecclesiæ dispensatores diligit Deus, inutiles vero a sua misericordia repellit, cum in die judicii talentum creditum districte requirit. Ego igitur Arnoldus, Dei gratia Morbacensis abbas, ecclesiæ S. Amarini commodis qui invigilare debeo, idcirco quod nostræ B subjacet jurisdictioni, rationabilium personarum, videlicet monachorum, clericorum, laicorum veritate motus, quid juris canonici illic Deo servientes in præbendis eorum recipere debeant huic paginæ fideliter decrevimus commendare. Didicimus namque ex antiqua constitutione, et per eos qui juramento adstricti Ecclesiæ jura tenentur discernere, quod domnus abbas Murbacensis, in vigilia Epiphaniæ Domini, ecclesiam S. Amarini tredecim equis debet visitare, et ea nocte atque in isto die mane duodecim canonici illius loci secum habeat epulaci (1). Causidicus vero in nocte honeste et plenarie tam canonicis quam domino abbati et suis tenetur ministrare cum duodecim novis cultellis et cyphis novis, sex ex utroque latere domini abbatis, sua tertia decima existente. C Ad hæc custos ecclesiæ duodecim denariatas ceræ in sero pro luce exhibebit; præpositus vero, sicut causidicus in nocte, sic et ipse mensæ provideat in mane. Dominus et abbas illic vesperas, matutinas et majorem missam, prout expostulat diei sanctitas, celebrabit; sed antequam accedat ad altare, officiales sive dispensatores de curiis et officiis, quæ habet ecclesia extra et infra vallem, duodecim pelles vulpinas et maturas suis pedibus substernere tenentur. Hæc autem sunt curiæ, videlicet *Ober Anspach, Dechunwilre, Bruonichove, Turch, Turnache, Efholtzwilre*. Officiales vero sunt præpositus, causidicus, cellelarius, forestarius, grasewatio, *heinigisel* de *Mulenowe, heinigisel* de *Wilre*. Ad hæc canonici S. Amarini de curia D *Ufholtz* singulis annis a domno abbate Morbacensi quindecim carratas vini rubei et defecati in ipsa curia recipere debent; ad quod vinum ipsum deducendum omnes homines ecclesiæ Morbacensis in eadem valle commorantes debent eorum currus applicare, et quilibet duos boves, præter milites et eorum præpositos : alii vero ad hoc semper debent esse parati, ut ante festum S. Martini idem vinum ad claustrum sit inductum. Ab eadem ecclesiæ curia *Ufholtz*, in Sabbato sancto Paschæ, triginta gallinas et centum viginti ova canonici debent habere, etc. Hæc igitur confirmatio, quia vera et utilis videtur, et ne postea fraus et dolus eadem jura ecclesiæ violarent, canonice et legitime a venerabili domno Morbacensium abbate Arnoldo et ab ejusdem ecclesiæ E toto capitulo est concessa et ordinata, et non solum ab eis, sed etiam a fidelibus ecclesiæ Morbacensis ministerialibus est commendata. Acta sunt autem hæc apud *Ruhile*, anno ab Incarn. Dom. MCCXVI, ind. IV, concurr. V, infra concilia Innocentii papæ, regnante Friderico rege, Basiliensis ecclesiæ tum electo Walthero, usque ad ejus depositionem feliciter certanti, venerabili Henrico Basiliensi episcopo in Christo succedente.

(1) Legendum forsan : duodecim *canonicos*... secum habeat *epulari*.

XXXIII.

Fredericus imperator Henrico præsuli vectigal dictum ungelt *confert.* Ex edit. recenti (1).

Fr., Dei gratia Romanorum rex semper augustus, et rex Siciliæ, universis imperii fidelibus hoc scriptum inspecturis gratiam suam et omne bonum. Præsentis scripti testimonio ad notitiam præsentium et memoriam futurorum volumus indubitatum pervenire, quod nos, de innata nobis regia benevolentia, attendentes devotionem dilecti principis nostri Heinrici, Basileensis episcopi, atque fidei ipsius, quam circa nos gerit et imperium, integritatem, novum theloneum quod vulgo appellatur *ungelt*, in civitate Basileensi institutum, de manu et largitione regia, contulimus episcopo memorato, volentes et omnino decernentes quod ipse et sui successores habeant, recipiant atque possideant theloneum illud, sive *ungelt*, ad suos usus, sine alicujus contradictione. Ad hujus rei evidentiam, robur atque memoriam, hoc scriptum ei indulsimus, sigillo majestatis nostræ communitum. Datum apud Ulmam, pridie id. Septembris, anno Dom. MCCXVIII, ind. VII. 1218.

XXXIV.

Fredericus imper. concilium urbis Basileæ abrogat. Ex Hist. Dipl. Fred. II.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Fredericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex semper augustus et rex Siciliæ. Ea quæ ad libertatem ecclesiarum, necnon ad commoda et honorem, seu debitam principum atque fidelium nostrorum quietem, coram eminentia regia, justo ordinis processu, de consilio et consensu principum imperii, terminantur, perpetuam a nobis merentur recipere firmitudinem. Constitutus coram regia celsitudine et coram multis imperii principibus, baronibus atque nobilibus, dilectus princeps noster Henricus, Basiliensis episcopus, cum multa instantia postulavit per sententiam requiri, si vel nos vel alius aliquis possemus, vel deberemus, in civitate cui ipse episcopus preest concilium civitatis instituere sine ipsius episcopi voluntate et assensu. Ad cujus non modicam instantiam cum prædilectus princeps noster Theodoricus, venerabilis Trevirorum archiepiscopus, fuisset super hoc a nobis requisitus, ipse cum deliberatione per sententiam edixit nos nec posse, nec debere in civitate prædicti principis Basileensis dare vel instituere concilium citra ejusdem episcopi assensum et voluntatem, atque suorum in eodem episcopatu successorum. Facta igitur secundum juris ordinem inquisitione per singulos qui aderant, tam a principibus quam nobilibus, baronibus, singulisque qui aderant, sententia archiepiscopi fuit per subsecutionem proclamata et confirmata. Nos etiam, tanquam justus judex, de innata nobis regia circumspectione eamdem approbantes sententiam, justamque decernentes, concilium quod usquemodo quocumque modo Basileæ fuit revocamus, deponimus, ac totaliter infringimus, atque privilegium nostrum quod inde habent Basilienses cassamus omnino, nec eo ipsos de cetero uti volumus. Ad majorem autem gratiæ ac dilectionis nostræ circa memoratum episcopum evidentiam, nolumus, imo sub plena gratiæ nostræ interminatione omnino inhibemus, ne Basilienses de cetero

(1) *J. E. Kopp, Urkunden zur Geschichte der Eidgenossischen Bünde*, p. 126.

consilium vel aliquam institutionem novam, quocumque nomine possit appellari, faciant aut instituant, sine episcopi sui assensu et voluntate. Decernimus igitur et perpetuo observandum judicamus, ne aliqua persona, humilis vel alta, sæcularis sive ecclesiastica, huic sententiæ nostræque confirmationi et inhibitioni aliquo unquam tempore se audeat opponere, vel aliqua temeritate quæ præscripta sunt infringere. Quod qui facere attentaverit indignationem gratiæ nostræ se noverit cum debita pœna incurrisse. Ad cujus rei evidentiam, robur atque memoriam, hoc scriptum inde fieri jussimus, aureo majestatis nostræ sigillo communitum. Hi sunt testes : Ulricus, Pataviensis episcopus; Bertholdus, Lausannensis; Ulricus, abbas S. Galli; Hugo, abbas Morbacensis; Henricus, major præpositus Constantiensis, regalis aulæ protonotarius; Theobaldus, dux Lotharingiæ; Lodwicus, dux Bavariæ, comes palatinus Reni; comes Ulricus *de Quiburch*; comes Ulricus *de Nivemburch*; Hermannus, marchio *de Baden*; comes Burchardus *de Mannesvelt*; comes Hermannus *de Harzburch*; Henricus, nobilis, *de Niffen*; Anselmus *de Justingen*, mareschalcus imperii; Ulricus *de Minzenberch*, camerarius imperii; Eberardus, dapifer, de Tanna; Chunradus *de Wintersteden*, et alii quam plures.

Signum domini Frederici, invictissimi Romanorum regis, semper augusti et gloriosi regis Siciliæ.

Ego Chunradus, Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aulæ cancellarius, vice domini Sifridi, S. Moguntinæ sedis archiepiscopi, totius Germaniæ archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hæc anno ab Incarn. Dom. MCCXVIII, regnante felicissimo domino nostro Frederico II, Romanorum rege, semper augusto, et glorioso rege Siciliæ, anno Romani regni ipsius sexto, Siciliæ vero octavo decimo. Feliciter. Datum Ulmæ, anno Domini prænotato, idibus Septembris, ind. VII.

XXXV.

Ex Als. Diplom.

Henricus, Basileensis episcopus, capellam S. Mauritii a jurisdictione ordinaria eximit.

1222.

Henricus, Dei gratia Basileensis episcopus, universis paginam inspecturis rei gestæ notitiam. Sæpe solet oriri quæstio de gestis hominum, nisi scripto vel testibus commendentur. Ea propter notum sit omnibus ad quos præsens scriptum pervenerit, quod nos, de consensu capituli nostri, abbati de *Ebersheimmunster* Wunthero, ob reverentiam et dilectionem ipsius, et omnibus successoribus suis, capellam S. Mauritii, sitam in *Sigolzheim*, cum omnibus appenditiis suis, ad communes usus conventus sui indulsimus in perpetuum possidendam. Eamdem vero indulgentiam adeo firmo præsentium tenore ipsis ratificantes et confirmantes, ut nec abbas S. Mauritii dicti loci, nec monachus suus, quem ad dictam capellam ad celebrandum ibidem divina duxerit collocandum, a nullo successorum nostrorum ad synodum Basileensis ecclesiæ venire compellatur, cum nec infantium baptismus, nec mortuorum sepultura ad ipsam capellam pertinere dignoscatur, et sola per se ipsam absque omni cura consistat; sed ipsa capella ab jurisdictione, et omni servitio episcopo Basileensi exhibendo, libera et immunis consistat, cum eadem a B. Leone papa, quod nobis et quampluribus ipsius villæ hominibus notorium est, fuerit consecrata; cujus consecrationis gratia ipsa capella ab his quæ præmissa sunt jure et salubriter fuit exempta. Ne autem huic facto nostro favorabili aliquis in posterum obviare præsumat, præsentem paginam sigilli nostri et capituli munimine fecimus communiri. Actum est hoc anno ab Incarn. Dom. MCCXXII. Nomina vero testium qui interfuerunt :.... præpositus, Conradus decanus, Henricus scholasticus, Hugo cantor, Ulricus cellarius, Willhelmus camerarius, Henricus de Vesenegga, Henricus de S. Gregorio, et magister Cuno medicus, et alii quamplures.

XXXVI.

Fredericus II, comes Ferretensis, Lucellensem abbatiam juribus auget.

E Mon. Episc. Bas.

1225.

Quoniam solet oblivio rerum bene gestarum abolere memoriam, ego Fredericus, comes Ferretensis, præsenti scripto notum facio præsentibus pariter et futuris, quod causa quæ vertebatur inter me et venerabilem abbatem Lucellensem, dominum Bertholdum, fratrem uxoris meæ Hildewidis, comitissæ Ferretarum, super hæreditate quæ nos ambos et meos hæredes contingere quoquo modo poterat, tandem amicabili compositione per arbitrium bonorum virorum, laudante etiam domino Henrico, Romanorum rege semper augusto, sopita est; ea sane interveniente conditione, ne ego Fridericus comes, pro me et meis hæredibus, universum dominium nostrum cum terris et possessionibus aliisque rebus totaliter retineam, exceptis quæ ei libere donavi aut in posterum donabimus; et præfatus dominus Bertholdus abbas, qui cœlestem magis quam terrestrem substantiam præ oculis habebat, nihil de dicto dominio recipiat, in reliquis nihilominus juribus et gratiis nostro stemmati ab antiquo concessis tam ipse quam sui successores abbates Lucellenses non secus atque nos veri hæredes atque in omnibus participes esse debeant : in jure videlicet relevandi decimas, primitias et novalia de terris acquisitis et acquirendis in dicto dominio nostro; item in jure pascendi quæcumque animalia, capiendi feras, aves, pisces in iisdem terris; in jure etiam effodiendi æra et ea fundendi, cudendi parvas et magnas monetas, imperii signo tamen addito; largiendi arma gentilitia cum scutis retortis et erectis, juxta imperii Romani consuetudines laudabiles; in jure quoque percipiendi telonia, pedagia, et id quod *ungelt* vulgariter dicitur, et alias exactiones in terris et possessionibus prædictis acquisitis et acquirendis; ab his autem oneribus ipsi per totum districtum nostrum omnino liberi sint et immunes; in jure etiam formandi tabelliones, et damnato toro natas restituendi, et in quibusvis regalibus gratiis et juribus aliis universis. Atque pro his omnibus eis munimen et defensionem atque debitam warandiam promitto, ab hoc me, hæredes, seu successores meos, præsentibus firmiter obligans. Ut autem præsens compositio firma et inconcussa permaneat, ego Fridericus, comes Ferretensis, et Ulrichus filius meus hanc paginam cum sigilli nostri impressione, cum sigillo domni Bertholdi abbatis, confirmavimus. Acta sunt apud Altkirchium, laude et assensu Henrici, Romanorum regis supradicti semper augusti. Anno Verbi incarnati MCCXXV, præsentibus viris honestis tam clericis quam laicis, venerabili abbate Lucellensi Bertholdo antedicto, Richardo priore, Hugone cellario, et aliis monachis ejusdem domus, Ulricho, filio meo, comite Ferretarum, domino Burchardo de *Asuel*, Richardo canonico de Monte Beligardi, Ottone canonico S. Ursicini, Gerardo de *Bonfol*,

Hermanno de *Miecort*, Lodoico de Chova, et aliis A
quam pluribus viris honestis.

XXXVII.

Ex apographo (1). *Henricus rex jura Morbacensi abbati concessa confirmat.*

1229. HENRICUS, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus præsens scriptum exhibitum fuerit gratiam suam et omne bonum. Cum serenissimus dominus imperator, pater noster, dilecto principi suo et nostro pedagium in valle concesserit, quousque suæ insederit voluntati, hinc est quod nos, attendentes devota et sincera obsequia ejusdem dilecti prin- B
cipis nostri Hugonis, venerabilis abbatis Murbacensis, quæ nobis et imperio exhibuit et exhibet incessanter, idem pedagium, secundum præmissam domini imperatoris concessionem, ipsi abbati de plenitudine nostri concilii duximus concedendum, et ad majorem securitatem præmissorum præsens scriptum sigillo nostræ celsitudinis roboratum prælibato abbati, dilecto principi nostro præcepimus exhiberi. Datum apud *Haguenau*, anno Domini MCCXXIX, VIII cal. Januarii, indict. II.

XXXVIII.

E Mon. Episc. Bas. *Argentinensis episcopus cum Basileensi fœdus pangit.* C

1231. B., Dei gratia Argentinensis episcopus, universis Christi fidelibus. Ut malitiis hominum, qui ad litigandum sunt proni, qui ecclesias et res ecclesiarum, tanquam obsequium Dei præstent, incendiis et rapinis passim destruunt, obviare possimus in manu forti, de unanimi Bernhardi præpositi, Berchtoldi decani, totius capituli nostri, necnon ministerialium et aliorum ecclesiæ nostræ fidelium consilio, fide data obligavimus, et per præsens scriptum, omnem fraudem et dolum excludentes, promittimus, quod si quis abhinc usque ad Nativitatem Domini proxime venturam et ab inde usque ad biennium, præter imperatoriæ, seu regiæ, D
majestatis culmen, venerabilem H. et fratrem in Christo H., Basiliensem episcopum, in juribus, hominibus, ac rebus aliis tam mobilibus quam immobilibus offendere vel gravare præsumpserit, ei pro viribus consilium et auxilium impendemus, ejus injurias tanquam proprias ulciscentes. Ut autem hæc societas et confœderatio pro bono pacis, pro juvamento pupillorum et viduarum et orphanorum excogitata, pro defensione ecclesiarum et rerum ecclesiasticarum, et generaliter pro totius provinciæ utilitate communi inita, usque ad terminum memoratum a nobis studiosius et diligentius observetur, præsentem chartam tam nostro quam capituli nostri sigillo fecimus roborari. Datum Argentinæ, anno Domini MCCXXXI, III non. E
Octobris.

XXXIX.

E Mon. Episc. Basil. *Fredericus, comes Ferretensis, injuriam episcopo Basileensi illatam nudus et prostratus emendat.*

1232. SUPER eo quod nobilis vir Fridericus, comes Phyrretensis, venerabilem patrem ac dominum Henricum, Basiliensem episcopum, et quosdam alios tam clericos quam laicos apud *Altkilke* claustrum et castrum captivavit, prædam abstulit et

(1) Albor. Mantell. cod. 10, p. 40.

atroces injurias intulit, junctis sibi tribus militibus juravit, quod quidquid dictæ prædæ apud *Altkilke*, Phirretum et in aliis locis, ubi æque potens est, inventæ rehabere* poterit, prece, vel pretio, vel etiam vi, redhibebit; id est non læsam, non deterioratam enormiter, sub qua abstulit figura, reddet; residuum, quod sic recuperare non poterit, ad quæcumque loca delatum sit, ejus pretium ad taxationem Diethelmi præpositi, Conradi decani, Hugonis cantoris, Ulrici cellerarii, canonicorum Basiliensium, Burchardi vicedomini, et Cunonis de *Taletberc*, militum, in terminis ab eisdem præfigendis persolvet, et super iis cautionem, quam iidem præstandam censuerint, faciet et præstabit. Præterea quidquid, ab eo tempore quo episcopus a captivitate liberatus Basileam rediit, ob hanc causam hinc inde ablatum est, quod haberi poterit restituatur; residuum, ad taxationem præmissorum sex, quemadmodum dictum est, persolvatur. Ad emendationem, et tanti sceleris satisfactionem, comes et cum eo ministeriales et liberi pœnam quæ vulgo *harnescar* dicitur sustinebunt; quam* ante portam civitatis, quæ *Spalon* dicitur, unusquisque, prout sui sanguinis nobilitas et generis conditio et terræ consuetudo in talibus requirit, assumentes, et per civitatem via publica usque ad valvas basilicæ B. Mariæ deferentes, ibi se prosternent, et, ab ipsis et pro ipsis oratione effusa, surgentes, et ad pedes episcopi, ubicumque in civitate fuerit, semel, secundo et tertio prostrati, veniam de tanto commisso humiliter postulabunt; qui, postquam ad jussionem ipsius surrexerint, comes juramenta sibi ab episcopo facta relaxabit, fidejussores absolvet datos, et instrumenta super iis confecta restituet, et jurabit quod comitatum suum nunquam ingredietur, nisi de ipsius episcopi vel ejus successoris licentia speciali. Deinde in *Wolffeswile* et in *Diepersvile* curtes, cum consensu uxoris (1) et natorum, B. Mariæ pleno jure, hoc est cum hominibus et omnibus appenditiis suis, tradet: quibus in feudum receptis ab episcopo, ad pacis osculum suscipiet*. Verum si probari poterit per instrumenta, vel testes omni exceptione majores, quibus in tali casu merito credi debeat, quod dictæ curtes prius ad Basiliensem ecclesiam spectabant, comes res alias æquivalentes B. Mariæ conferet, et eas ab episcopo recipiet jure feudali, et sacrosanctis reliquiis coram positis promittet, quod, a festo Joannis Baptistæ proxime venturo usque ad annum, Ludowicum, filium suum, qui nunc ab eo dissentit, ad hoc inducet cum effectu, ut traditioni de curtibus vel rebus æquipollentibus factæ consentiat. Quod si forte non fecerit, nec monitione, nec citatione præmissa excommunicetur; terra, munitiones, ecclesiæ, quarum jus patronatus ad ipsum spectare dignoscitur, supponantur interdicto; uxor, familia, et coloni a divinis excludantur; et ad quemcumque locum declinaverit, dum ibi manserit, et tota die qua recesserit, a divinis cessetur penitus, donec Ludowicum, filium suum, ad consentiendum, ut dictum est, inducat. Hoc juramento præstito, dominus episcopus et Basiliense capitulum litteras sigillis suis roboratas sibi dabunt, summo Pontifici supplicantes in eisdem ut sibi et fautoribus suis in hoc facto dignetur absolutionis beneficium impertiri. Ad hæc quamcumque pecuniam supradicti præpositus et decanus sibi imposuerint devote suscipiet et susceptam adimplebit. Ceterum omnis populus virorum ac mulierum *Altkilke*, ubi hæc enormia perpetrata sunt, cum processione Basileam veniant, et ante portas civitatis

* *Al.* vehere

* *Al.* quod

* *Al.* suscipietur

(1) *Uxoris et* adjecimus ex editione Schœpflini.

mares, consuetis vestibus exuti, et laneis more pœnitentium induti, sic universi per civitatem processionaliter incedentes, in porticu et ante portam B. Mariæ ad terram se prosternant, et maribus ibidem more pœnitentium tonsuratis pœnitentiam suscipiant, quam eis imposuerint vel imponi fecerint sæpe memorati præpositus et decanus, vel eorum alter, si ambo non poterunt interesse : si qui vero domi vel in aliis locis remanserint, vel impedimento legitimo impediti non venerint, proxima sexta feria Basileam veniant, quemadmodum est præmissum; quod si forte venire contempserint, excommunicentur, et ubicumque aliquis eorum fuerit, donec condignam satisfactionem exhibeat, cessetur a divinis. Comitissa et domicellæ suæ familiares, quas ab hac processione exemptas esse decrevimus, ut laborem viæ redimant, ut expensis pareant, et ut pleniorem remissionem peccatorum assequantur, munera sua largius ad fabricam ecclesiæ cum primis processionaliter Basileam venientibus transmittant, per nuntium ad hoc specialiter destinatum. Hanc igitur formam compositionis et pacis hinc inde approbatam et per Basileense capitulum ordinatam et conscriptam idem capitulum et comes prænominatus sigillis suis confirmarunt, ut si super aliquo vel aliquibus articulis in eadem forma comprehensis dubitatio emerserit, recurratur ad scripturam. Datum anno Domin. Incarnat. MCCXXXII, pridie cal. Januarii.

XL.

E Monum. Episc. Basil.

Henricus episcopus officia describit canonicorum in ecclesia S. Petro sacra recens institutorum.

1233. HENRICUS, Dei gratia Basiliensis episcopus, universis Christi fidelibus in perpetuum. Cum ex debito pastoralis officii omnium ecclesiarum in nostræ diœcesi constitutarum curam gerere, et cum propheta decorem domus Domini diligere teneamur, ad hoc quantum nobis desuper inspiratum fuerit operam efficacem dare volumus, ut in ecclesiis nobis subjectis divinum officium, et numerus personarum in eis Deo famulantium augeatur. Noverit ergo præsens ætas et futura posteritas quod de Diethelmi præpositi, Conradi decani, totiusque capituli nostri consensu et consilio, statuimus, irrefragabiliter sancientes, ut in ecclesia S. Petri, infra muros civitatis nostræ sita, collegio in eadem ad honorem, laudem et gloriam summi Dei, beatorum apostolorum Petri et Pauli et omnium atque sanctorum Dei initiato, post mortem dicti decani, ejusdem ecclesiæ plebani, serviat in perpetuum, ita quod reditus et proventus universi inter canonicos inibi famulantes Deo, prout inferius distinguemus, dividantur. Sane, licet canonici S. Petri tam de canonicis quam de præposito liberam electionem habere debeant et habeant, tamen majoris ecclesiæ præpositus, post mortem decani supradicti, de novo custodem creabit et instituet, et eo viam universæ carnis ingresso, custodiam et ejus præbendam vacantes uni personæ, vel præbendam cui maluerit, et custodiam uni canonicorum conferet, capituli consensu irrequisito. Custos, qui semper presbyter esse debet, a præposito quemadmodum dictum est institutus, ab episcopo curam animarum recipiat; tertiam partem oblationum et omnium proventuum, quocumque nomine censeantur, et census de huoba *Wenswilre*, de horto S. Petri et de duabus domibus in monte S. Petri sitis provenientes percipiat. Reliquas duas tertias, et census quos nunc habet ecclesia et si quos in posterum est habitura, et census de anniversariis jam constitutis et constituendis, et census de rebus immobilibus ecclesiæ quocumque titulo collatis, et etiam res mobiles quæ collegio collatæ fuerunt, inter se canonici dividant æqua lance. De quibus tamen custos tantum percipiat quantum unus canonicorum. Custos de portione sua præposito majoris ecclesiæ censum, videlicet quatuor libras temporibus suis reddet, et unicuique canonicorum S.Petri quæ præsentes aderunt, in festo Petri et Pauli, et in crastino, videlicet in commemoratione Pauli, in Dedicatione, in die Nativitatis Domini, in Epiphania, in die S. Paschæ, duodecim denarios pro refectione dabit de communi; absentibus enim nihil penitus dabitur. Residentes etiam, qui quotidiana portione gaudere debent, quandocumque præsentes non fuerint, similiter nihil percipiant, nisi causa studiorum de licentia tam capituli se transtulerint ad loca solenni studio deputata. Residentes tamen sic ministrari præbendam faciant, ut quando non residentes præsentes fuerint debita portione non fraudentur. Item custos duo luminaria, in vesperis et in missa, in altari ponat honesta; in matutinis, legentibus et cantantibus lumen sufficiens ministrabit, et ad omnia tenebitur ad quæ plebanus antea tenebatur. Ipse recipiat ceram, thus et mirrham quacumque hora, sive in majori missa, sive antea, sive post offerantur, et cum nullo dividat, quia hæc tenebitur sine damno canonicorum ministrare. Canonici de funeribus quibus in majori altari celebratur duodecim denarios, et de festo S. Petri duos solidos similiter recipiant de communi; medietatem sacerdos, reliquam medietatem minister. Hæc intelligas post mortem decani, nunc plebani. Canonici canonice electi a præposito majoris ecclesiæ, præpositus canonice electus ab episcopo recipiant investituram. Custos solus sacristas instituat. Omnium aliorum officiorum, sive beneficiorum, si qua ibidem fuerint instituta, præpositus S. Petri dabit investituram, et super cujuscumque electione quando emerserit coram ejus investitore ventiletur. Præpositus etiam et canonici S. Petri, in Assumptione, in Nativitate, in Dedicatione, in Purificatione et in Annunciatione B. Mariæ, in die Nativitatis Domini, Ramis Palmarum, Paschæ et Pentecostes, ad majorem ecclesiam ad publicam missam veniant, nec prius recedant quam missarum solemnia compleantur. In Ramis tamen Palmarum, processione redeunte, ad ecclesiam suam, si voluerint, revertantur. Ad majorem et minorem litanias cum processione veniant, et alias quotiens vel ab episcopo vel a capitulo vocabuntur. Scholastico etiam ipsorum ut viginti scholares utiles et ex pacto, et decem pauperes habeat indulgemus. Si plebanus S. Martini, vel quicumque de hac civitate clericus in canonicum S. Petri fuerit electus, nec ibidem residentiam fecerit, non plus de præbenda percipiat quam absentes. Item nullus canonicorum S. Petri in majori ecclesia canonicum vel altaris beneficium simul et semel habebit; sed uno recepto reliquum vacet ipso jure, excepto præposito, qui in majoris ecclesiæ canonicum et de majori ecclesia in præpositum eligi poterit et assumi, ita quod utrumque retineat, videlicet majoris ecclesiæ canonicam et ecclesiæ S. Petri præposituram. Domus S. Petri quam nunc habet omnibus communis erit. Canonici singulis annis ad colligendos proventus suos cellerarium instituant, cui beneficium, quod de anno in annum augere, minuere, vel mutare pro suæ voluntatis arbitrio poterunt, assignabunt. Præpositus eis, si necesse habuerint, consilium et auxilium impendet opportunum, tamen requisitus. Præpositus in electio-

nibus primam, custos secundam vocem habebunt. A
Præpositus in uno latere, custos in alio stabit. In processionibus simul ibunt. Præpositus in civitate constitutus quantumduo, civitatem egressus quantum unus percipiet canonicorum residentium; qui licet de negotiis ecclesiæ se non debeat intromittere, requisitus tamen ejus negotia cum omni diligentia, cum omni studio tractabit, et ejus jura pro viribus tuebitur et requiret.

Ut autem hujus novellæ plantationis ordinatio, quæ, cooperante Domino, qui bonorum omnium fons est et origo, de virtute in virtutem ibit, de die in diem tam in personis quam in rebus incrementum suscipiet, perpetuæ firmitatis robur obtineat, eam nostro capitulique sigillis nostri confirmamus, sub interminatione tremendi judicii B
inhibentes ne quis contra ipsam venire, vel eam ausu temerario infringere præsumat. Quod si quis facere præsumpserit, anathema sit, et indignationem omnipotentis Dei, beatorum apostolorum Petri et Pauli, et omnium sanctorum se noverit incursurum. Datum Basileæ, anno Domin. Incarnat. MCCXXXIII, XVIII cal. Septembris, indict. sexta.

XLI.

Ex Als. Dipl.

Conradus de Horburg *Theobaldo, abbati Morbacensi, jura advocatiæ suæ oppignerat.*

1244. In nomine Domini amen. Anno ejusdem MCCXLIV, C
mense Decembris, ego Conradus, de *Horburhc* dominus, dictus junior, recepi a venerabili domino Theobaldo, Dei gratia administratore monasterii Morbacensis, mutuo sexaginta marcas argenti, quas idem dominus abbas, sive administrator, debet percipere de collectis et juribus advocatiæ meæ, apud *Watwilre* et apud S. Amarinum; ad quarum perceptionem ego ipsum debeo juvare per me et per amicos meos, quos ad hoc inducere potero, pro viribus, bona fide. Postquam vero perceperit prædictas sexaginta marcas, cum bona computatione, ex tunc ego cum ipso simul faciemus collectas nostras in locis supradictis, de quibus dictus administrator, sive abbas, percipiet totam medietatem; reliqua medietas D
mihi cedet, salvis sibi reditibus et juribus, quæ sibi debent integra remanere; et hæc societas stabit per decem annos, salvo jure utriusque partis, infra quos nec ego, nec pater meus carissimus, neque filii mei, sive alii hæredes vendemus, sive obligabimus, vel alienabimus aliquo modo dictas advocatias, nec in toto, nec in parte: finitis vero decem annis, advocatia mea redibit ad jus meum sicut prius erat. In cujus rei firmitatem et tutelam ego et pater meus, Bertholdus canonicus Lutenbacensis, frater meus, et Henricus natus meus juramento firmavimus hæc omnia servaturos. Ego etiam obligo me et hæredes meos in centum marcis domino abbati et Morbacensi monasterio. Si, quod absit, ego vel aliquis pro me E
fraudem, sive violentiam, faceremus, et nihilominus de perjurio rei notaremur. Dictus vero abbas promisit bona fide, nomine suo et nomine monasterii Morbacensis, quod ipsi mihi vel hæredibus meis in dicta advocatia nullam fraudem vel malitiam adhibebunt; imo eamdem defendere pro viribus adjuvabunt. Igitur, in testimonium hujus facti, præsens scriptum sigillis domini abbatis et conventus Morbacensis, patris mei, et meo, et præpositi sancti Martini in Columbaria de communi consensu exstitit sigillatum. Huic facto interfuerunt decanus, cellerarius et camerarius Morbacenses, G. decanus de *Buhele*, cantor et thesaurarius Lutenbacenses, dominus Henricus de *Steinebrunnum*, miles, et Waltherus laicus frater suus, Willelmus, Craphto, Burcardus, Petrus, Bercthold us, marscalcus, milites de *Gebewilre*, Heymo scultetus, et Bernherus milites de S. Amarino, et alii quam plures.

XLII.

Bercthold us episcopus cœnobium puellare Michelembach *Lucelæ concedit.* E Mon. Episc. Basil.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Bercthold us, Dei gratia Basiliensis episcopus, universis Christi fidelibus præsentem paginam intuentibus in perpetuum. Gratum pariter et acceptum arbitramur firmiter nos majestati divinæ servitium impensuros, cum ad honorem ejus et ad decus ecclesiæ matris nostræ, pro deformatis ecclesiis reformandis, vel in melius transformandis diligenti studio invigilamus. Igitur cum ad cœnobium de *Michelembach*, quondam monialium ordinis S. Benedicti, nostræ diœcesis, auctoritate tam summi Pontificis quam et nostra, visitationis officium exercentes, novissemus, et dictum locum manifeste pateret cum personis ibidem degentibus adeo deformatum, quod de ipso reparando in statum pristinum spes non erat, usi consilio sapientum, præsertim Henrici præpositi, Willelmi decani et totius capituli nostri, quibusdam etiam ad idem religiosis ordinum Minorum fratrum et Prædicatorum, aliisque Deum timentibus adunatis, de consensu et libera voluntate Ulrici comitis de Phirreto, fratris nostri, et filiorum suorum quos ad hoc induximus, nam ejusdem cœnobii fuerant advocati, dictum cœnobium, cum omnibus quæ possidet, licet parva possideat in præsenti, monasterio de Lucela, Cisterciencis ordinis, nostræ diœcesis, subjecimus pleno jure. Statuentes ut de cetero personæ degentes ibidem, sub abbatis dicti monasterii de Lucela obedientia qui pro tempore fuerit et sub regula Cisterciensium hominum famulentur. Providimus etiam et provideri fecimus monialibus ejusdem cœnobii in victu, vestitu, et aliis ad earum sustentationem necessariis, quod vixerint competenter, si culpa sua a provisione non ceciderint ante dicta. Eis autem viam universæ carnis ingressis, sæpedictum cœnobium ordinabitur tam per monachos quam per clericos, per quos divinum obsequium et Deo placens manifeste valeat augmentari. Et ut ex hac ordinatione nostra Basiliensi ecclesiæ, cui præfatum cœnobium immediate suberat, minus præjudicium generetur, eorumdem Henrici præpositi, Willelmi decani et capituli nostri requisito consensu, nihilominus et majoris ecclesiæ Basiliensis decano quadraginta solidos, ceteris canonicis sexaginta, capellæ vero quam in curia in qua manemus Deo fundavimus annuente, cujus collationem ad decanum volumus pertinere, etiam sexaginta persolvant in nativitate Beatæ Mariæ Virginis annuatim. Ne autem super præmissis in posterum valeat dubitationis scrupulus, vel quæstionis materia suboriri, præsentem chartam nostro nostrique capituli sigillis fecimus communiri. Actum anno Domini MCCLIII, x cal. Decembris. 1253.

XLIII.

Innocentii IV litteræ de Radulfo Habsburgensi excommunicando. E Tschudii Chronico.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Basiliensi salutem et apostolicam benedictionem. Dilecta in Christo filia priorissa et conventus monasterii monialium 1254.

pœnitentium B. Mariæ Magdalenæ Basiliensis sua nobis conquestione monstrarunt, quod nobiles viri Rudolfus, comes de *Habsburg*, Gerardus de *Gosikon*, Heinricus de Palma, Rudolfus de *Wediswiler*, Heinricus de *Kienberch* et Gerungus de *Tegerfeld*, milites, quondam Friderico imperatori et Cunrado, nato ejus, contra Ecclesiam adhærentes, cum quibusdam complicibus suis, Basiliensis et Constantiensis civitatum et diœcesium, ad monasterium ipsum manu armata noctis tempore hostiliter accedentes, ac ipsum, Dei timore postposito, ausu sacrilego devastantes incendio, eisdem priorissæ et conventui in personis et bonis suis læsiones et damna non modica intulerunt. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si ita est, dictos sacrilegos tamdiu, appellatione remota, excommunicatos publice nunties, et facias ab omnibus arctius evitari, donec passis injuriam satisfecerint competenter, et cum tuarum testimonio litterarum ad sedem venerint apostolicam absolvendi; ipsos quod de damnis illatis et irrogatis injuriis satisfactionem plenariam dictis priorissæ et conventui, ut tenentur, impendant, monitione præmissa, per excommunicationis sententiam in personas, et interdictum in terras ipsorum, appellatione remota, compellens; non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum quod excommunicari, suspendi, vel interdici, aut extra certa evocari ad judicium, seu terræ ipsorum per litteras sedis ejusdem supponi nequeant ecclesiastico interdicto. Datum Anagniæ, xv cal. Septembris, pontificatus nostri anno duodecimo.

XLIV.

Ex apographo (1).

Urbanus IV jubet ut Berctholdus, Morbacensis abbas, presbyter efficiatur.

1263. Urbanus etc. etc., vener. fr. episcopo Lingonensi. Dilectorum filiorum Berctholdi, diaconi, electi, et conventus monasterii Morbacensis, ad Romanam ecclesiam, prout dicitur, nullo medio pertinentis, ordinis S. Benedicti, Basileensis diœcesis, precibus inclinati, fraternitati tuæ mandamus quatenus eumdem electum, cum ab ipso et præfato conventu fueris requisitus, statutis temporibus rite promoveas in presbyterum, et tandem sibi auctoritate nostra munus benedictionis impendas. Volumus tamen quod dilecto filio electo Basileensi, qui monasterium ipsum sibi subjectum esse proponit, suisque successoribus nullum in jure suo, si quod sibi in eodem monasterio competit, propter præmissa præjudicium generetur. Datum apud Urbem Veterem, viii cal. Decembris, anno tertio.

XLV.

Ex Alsat. Dipl. (2).

Monasterium Parvæ Lucellæ monasterio S. Leonardi unitur.

1264. Henricus, Dei gratia Basileensis electus, Conradus decanus et capitulum ejusdem loci, universis Christi fidelibus salutem in Domino. Scire volumus universos ad quos præsentes litteræ devenerint, quod nos, considerata tenuitate redituum tunc monasterii Minoris *Luzile*, ordinis S. Augustini, nostræ diœcesis, ubi observantia regulæ B. Augustini non poterat haberi, propter defectum

A prælati et personarum, qui ibidem penuria rerum nequiverunt sustentari, monasterio S. Leonardi, ejusdem ordinis, nostræ civitatis, univimus, cum omnibus suis appenditiis, et ipsa duo monasteria communi consensu redigimus in unum corpus, ut nulla inter canonicos ipsorum monasteriorum, post unionem tam utiliter factam, habeatur in aliquo differentia; et quicumque pro tempore monasterii S. Leonardi creatur præpositus, iste ipso facto prælatus Minoris *Luzile* habeatur. Ut autem hujus unionis nostræ necessaria conjunctio apud posteros indivisa remaneat, nos præsentem litteram sigillorum nostrorum munimine fecimus consignari. Actum Basileæ, anno Dom. MCCLXIV, mense Martio, indict. vii. Testes hujus B rei sunt: Rudolphus præpositus; Petrus archidiaconus; Heinr. scholasticus; Erchinfridus cantor;... præpositus Lutenbacensis; Rudigerus præpositus Columbariensis; Henricus Camerarii..; de *Durencheim;* magister Hugo; Henricus de *Hogindorff;* Joannes de *Ratolsdorff;* Rud. de *Pfaffenheim;* Hermannus de *Tierstein;* Thietricus in Fine; Thietricus de *Bercholz;* Al. de *Hadstatt;* Wilhelmus de *Tokenburc;* Lutholdus de Constantia; Lutholdus de *Rotellein;*.... de *Ramstein;* Jacobus Reizo; Rud. Craftonis, can. Basileenses, et quidam alii fide digni.

XLVI.

C *Brisacenses oppidani Henrico episcopo obsequium promittunt.*

E Mon. Bas. Episc.

Universis Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis Heinricus scultetus, consules et universitas civium de Brisacho, Constantiensis diœcesis, notitiam subscriptorum. Ne per lapsum temporis ea quæ præsentis ætatis certæ scientiæ sunt subjecta futuræ posteritatis notitiæ subtrahantur, humanæ cautela providentiæ sic providit ut ad posteros facta modernorum scripturæ testimonio transferantur. Noverint igitur omnes præsentium inspectores, quod nos, ex certa scientia et unanimi consensu, recognovimus et recognoscimus per præsentes nos et montem quem D inhabitamus, cum omnibus suis pertinentiis, ad jus et proprietatem ecclesiæ Basiliensis libere pertinere, et ob hæc reverendo domino nostro H., Dei gratia episcopo Basiliensi, nomine ipsius ecclesiæ Basiliensis, fidelitatis præstitimus juramentum; promittentes nos ipsi suisque successoribus, veris nostris dominis, totius fidelitatis et devotionis in constantia firmiter adhæsuros, et in omnibus parituros, et ad id nos et successores nostros præsentibus adstringentes; omnibus libertatibus nobis hactenus competentibus, et a memorato domino nostro nobis privilegiorum suorum munimine roboratis, in omnibus et per omnia nobis salvis. Datum anno Domini MCCLXIV, in vigilia Nativitatis B. Joannis Baptistæ. 1264.

E

XLVII.

Ludovicus, Froburgensis comes, se clientem Basileensis episcopi agnoscit.

E Mon. Episc. Basil.

Ludowicus, comes de *Froburc*, omnibus præsentium inspectoribus notitiam subscriptorum. 1265. Noverit universitas vestra quod ego munitiones meas, videlicet ambo castra *Waldenburc*, cum suburbio et *Ottum*, cum hominibus, juribus, possessionibus et omnibus attinentiis earumdem munitionum, recognovi et præsentibus recognosco ab ecclesia Basileensi nomine feodi me tenere, ipsasque a venerabili domino meo Henrico, Dei

(1) E Collect. D. *La Porte du Theil.*
(2) Editio D. J. Trouillatii non prorsus inutilis nobis fuit. Vide Mon. Episc. Basil., t. II, p. 138.

gratia Basiliensi episcopo, recepi nomine Basiliensis ecclesiæ, sicut mos est, et fidelitatis sibi præstiti juramentum. Insuper promisi et promitto bona fide, et corporali super hoc præstito juramento, quod eidem domino meo episcopo, per me ac homines meos et munitiones in jure suo et ecclesiæ suæ, sine dolo et fraude, præstabo consilium et auxilium contra omnes, et specialiter sibi munitiones meas omnes in suis et ecclesiæ suæ necessitatibus præsentabo, ipseque versa vice pro se suisque successoribus contra universos se mihi promisit in jure meo consiliis et auxiliis adhærere. Ut autem ad sua servitia me possem melius expedire, ipse, de consensu capituli sui, quartas suas in *Froburc*, item quartam decimæ suæ apud *Sissach*, item quartam decimæ suæ apud *Honoltswile*, postquam eadem quarta liberabitur a manibus Henrici militis de *Ostre*, qui nunc in pignore tenet eam, pro ducentis marcis argenti titulo pignoris obligavit; promittens quod nec per ecclesiasticum, nec sæculare me vexabit judicium super eis, donec eadem pecunia mihi fuerit persoluta. Si vero, quod absit, in jure suo, vel ecclesiæ suæ, immemor juramenti in auxilio præstando defuero, perjurii labe notabor, et quartæ, seu decimæ prædictæ ad ipsum et ecclesiam suam libere, sine qualibet contradictione, vel onere, revertantur. Item si forsan ipse mihi justam moventi causam in ferendo consilio defuerit, ut est tactum, in ducentis marcis argenti mihi tenebitur pœnæ nomine persolvendis. Ad tollendam autem omnem altercationis materiam, ipse dominus episcopus, pro parte sua, duos milites, Hugonem scilicet Monachum, advocatum suum Basiliensem, et Matthiam de *Eptingen* assumpsit: ego vero, pro parte mea, Rudolfum, dictum Divitem, camerarium suum, et Gothfridum de *Eptingen* milites. Qui, jurati per juramentum suum, si de justa vel injusta causa inter ipsum et me dubietas orietur, dicent infra quatuordecim dies, postquam commoniti fuerint, in quo casu ego sibi et ipse mihi assistere teneatur; vel quando ipse mihi, vel ego sibi defuerim; vel quis nostrum pœnam dederit antedictam. Quorum judicio tam ipse quam ego sponte nos subjecimus et subjicimus per præsentes; quodque per eos diffinitum fuerit exsecutioni tam per eum quam per me, sub interminatione pœnæ præscriptæ, mandari debebitur infra mensem. Si quis autem eorumdem quatuor militum obierit, alter loco ejus tenebitur subrogari. In testimonium præmissorum sigillum meum duxi præsentibus appendendum. Actum Basileæ, anno Domini MCCLXV, III non. Novembris. Testes Rodulfus de *Froburc*, præpositus Beronensis; Conradus, decanus; Erchen., cantor; Henricus, scholasticus; Ruedegerus, præpositus Columbariæ; Henricus Camerarii, Diethericus in Fine, canonici Basilienses; Hartmannus, comes de *Froburc;* Conradus de *Bechbuc*, nobilis; Henricus de *Bucthenheim;* Henricus dictus Monachus; Henricus Dives; Henricus *Stein;* Henricus Clericus; Burkardus, vice-dominus; Jacobus et Alberthus, marscbalci; Henricus de *Schowenberc;* Joannes Crafftonis; Hugo de *Oltun;* Joannes Puerorum, et alii fide digni.

XLVIII.

E Monum. Episc. Bas.

Berctholdus præsul capellam in Columbariensi hospitio instituit.

1256. BERCTHOLDUS, Dei gratia Basiliensis episcopus, omnibus ad quos præsens scriptum pervenerit notitiam rei gestæ. Cum facile labantur ab hominum memoria rerum gesta, si scriptis non fuerint commendata, ne seriem sequentium vetustatis oblivio notitiæ subripiat futurorum, noverit universitas vestra, quod, cum olim essemus apud Columbariam, relaxaturi sententias contra cives Columbarienses occasione generalis discordiæ promulgatas, fuit nobis, ex parte civium eorumdem, cum instantia supplicatum ut ibidem consecrare capellam hospitalis pauperum dignaremur. Quod cum in præjudicium parochialis ecclesiæ cedere videbatur, duximus differendum, donec ejusdem indemnitati ecclesiæ caveretur. Tandem itaque consentientibus iis quorum consensus fuerat requirendus, capellam præhabitam consecrantes, statuimus ordinando ut eadem capella nullis unquam ædificiis amplietur, nec missa celebretur in ipsa, nisi duntaxat inter missam quæ prior dicitur, et missam publicam in parochiali ecclesia celebrandas; nec ad missam vel alias horas canonicas campana pulsetur ibidem, excepto die dedicationis ipsius capellæ, quo capellano ipsius capellæ pulsare liceat et missam cum voluerit celebrare. Ceterum cum tam fratres ejusdem hospitalis quam pauperes, tanquam ceteri parochiani subesse parochiali ecclesiæ teneantur, non incompetenter adjicimus, ut sacerdos ministraturus ibidem, de consilio decani, ad quem cura totius parochiæ pertinet, assumatur, idemque sacerdos in ecclesia parochiali prædicta divinis debet obsequiis interesse, nisi fuerit impeditus negotiis hospitalis. Fratres quoque et sorores ibidem recipiendi præfato decano præsentandi sunt, suscepturi pœnitentiam suam humiliter ab eodem. Porro, in compensatione oblationum parochiæ prænotatæ, proventus annuos quatuor librarum et etiam solidorum Basiliensis monetæ de possessionibus hospitalis providimus assignari; de quibus ad luminaria ecclesiæ decem solidi sint custodis, residuis quatuor libris in utilitatem capituli convertendis. Percipiuntur autem prædicti proventus de domibus subnotatis; videlicet de domo quam inhabitat Didericus *Dovener* quatuor libras et duos capones; de domo Henrici *Isensmit* quinque solidos et duos pullos; de horto Henrici telonarii, siti *auf Mullin*, duos solidos; de horto filiæ *des Schnurbers*, sito ultra pontem lapideum, unum solidum et unum caponem. Postremo statuimus ut decanus præfatus cum duobus honestioribus civibus generali comparationi domus hospitalis prædicti singulis annis debeat interesse, proviso quod nec ipse nec cives aliquod consequantur exinde commodum temporale, prædictisque contenti præpositus, decanus et capitulum parochialis ecclesiæ sæpedictæ ab hospitali nihil amplius exigant antedicto. Volentes igitur hæc nostra statuta, partibus consentientibus hinc inde salubriter ordinata, robur obtinere perpetuæ firmitatis, ipsa præcipimus in perpetuum inviolabiliter observari. Nulli ergo hominum liceat hanc ordinationis nostræ paginam infringere, vel ausu temerario contraire: quod si quis attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, gloriosæ Virginis genetricis suæ et nostram se noverit incursurum, et ne forte de integritate veritatis præsentis paginæ dubitetur, ipsa nostro et capituli ecclesiæ S. Martini Columbariensis sigillis exstitit sigillata. Datum anno Dom. MCCLVI, pridie id. Junii, indict. XIV.

XLIX.

Ex Als. Diplom. (1).

Moniales Cistercienses Michelfeld *deserunt, in locum* Blazen *traducendæ.*

1267. Reverendo in Christo abbati Cisterciensi cæterisque abbatibus et prioribus ac capitulis in proximo futuro capitulo convenientibus, H., Dei gratia Basiliensis episcopus, salutem in auctore salutis. Etsi cunctis fidelibus ex debito pastoralis officii nostri condescendere teneamur, præcipue tamen calamitatibus religiosarum personarum, quarum vitam et conversationem sanctam videmus, affectu compatimur quo possumus ampliori. Cum igitur dilectæ in Christo sorores abbatissa et conventus de *Michelveld*, novella ordinis vestri plantatio, in loco in quo nunc degunt, qui situs est inter quasdam paludes prope Rhenum fluvium, vaporationibus spissis et fumis terraneis semper squalens, propter infectionem aeris tantas calamitates et tot morborum tenerentur sustinere passiones quod nequaquam ulla hora sanæ possent consistere, prout notorium est omnibus, vel divino cultui vacare valerent, nos, earum miseriis condolentes, alium locum aptum eisdem in nostra diœcesi situm et dictum *Blazen*, quo se transferant, de consensu venerabilium Conradi decani et capituli nostri duximus indulgendum, locum ipsum sive fundum a nobis exemptum, vestræ jurisdictioni, secundum quod privilegia et indulgentiæ vestræ continent, subjicientes totaliter per præsentes, et monentes vos in Domino ut easdem pauperculas paterna affectione promovere et fovere curetis, quia nos idipsum tum propter Deum, tum propter ordinis vestri reverentiam facere intendimus toto nisu. Datum Basileæ, xiv cal. Julii, ann. Dom. MCCLXVII. Nos Conradus, decanus, et totum capitulum Basiliense, in testimonium calamitatis prædictarum paupercularum, necnon nostri consensus et bonæ voluntatis circa ipsas, sigillum nostrum duximus apponendum.

L.

E Mon. Episc. Bas.

Contentio inter Basileensem episcopum et Basileense capitulum de jurisdictione exercenda.

1277. Frater H., miseratione divina episcopus Basiliensis, universis præsentium inspectoribus salutem et notitiam rei gestæ. Noverit universitas vestra quod orta quæstione inter nos ex parte una, et venerabiles dominos O. præpositum et C. decanum dictæ ecclesiæ ex altera, super judicio, sive jurisdictione ordinaria in nostra diœcesi exercenda, nobis proponentibus et dicentibus quod de jure communi ad nos spectaret, et quod noster prædecessor in quasi possessione quieta fuisset; ex adverso ipsis asserentibus, quod ex antiqua consuetudine præpositi et decani Basiliensis ecclesiæ judicio præsedissent; ipsi domini O. et C., litem nobis super eodem judicio movere nolentes, tamen, ne suis dignitatibus in posterum præjudicium generetur, de jure suo et consuetudine sunt coram Basiliensi capitulo protestati. Nos vero sæpefatis dominis O. præposito et C. decano specialem gratiam facere cupientes, tenore præsentium ipsis concedimus quod uterque eorum, quandiu aliud non decreverimus, de obventionibus dicti judicii, undecumque proveniant, deductis notariorum portionibus, ex integro percipiant quartam partem, reliquis duabus partibus pro nostræ voluntatis arbitrio ordinan-

A dis; hoc adjicientes quod quarta pars obventionis præpositi decano debet cedere supradicto. Et si secus fieret, de nostris partibus eidem decano dictam portionem tenebimur recompensare. Et ut dicta gratia nostræ concessionis rata permaneat atque firma, præsentes litteras ipsis præposito et decano tradidimus, sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno Domini MCCLXXVII, xvi cal. Martii.

LI.

Columbariæ Fratres Prædicatores instituuntur.

E Mon. Episc. Bas. 1278.

Otto, Dei providentia præpositus ecclesiæ Basi- B liensis, venerabilis domini Henrici, Basiliensis episcopi, vicarius generalis, omnibus præsens scriptum visuris salutis et gratiæ incrementum. Cum olim Fratres ordinis Prædicatorum aream quamdam in Columbaria emptionis titulo vindicarent, et ibidem oratorium, sive ecclesiam, construere attentarent, domini Rudegerus præpositus, Fridericus decanus et capitulum canonicorum Columbariensium, ex hoc sibi imminere præjudicium formidantes, opus novum dictis fratribus nuntiarunt. Processu vero temporis, pacis et tranquillitatis commoda litium dispendio præferentes, in hujusmodi placitum convenerunt quod utraque pars coram nobis suas rationes exponeret et quidquid de plano et sine judicii strepitu C decernere curaremus ratum et immobile permaneret, et ferenda per nos sententia ipsorum contingeret et constringeret successores. Pacti quoque sunt ad invicem, quod, ad infirmandam, seu retardandam, nostram sententiam nullo unquam ingenio vel juris auxilio uti vellent. Procuratoribus itaque fratribus, Emundo videlicet quondam priore provinciali Teutoniæ et Hermanno de Rinda vicario supra Rhenum ex parte una, ac decano præfato et domino Wernero dicto *Kurze* ex parte altera, in nostra præsentia constitutis, factum examinavimus, privilegia inspeximus, et discussimus quas volebant proponere rationes. Igitur, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, sententiando pronuntiavimus quod D Fratres ordinis Prædicatorum in Columbaria moraturi, amodo utantur libere privilegiis, libertatibus, indulgentiis, gratiis sibi et ordini suo a sede apostolica vel ordinariis loci concessis, vel in posterum concedendis. Ad hæc prædicent, confessiones audiant, celebrent oblationes, et donationes recipiant, legant, disputent, testamenta disponant, sicut jus permittit, dum tamen illa non subvertant quæ de consilio canonicorum invenerint ordinata. Nec enim ipsi canonici vel eorum aliqui debent obruere quæ per fratres invenerint ordinata. Habebunt insuper sepulturam eorum qui apud ipsos elegerint sepeliri; sic tamen quod, juxta diu obtentam in Columbaria consuetudinem, prius ad parochialem ecclesiam E deferantur corpora mortuorum, quatenus mane una missa vel plures, tamen sub uno contextu, succincte pro ipsis cantentur ibidem, et exinde ad fratrum ecclesiam deferantur. In communicandis vero parochianis ipsorum, modum illum observabunt quem tenent fratres minores in Columbaria morantes. Et ut memorati R. præpositus, F. decanus, et canonici, seu ipsorum successores non reputarent se gravatos, ordinavimus quod darentur ipsis, fratrum et domus Columbariensis nomine, 40 marcæ argenti, quæ memorati R. præpositus, F. decanus et canonici confessi sunt se ab ipsis fratribus recepisse in recompensationem oblationum mortuariorum legatorum canonicæ portionis, et omnium præmissorum. Fassi quoque

(1) In paucis chartam hanc correximus secundum editionem D. J. Trouillatii, Mon. Basil. Episc., t. II, p. 174.

sunt se in rem seu utilitatem suæ ecclesiæ hujus- A modi pecuniam convertisse. Unde renuntiaverunt exceptioni non numeratæ pecuniæ, non solutæ. In hujus rei testimonium præsentem paginam sigillo nostro roboravimus et eamdem sigillis venerabilis patris Henrici, episcopi Basiliensis, necnon prioris provincialis Fratrum Prædicatorum per Teutoniam, et fratris Hermanni, vicarii, atque fratris Emundi, Prædicatorum; insuper sigillis civitatis Columbariensis, præpositi, decani et capituli Columbariensis, voluimus communiri ad abundantem cautelam et memoriam futurorum. Actum Basileæ, in curia nostra, præsentibus honorabilibus viris præpositis Moguntino et Solodorensi, necnon canonicis quibusdam ac militibus, ac pluribus aliis. Anno Dom. MCCLXXVIII, in B die Annuntiationis B. Virginis gloriosæ.

LII.

E Mon. Episc. Basil.

Theodoricus, Montis Biligardi comes, ab Henrico episcopo advocatias Ajoiæ Burarumque accipit.

1280. Universis Christi fidelibus ad quos præsentes pervenerint Thietricus, comes Montispligardis, notitiam subscriptorum. Noverint universi tam præsentes quam posteri, quod nos confitemur et recognoscimus advocatias de *Ajioie* et de *Bures*, cum omnibus suis juribus et pertinentiis, spectare et pertinere ad jus et dominium ecclesiæ Basiliensis; et a reverendo patre domino nostro Henrico, C Dei gratia Basiliensi episcopo, supra dicta omnia recepimus et recipimus in feodum, ad vitam nostram tantummodo, quiete et pacifice possidenda: promittentes bona fide quod dictum feodum in quemquam alium nullatenus transferemus, nec ab ecclesia Basiliensi alienabimus quoquo modo, sicut nec possumus nec debemus; sed volumus quod post nostrum obitum, nec aliquis, nec aliqui, nec aliqua, nec aliquæ, in prædictis feodis, seu advocatiis, occasione nostri sibi jus aliquod valeant vindicare. Et licet dominium possessionum, advocationum prædictarum spectet et pertineat ad ecclesiam Basiliensem pleno jure, dictus tamen dominus episcopus, de consensu sui capituli, volens respicere nostram fidelitatem, in hoc D maxime quod sibi promisimus et promittimus feodum advocatiarum prædictarum nullicuique concedere, vel ab ecclesia Basiliensi modo quolibet alienare, et intuitu servitii et consilii nostri sibi fideliter exhibendi, nobis sub annuo censu, videlicet pro duabus tabulis ceræ, sibi in castro suo *Plujusen*, in Nativitate B. Mariæ Virginis, annis singulis, persolvendis, proventus, sive reditus, proprietatum, possessionum prædictarum tradidit et donavit, ut ipsos integraliter percipiamus; ea videlicet conditione adjecta, ut altero nostrum cedente, vel decedente, donatio redituum et proventuum antedictorum ad ecclesiam Basiliensem libere revertatur; ita quod nec nostri hæredes, nec successores nostri quilibet ex hujus- E modi donatione, nobis propter causas prædictas facta, valeant sibi jus aliquod in dictis reditibus vindicare. In testimonium præmissorum sigillum nostrum duximus præsentibus apponendum. Datum et actum apud castrum nostrum *Chestel Thierri*, anno Domini MCCLXXX, feria quinta proxima post octavam Pentecostes, mense Junio.

LIII.

Conjuratio Morbacensium monachorum adversus Basileensem episcopum. E Mon. Episc. Basil.

Berchtoldus, Dei gratia Morbacensis abbas, 1282. universis præsens scriptum intuentibus salutem et sinceram in Domino caritatem. Cum nos communi nostri monasterii utilitate pensata, a confratribus dicti nostri monasterii conspirationem jurejurando vallatam receperimus, ad defensionem contra dominum episcopum Basiliensem, qui nostra privilegia et libertates infringere ausu temerario non formidat, nos eisdem, corporali interposito sacramento, repromittimus vice versa, quod nullam compositionem juris vel amicabilem, vel ordinationem, absque eorum scitu recipiemus, vel consensu. Protestantes publice, sub honoris nostri, dignitatis, obedientiæ et reverentiæ observantia, id per nos firmiter observari; et si in aliquo, quod absit, conveniremus, id eo ipso nullius penitus sit momenti. Et in hujus evidentiam præsens scriptum præfatis nostris fratribus nostro sigillo tradidimus communitum. Datum anno Dom. MCCLXXXII, XIV cal. Maii, indict. X.

LIV.

Compositio de Bruntuti oppidi possessione inter Basileensem episcopum et Reginaldum de Burgundia. E Mon. Basil. Episc.

Universis præsentes litteras inspecturis Reinaldus de Burgundia, comes Montispligardi, 1283. salutem in Domino. Noverint universi quod super universis quæstionibus et controversiis, quæ inter nos et Gillielmetam uxorem nostram ex una, et venerabilem dominum Heinricum, Basiliensem episcopum, et ecclesiam suam Basiliensem vertebantur, ex parte altera, pura et fidelis concordia in modum qui subsequitur intervenit: quod nos castrum *Burrendrut*, cum omnibus pertinentiis, districtibus et juribus suis, ipsi domino episcopo et ecclesiæ Basiliensi damus, tradimus et assignamus libere et absolute, absque quæstione qualibet, in perpetuum possidendum; præterea advocatias de Ayogia et de curte de Buris, cum districtu, juribus et pertinentiis, quocumque nomine censeantur, damus, tradidimus et assignamus prædicto domino episcopo et ecclesiæ Basiliensi libere et absolute, absque quæstione qualibet, in perpetuum possidendas; renuntiantes pro nobis et uxore nostra prædicta, et hæredibus, seu successoribus quibuscumque, omni juri et actioni quæ nobis in prædicto castro et dictis advocatiis et earumdem districtibus, pertinentiis et juribus competebant, vel competere videbantur; promittentes nihilominus pro nobis, uxore et hæredibus nostris, corporali juramento præstito, quod nos ipsi domino episcopo et ecclesiæ Basiliensi super præmissis omnibus, castro, advocatiis, districtibus, juribus et pertinentiis eorumdem, agendo, denuntiando, vel alio quovis modo, per nos, vel per alios, nullam in posterum movebimus quæstionem, nec aliquibus machinationibus ipsam ecclesiam nos vel hæredes nostri molestabimus super præmissis, vel occasione præmissorum, nec procurabimus per alios consilio vel auxilio molestari; munitiones etiam, seu castra, quæ dominus episcopus Basiliensis jam ædificavit, vel adhuc ædificare voluerit in futurum, in fundo vel solo ecclesiæ Basiliensis, vel in advocatiis prædictis, ipsum non impediemus, nec aliquo modo procurabimus impediri. Nec dominus episcopus Basiliensis, vice versa, nos impediet in fundo, vel

solo nostro, ubi nobis placuerit, munitiones aliquas ædificare in posterum. Præterea feoda de *Blamont*, et decimas inter silvas, et alia feoda, quæ ab ecclesia Basileensi recipere tenemur, ab ipso domino episcopo recipiemus in feodum, quando ab eo, vel ab ecclesia Basileensi, fuerimus rationabiliter informati quod ab ecclesia teneri debeantur, vel ipsa feoda quittabimus eidem. Hæc autem omnia præmissa, sicut a nobis et domino episcopo, et ecclesia sua, nomine suo et ecclesiæ suæ, gesta, condicta et contracta sunt, ita promittimus nos procuraturos cum effectu per uxorem nostram fieri et ratificari usque ad festum Pentecosten, omni dolo et fraude penitus circumscriptis. Hæc autem omnia firma et inconvulsa, corporali juramento præstito, promittimus nos inviolabiliter servaturos, quod et per uxorem nostram jurari infra prædictum terminum procurabimus cum effectu. Quod si forte prædicta in toto, vel in aliqua sui parte servata non fuerint, vel per nos, vel per alios in contrarium veniremus, nulla citatione, vel monitione præmissis, nos et uxor sententiis excommunicationis venerabilis patris nostri domini archiepiscopi Bisuntini debemus illigari: cui pœnæ nos voluntarie duximus submittendos; ad quam etiam pœnam successores nostros præsentibus obligamus. Ordinatum est etiam inter venerabilem patrem dominum episcopum Basiliensem et nos, quod omnes adjutores tam sui quam nostri, hinc inde, huic paci et concordiæ sunt inclusi, et omnes offensas occasione discordiæ prædictæ contractas remittimus hinc inde; captivi etiam hinc inde debent restitui liberi et soluti. In testimonium præmissorum sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum in castris ante *Burrentru*, anno Dom. MCCLXXXIII, xv cal. Maii.

LV.

E Mon. Episc. Basil.

Burgundiæ comes feoda recognoscit quæ tenet ab episcopo Basileensi.

1284. Ut omnis quæstionis, actionis, dissensionis et controversiæ materia tollatur in posterum, nos Reynaldus de Burgundia, comes Montispligardis, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, vel etiam audituris, quod nos castrum dictum *Blamont* et villam cum suis pertinentiis; item decimas inter silvas; item decimas parochiæ de *Phaffans*, quas habemus de quadriennio in quadriennium; item decimas de *Emac*; item totum feodum quod dominus Heinricus de Grandivillario tenet a nobis, excepta domo sua; item *Pierrefontayne* et quinque villas adjacentes eidem, quas comes de Roca vendidit domino Th. quondam Montispligardis, prædecessori nostro, deliberatione bonorum virorum præhabita, recognoscimus ac publice profitemur teneri debere, et nos tenere in feodum ab ecclesia Basiliensi; et nos reverendo domino nostro Heinrico, Dei gratia Basiliensi episcopo, nomine ecclesiæ Basiliensis, homagium fecimus de omnibus supradictis, et ipsa in feodum recepimus et recipimus ab eodem. Insuper volumus, promisimus et promittimus per præsentes, quod Heinricus de *Aubervilar* villam sitam sub *Rozhedor* recipiat in feodum a domino Basiliensi episcopo sæpedicto, cum aliis feodis, quæ tenere debet ab ecclesia Basiliensi, et ipsum Heinricum super homagio nobis in hac parte facto absolvimus, et absolutum esse dicimus præsenti serie litterarum. Insuper promittimus bona fide, quod inquiremus et inquiri diligenter faciemus de aliis juribus et feodis ad ecclesiam Basiliensem pertinentibus; et si qua invenerimus, vel si ecclesia Basiliensis super aliis quibuscumque nos docere poterit, quod aliquo ad se jure debeant pertinere, parati sumus ea recognoscere, et facere in iis omnibus quod domino episcopo Basiliensi ac aliis fide dignis justum visum fuerit et honestum. In cujus rei perpetuam memoriam præsentes litteras sigillo nostro jussimus roborari. Datum apud Friburgum, Lausannensis diœcesis, anno Domini MCCLXXXIV, III non. Aprilis.

LVI.

Permutationem bonorum Petrus episcopus facit cum sacra S. Leonardo ecclesia.

E Mon. Episc. Bas.

Petrus, Dei gratia Basiliensis episcopus, universis salutem in Domino. Cum nos commoditates, ecclesiarum quibus, Deo auctore, præsidemus, ex officii debito prospicere debeamus, attendentes (montem) de *Mettenberg*, cum agris, pascuis et nemoribus ejusdem montis, pertinere ad ecclesiam S. Leonardi Basiliensis, ratione ecclesiæ Minoris Luzclæ, quæ eidem ecclesiæ S. Leonardi unita dinoscitur, ipsi ecclesiæ S. Leonardi modicum proficuum, nobis vero et ecclesiæ nostræ eumdem perutilem posse fieri, et longe fructuosum, quartam decimationum nostrarum in villa Kuvis pro antedicto monte, libera voluntate et consensu capituli nostri accedente, cum præposito et conventu ecclesiæ S. Leonardi prædicti permutavimus et præsentibus permutamus; in ipsos et ecclesiam eorum dictæ decimationis totum jus nostrum permutationis titulo transferentes, sicut et ipsi in nos et ecclesiam nostram quidquid juris habebant in dicto monte eodem titulo transtulerunt. In testimonium præmissorum præsens charta nostro, capituli nostri, necnon præpositi et conventus ecclesiæ S. Leonardi sæpedictæ sigillis est munita. Nos præpositus et conventus ecclesiæ S. Leonardi Basiliensis, ordinis S. Augustini, præfatam permutationem fecimus libera voluntate, et ipsam ratam habentes præsentibus approbamus. Et ut in perpetuum prænotata permutatio inconcussa permaneat, præsentem litteram una cum sigillis præscriptis sigillo nostro duximus consignandam. Actum anno Dom. MCCLXXXVII, cal. Augusti. Nos Otto præpositus, Conradus decanus et capitulum ecclesiæ Basiliensis antedictæ permutationi consensum nostrum voluntarium adhibemus, in signum hujus sigillum nostrum præsentibus apponentes. 1287.

LVII.

Monachi Morbacenses Lucernam oppidum Alberto duci vendunt.

E Spicil. Eccles. Lunigii (1).

Albertus Dei gratia Austriæ dux et Styriæ, dominus Carniolæ, Marchiæ et Portus Naonis, comes *Habspurg* et de *Kyburg*, landgravius Alsatiæ, omnibus Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis subscriptorum notitiam, cum salute. 1291. Ad universorum singulariter et ad singulorum universaliter notitiam volumus pervenire, quod cum serenissimus dominus Rudolphus, Romanorum rex semper augustus, datis et traditis nomine et jure nostro, et nomine et vice filii quondam inclytæ recordationis Rudolphi, fratris nostri carissimi, duobus millibus marcarum argenti, puri et regalis ponderis Basiliensis, honorabilibus in Christo abbati et conventui monasterii Murbacensis, Basiliensis diœcesis, rite et legitime

(1) T. V, p. 978.

comparaverit, et emerit ab eisdem, curiam ac A possessiones Lucernæ, Constantiensis diœcesis, cum ipsarum pertinentiis, appenditiis et juribus, tam corporalibus quam incorporalibus universis, exceptis duntaxat reditibus et possessionibus spectantibus ad præbendas præpositi et monachorum monasterii Lucernæ, et excepta collatione præposituræ dicti monasterii, exceptisque vasallis et ministerialibus ipsius monasterii Murbacensis, et jure patronatus ecclesiæ in *Sempach*, nullo alio jure dictis abbati et conventui in præmissis aliquatenus competituro, vel apud ipsos ullatenus remanente, ut in eodem contractu emptionis actum fuit et expressum, ut nomine nostro, nostrorumque quicumque pro tempore fuerit hæredum, seu etiam successorum, ac nomine ac B vice filii inclytæ recordationis quondam Rudolphi fratris nostri prædicti, cujus tutelam legitimam gerimus, in recompensam utilem et sufficientem dictarum curiæ et possessionum, cum suis pertinentiis et juribus universis per dictos abbatem et conventum in præfatum dominum nostrum Rudolphum, Romanorum regem, nomine et vice nostri et filii quondam nostri fratris prædicti, nostrorumque hæredum, jure proprietatis, tam emptionis quam permutationis titulo, legitime translatarum, eisdem abbati et conventui ipsorumque monasterio villas traderemus infra scriptas et omne jus nobis et filio dicto quondam fratris nostri competens in eisdem, nos nomine nostro nostrorumque hæredum, et nomine ac C vice filii jam dicti quondam fratris nostri, cujus tutelam legitimam gerimus, ut est præmissum, in recompensam abundantem, utilem et fructuosam dictarum curiæ et possessionum omnium ipsius adhærentium et annexarum, exceptis duntaxat his quæ superius annotantur, una cum supra dictis duobus millibus marcarum argenti puri et regalis, ponderis Basiliensis, villas et curias *Herenkeim*, *Isenheim*, *Ostein*, *Merkolsheim* et *Betersheim*, diœcesis Basiliensis, et omne jus quod nobis et filio prædicti quondam fratris nostri in advocatiis dictarum villarum, stuiris, collectis, servitiis personalibus et realibus, hominibus, incolis et advenis habitatoribus dictarum villarum, vel colonis nunc aut processu temporis in futu- D rum, quocumque intervallo temporis aut decursu, jure seu consuetudine hospitandi in villis prædictis et curiis, et generaliter omne jus seu consuetudinem quæ nobis aut eidem quondam fratris nostri filio nostrisque hæredibus competunt, et nunc vel in posterum possent in villis aut hominibus dictarum villarum, incolis seu advenis, et ibidem nunc morantibus, vel in posterum moraturis possent competere quovis modo, memoratis abbati et conventui monasterii Murbacensis, ipsorumque monasterio, et successoribus eorumdem, scriptis præsentibus conferimus, tradimus et resignamus, et in ipsos eorumque monasterium transferimus per præsentes, pro nobis et filio memorati quondam E fratris nostri omnibusque nostris successoribus, libere et absolute tenenda, habenda et possidenda in perpetuum, quiete et pacifice, sine cujusvis obice impediendi; adstringentes præsentium per tenorem nos et filium prælibati quondam fratris nostri, nostrosque hæredes, et successores in perpetuum, ad observationem inviolabilem et incommutabilem singulorum et omnium præmissorum: adhibitis nihilominus per nos, in omnibus et singulis supradictis, verborum ac testium solemnitatibus debitis et consuetis; et in evidentiam præmissorum ipsorumque perpetuam et incommutabilem firmitatem præsens instrumentum præfatis abbati et conventui tradimus, sigilli nostri robore communitum. Datum Viennæ, IV id. Maii, ind. IV, anno Dom. MCCXCI.

LVIII.

Cono de S. Amarino cum Morbacensibus monachis transigit. *Ex apographo*(1).

NOVERINT universi præsentium inspectores, quod ego Cuno, dictus de S. Amarino, omni petitioni et juri mihi aut meis hæredibus in antiquo castro, aut rupe, aut feodo ipsius castri in valle S. Amarini sito, per quondam venerabilem dominum meum Bertholdum, abbatem Morbacensem, victo, destructo et reædificato, necnon damnis quæ per meam evictionem et destructionem ejusdem castri sustinui et perpessus fui, competenti, ad manus venerabilium dominorum meorum Bertholdi abbatis et conventus monasterii Morbacensis libere et expresse pro me et meis hæredibus renuntiavi et renuntio per præsentes, confitens ab hanc renuntiationem a præfatis dominis meis Morbacensibus sexaginta marcas argenti puri et legalis ponderis in *Gebwiler* mihi promissas, et a me puro animo acceptatas; et quia ipsi domini mei Morbacenses argentum promissum non habebant ad manus, mihi meisque hæredibus sex cartatos albi vini de decima sua in *Lenheim*, qua deficiente de decima sua in *Watwiler*, singulis annis, solutione præscripti argenti pendente, continue percipiendos, tempore autumni deducendos, et in usus meos reponendos legiti me deputarunt; et cum ipsi domini mei mihi aut meis hæredibus dabunt et solvent sexaginta marcas argenti præmissas, tunc tandem solutio vini mihi deputati et meis hæredibus cum omni jure vacabit ad ipsos dominos meos Morbacenses et suum monasterium revertens, et vinum perceptum in sortem illarum sexaginta marcarum computari non debet. Præterea si Hartmannus, filius quondam Rudolfi, fratris mei, junior annis, adepta ætate legitima, super conventione cum sæpe dictis dominis meis Morbacensibus de castro præmisso facta, aut sexaginta marcis mihi promissis, aut vino deputato et percepto, mihi quæstionem moverit coram domino abbate Morbacensi, juri stare teneor et sententiam ministerialium suorum subire. In præmissorum testimonium sigillum meum præsentibus est appensum. Datum et actum anno Dom. MCCXCIV, III non. Aprilis. 1299.

LIX.

Bonifacius VIII Albertum, Morbacensem abbatem, instituit. *Ex apographo*(2).

BONIFACIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Alberto, abbati monasterii Morbacensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis S. Benedicti, Basileensis diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem. Sedula nos cura sollicitat angitque propensius mentem nostram ut circa statum monasteriorum vacantium, præsertim apostolicæ sedi nullo medio subjectorum, attentæ considerationis intuitum dirigentes, ope sollicitudinis studium impendamus, ut, vitatis dispendiis quæ solent illis ex vacatione diutina imminere, ipsis personas præficiamus idoneas, viros providos deputemus, per quorum circumspectam prudentiam et solertiam diligentem spiritualibus et temporalibus, divina favente clementia, proficiant incrementis. Dudum siqui- 1299.

(1) Albor. Mantell. cod. 10, p. 69.
(2) Alb. Mantell. cod. 10, p. 72.

dem monasterio Morbacensi, ad Romanam Ecclesiam immediate spectante, ordinis S. Benedicti, Basileensis diœcesis, per obitum quondam Bertholdi, abbatis ipsius monasterii, pastoris regimine destituto, et ejus corpore tradito ecclesiasticæ sepulturæ, dilecti filii custos et conventus ejusdem monasterii, certa die ad eligendum præfixa, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, insimul convenerunt, et tandem, prout moris esse dignoscitur, Spiritus Sancti gratia invocata, nonnullis super hujusmodi electionis negotio tractatibus habitis qui non habuerunt effectum, deliberantes in eodem negotio per viam procedere compromissi, dilectis filiis Luitoldo *de Rothellen*, præposito, et Henrico *de Bethburc*, decano Basileensis ecclesiæ, eligendi, seu postulandi ea vice aliquem duntaxat de jam dicti monasterii gremio in ipsius abbatem potestatem plenariam concordi voto et voluntate unanimi concesserunt, permittentes quod illum in suum et ejusdem monasterii abbatem recipe- rent et haberent quem ipsi compromissarii de ipsius monasterii gremio eligerent, seu eum postularent. Memorati vero compromissarii, hujusmodi potestate recepta, in partem secedere curaverunt, et, tractatu super hoc inter se habito diligenti, demum in te, tunc hujus monasterii monachum, vota sua unanimiter et concorditer direxerunt, et tandem præfatus præpositus, ex commissa sibi suique in hac parte collegæ ab eisdem custode et conventu plenaria potestate, de consensu et expresso ipsius collegæ mandato, de vice sua et dictorum collegæ, custodis et conventus, in abbatem prædicti monasterii duxit canonice eligendum, dictique custos et conventus electionem hujusmodi ab eodem præposito solemniter publicatam concorditer et voluntarie approbarunt, eique postmodum electioni de te facta ad eorumdem custodis et conventus instantiam humiliter consensisti, et tandem, infra tempus a jure statutum, tu et procuratores dictorum conventus et custodis ad hoc specialiter constituti ad nostram præsentiam accedentes, et præsentantes nobis tenorem decreti super hujusmodi electione confecti, de quo decreto nobis exstitit per testes idoneos facta fides, cum originales ipsius decreti litteræ, quæ illud seriosius continebant, casu fortuito essent amissæ, a nobis suppliciter postulastis electionem prædictam confirmare de benignitate solita dignaremur. Nos itaque, patris more benevoli, ad expeditionem ipsius monasterii celerem, ne longæ vacationis premeretur incommodis et dispendiis gravaretur sollicitis studiis intendentes, ipsam electionem, quia invenimus eam esse canonicam, et de persona idonea canonice celebratam, de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam, teque in ejusdem monasterii abbatem præficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, firma concepta fiducia, quod, dirigente Domino actus tuos, monasterium ipsum per tuæ circumspectionis industriam laudabiliter et prospere dirigetur ac salubria suscipiet incrementa. Tu igitur, tanquam devotionis et obedientiæ filius, bene placitis apostolicis te confirmans, jugum Domini reverenter suscipias, et suavi ejus oneri colla submittere non omittas, dictique monasterii curam et administrationem sic diligenter exerceas et sollicite prosequaris, ut illud gubernatori provido et administratori perutili non indigne gaudeat se commissum, tibique proinde divinæ retributionis præmium et apostolicæ sedis favor et gratia circa te non immerito augeantur. Datum Anagniæ, III non. Augusti, pontificatus nostri anno quinto.

LX.

Basileensis episcopus urbem Liestal *aliaque emit.*

E Mon. Episc. Basil. 1305.

Ad æternam rei gestæ memoriam. Nos officialis curiæ Basileensis notum facimus universis et singulis ad quorum notitiam præsentes litteræ pervenerint, quod, sub anno Domini MCCCV, feria sexta proxima ante festum B. Thomæ apostoli, comparentibus coram nobis in forma juris reverendo in Christo patre ac domino per Dei gratiam Basiliensi episcopo, ac regni Bohemici cancellario, Petro de *Asphelt*, ex una, et nobili viro domino Friderico comite de *Teggenburg* ex parte altera, idem D. Fridericus comes, nomine dominæ Itæ de *Honberg*, uxoris suæ legitimæ, juste et legaliter vendidit et tradidit, ac se vendidisse et tradidisse publice recognovit prædicto domino episcopo, ementi nomine ecclesiæ Basiliensis, oppidum *Liestal*, castrum dictum *die Nuwe Honberg* et curiam in *Ellenwiler*, universaque bona et possessiones ubicumque sita vel existentia, sive consistant in villis, curiis, domibus, hominibus, universitatibus et districtibus villarum vulgo *das Twing und Ban*, jurisdictionibus, vineis, agris, pratis, pascuis, hortis, pomeriis, vivariis, seu piscariis, aquis, aquarum decursibus, sive aquæductibus, silvis, nemoribus et aliis quibuslibet possessionibus, cultis et incultis, viis et inviis, cum eorum accessibus et egressibus, sive in reditibus et censibus vini, bladi et denariorum decimis, proventibus, obventionibus ac quibuscumque juribus et pertinentiis, quæ ad prædictam dominam Itam ex successione progenitorum suorum et nobilis viri piæ memoriæ D. Hermanni, quondam comitis de *Honberg*, fratris prædictæ D. Itæ, pervenerunt, theloneo et ferri fodinis in *Friggowe* duntaxat exceptis, pro duobus millibus marcarum et centum marcis puri et legalis argenti, ponderis Basiliensis; quam quidem summam argenti, duorum videlicet millium et centum marcarum argenti, dictus D. Fridericus comes confessus fuit et recognovit in jure se, nomine prædictæ D. Itæ, uxoris suæ, a prædicto domino Basiliensi episcopo, nomine dictæ Basiliensis ecclesiæ, totaliter et integraliter recepisse, sibique, nomine ejusdem uxoris suæ, sub prædicto pondere et ipsum argentum solutum esse et traditum, et in usus ipsius uxoris suæ et liberorum suorum utiliter convertisse : et prædictus D. Fridericus comes, nomine præfatæ uxoris suæ, prædicta bona, scilicet oppidum *Liestal*, castrum *die Nuwe Honberg* et curiam in *Ellenwiler*, ac alia omnia bona prædicta vendita, cum omnibus suis juribus, jurisdictionibus et pertinentiis universis, ad manus domini episcopi Basiliensis, nomine ecclesiæ Basiliensis prænotatæ, libere et absolute resignans, ac proprietatem et dominium utile et directum eorumdem bonorum in dictam Basiliensem ecclesiam, cum omni jure quo prædicta D. Ita, vel ipse D. Fridericus comes, ejus nomine, ea hactenus tenuit et possedit, et nihilominus cum juribus quæ cum universitate transeunt, vel transire solent, de consuetudine vel de jure, nullo jure prædictæ D. Itæ aut suis hæredibus, sive successoribus, in ejusdem bonis venditis excepto, aut aliqualiter reservato; solemniter transferens, etc., etc. Testes qui præmissis acciti et rogati interfuerunt sunt hi, videlicet dominus Lutoldus *de Rotellein*, præpositus Basiliensis, Rudolphus cantor, Hemanus scholasticus; Petrus Scalarii, Wilhelmus Mazzerelli, Conradus *de Gosken* præpositus Werdensis, canonici ecclesiæ Basiliensis; Petrus Scalarius, Conradus Scalarius dictus *Kummelher*, Conradus Scalarius dominus

de *Benden*, Burchardus *Vicedum*, Mathias dictus A *Riche*, Joannes de *Wartenfels*, Thuringus Marchalci, Wernerus dictus *Kraft*, Nicolaus Pincerna, Otto Monachus, milites Basilienses; Hugo, Cuno, fratres dicti Ad Solem, Joannes dictus *Meiger*, Joannes de *Arguel*, Dietricus Monetarii, Waltherus dictus *Meiger*, Joannes dictus *Schonkind*, Cůno dictus Ad Rubeam Turrim, *Hans Synze*, Gener dictus *Fuchs*, Nicolaus dictus *Rehelin*, Joannes de *Stetken* junior, Henricus dictus *Wagener*, Henricus de *Sliengen*, Jacobus dictus *Zem Gure*, cives Basilienses, ac quam plures alii fide digni.

In cujus rei memoriam nos officialis prædictus sigillum curiæ Basiliensis huic appendi fecimus instrumento. Cui, ob pleniorem rei evidentiam, sigilla propria domini Friderici, comitis de *Toggenburg* et civitatis Basiliensis ac prædictorum testium qui habent sigilla sunt nihilominus appensa. Nos quoque Fridericus comes de *Toggenburg* præsens sigillum nostrum, et nos Conradus dictus *Benken*, Scalarius, magister civium, et consules civitatis Basiliensis, sigillum ejusdem civitatis, et nos prænominati testes, in testimonium et evidentiam omnium præmissorum, qui sigilla habemus, sigilla nostra duximus appendenda. Datum Basileæ, anno et die prædictis.

LXI.

E Mon. Episc. Basil.

Decretum Petri præsulis de clericis arma ferentibus.

1305. P., Dei gratia Basiliensis episcopus, dilectis in Christo præposito S. Leonardi, thesaurario S. Petri, et vicariis, sive incuratis S. Martini, S. Albani et S. Ulrichi Basiliensium salutem in Domino. Cum ut vita clericorum sub laudabili et debita honestate conservetur, sacri canones, diversis informationibus usi, inter alia statuerint ut clerici arma portantes excommunicarentur, nos, dictorum canonum sancita nostra executione adjuvantes, de consilio capituli nostri Basiliensis præcipimus, mandamus et virtute sanctæ obedientiæ districte injungimus per præsentes omnibus clericis nostræ civitatis Basiliensis, et qui de diœcesi nostra ad ipsam civitatem venerint, ne in ipsa civitate et in suburbiis, ac continentibus ædificiis, arma deferant publice vel occulte. Alioquin ipsos et quemlibet ipsorum qui contra hoc fecerit post publicationem præmissorum, monitione trium dierum præmissa, ex tunc ut ex nunc in iis scriptis excommunicamus. Item, et ut res majorem consequatur effectum, et insolentiæ rebellium studiosius præveniatur, dedimus et damus per præsentes magistro civium et magistro societatum dictæ civitatis nostræ, et illis quos iidem sibi adjutores assumpserint, potestatem, ut ipsi, vel quilibet prædictorum, vice et nomine nostro, retinere possint et capere clericos quos in manifestis maleficiis et injuriis, maxime flagrantibus negotiis, invenerint perpetratores, donec ipsos nobis, vel nostro, seu nostris vicariis sine mora poterint præsentare. Ita tamen quod, tempore prædictæ detentionis, non in turribus, nec in aliis inhonestis locis conservandi ipsos aliquam habeant potestatem. Et hos nostros processus secundum sui tenorem in ecclesiis coram subditis publicetis. Datum Basileæ, anno Domini MCCCV, Sabbato proximo ad Dominicam *Lætare*.

LXII.

Juramentum Conradi, Morbacensis abbatis. Ex apographo(1).

Ego Conradus, abbas monasterii Murbacensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis S. Benedicti, Basileensis diœcesis, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero B. Petro sanctæque Romanæ Ecclesiæ et domino meo papæ Benedicto suisque successoribus canonice intrantibus; non ero in consilio, aut consensu, vel facto ut vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione; consilium vero quod mihi credituri sunt per se, aut per nuntios suos, seu per litteras ad eorum damnum nescienti nemini pandam; papatum Romanum et regalia S. Petri adjutor eis ero ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem; legatum apostolicæ sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adjuvando; ad synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione; apostolorum limina singulis bienniis, aut per me, aut per meum nuntium, visitabo, nisi apostolica absolvar licentia; possessiones vero ad Murbacense monasterium pertinentes non vendam, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo inconsulto Romano Pontifice. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei evangelia. 1305.

(margin letter B beside "mini pandam")

Et hoc vestræ Sanctitati nos præpositus et decanus ecclesiæ Lutenbacensis, humiles priores domus Columba et *Guebwiler*, ordinis Prædicatorum, Basileensis diœcesis prædictæ, sub sigillis nostris propriis significamus in testimonium omnium et singulorum præmissorum, ad petitionem domini Conradi abbatis et conventus monasterii prædicti, ad sacrosanctam Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, quæ præsentibus duximus apponenda, ad vestram Sanctitatem nihilominus perducentes qualiter usque ad tempus prædictæ provisionis nulla in eodem monasterio restabant vestigia religionis, et quod fere omnes possessiones et reditus et jura ipsius monasterii gravissime alienata sunt, obligata et distracta, quodque ipsum monasterium sub judaica et usuraria pravitate usque ad summam quinque millium marcarum, ponderis Basileensis, miserabiliter, prout toti constat viciniæ, multipliciter est obligatum. Idemque dominus abbas prædictus nunc ad dictum monasterium se transtulit sub Dei confidentia, conventum erigendo, communem cibum et potum sibi et fratribus ibidem ministrando, communeque dormitorium in paupertate maxima frequentando; confidentes quod per continuationem præmissorum prædictum monasterium recipere debeat tam in spiritualibus quam in temporalibus incrementum : quod etiam monasterium in ædificiis et structuris quasi penitus est destructum. Datum sub sigillis nostris in loco Murbacensi prædicto anno Dom. MCCCV, sabbato E proximo post festum Martini episcopi hiemalis.

LXIII.

Pactio de castro Blumenberg *inter episcopum Basileensem et Ferretensem comitem.* E Mon. Episc. Basil.

Nos Otto, Dei gratia Basiliensis episcopus, et nos Theobaldus, comes Phirretarum, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod cum discordia super pluribus inter nos verteretur, nos, amicis et fidelibus nostris intervenientibus, concordavimus et pacem fecimus inter nos et ini- 1309.

(1) Alb. Mantell. cod, 10, p. 78.

vimus, diligenti deliberatione a nobis et nostris consiliariis præhabita, in modum qui sequitur et in formam; videlicet quod nos Theobaldus, comes Phirretarum prædictus, castrum et oppidum de *Blumenberg*, cum hominibus in dictis castro et oppido existentibus, necnon omnibus villis et hominibus in villis commorantibus, juribus et jurisdictionibus allodii et hæreditario ad nos pertinentibus, et omnibus appenditiis dicta castrum et oppidum attinentibus, quocumque jure seu nomine censeantur, in manus reverendi in Christo patris ac domini O., Dei gratia episcopi Basiliensis prædicti, pro se et sua ecclesia Basiliensi resignavimus et resignamus, titulo donationis, per præsentes, pro nobis et nostris hæredibus et successoribus in futurum. Nos vero præfatus O., Basiliensis episcopus, pro bono dictæ pacis et concordiæ, præfatum castrum et oppidum de *Blumenberg*, cum hominibus in dictis castro et oppido existentibus, necnon omnibus villis et hominibus in villis commorantibus, juribus et jurisdictionibus, quocumque jure ad dictum castrum et oppidum pertinentibus, pro nobis et nomine ecclesiæ nostræ Basiliensis, dicto domino Theobaldo in feodum dedimus et damus per præsentes, pro se et suis hæredibus de jure et consuetudine eidem in feodum successuris. Et est actum inter nos quod (ob) prædictam pacem et concordiam et ea quæ superius sunt acta, nos præfatus O., Basiliensis episcopus, et nostra ecclesia Basiliensis, petitiones et jura, quæ nostræ dictæ ecclesiæ Basiliensi contra dictum dominum Theobaldum, comitem Phirretarum, ante nostram ad præfatam Basiliensem ecclesiam promotionem, competierunt et adhuc competunt, eidem non remittimus, nec in aliquo acquitamus. In cujus rei memoriam et testimonium omnium præmissorum sigilla nostra præsentibus litteris duximus apponenda. Datum anno Domini MCCCIX, in octavis Purificationis B. Virginis Mariæ.

LXIV.

Ex apographo (1).

Morbacensis abbas Conradus domesticas quasdam possessiones vendit.

1313. In nomine Domini, Amen. Nos Conradus, divina permissione abbas et conventus monasterii Murbacensis, ordinis S. Benedicti, Basileensis diœcesis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, notum esse volumus universis ad quorum notitiam præsentes litteræ pervenerint, quod nobis in unum consedentibus, et de qualitate status dicti nostri monasterii provide tractantibus, cum invenissemus ipsum nostrum monasterium tantis debitis, quibus gravia quotidie damna accrescunt, tam per usurarum accumulationem quam obstagiorum observationem, in gravem nostri monasterii jacturam et præjudicium, involutum, quod, nisi celeri remedio solutionis eorumdem debitorum nostro succurratur monasterio, non dubium quin ipsum monasterium irrecuperabilibus damnis et periculis periculosius implicetur; super iis itaque debita et competenti deliberatione et tractatu non solum semel sed pluries perhabitis, videbatur nobis consultius et utilius nobis et nostro monasterio infra scripta bona et possessiones nostras vendere et distrahere, et cum pretio eorumdem persolvere debita, quam quod ipsum nostrum monasterium talia irrecuperabiliter damna sustineat et incurrat, potissime cum de facultatibus monasterii nostri aliunde haberi nequeat unde persolvi valeant debita prænotata, et ob hoc, de nostro communi consensu, ad præcavenda hujusmodi damna, vendimus et tradimus, ac nos justo et legitimo venditionis titulo vendidisse et tradidisse præsentibus recognoscimus, religiosis viris fratri Humberto de Bryna, præceptori domus et basilicæ * S. Antonii in *Ysenheim* ac fratribus ejusdem domus, curiam nostri monasterii dictam *das Dinkoff*, sitam in villa *Ysenheim*, cum omnibus bonis, possessionibus et quibuslibet emolumentis ac utilitatibus inde provenientibus, cum omni integritate, prout ea hactenus recipere consuevimus, necnon cum universis juribus et eorum pertinentiis eidem curiæ qualitercumque pertinentibus, sitis seu existentibus in banno et villa de *Ysenheim*; scultatus officio eidem curiæ annexo, quod nostræ et successorum nostrorum abbatum collationi et concessioni reservamus, duntaxat excepto : item possessiones, bona et jura quæcumque ad camerariam dicti nostri monasterii Murbacensis spectantia, sita in banno et villa de *Ysenheim* antedictis, cum curiis in villa *Burnhaupten* et in valle S. Amarini sitis, camerariæ pertinentibus, ac universis bonis, possessionibus et juribus eisdem annexis curiis : item et omnia bona ejusdem camerariæ sita in banno et oppido *Watwiler*, reddentia, seu solventia annuatim unam carratam rubei vini, ac alia omnia bona ad prædictam camerariam quocumque jure, seu titulo, spectantia, ubicumque sita, cum omnibus suis juribus, pertinentiis et obventionibus universis, pro octingentis marcis puri et legalis argenti, ponderis Basiliensis, publice præsentibus confitentes nos prædictam summam octingentarum marcarum, sub prædicto pondere, a præfatis præceptore et fratribus S. Antonii domus in *Ysenheim* prædictæ, integraliter recepisse, nobisque solutum esse et traditum, et in utilitatem nostri monasterii, videlicet in solutionem prædictorum debitorum plenarie esse conversum, et nos prædictam curiam nostri monasterii, sitam in villa *Ysenheim*, et omnia bona camerariæ prædictæ vendita, cum omnibus suis pertinentiis, sive consistant in agris, pratis, vineis, pascuis, hortis, pomeriis, domibus, decimis, reditibus, aquis, aquarum decursibus, piscariis, nemoribus, silvis, viis et inviis, sive in aliis quibuscumque obventionibus, juribus et attinentiis universis, et nihilominus cum omni jure quod cum universitate bonorum venditorum de jure aut consuetudine transire solet ad emptores, habenda, tenenda, et exnunc libere, pacifice possidenda, cum omni utilitate, commodo ac integritate receptionis omnium obventionum quas nos hactenus de præmissis bonis et possessionibus recipere consuevimus, ad manus præfati præceptoris domus S. Antonii prædictæ, nomine suo ac fratrum suorum, et ejusdem domus, solemniter resignantes ac in prædictam domum libere transferentes, et dantes eisdem præceptori et fratribus potestatem prædicta bona vendita, cum omnibus suis juribus et pertinentiis nanciscendi et adipiscendi, et possessionem eorumdem liberam et vacuam apprehendendi et libere subintrandi; promisimus et promittimus per præsentes, in forma juris, per fidem nomine juramenti ab unoquoque nostrum, ad manus honorabilis viri domini officialis curiæ Basiliensis, tanquam publicæ et authenticæ personæ, solemniter stipulatum dictum contractum ratum habere perpetuo atque firmum, nec contra ipsum per nos aut interpositam, seu interpositas personas, verbo vel facto, nec ullo ingenio, nunc aut in posterum, facere aut venire, nec contra venire aut facere volentibus publice aut occulte aliqua-

* *Al.* baliviæ.

(1) Albor. Mantell. cod. 10, p. 83. Quædam correximus secundum D. J. Trouillatii editionem, Mon. Episc. Basil., t. III, p. 181.

liter consentire : item prædictis præceptori et fratribus, ac domui S. Antonii prædictæ, de evictione A
dictorum bonorum venditorum cavere, et in causa evictionis contra quascumque personas, collegium, capitulum, seu universitatem, ab ipsis dicta bona vendita, aut partem eorumdem, ab ipsis evincere, aut aliquod jus in eisdem sibi usurpare volentes, fideliter et efficaciter assistere, ac dictis emptoribus ac eorum successoribus præstare, quandocumque et quotiescumque opus fuerit, debitam et legitimam warandiam; ad hæc et eorum quælibet ac ipsorum inviolabilem observantiam, nos et nostrum monasterium Murbacense ac nostros successores firmiter adstringendo; hoc tamen nobis et nostro monasterio ac nostris successoribus salvo, quod si prædicti præceptor et B
fratres domus S. Antonii prædictæ, aut eorum successores, aliqua bona aut jura prædictis bonis venditis pertinentia, nunc ab ipsis alienata, illicite ab eorum detentoribus in posterum evincere voluerint, quod ipsis in hujusmodi causis evictionum tanquam warandi assistere nullatenus teneamur; sed promisimus et promittimus, ut supra, ipsis emptoribus ac eorum successoribus, omne quod possumus, tamen sine omni damno nostro nostrique monasterii, consilium et auxilium cum omni fidelitate et efficacia impendere pro recuperatione bonorum ac jurium alienatorum, et a dictis bonis venditis indebite abstractorum; renuntiantes nihilominus expresse et ex certa scientia, pro nobis et nostris successoribus, C
exceptioni doli, mali, non solutæ, non traditæ, non numeratæ pecuniæ, non ponderati argenti, deceptionis ultra dimidium justi pretii, beneficio restitutionis in integrum, constitutioni *Hoc jus porrectum*, litteris, privilegiis et quibuscumque libertatibus a sede apostolica aut aliunde ubilibet concessis aut concedendis, ac omni juri et juris auxilio, ac beneficio, canonici, civilis, et consuetudinarii, et municipalis, scripti et non scripti, universisque exceptionibus, actionibus, ac defensionibus tam juris quam facti, et specialiter juri dicenti generalem renuntiationem non valere, quibus vel quorum ope dictus contractus in toto vel in parte cassari posset, aut quomodolibet irritum revocari. Præterea, ad uberiorem securi- D
tatem et securiorem cautelam, submittimus nos et nostrum monasterium, quoad præsentem contractum, jurisdictioni ordinariæ, volentes et expresse acceptantes, ut si, quod absit, contra præmissum contractum, vel præmissorum aliquid, quoquo modo in posterum veniremus, quod non obstantibus aliquibus nostris privilegiis exemptionum, quibus in hac parte renuntiamus, ordinarius, sive dominus officialis curiæ Basileensis, ad ratihabitionem dicti contractus et observantiam omnium præmissorum, sine omni strepitu judicii, monitione tantum præmisssa canonica, nos et nostrum monasterium, ac nostros successores, per censuram habeat et valeat ecclesiasticam compellere et arcere. In cujus rei memoriam et testi- E
monium omnium et singulorum præmissorum, sigilla nostra, videlicet nostri abbatis et conventus, præsentibus duximus appendenda, et supplicavimus honorabili viro domino officiali curiæ Basileensis prædicto, coram quo in forma juris actum contractum, cum omnibus modis, conditionibus et solemnitatibus antedictis, consummavimus et perfecimus, item reverendis in Christo patribus dominis Dei gratia archiepiscopo Bisuntino, ac domino Basileensi et Joanni Argentinensi eadem gratia episcopis, et inclyto ac generoso viro domino Ulricho, comiti Phirretarum, ut in testimonium et pleniorem evidentiam omnium præmissorum sigilla sua præsentibus facerent coappendi.

Nos itaque, officialis curiæ Basileensis prædictus, ad petitionem prædictorum domini abbatis et conventus monasterii Murbacensis, in evidentiam dicti contractus coram nobis in forma juris celebrati, et secundum omnem modum conditiones et solemniter supra scriptas debite consummatum, sigillum curiæ Basileensis prædictæ huic appendi fecimus instrumento; nos quoque in Dei gratia archiepiscopus Bisuntinus, et Basiliensis et Argentinensis eadem gratia episcopi prænotati, et Ulrichus comes Pherretarum similiter, ad supplicationem prædictorum domini abbatis et conventus dicti monasterii Murbacensis, et testimonium necessitatum ejusdem monasterii, ob quas ad evitandum majora damna et pericula dictus celebratus est contractus, per coappensionem sigillorum nostrorum præsentes litteras fecimus consignari, hoc salvo quod nos prædictus Basileensis episcopus præsentibus protestamur, quod, per illam clausulam, circa finem contractus contextam, qua prædicti abbas et conventus se quoad præsentem actum contractum nostræ ordinariæ jurisdictioni submittunt, non dicimus eos exemptos, quodque juri nostro et ecclesiæ nostræ Basileensi ex hoc in nullo valeat in posterum derogari. Datum in oppido *Guebwiller*, anno Dom. MCCCXIII, feria secunda proxima post Purificationem B. Mariæ semperque Virginis gloriosæ.

LXV.

Agnoscit Gerhardus præsul Novicastrensem comitem episcopo Basileensi obsequii professionem minime debere. E Mon. Novi Castri.

Nos Gerhardus, Dei gratia ecclesiæ Basiliensis episcopus, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod cum excellentissimus princeps et dominus Lupoldus, Dei gratia Austriæ et Styriæ dux, inter cetera, quæ super querelis et controversiis, quæ inter nos et illustrem virum dominum Rodulfum, comitem Novi Castri, vertebantur, dixit et definivit et pronuntiavit, ipsum dominum Rodulfum et suos hæredes ab hommagii debito, quo Basiliensi ecclesiæ tenebantur et fuerunt adstricti, liberos et immunes pronuntiavit in sua sententia arbitrali, nos sententiæ dicti domini ducis parere volentes, prædictum dominum Rodulfum et suos hæredes, nostro et successorum nostrorum nomine, pronuntiamus in his scriptis ac dicimus a præstatione hommagii prædicti, in quo nobis et ecclesiæ Basiliensi tenebantur, liberos et totaliter absolutos, absolventes etiam et totaliter liberantes eosdem, nostro, successorum et ecclesiæ nostræ nomine, ex nunc et in perpetuum, a quolibet vinculo et debito, quo nobis, dictæ beatæ ecclesiæ Basiliensi, prædecessoribus quoque nostris, idem comes antecessoresque sui hactenus vel nunc quolibet modo reperirentur adstricti; et promittimus, nostro quo supra nomine et successorum nostrorum, prædictam liberationem et omnia ac singula supra dicta inviolabiliter, bene et pacifice, rata et grata perpetuo habere, tenere et teneri facere sub hypotheca rerum nostrarum et ecclesiæ nostræ, et cum plena restitutione damnorum et expensorum et interesse litis et extra. In quorum omnium et singulorum evidentiam sigillum nostrum duximus præsentibus litteris apponendum. Actum et datum anno Domini MCCCXVI, undecima die mensis Julii, videlicet..... festum beatorum apostolorum Petri et Pauli. 1316.

LXVI.

E Mon. Episc. Basil.

Joannes Cabilonensis cum Alberto Austriaco fœdus pangit.

1327. Nos Joannes de Cabilone, Dei et apostolicæ sedis gratia Basiliensis electus, notum facimus universis, quod cum propter graves occupationes et injustas detentiones Artungi Monachi et complicum suorum et sibi adhærentium, qui se ingerit et ingessit propria temeritate in episcopatu ecclesiæ Basiliensis et bonis ejusdem, in contemptum et vituperium ecclesiæ Romanæ et sedis apostolicæ, ac in nostri præjudicium et gravamen, non possemus habere commode, nec etiam adipisci pacificam possessionem episcopatus B prædicti et bonorum ejusdem, inspecta et considerata evidenti utilitate ecclesiæ nostræ Basiliensis prædictæ, habitoque diligenti tractatu qui debet et consuevit in talibus adhiberi, communicatoque super hoc consilio plurium fidelium ecclesiæ prædictæ, considerantes etiam quod aliter pacificam possessionem dictæ ecclesiæ nostræ habere et assequi, seu adipisci, nullatenus poteramus, nisi mediante favore, auxilio et promotione illustris et magnifici principis domini Alberti, ducis Austriæ et Styriæ, de consilio et consensu prædictorum damus et donamus eidem domino duci duo millia marcharum et quingentas marchas argenti, ponderis Basiliensis, pro eo quod idem dominus dux nobis promisit munitiones et castra C sua aperire, et alias promotiones et auxilia facere et impendere, prout in litteris suis, nobis super hoc traditis, suo sigillo sigillatis, plenius continetur. Pro quibus marchis prædictis obligamus sibi reditus ducentarum et quinquaginta marcharum, secundum communem æstimationem redituum dictorum, percipiendos singulis annis, super fructus, exitus et proventus quæ nos habemus ratione dictæ Basiliensis ecclesiæ in partibus Alsatiæ et Sunngoviæ, et alibi, si ibidem dicti reditus plene haberi non possent, ubi idem dux magis duxerit acceptandos, et super ipsam acceptationem dabimus sibi litteras necessarias quando duxerit requirere; volentes quod dictus dux et sui hæredes dictus reditus tamdiu percipiant donec per nos D vel successores nostros episcopos Basileenses de dictis duobus millibus marcharum et quingentis marchis fuerit integre satisfactum; donantes eidem et hæredibus suis dictos reditus, pro favore nobis et dictæ ecclesiæ nostræ impenso et etiam impendendo, ita quod in sortem debeant minime computari. Debemus etiam procurare, si commode poterimus, cum omni diligentia, erga dominum papam, quod ipse confirmabit obligationem prædictam, et etiam consensum nostri capituli Basileensis conquirere, si poterimus quoquo modo. Promittentes contra prædicta, vel aliquid de prædictis, non facere, vel venire; sed ea rata et grata habere et firmiter observare. In quorum omnium testimonium præsentes litteras E fieri fecimus et nostri sigilli appensione muniri. Datum apud Novum Castrum, Lausannensis diœcesis, anno Dom. MCCCXXVII, quarta die mensis Julii.

LXVII.

E Mon. Episc. Bas.

Juramentum Joannis electi Basileensis.

1335. In Dei nomine, Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum pateat omnibus et singulis in futurum, quod, sub anno Incarnationis ejusdem MCCCXXXV, feria quinta ante festum Nativitatis B. Joannis Baptistæ, hora quasi sexta, A quæ fuit x cal. Julii, ind. III, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini Benedicti, digna Dei providentia papæ XII, anno primo, constituti in mei publici notarii et testium subscriptorum præsentia, venerabilis vir dominus Joannes *Senne* de *Munsingen*, electus in episcopum ecclesiæ Basiliensis ex una, et honorabiles viri domini præpositus, decanus ac totum capitulum jam dictæ Basiliensis ecclesiæ ex parte altera, idem dominus Joannes electus, per juramentum corporaliter præstitum, tactis sacrosanctis evangeliis manu propria, promisit rata habere et efficaciter adimplere ea quæ sequuntur; primo quod honorandos viros dominos præpositum, cantorem, archidiaconum et thesaurarium ecclesiæ Basiliensis prædictæ, vicarios, seu commissarios, episcopatus Basiliensis, sede vacante, indemnes conservabit a promissionibus et obligationibus quas fecerunt, nomine suo et capituli Basiliensis, domino Joanni, priori monasterii S. Albani Basiliensis, se usque ad summam mille et septingentarum librarum denariorum veteris monetæ Basiliensis extendentibus, ad hoc seu pro eo quod munitiones episcopatus, seu Basiliensis ecclesiæ, apprehendere possent et assequi, futuro episcopo absque impedimenti obstaculo assignandas; secundo, quod statuta et laudabiles consuetudines Basiliensis ecclesiæ observabit, ad quorum et quarum observantiam retro ipsius ecclesiæ episcopi hactenus tenebantur, et ea etiam quæ de novo sunt edita et statuta; tertio, quod nullum castrum, seu munitionem ipsius episcopatus, seu ecclesiæ, alicui personæ committeret, quocumque colore vel titulo, nisi vassallo ecclesiæ Basiliensis, vel ejus canonico; et quod tales commissarii, quotienscumque eis munitiones committuntur, jurent easdem, si ipsum dominum Joannem, futurum episcopum, nunc vero electum, decedere, vel cedere contingeret, nullo medio vel contradictione qualibet non obstante, ac sine requisitione seu exspectatione cujuscumque capitulo Basiliensi libere præsentare; quarto, quod nullum constituet vicarium in temporalibus generalem, nisi vassallum vel canonicum Basiliensis ecclesiæ sæpedictæ, et quod talis quotienscumque constituetur, juret munitiones, castra et castella ecclesiæ Basiliensis memoratæ, si ipsum dominum Joannem, futurum episcopum, nunc electum, cedere, vel decedere contingeret, nullo medio, sine requisitione seu exspectatione cujuscumque, ut supra, capitulo Basiliensi prænotato libere præsentare. Quo juramento per dictum electum præstito ut præfertur, dicti domini præpositus, decanus, et capitulum ecclesiæ Basiliensis antedictæ mihi publico notario subscripto mandaverunt et me requisiverunt quod ipsis de præmissis conficerem publicum instrumentum. Datum et actum anno, die, hora, indictione et pontificatu præscriptis, in loco capitulari ubi electiones ecclesiæ Basiliensis solent celebrari, præsentibus reverendo in Christo patre et domino Berchtoldo, Dei et apostolicæ sedis gratia episcopo Argentinensi, honorabilibus viris dominis et magistris Joanne Erlini, scholastico ecclesiæ S. Thomæ Argentinensis, Matthia cantore ecclesiæ Lutenbacensis, Joanne de *Honvalt* cantore ecclesiæ S. Petri Basiliensis, Joanne dicto *Bretzeller*, sacerdote dormitario dictæ Basiliensis ecclesiæ, Joanne dicto *Wagner*, Joanne dicto Nona, clericis Argentinensibus, publicis auctoritate imperiali notariis, Joanne de Constantia, advocato in curia Basiliensi, et aliis quam pluribus personis fide dignis testibus ad præmissa vocatis pariter et rogatis.

Et ego Joannes de Berna, publicus auctoritate imperiali et curiæ Basiliensis notarius juratus,

quia præmissis una cum præmissis testibus interfui, et ea sicut præmittitur fieri vidi et audivi, sub anno, die, hora, indictione, pontificatu et loco præscriptis, hoc præsens publicum instrumentum, ad requisitionem et mandatum præpositi, decani et capituli prædictorum, manu mea scripsi, signoque meo solito signavi, in testimonium præmissorum, ad hæc vocatus specialiter et rogatus.

LXVIII.

E Mon. Episc. Basil.

Decretum capituli Basileensis de Basileensium canonicorum prosapia.

1337. Ad perpetuam rei gestæ memoriam. Nos præpositus, decanus et capitulum ecclesiæ Basiliensis notum facimus omnibus quorum interest ad præsens, seu etiam interesse poterit in futurum, quod sub anno Domini MCCCXXXVII, sabbato ante Dominicam qua cantatur *Oculi*, in curia habitationis domini decani prædicti, indicto ad infra scripta specialiter capitulo, et etiam super aliis necessitatibus ac utilitatibus ecclesiæ nostræ ordinandis, necnon et ejus deformitatibus reformandis, aciem nostræ mentis inter alia dirigentes, ad decorem domus Dei, quæ in personis nobilibus, moribus et circumspectione præpollentibus non immerito decoratur, in quibus hactenus nostrum capitulum et ecclesia multipliciter exstitit redimita, carens macula gentis plebeiæ exceptionem patientis, seu etiam popularis civitatis Basiliensis, per cujus ingressum nostrum capitulum et ecclesia pati posset verisimiliter non modica damna, pericula et jacturas in rebus, honore, pariter et personis, sicut didicimus et videmus experimento nobis in foribus manifesto, quæ pericula et damna quantum in nobis fuit in futurum providere volumus, providentia qua potuimus ampliori, de consensu, auctoritate et voluntate reverendi in Christo patris ac domini Joannis, Dei gratia episcopi Basiliensis, atque nostrum omnium, statuimus et ordinavimus statuto perpetuo atque irrefragabili, per nos jurejurando confirmato, quod nullus burgensis civitatis Basiliensis, seu burgensis ibidem filius, de militari stirpe ex parte patris non trahens originem, receptus, vel recipiendus in canonicum ecclesiæ nostræ memoratæ, virtute gratiæ sedis apostolicæ, vel alias modo qualicumque, ad canonicatum vel ad possessionem præbendæ canonicalis per nos nostrosque successores ullatenus admittantur, quamdiu capitulum, seu illi quorum interest, contra receptos, vel recipiendos, ut præmittitur, legitimis exceptionibus, defensionibus, defectibus, criminibus et objectionibus, jure suffragante, poterint se tueri, impugnando ipsorum receptiones, provisiones, gratias et personas : quibus siquidem exceptionibus, objectionibus et defensionibus antedictis utemur de jurisperitorum consilio saltem duorum, quos tunc et quoties hoc contigerit præsentes pro tunc canonici præbendati, vel major pars ipsorum, aut, si discordando pares numero fuerint, ea pars elegerit in qua dignior prælatus exstiterit, juxta æstimationem prælaturarum Basiliensis ecclesiæ antedictæ, contra personas prælibatas, et iidem electi, ut præmittitur, seu eligendi, easdem objectiones, exceptiones, et defensiones per juramentum ipsorum tales judicaverint, quod receptos, vel receptum, seu recipiendos, aut recipiendum, excludant a jure quæsito, vel etiam acquirendo.

Nos igitur Joannes episcopus supradictus, in signum nostri consensus, auctoritatis et voluntatis, sigillum nostrum duximus præsentibus apponendum, ipsum præsens statutum auctoritate ordinaria confirmando.

Et nos præpositus, decanus et capitulum antedicti in præmissorum evidentiam sigillum nostri capituli fecimus in litteris coappendi. Actum et datum anno, die et loco prænotatis.

LXIX.

Joannes episcopus anniversarium suum condit.

E Monum. Episc. Basil. 1342.

In nomine Domini Amen. Nos Joannes, Dei gratia episcopus Basiliensis, ad universorum tam præsentium quam futurorum notitiam volumus pervenire, quod nos piis cogitantes consiliis quod nihil Deo laudabilius animarumque saluti salubrius reperitur quam crebra officiorum celebratio divinorum, idcirco nos cultum divini nominis in prædicta ecclesia Basiliensi augmentari, et animabus nostris et parentum nostrorum per augmentationem hujusmodi cupientes salubriter providere, de communi et concordi nostri capituli consensu et voluntate expressa, ordinavimus et præsentibus ordinamus, ut capellanus altaris per nos in Basiliensi ecclesia ordinati et in honorem gloriosæ Virginis Mariæ, necnon B. Joannis Baptistæ et præcursoris Domini nostri Jesu Christi consecrandi, seu dedicandi, pro præbenda sua institutus, per nos et nostros successores pro tempore instituendus in eodem, universos fructus et proventus ecclesiæ in *Rennendorf*, quam eidem præbendæ incorporavimus præsentibus et unimus, percipiat, salva tamen præbenda infra specificata, perpetuo vicario in eadem ecclesia instituendo deputata. Et ut non solum in dicto altari nostri et progenitorum nostrorum, sed in ipsa ecclesia Basiliensi perpetua memoria habeatur, statuimus, et de expresso et concordi dicti nostri capituli consensu, præsentimus ordinamus, ut nihilominus, in jam dicta Basiliensi ecclesia, una missa, quamdiu vixerimus, crastino B. Martini episcopi, pro salute vivorum annis singulis habeatur. Post decessum vero nostrum, dies anniversarii nostri, prout pro tempore occurrerit, annuatim cum vigiliis et missis pro defunctis more solito celebretur; quodque piæ memoriæ Burchardi *Sennen*, dicti *de Munsingen*, militis, nostri genitoris, necnon dominæ Joannæ *de Buchegge*, nostræ genitricis, annis singulis feria tertia proxima post Dominicam qua cantatur *Invocavit*, dies anniversarius cum missa et similiter perpetuo celebretur. Necnon omnes et singuli tam canonici ipsius ecclesiæ quam sacerdotes, seu capellani et ministeriales choro Basiliensis ecclesiæ adstricti, cui celebrationi tam dictorum anniversariorum quam missæ pro salute vivorum dicendæ interfuerint, specialibus emolumentis exinde gaudeant et fruantur. Volumus, et præsenti scripto servandum irrefragabiliter ordinamus, ut decanus confraterniæ S. Joannis Baptistæ Basiliensis, qui pro tempore fuerit, universos fructus et proventus ecclesiæ *Oberwiler*, quos etiam de concordi nostri capituli consilio et consensu pro missis et anniversariis hujusmodi perpetuo celebrandis deputavimus et præsentibus deputamus, annuatim recolligat, percipiet et vendat, ac pretium eorumdem venditorum, salva præbenda vicarii perpetui in dicta ecclesia *Oberwiler* instituendi, de iisdem fructibus deputata, inter canonicos, capellanos et ministeriales dicti chori, qui celebrationi hujusmodi missarum, vigiliarum et anniversariorum interfuerint, annis singulis dividat et perpetuo distribuat in hunc modum; videlicet, sacerdoti missam aut pro salute vivorum, aut pro defunctis, celebranti in

utroque dierum prædictorum anniversariorum, A præter portionem alias sibi de præmissis debitam, unus solidus denariorum, et unus solidus similiter etiam missam publicam celebranti; imponenti vero, cappa solenni ad hoc induto, sex denarii; item lectoribus unus solidus denariorum; item sacristis, pro compulsatione campanarum omnium quæ in maximis anniversariis pulsari solent, tam ad vigiliam quam ad missam, unus solidus denariorum; cantantibus graduale, quatuor denarii; tractum vero cantantibus, unus solidus denariorum; subcustodi pannum solennem in choro ponenti, octo denarii; et sex solidi pro quatuor candelis quæ super eodem panno positæ ardeant usque ad earum consummationem; subscholastico, ut cum omnibus suis scholaribus B missæ celebrandæ intersit, unus solidus denariorum; et dormentario sex denarii per dictum decanum, ut est moris in dicta Basiliensi ecclesia perpetuo ministrentur: duas autem partes residui pretii quod annuatim pervenerit de venditis fructibus et proventibus dictæ ecclesiæ de *Oberwiler* expeditis, præbenda vicarii ejusdem ecclesiæ deputata, idem decanus inter canonicos qui missæ et vigiliæ nostris interfuerint pro parte media, et sacerdotes, seu capellanos iis præsentes pro reliqua parte, medietatem dividet æqua lance; tertiam vero partem ipsius residui prædicti dictus decanus inter canonicos et sacerdotes qui missæ et vigiliis anniversarii parentum nostrorum defunctorum interfuerint dividet, secundum formam C et modum prænotatos; hoc tamen adjecto, quod ex quo vigiliæ tempore dicendarum missarum pro salute vivorum non habentur, portio dividenda inter præsentes vigiliæ inter præsentes canonicos qui missæ pro salute vivorum interfuerunt, pro parte media, et pro reliqua parte inter sacerdotes chori, per dictum decanum more solito dividantur, salva tamen portione prædictis ministerialibus supra specificata, ministranda perpetuo de eisdem. Decanus etiam prædictus, qui decimam communem ecclesiæ locabit, seu colliget, et fructus ejusdem vendet, et modo præmisso distribuet, in distributione præsentium distribuendarum portione canonicali gaudebit, et honoraria consueta locatis per eum decimis recipiet suis usibus applicanda. Ceterum est scien- D dum quod ecclesiarum in *Rennendorff* et in *Oberwiler* vicarii, qui uterque videlicet de sua ecclesia onera papalia, juraque episcopolia et alia quæcumque ipsis ecclesiis incumbentia expedire perpetuo tenebuntur, pro suis præbendis percipient, imo de fructibus earumdem percipient, videlicet vicarius in *Rennendorf*, pro præbenda sibi in eadem ecclesia deputata, annuatim quatuor modios siliginis et quatuor modios avenæ, mensuræ in *Telsperg*, cum oblationibus, remediis et anniversariis ejusdem ecclesiæ unum solidum; vicarius vero ecclesiæ *Oberwiler*, pro præbenda sibi deputata, percipiet duodecim viernceIlas speltæ et sex viernceIlas avenæ, E provenientes annis singulis de dote ipsius ecclesiæ; idem et decimam fœni, cum minuta decima, oblationibus, remediis et anniversariis ejusdem ecclesiæ universis. Nobis etiam et nostris successoribus collationem et provisionem prædicti altaris, per nos in dicta Basiliensi ecclesia ordinati, necnon prædictarum vicariarum ecclesiarum in *Rennendorf* et in *Oberwiler*, expresse enore præsentium reservamus. Et ut præmissa omnia et singula ex tunc in antea sic serventur, ea ad librum vitæ, in quo anniversaria perpetua conscribi solent in dicta Basiliensi ecclesia, poni fecimus, et nihilominus præsentes litteras sigilli nostri munimine roborari, ad perpetuam memoriam rei gestæ, seu ad majorem certitudinem et cautelam. Nos Thuringus de *Ramstein*, præpositus, Jacobus de *Watwiler* decanus, totumque capitulum, recognoscentes omnia et singula prædicta sic esse acta, de communi et concordi consensu ac consilio nostri capituli, ad hoc etiam specialiter indicti, sigillum ejusdem capituli fecimus præsentibus litteris coappendi. Datum et actum sub anno MCCCXLII, feria tertia proxima post festum BB. Petri et Pauli apostolorum.

LXX.

Carolus IV rebelles episcopo Basileensi oppidanos, et episcopalibus juribus ideo privatos, Cæsareis quoque privat. *E Mon. Episc. Basil.*

CAROLUS, Dei gratia Romanorum rex semper augustus, et Bohemiæ rex, venerabili Joanni, 1347. Basiliensi episcopo, principi nostro dilecto, gratiam regiam cum plenitudine omnis boni. Oblata pro parte tua celsitudini regiæ petitio continebat, quod, cum certa oppida ad te et tuam Basillensem ecclesiam spectantia tibi tuæque ecclesiæ subjecta fore dinoscantur, et quicumque contra te et ecclesiam tuam prædictam feloniam committant, in tuum et ecclesiæ Basiliensis non modicum præjudicium et gravamen, adeoque excedant, quod privilegiis et juribus, si quæ habent a te, vel a prædecessoribus tuis habuerunt, merito sint privandi, quatinus tibi et ecclesiæ tuæ prædictæ super eo dignaremur generosius providere. Nos itaque, tuis justis moti supplicationibus, tibi duximus auctoritate præsentium indulgendum, quatinus si qui de ipsis oppidis aliquam feloniam similem de cetero committere præsumpserint, postquam juris ordine observato et secundum Basiliensis ecclesiæ consuetudinem per te provide condemnati fuerint, et ipsorum privilegiis seu juribus, a te vel tua ecclesia, ut profertur, habitis, justitia privati mediante, volumus, ac ex nunc prout ex tunc decernimus prædictos oppidanos et homines prædictorum oppidorum etiam privilegiis et gratiis habitis a nobis nostrisque prædecessoribus imperatoribus et regibus Romanorum, auctoritate regia fore, et esse ipso facto mox privatos et penitus denudatos harum serie litterarum, quibus regiæ majestatis sigillum duximus appendendum. Datum Basileæ, anno Dom. 1347, in festo B. Stephani protomartyris, regnorum nostrorum anno secundo.

LXXI.

Decretum Morbacensis conventus de monachis in abbatis defuncti bona involantibus. *Ex apographo (1).*

NOS Joannes, Dei et apostolicæ sedis gratia abbas, Wilhelmus *Stoer* decanus, Diethricus 1360. Burgravii cellerarius, Hugo de *Sigenaw* custos, totusque conventus et capitulum monasterii et ecclesiæ Murbacensis, ordinis S. Benedicti, Basileensis diœcesis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ad omnium et singulorum quorum interest notitiam tenore præsentium cupimus pervenire, quod ex quo didicimus experientia, quæ summa est rerum magistra efficax, nos docente quod cum aliquando, temporibus retroactis, dictum nostrum monasterium esset abbatis, seu pastoris, ac defensoris legitimi, solatio destitutum, nonnulli tunc ejusdem nostri monasterii monachi et confratres, magis privatis commodis quam utilitatibus abbatiæ vacantis taliter inhian-

(1) Alb. Man. cod. 10, p. 134.

tes, spretis ac postpositis canonum institutis, sibi ejusdem abbatiæ bona, proventus et reditus, in futuri tunc abbatis et dictæ abbatiæ præjudicium et gravamen, non modicum usurparunt, ipsos suis singularibus commodis applicando, et quod perspeximus ac perpendimus talia sacris canonibus obviare, quibus tam in rubro quam in nigro cavetur, ne sede vacante aliquid imminuatur, et quod ecclesia, sive monasterium, pastore carente, cum non sit qui pastorale jus tueatur, nec debet aliquid innovari, nec clerici aliquid possunt disponere de rebus ecclesiæ sic vacantis, ne jura plus cavisse personis quam ecclesiis videantur; idcirco nos, cupientes quantum in nobis est, pariter et volentes ne tales usurpationes, in vacationibus dicti nostri monasterii subsequentibus de cetero, per nos vel nostros successores in eodem quomodolibet attententur; attendentes etiam ac pensantes quod ea quæ infirmari poterunt et vituperari sunt summopere præcavenda, et exempla præsentia nos permonent in futurum, majorque tristitia est cum talia revocantur quam nascatur gratia de avitis, et quod Ecclesia de talibus infamatur, et quod potest contingere expedit, quantum est possibile, prævidere, et futuris est casibus occurrendum, bonæque rei dare consilium, et posteris habetur vitæ remedium et subsidium, et æternæ retributionis decernitur præmium exspectare, nos omnes et singuli, anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo, in die B. Leodegarii episcopi, nostri patroni, indicto ad hoc per nos capitulo, in loco capitulari dicti nostri monasterii propter hoc capitulariter congregati, tractatu inter nos sæpius prælibato diligenti, ac deliberatione etiam matura prævia, cum viris prudentibus et peritis, consensu unanimi et concordi, nullo penitus discrepante, decrevimus statuendum, statuimus in perpetuum valiturum per præsentes, quod, ex tunc in antea, quotiescumque et quandocumque vacare contigerit abbatiam monasterii antedicti, nec nos, nec nostri successores in eodem nostro monasterio, communiter vel divisim, bona, jura, obventiones, reditus, seu proventus, ad eamdem abbatiam et ejus abbatem tantummodo pertinentes, nobis, sive pro nostris privatis, seu singularibus commodis et usibus, sive pro augmento præbendarum nostrarum, de cetero aliqualiter deputemus, usurpemus, vel etiam quomodolibet applicemus, et quod hoc de cetero per aliquem fiat, in aliqua vacatione nostri monasterii memorati, omniumque communiter vel divisim nostrum consensum aut assensum dabimus, auxilium, consilium, vel favorem, tacite vel expresse; et si aliquis eligendus se, quod Deus avertat! ad veniendum contra statutum hujusmodi quomodolibet obligaret, obligatio hujusmodi, sub quacumque forma verborum facta, etsi contra statum hujusmodi attentatum fuerit, sive factum, nullius fiat efficaciæ, roboris, vel momenti, nec possit, nec debeat, tanquam nulla, irrita, subsistere quovismodo; et ne statutum hujusmodi fiat ludibrio debitoque frustretur effectu, sed, ex tunc in antea, perpetuo et inviolabiliter observetur, ad observantiam ejusdem inviolabilem per nos et nostros successores de cetero faciendam, nos et quemlibet nostrum singulariter adstrinximus per juramenta præstita a nobis omnibus et singulis, sacrosanctis evangeliis per nos tactis, volentes ac præsenti statuto etiam annectentes, sub rigore juramentorum, per nos, ut præmittitur, præstitorum, quod nullus ex nunc in antea in dicto nostro monasterio, in nostrum monachum, seu confratrem, aut in canonicum ecclesiæ S. Mariæ Murbacensis recipiatur, nisi ad observantiam inviolabilem statuti supra scripti per juramentum corporale ab ipso præstandum irremissibiliter se adstringat. In quorum omnium et singulorum testimonium evidens atque robur, nos abbas et capitulum antedicti sigilla nostra pendi fecimus ad præsentes. Datum et actum loco, die, anno Domini quibus supra.

LXXII.

Joannes episcopus Solodorenses oppidanos quibusdam vectigalibus eximit. E Cod. Epist. Radulfi I.

Nos Joannes, Dei et apostolicæ sedis gratia episcopus Basiliensis, notum facimus præsentium inspectoribus seu auditoribus universis, quod cum spectabilis dominus Rudolfus, felicis memoriæ, comes de Novo Castro, quondam condominus et landgravius jurisdictionis et comitatus de *Nydowe*, prædecessoris nostri per mandatum, et recognitionem quondam coram serenissimo domino Rudolfo, Dei gratia Romanorum rege, factam, renuntiasset omni discordiæ et exactioni quam habebat in burgenses de Solodoro nobis dilectos, causa thelonii in *Nydowe* recipiendi ab eisdem, prout in quadam littera desuper confecta sigillo vero pendenti supradicti quondam comitis de Novo Castro et prædecessoris nostri sigillata lucidius continetur; nos igitur, de bonorum consilio, dictam renuntiationem propter spem pacis et dictorum burgensium de Solodoro dilectionem specialem confirmamus et præsentibus spontanea voluntate confirmasse profitemur, absolventes in posterum a nobis et a nostris successoribus quibuscumque dictos burgenses nobis dilectos per jurisdictionem et districtus nostros, ascendendo et descendendo transeuntes, ab omni servitio, pedagio et exactione nobis vel nostris causa thelonii nostri in *Nydowe* faciendi, ita quod ipsi et singuli eorum, cum omnibus bonis suis quæcumque sint libere debeant in posterum et possint sine omni molestatione per meam jurisdictionem et districtus prædicta pertransire. In cujus rei testimonium et stabilem firmitatem præsentem litteram dictis burgensibus sigillo nostro pendenti tradidimus consignatam. Datum et actum apud *Bieln*, quinta die mensis Martii, anno Dom. 1376. 1376.

LXXIII.

Clemens VII a Guillelmo, Morbacensi abbate, debitos nummos requirit. Ex apographo.

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Guillelmo, abbati monasterii Morbacensis, Basileensis diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum, dilecte fili, sicut accepimus a gentibus nostræ apostolicæ cameræ, nobis et eidem cameræ ac venerabilium fratrum nostrorum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium collegio, ratione promotionis per felicis recordationis Gregorium papam XI, prædecessorem nostrum, de persona tua monasterio cui præsides factæ, tam pro tui communi servitio quam quinque Suitiis et hiemali visitatione a te debitis, in summa octingentorum florenorum auri, vel circiter, cameræ nostræ solvere tenearis, hinc est quod discretionem tuam requirimus, et mandamus ac hortamur attente, quatenus dictam summam octingentorum florenorum dilecto filio nobili viro Joanni *de Hasenberg*, militi, Basileensis diœcesis, cum ab eo fueris requisitus, solvas, tradas, realiter et assignes; nos eidem Joanni a te summam prædictam exigendi, petendi, et recipiendi, et de receptis, vel de ea parte 1380

quam ipsum a te recipere continget, te tuosque successores abbates prædicti monasterii qui fuerint pro tempore et alios quorum interest quittandi, liberandi et absolvendi, auctoritate apostolica dedimus et concessimus, damus et concedimus eadem auctoritate et tenore præsentium potestatem in præmissis, favorabiliter sic te gerens quod exinde tibi tuoque monasterio salutis, honoris et laudis perveniat incrementum, nosque devotionis tuæ promptitudinem condignis in Domino laudibus commendemus. Datum Avenione, non. Junii, pontificatus nostri anno secundo.

LXXIV.

Ex apographo(1). *Morbacensem abbatem Basileensis episcopus munere privat.*

1388. IMERIUS, Dei et apostolicæ sedis gratia episcopus Basileensis, executor et commissarius unicus quoad infra scripta ab eadem sede apostolica specialiter delegatus, honorabilibus et religiosis viris decano totique capitulo, necnon singulis monachis et personis monasterii Murbacensis, ordinis S. Benedicti, nostræ Basileensis diœcesis, ad sedem apostolicam immediate pertinentibus, etiam dignitates, personatus officia, seu beneficia quæcumque obtinentibus in eodem monasterio, ac illi vel illis ad quem vel ad quos in eodem monasterio abbatis receptio, electio, provisio, præsentatio, seu quævis alia dispositio pertinet, communiter vel divisim, necnon omnibus aliis et singulis quorum interest vel interit, vel quos infra scriptum tangit negotium, vel tangere poterit quomodolibet in futurum, cujuscumque gradus, status, dignitatis, nominis, conditionis, vel præeminentiæ fuerint, vel existant, ac quocumque nomine censeantur, salutem in Domino, et mandatis nostris, imo verius apostolicis, in hac parte firmiter et obedire. Dudum sanctissimus in Christo pater et Dominus dominus noster Urbanus, divina providentia papa sextus, nobis per suas certas litteras apostolicas commisit ac tradidit in mandatis ut personas ecclesiasticas cujuscumque dignitatis, status, ordinis et conditionis, quæ ad obedientiam sanctæ matris Ecclesiæ ac ipsius domini nostri Urbani redire contempserint, sed animo indurato Deique timore postposito, sub obedientia scelerati Roberti, olim cardinalis tituli duodecim Apostolorum, nunc vero antipapæ, perseverarent, auctoritate præfati domini nostri Urbani privare possumus, ac privatos eosdem declarare officiis, beneficiis, dignitatibus, ac personatibus quibuscumque, etiamsi forent dignitates cathedralium ecclesiarum, et eisdem officiis, beneficiis, dignitatibus ac personatibus sic per nos privatorum, seu privatorum declaratorum, providere possimus de personis duntaxat idoneis, etiamsi aliqua ipsarum unum, duo aut tria beneficia obtineret; postea frequentibus clamoribus ac fama publica ad nos pervenit quod iniquitatis filius Wilhelmus dictus *Stoer*, quondam abbas monasterii Murbacensis prædicti, propriæ salutis immemor ac honoris sui persecutor effectus, damnato Roberto antipapæ palam, publice ac notorie favit et adhæsit, prout hodie favet et adhæret; nos autem Imerius, commissarius prædictus, præmissa tam nefanda et enormia sub conniventia præterire nequeuntes, contra præfatum Wilhelmum antipapistam mediante justitia duximus exsurgendum, præfatum Wilhelmum auctoritate apostolica nobis in hac parte tradita, juris ordine rite observato, testibus ac informationibus sufficientibus prius receptis, A ipsa abbatia privavimus et declaravimus privatum et amovimus ab eadem. Ne autem ipsum monasterium propter carentiam pastoris desolaretur, vel diversis molestiis opprimeretur, de ipsa abbatia eadem auctoritate apostolica providimus ac providemus per præsentes venerabili ac religioso viro Rudolfo de *Watweiler*, abbati Lucellensi, ordinis Cisterciensis, quem invenimus, testimoniis multorum fide dignorum, conversationis religiosæ, scripturis sacris sufficienter eruditum, in spiritualibus ac temporalibus providum ac circumspectum, qui etiam, ut accepimus, per suam industriam duas abbatias omnino depauperatas et dilapidatas erexit ac reformavit, sperantes et de sua sagacitate confidentes quod ipsum prænotatum monasterium B Murbacense, cum omnibus suis pertinentiis, debeat relevari ac prosperari. Quare nos omnes et singulos decanum totumque capitulum, singulasque ipsius monasterii personas, quibus præsens noster apostolicus in hac parte processus dirigitur, primo, secundo et tertio, auctoritate prædicta, tenore præsentium requirimus et monemus, communiter vel divisim, vobisque nihilominus et cuilibet, eadem auctoritate apostolica, in virtute sanctæ obedientiæ et sub pœnis ac sententiis infra scriptis, firmiter et districte præcipiendo, mandamus quatenus infra sex dies proximos, a tempore publicationis, seu notificationis præsentium vobis in prædicto monasterio Murbacensi computando, quorum dierum duos pro C primo, duos pro secundo, et reliquos duos dies pro tertio et peremptorio termino, ac monitione canonica vobis omnibus et singulis supra dictis, quibus præsens noster apostolicus in hac parte processus dirigitur, tenore præsentium, quoad subscripta præfigimus et etiam assignamus, quod præfatum Rudolfum, vel ejus procuratorem legitimum, suo nomine et pro ipso in sæpe dicto monasterio Murbacensi, juxta processus præsentis tenorem, prout ad vos et vestrum quemlibet communiter vel divisim pertinet, recipiatis et admittatis, ad abbatiam prædictam, per nos eidem, ut præfertur, collatam, in vestrum et ejusdem monasterii abbatem et pastorem animarum, et in possessionem corporalem pacificam et realem D ipsius abbatiæ ejusque jurium et pertinentium prædictorum, facientes eidem Rudolfo, vel ejus procuratori, suo nomine, de ejusdem abbatiæ fructibus, reditibus et proventibus, ac juribus universis, tamquam vestro vero abbati satisfieri et integraliter responderi, et, quantum in vobis est, satisfaciatis etiam sibi integraliter et complete, et faciatis eidem obedientiam, reverentiam tam debitas quam devotas. Alioquin tam in vos quam in dantem ipsi Rudolfo, et in recipientes dictam abbatiam, vel jus aliquod pertinens ad eamdem, et in contradictores alios quoslibet et rebelles, ex nunc a dicta canonica et peremptim ipsorum sex dierum monitione præmissa, ex tunc in iis scriptis singulariter in singulos excommu-E nicationis, in capitulum vero dicti monasterii Murbacensis, si inobedientes, vel rebelles, fueritis, suspensionis, et in ipsum monasterium Murbacense, in causa rebellionis hujusmodi, interdicti sententias dicta auctoritate apostolica ferimus et etiam promulgamus, absolutionem omnium et singulorum qui præfatas vel infra scriptas nostras sententias, vel aliquam earum, incurrerent quoquo modo per manifestam resistentiam, vel occultam, nobis vel superiori nostro duntaxat in mortis articulo præsentibus reservantes; præsentemque processum penes ipsum Rudolfum abbatem, vel ejus procuratorem, volumus remanere, nec contra ipsorum, vel alterius eorum, voluntatem, per vos, vel quemquam alium, detineri,

(1) Alb. Mantelt. cod. 10, p. 140.

et contrarium facientes dictis nostris sententiis, prout supra per nos latæ sunt, dicta canonica monitione præmissa, subjacere volumus et decernimus; in his scriptis mandantes tamen ipsi Rudolfo abbati et ejus procuratori prædictis, quatenus vobis et aliis quorum interfuerit, si petieritis et petierint, copiam dicti processus præsentis faciant et assignent, sub vestris tamen vel aliorum petentium quorum interfuerit sumptibus et expensis. Et ne aliquam præmissorum ignorantiæ causam possitis in posterum allegare, venerabili et religioso viro priori S. Albani extra muros Basileæ, ordinis Cluniacensis, aliisque personis ecclesiasticis, clericis et tabellionibus, seu notariis publicis, per nostras civitatem et diœcesim Basileenses et aliis ubilibet constitutis ad quos præsentes pervenerint et cuilibet eorum in solidum tenore præsentium committimus et mandamus, ipsosque conjunctim et separatim, auctoritate apostolica supradicta, primo, secundo et tertio peremptim requirimus et monemus, eis et eorum singulis, in virtute sanctæ obedientiæ et sub pœna excommunicationis, quam in non parentes, canonica tantum monitione trium dierum præmissa, ferimus, in his scriptis præcipiendo, quatenus ipsi, vel eorum alter qui super fuerit requisitus, vos et monasterium vestrum accedant, præsentem processum legant, publicent, dictumque Rudolfum abbatem, vel ejus procuratorem, nomine ipsius, mittant in possessionem pacificam realem abbatiæ prædictæ juriumque et pertinentiarum ejusdem, faciendo sibi de fructibus, proventibus et obventionibus ipsius cum plenitudine juris canonici integre responderi. In quorum omnium et singulorum testimonium præmissorum atque robur firmum præsentes litteras, hujusmodi nostræ provisionis processus in se continentes, sigillo nostro majori fecimus communiri. Datum et actum Basileæ, in curia habitationis nostræ, anno Dom. 1387, ultima die mensis Martii, quæ fuit dominica in Palmis.

LXXV.

Ex apographo(1).

Martinus papa V Petrum Morbacensem abbatem instituit.

1428. MARTINUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis conventus monasterii S. Leodegarii Morbacensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis S. Benedicti, Basileensis diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem. Inter cetera quæ superna dispositione nobis imminent peragenda, ad id nimirum solliciti corde reddimur ut viduatis ecclesiis et monasteriis, præsertim Romanæ ecclesiæ immediate subjectis, tales præficiamus in pastores per quorum industriam ac sollicitudinem circumspectam indemnabili eorum salubriter provideatur, ut ecclesiæ et monasteria ipsa salubriter et felicibus in spiritualibus et temporalibus perficere valeant incrementis. Dudum siquidem, quondam Wilhelmo abbate vestri monasterii præsidente, nos cupientes eidem monasterio cum vacaret per apostolicæ sedis providentiam utilem et idoneam præsidere personam, provisionem ejusdem monasterii ordinationi et dispositioni nostræ duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane si secus super his per quoscumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari. Postmodum vero monasterio præfato per obitum ipsius Wilhelmi abbatis, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, abbatis regimine destituto, vos, reservationis et decreti prædictorum forsan ignari, dilectum filium Petrum de *Ostein*, abbatem, tunc monachum ipsius monasterii, ordinem ipsum expresse professum, et in presbyteratus ordine constitutum, in vestrum et dicti monasterii abbatem licet de facto concorditer elegistis, ipseque Petrus abbas, reservationis et decreti prædictorum similiter inscius, electioni hujusmodi, illius sibi præsentato decreto, etiam de facto consensit, ac demum, reservatione et decreto prædictis ad ejus deductis notitiam, hujusmodi electionis studium et negotium proponi fecit in consistorio coram nobis. Nos igitur hujusmodi electionem et quæcumque inde secuta, utpote post et contra reservationem et decretum prædicta de facto, ut præmittitur, attentata, prout erant irrita et inania reputantes, et ad provisionem ipsius monasterii celerem et felicem, de qua nullus præter nos ea vice se intromittere potuit, sive poterat, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne monasterium ipsum longæ vacationis exponeretur incommodis paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de præficiendo eidem monasterio personam utilem et fructuosam cum fratribus nostris habuimus, diligentem demum ad eumdem Petrum abbatem, cujus de religionis zelo, litterarum scientia, et vitæ munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostræ mentis: quibus omnibus, necnon vestrum ipsum Petrum abbatem eligentium concordi voluntate, debita meditatione pensatis, de persona ipsius Petri abbatis, nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta, eidem monasterio, de dictorum fratrum consilio, auctoritate apostolica providimus, ipsumque illi præficimus in abbatem, curam et administrationem ipsius monasterii eidem Petro abbati in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis quod, dirigente Domino actus suos, præfatum monasterium per ejus industriæ et circumspectionis studium regetur utiliter et prospere dirigetur, grataque in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eumdem Petrum abbatem, pro nostra et apostolicæ sedis reverentia, benigne recipientes et honorifice pertractantes, exhibeatis eidem Petro abbati obedientiam et reverentiam debitas et devotas, ejus salubria monita et mandata suscipiendo humiliter, et efficaciter adimplendo; alioquin sententiam quam idem Petrus abbas rite tulerit in rebelles ratam habebimus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Romæ, apud SS. Apostolos, III non. Martii, pontificatus nostri anno undecimo.

(1) Albor. Mantell. cod. 10, p. 218.

LXXVI.

Ex Als. Diplom.

Morbacensis abbas possessionem Lucernensis monasterii dimittit.

1456. NOS Bartholomæus de Andlo, Dei et apostolicæ sedis gratia abbas, decanus et totum capitulum monasterii Murbacensis, ordinis S. Benedicti, Basiliensis diœcesis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis seu audituris, quod cum nuper ad instantes preces dilectorum nostrorum præpositi et capituli monasterii S. Leodegarii Lucernensis, similiter ordinis S. Benedicti, Cons-

tantiensis diœcesis, nobis ordinario jure immediate subjecti, sanctissimus dominus noster dominus Calixtus papa III variis rationabilibus ex causis reverendo in Christo patri ac domino episcopo Constantiensi per suas patentes litteras commiserit, ut, recepta summaria informatione rationum et causarum in dictis litteris expressarum, si easdem veritate fulciri reperiet, ordinem S. Benedicti in præfato monasterio hucusque servatum supprimeret, et id ipsum monasterium.... in ecclesiam collegiatam canonicorum sæcularium erigeret, et alia faceret quemadmodum hæc et alia in hujusmodi litteris apostolicis plenius contineri dicebantur. Cum autem mutatio status dicti monasterii et suppressionis ordinis in eodem nobis et memorato nostro monasterio Murbacensi non modicum afferat præjudicium, pro parte præfatorum præpositi et capituli monasterii Lucernensis nobis exstitit humiliter supplicatum, ut cum mutatio et suppressio prædictæ in divini cultus cedant augmentum, salusque animarum per illas notorie procuretur, ac spiritualium et temporalium ejusdem monasterii regimen exinde uberius, ut speratur, prosperabitur, quatenus prælibatæ mutationi, dispensationi et suppressioni nostros consensum pariter et assensum gratiose impertiri dignaremur. Unde nos super præmissis multorum peritorum et prudentum virorum, et præsertim reverendi patris domini nostri Arnoldi, episcopi Basiliensis, consanguinei nostri carissimi, maturis freti consiliis, et instantibus precibus præfatorum præpositi et capituli devicti, præfata etiam utilitate sæpe dicti monasterii et augmento divini cultus, quem exinde sequi confidimus, hujusmodi loci et status mutationi, dispensationi et suppressioni animis deliberatis et ex certis nostris scientiis nostros consensum et assensum adhibuimus et per præsentes adhibemus, et, ut talis mutatio eo perfectius perfici valeat, omnem jurisdictionem ordinariam et superioritatem tam spiritualium quam temporalium, et quamcumque aliam per nos et nostros prædecessores, ratione præfati nostri monasterii Murbacensis, in jam dictum monasterium Lucernense et ejus personas, usque modo qualitercumque et quovis modo habitas, et nobis competentes, in quibuscumque juribus hæc constant, nihilo dempto sive excepto, integre et totaliter a nobis et successoribus nostris eximentes et liberantes, et concedentes iisdem plenariam et liberam facultatem et potestatem se et dictum suum monasterium ordinario juri reverendi patris domini episcopi Constantiensis et ecclesiæ suæ prædictis aut alteri cuicumque submittendi et subjiciendi, ita et taliter quod nos et nostri successores de cetero eosdem nullatenus amplius impediamus, aut eosdem, occasione subjectionis per nos olim in ipsos habitæ, quomodolibet molestabimus, seu inquietabimus, quin imo a talibus omnino supersedebimus et cessabimus, et si forsan in futurum umquam aliquid contra præmissa seu aliquod eorumdem per nos aut nostros successores attentatum fuerit, quod absit, id ex nunc prout ex tunc et ex tunc prout ex nunc revocamus, cassamus et irritamus, et cassum et irritum esse volumus, nulliusque roboris vel momenti. Et pro majori cautela et conservatione præmissorum, ex certa scientia et matura nostra deliberatione ex nunc cassamus et irritamus, tollimus et annihilamus omnes et singulas litteras, jura, instrumenta et munimenta quæcumque per nos et nostrum monasterium prædictum super præmissis habitas et habita. Volentes illas et illa hujusmodi nostro indulto et concessioni ac cessioni, mutationi, abdicationi et aliis præmissis in nullo præjudicare, aut nobis et nostris successoribus in aliquo suffragari, fraude et dolo in his seclusis. In cujus rei testimonium evidens et robur firmum omnium præmissorum nos Bartholomæus abbas et capitulum memoratum sigilla nostra duximus præsentibus apponenda.

Datum in castro nostro *Hugstein*, anno Domini 1456, nona die mensis Julii.

LXXVII.

Sixtus papa Achatium, Morbaci abbatem, instituit. *Ex apographo* (1).

SIXTUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis capitulo monasterii S. Leodegarii Murbacensis, ordinis S. Benedicti, Basileensis diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem. Hodie monasterio vestro, in quo tam monachi quam canonici sæculares unicum insimul capitulum facientes fore dicuntur, tunc per obitum bonæ memoriæ Bartholomæi de Andlo, nuper ipsius monasterii abbatis, extra Romanam curiam defuncti, abbatis regimine destituto, de persona dilecti filii Achatii *de Grissen* duximus auctoritate apostolica providendum, præficiendum ipsum eidem monasterio in abbatem, curam, regimen et administrationem ejusdem monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus præfatum Achatium abbatem pro nostra et apostolicæ sedis reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes exhibeatis eidem obedientiam, reverentiam debitas et devotas, ejus salubria monita et mandata suscipiendo humiliter et efficaciter adimplendo; alioquin sententias quas idem Achatius abbas rite tulerit in rebelles ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. 1476.

Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. 1476, xv cal. Decembris, pontificatus nostri anno sexto.

LXXVIII.

Leo papa X Morbacensem abbatiam Georgio, Luthrensi abbati, committit. *E Spicil. Eccles. Lunigii* (2).

LEO episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Jeorio, abbati monasterii S. Leodegarii Floridæ Vallis, alias Murbacensis, ordinis S. Benedicti, Basiliensis diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem. Suscepti cura regiminis cor nostrum continua pulsat instantia, ut sollicitudinis debitum, ad quod universis orbis ecclesiis et monasteriis nos apostolicæ servitutis officium adstringit, eorum singulis, prout nobis ex alto conceditur, exsolvamus, in eo potissime quod illorum regimina personis talibus committantur ex quarum solertia et sollicitudine circumspecta ecclesiæ et monasteria ipsa in spiritualibus et temporalibus continuum suscipiant incrementum. Sane dudum monasterio S. Leodegarii Floridæ Vallis, alias Murbacensis, Romanæ ecclesiæ immediate subjecto, ordinis S. Benedicti, Basiliensis diœcesis, cui quondam Walterus, ipsius monasterii abbas, dum viveret, præsidebat, per obitum ejusdem Walteri, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, abbatis regimine 1513.

(1) Alb. Mantell. cod. 10, p. 187.
(2) T. V, p. 999.

destituto, dilecti filii conventus ejusdem monasterii A
pro celebranda electione futuri inibi abbatis vocatis omnibus qui voluerunt, potuerunt, seu etiam debuerunt electioni hujusmodi commode interesse, die ad eligendum præfixa, ut est moris, convenientes in unum, te, tunc abbatem monasterii Ludrensis, dicti ordinis, Bisuntinensis diœcesis, in eorum et dicti monasterii S. Leodegarii sic vacantis abbatem elegerunt, tuque electioni hujusmodi, illius tibi præsentato decreto, consensisti et demum dictæ electionis negotium proponi fecisti in consistorio coram nobis, in his omnibus statutis a jure temporibus observatis. Nos igitur electionem hujusmodi, necnon idoneitatem, et merita personæ tuæ examinari fecimus diligenter, et quia invenimus electionem prædic- B
tam de persona tua (cum apud nos de religionis zelo, vitæ munditia, honestate morum, spiritualium providentia, et temporalium circumspectione aliisque virtutum meritis fide digna testimonia perhibentur) fuisse canonice celebratam, illam, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica approbamus et confirmamus, teque eidem monasterio S. Leodegarii præficimus in abbatem, curam, regimen et administrationem ipsius monasterii S. Leodegarii tibi in eisdem spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ita tamen quod propterea abbas dicti monasterii Ludrensis esse non desinas, sed utriusque monasterii verus abbas existas; in illo qui dat gratias et largitur præmia confidentes, quod, diri- C
gente Domino actus tuos, dictum monasterium S. Leodegarii per tuæ circumspectionis industriam et studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Volumus autem quod, antequam regimini et administrationi dicti monasterii S. Leodegarii te in aliquo immisceas, in manibus venerabilium fratrum nostrorum archiepiscoporum Bisuntinensium et episcopi Tripolitani, seu alterius eorumdem, fidelitatis debitæ solitum præstes juramentum, juxta formam quam sub bulla nostra mittimus introclusam; quibus et eorum cuilibet per alias nostras litteras mandamus ut a te, nostro et dictæ Romanæ ecclesiæ nomine, hujusmodi recipiant, seu recipiat D
juramentum. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus impositum tibi a Domino onus regiminis et administrationis dicti monasterii S. Leodegarii prompta devotione suscipiens, sic te in ejus cura salubriter exercenda diligentem exhibeas, et etiam studiosum, quod ipsum monasterium S. Leodegarii gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissum, tuque, præter æternæ retributionis præmium, nostram et apostolicæ sedis benedictionem et gratiam uberius ex inde valeas promereri. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. 1513, VII id Januarii, pontificatus nostri anno primo.

LXXIX.

Ex edit. coæva (1). *Pius VI confirmat permutationem nonnullorum locorum inter archiepiscopum Bisuntinum et episcopum Basileensem.*

1780. Pius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio officiali venerabilis fratris nostri episcopi Valentinensis in Delphinatu, salutem et apostolicam benedictionem. Decet Romanum Pontificem, cui gregis dominici cura divinitus est commissa, pro sui pastoralis officii debito, piis illustrium præsulum sublimiumque christianorum regum votis, quæ ad ecclesiarum cathedralium quarumlibet diœcesanæ locorum et personarum jurisdictionis statum salubriter et prospere dirigendum, et, dante Domino, in melius commutandum, ac etiam disponendum, pro animarum salute et ipsarum ecclesiarum congruentia sunt maxime profutura, paternæ considerationis intuitu libenter intuendo, etiam per unionis et incorporationis ministerium apostolico adesse præsidio, ac alias ejusdem officii partes favorabiliter interponere, prout ecclesiarum et personarum earumdem ac locorum, necnon temporum qualitatibus et conditionibus diligenter consideratis, conspicit, in Domino magis salubriter expedire, ut ecclesiæ ac personæ ipsæ ex hoc apostolicæ provisionis ministerio aliqualiter adjutæ, votivis gratulentur eventibus, ac optata in spiritualibus suscipiant incrementa.

Sane pro parte venerabilium fratrum nostrorum Raymundi *de Durfort*, moderni archiepiscopi Bisuntini, et Friderici *de Wangen* a *Gerolseck* moderni episcopi et principis Basileensis, nobis nuper exhibita petitio continebat, ex una parte, plures exstare sub dominio temporali dicti principis et episcopi Basileensis in Germania parœcias et alia instituta ecclesiastica, quæ præterea jurisdictioni diœcesanæ præfati moderni et pro tempore existentis archiepiscopi Bisuntini subsunt, et in diœcesi Bisuntina a qua pendent, sub denominatione decanatus vulgo *d'Ajoie* nuncupantur, et partem dicti decanatus constituunt : ex altera vero plures pariter exstare in ea superioris Alsatiæ parte districtibus Belfortensi et Dellensi contermina, ubi vulgaris Gallici idiomatis est usus, et sub dominio temporali carissimi in Christo filii nostri Ludovici, Francorum et Navarræ regis christianissimi, parœcias et alia ecclesiastica instituta, quæ præterea quoque jurisdictioni diœcesanæ præfati moderni et pro tempore existentis episcopi et principis Basileensis subsunt, et in diœcesi Basileensi partem capitulorum ruralium Mazopolitani et Elsgaudiæ similiter constituunt. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, moderni tam archiepiscopus quam episcopus præfati sedulo animadverterint, quod magis spirituali animarum saluti consultum foret, si dictæ parœciæ et alia instituta ac districtus ecclesiastici, in quibus illæ parœciæ et ea instituta respective continentur et exstant, et jurisdictio diœcesana cui subsunt invicem permutarentur, sub nostro et sanctæ sedis apostolicæ beneplacito, de consensu etiam et beneplacito præfati regis christianissimi, audito antea et annuente Basileensis ecclesiæ capitulo, et postea accedente et consentiente pariter Bisuntinæ ecclesiæ capitulo, præcedentia de dicta permutatione pacta seu concordata in pluribus publicis et authenticis instrumentis, gallico idiomate exaratis, E
mutuo subscripserunt, quorum tenor est ut sequitur, videlicet :

Par-devant les conseillers du Roi, notaires au Châtelet de Paris, soussignés; furent présents illustrissime et révérendissime seigneur, monseigneur Jean-Baptiste-Joseph Gobel, évêque de Lydda, suffragant et vicaire général. Et messire Paris-Jean Fau de Raze, ministre en cour de France, de Son Altesse monseigneur le prince-évêque de Basle, demeurant, mondit seigneur évêque de Lydda, ordinairement à Porrentruy, en Allemagne, et de présent à Paris, logé à l'hôtel des Indes, rue Traversière, paroisse S. Roch, et mondit sieur abbé de Raze, demeurant à Paris, rue des Filles S. Thomas, paroisse

(1) *Tableaux de la Suisse*, t. VI, probat., p. 235.

S. Eustache, tous deux fondés de la procuration spéciale de mondit seigneur prince évêque et en ladite qualité d'évêque, ladite procuration passée en la ville de Porrentruy en Allemagne et dans les états de mondit seigneur prince évêque, pardevant M. Jean-George Bloque, prêtre et notaire apostolique, qui en a gardé minute, et les témoins y dénommés, le 5 octobre de la présente année 1779, dont une expédition contrôlée à Paris par Boiteux, cejourd'hui représentée par mondit seigneur évêque de Lydda et mondit sieur abbé de Raze, est, à leur réquisition, demeurée annexée à la minute des présentes, après avoir été d'eux certifiée véritable, signée, paraphée en présence des notaires soussignés, d'une part;

Et messire Pierre de Fraigne, vicaire général du diocèse d'Alby et ancien aumônier de Mesdames de France, demeurant à Paris, rue S. Maur, faubourg S. Germain, paroisse S. Sulpice, fondé de la procuration aussi spéciale, à l'effet des présentes, d'illustrissime et révérendissime seigneur, monseigneur Raymont de Durfort, archevêque de Besançon et prince du Saint-Empire, tant comme ordinaire en ce qui regarde le diocèse de Besançon, que comme métropolitain en ce qui concerne l'évêché et diocèse de Basle; ladite procuration passée à Besançon par-devant M. Ponlet, qui en a gardé minute, et les témoins y dénommés, le 28 octobre dernier, contrôlée audit Besançon le lendemain 29, légalisée le même jour 29 par M. Mommiotte, conseiller assesseur au bailliage de Besançon, comté de Bourgogne, représentée par mondit sieur abbé de Fraigne, est, à sa réquisition, pareillement demeurée annexée à la minute des présentes, après avoir été de lui certifiée véritable, signée et paraphée en présence des notaires soussignés, d'autre part.

Lesquels ont observé, savoir mondit seigneur évêque de Lydda et mondit sieur abbé de Raze, pour mondit seigneur prince évêque de Basle, que l'échange depuis longtemps proposé et demandé par ses prédécesseurs princes-évêques d'une partie de leur diocèse en Alsace, pour celle du diocèse de Besançon qui est située dans les États desdits princes évêques, tendant à faire concourir et à concilier ce qu'exigent l'intérêt de ceux qui habitent les districts diocésains à échanger, et celui de leurs évêques et souverains respectifs, il doit nécessairement en résulter des avantages à tous égards, et pour l'église et évêché de Basle une utilité particulière, à laquelle mondit seigneur prince-évêque de Basle espère que mondit seigneur archevêque de Besançon ne se refusera pas; et mondit sieur abbé de Fraigne, pour mondit seigneur archevêque de Besançon, qu'il a accédé aux propositions dudit échange, à cause de l'intérêt que le roi a manifesté y prendre, dans la vue de rappeler une partie des terres de sa domination de la juridiction d'un évêque étranger à celle d'un évêque son sujet, et parce qu'il est persuadé que le motif pour lui de concourir aux vues de Sa Majesté se concilie avec ceux de religion et d'ordre public ecclésiastique. Lesdites parties, dans l'espérance de l'autorisation et confirmation des deux puissances, ont passé le traité dudit échange, ainsi qu'il suit :

En conséquence, mondit seigneur évêque de Lydda et mondit sieur abbé de Raze audit nom, et pour mondit seigneur prince-évêque, et ses successeurs princes-évêques de Basle, a cédé et transporté à mondit seigneur archevêque actuel, et à ses successeurs archevêques et église de Besançon à perpétuité, la juridiction épiscopale et diocésaine avec tous les droits honorifiques et utiles en dépendants, qui appartiennent à ladite église et évêché de Basle sur les personnes existantes ou qui existeront, ainsi que sur les établissements ecclésiastiques séculiers et réguliers, bénéfices, fondations et autres objets compris dans les vingt-neuf paroisses ci-après désignées, et les dépendances desdites paroisses, situées dans la partie française de la haute Alsace, limitrophe des districts de Belfort et de Delle, qui sont du diocèse de Besançon; savoir, les paroisses de Montreux-le-Jeune, Chavannes sur l'Étang, Lutran, Montreux-Château, Fontaine, Brebotte, Brette, S. Côme, La Rivière, Vautieremont, Rougemont, Phaffans, Perouse, S. Germain, Estueffond, Anjonté, Chevremont, Montreux-le-Vieux, Froide-Fontaine, Novillard, Petite-Croix, Gronne, La Chapelle, Angeot, Felon, Reppe, Estaimbes, Suerce, Rechezy, et autres paroisses succursales, objets et personnes composant ladite partie française de la haute Alsace, pour autant et non autrement que cette partie est limitrophe et contiguë des districts susdits de Belfort et de Delle, consentant audit nom que le tout, circonstances et dépendances, soit distrait et démembré des susdits évêché, église et diocèse de Basle, pour être uni et incorporé aux susdits archevêché et église de Besançon.

Et en contr'échange mondit sieur abbé de Fraigne audit nom et pour mondit seigneur archevêque de Besançon et ses successeurs archevêques, a cédé et transporté à perpétuité à mondit seigneur prince et évêque, et à ses successeurs princes et évêques et église de Basle, la juridiction épiscopale et diocésaine, avec tous les droits honorifiques et utiles en dépendants, qui appartiennent auxdits archevêché et église de Besançon sur les personnes existantes, ou qui existeront, et sur les établissements ecclésiastiques, séculiers ou réguliers, bénéfices, fondations, et autres objets compris dans les vingt paroisses ou succursales du doyenné d'Ajoie et leurs dépendances, situées dans les états du prince-évêque et de l'évêché de Basle; savoir, Porrentruy, Cœuve, Buix, Boncourt, Bonfol, Bressaucourt, Burre, Cheveney, Courchavon, Cour-de-Maîche, Courgency, Cornol, Courte-Doux, Damphreux, Bernevesin, Damvan, Fontenois, Grandfontaine, Alle, Montigny, et autres paroisses ou succursales, objets et personnes, qui sont et pourront se trouver dans lesdits états du prince évêque et de l'évêché de Basle, sous la réserve néantmoins des droits et de la juridiction de mondit seigneur archevêque et de ses successeurs archevêques de Besançon, comme métropolitains, sur la partie de leur diocèse cédée par ces présentes, ainsi que sur le surplus dudit diocèse et évêché de Basle, qui sont et continueront d'être en totalité dans la suffragance des susdits archevêché et archevêques de Besançon; comme aussi sous la réserve des dixmes et des biens ou droits temporels quelconques, situés dans la partie susdite du diocèse de Besançon, cédée pour être unie à celui de Basle, desquels biens ou droits et dixmes la propriété et jouissance continueront au profit de l'archevêché et archevêques de Besançon, avec les mêmes immunités et privilèges dont ils ont joui jusqu'à présent, et sans préjudice au surplus des droits ou intérêts qui peuvent concerner d'autres que les parties contractantes, lesquels leur sont et demeurent aussi réservés; consentant d'ailleurs mondit sieur abbé de Fraigne audit nom, que les objets ci-dessus désignés et cédés, circonstances et dépendances, soient distraits, démembrés dudit archevêché, église et diocèse de Besançon, pour être le tout uni et incorporé aux susdits évêché, église et diocèse de Basle.

Lesquels consentements, cession et transports et aux fins ainsi que sous les réserves susdites, ont été respectivement acceptés par mondit seigneur évêque de Lydda, avec mondit sieur abbé de Raze, et par mondit sieur abbé de Fraigne, pour leurs constituants respectifs; savoir pour mondit seigneur archevêque de Besançon, ce qui regarde la partie française susdite de la haute Alsace, qui est actuellement dudit diocèse de Basle, limitrophe et contiguë aux districts de Belfort et de Delle, qui sont et continueront d'être du diocèse de Besançon, pour et autant et non autrement que ladite partie est contiguë et limitrophe desdits districts, et pour mondit seigneur évêque-prince de Basle, ce qui concerne la partie de ses États qui est actuellement du diocèse de Besançon. Et ont en outre, esdits noms, et réciproquement, mesdits seigneurs évêque de Lydda, et sieurs abbés de Raze et de Fraigne, chacun en droit soi, donné tous consentements et pouvoirs, à l'effet de solliciter et obtenir tous titres ou actes d'autorisation ou confirmation du présent traité, et remplir toutes les formes sur ce requises.

Enfin il a été observé par mondit sieur abbé de Fraigne, audit nom, que les raisons de convaincre et les avantages particuliers ci-dessus reconnus, qui doivent résulter du présent traité pour mondit seigneur prince-évêque de Basle et ses successeurs princes-évêques, exigent de leur part et de leur évêché et église des marques perpétuelles de souvenir envers l'archevêché et église et archevêques de Besançon : en conséquence mondit sieur abbé de Fraigne, audit nom, requiert, qu'après consommation du présent échange, il soit, au nom de mondit seigneur prince-évêque et de l'église de Basle, présenté par une personne constituée en dignité ecclésiastique, et remis à mondit seigneur l'archevêque de Besançon, une croix pectorale d'or, avec cette inscription gravée en abrégé sur le revers de la dite croix, *Archiepiscopo Bisuntino grati animi monumentum offerebant episcopus et ecclesia Basiliensis, anno* (l'année courante étant indiquée), et qu'il soit arrêté et convenu, que la même prestation honorifique sera renouvelée vis-à-vis de chaque archevêque et à chaque avénement à l'archevêché de Besançon, à perpétuité.

Sur quoi il a été déclaré par mesdits seigneur évêque de Lydda et sieur abbé de Raze audit nom, qu'ils n'hésiteraient pas à prendre dès à présent un engagement positif sur ce qui est requis par mondit sieur abbé de Fraigne; mais qu'ils n'ont pas à cet effet de pouvoirs suffisants, et qu'au surplus ils ne doutent pas que mondit seigneur et église de Basle ne s'empressent à satisfaire à ce qui est requis par mondit sieur abbé de Fraigne pour mondit seigneur archevêque de Besançon et pour son siége.

C'est ainsi que le tout a été accordé et convenu entre les parties, esdits noms et qualités, qui, pour l'exécution des présentes et dépendances, ont élu domicile à Paris en leurs demeures ci-devant désignées, auxquels lieux, nonobstant, promettant, obligeant, renonçant. Fait et passé à Paris, en l'étude, le dix-sept Novembre mil sept cent soixante dix-neuf, avant midi, et ont signé la minute des présentes demeurée à M. Cordier, l'un des notaires soussignés.

Suit la teneur desdites procurations :

Par-devant le notaire apostolique et les témoins en bas nommés, fut présent Son Altesse monseigneur l'évêque de Basle, prince du Saint-Empire, lequel, après avoir délibéré avec son cha-
A pitre et mûrement réfléchi, non-seulement sur l'utilité particulière que retirera son église de l'échange de juridiction diocésaine si souvent proposé par ses prédécesseurs évêques et princes aux seigneurs archevêques de Besançon, mais encore sur les avantages qui en résulteront pour les peuples habitant les districts diocésains et respectifs à échanger; et ayant par cette double considération, sous le bon plaisir et de l'agrément de Sa Majesté très-chrétienne, fait renouveler lesdites propositions tant au seigneur archevêque actuel de Besançon, qu'au chapitre de son église, auxquelles propositions mondit seigneur archevêque de Besançon a accédé; sadite Altesse a par ces présentes donné pouvoir à monseigneur l'é-
B vêque de Lydda son suffragant et vicaire général, et à M. l'abbé de Raze, son ministre en cour de France, ensemble ou séparément, de pour elle et en son nom et pour ses successeurs évêques de Basle, dans l'espérance néanmoins de l'autorisation et confirmation des deux puissances, passer avec mondit seigneur archevêque de Besançon, ou les fondés de ses pouvoirs spéciaux, le traité du susdit échange, et en conséquence céder et transporter à perpétuité à mondit seigneur archevêque actuel, à ses successeurs archevêques et église de Besançon, la juridiction épiscopale diocésaine, avec tous ses droits honorifiques et utiles en dépendants, qui appartiennent à l'évêché et église de Basle, sur les personnes exis-
C tantes ou qui existeront, et sur les établissements ecclésiastiques séculiers ou réguliers, bénéfices, fondations et autres objets situés dans les vingt-neuf paroisses, situées dans la partie française de la haute Alsace limitrophe des districts de Belfort et de Delle qui sont du diocèse de Besançon; savoir, les paroisses de Montreux-le-Jeune, Chavannes-sur-l'Étang, Lutran, Montreux-Château, Fontaine, Brebotte, Brette, S. Cosme, La Rivière, Vautieremont, Rougemont, Phaffans, Pérouse, Saint-Germain, Estueffond, Anjouté, Chevremont, Montreux-le-Vieux, Froide-Fontaine, Novillard, Petite-Croix, Gronne, La Chapelle, Angeot, Felon, Reppe, Estaimbes, Snerce, Rechezy, accepter en contr' échange et pareille-
D ment à perpétuité la juridiction épiscopale et diocésaine, avec tous les droits honorifiques ou utiles en dépendants, qui appartiennent à l'archevêché et église de Besançon sur les personnes existantes ou qui existeront, ainsi que sur les établissements ecclésiastiques séculiers ou réguliers, bénéfices, fondations et autres objets dépendances desdites paroisses comprises dans les États du prince-évêque et de l'évêché de Basle; savoir, les paroisses de Porrentruy, Cœuve, Buix, Boncourt, Bonfol, Bressaucourt, Burre, Chevency, Courchavon, Cour-de-Maiche, Courgeney, Cornol, Courte-Doux, Damphereux, Bernevesin, Damvan, Fontenoy, Grandfontaine, Alle et Montigny, consentir au démembrement de la juridic-
E tion et droits honorifiques ou utiles susdits, appartenants à l'évêché et église de Basle dans la partie française susdite de la haute Alsace, pour les unir à perpétuité aux dits archevêché et église de Besançon, et accepter la partie à démembrer dudit archevêché et église de Besançon, pour l'unir audit évêché et église de Basle, circonstances et dépendances desdits démembrement et union; enfin solliciter, obtenir, ou consentir à l'obtention de tous titres ou actes d'autorisation ou confirmation dudit traité, et remplir les formes sur ce requises; à cet effet constituer tels procureurs et prendre tels avis qui pourront être nécessaires, stipuler et consentir, et généralement faire pour le traité susdit d'échange et sa con-

sommation ce que le constituant ferait lui-même, promettant avoir le tout pour agréable et le ratifier à la première réquisition qui pourroit en être faite; et déclarant en outre sadite Altesse, que la présente ne sera sujette à surannation. Fait et passé au château et résidence de sadite Altesse, laquelle a signé en présence des sieurs Joseph Billieux et Joseph Berberat, prêtres, demeurant à Porrentruy, témoins pour ce expressément requis, et qui ont également signé avec moi, le notaire apostolique, qui ai muni ces présentes de mon sceau. Audit Porrentruy, le cinq octobre mil sept cent soixante dix-neuf. Signé Frédéric, évêque de Basle; Joseph Billieux, prêtre, témoin; Joseph Berberat, prêtre, témoin. Signé Jean-George Bloque, prêtre et notaire apostolique. Donné pour copie conforme à l'original attesté, sous l'apposition de mon sceau ordinaire; à Porrentruy, le cinq octobre mil sept cent soixante et dix-neuf; signé Jean-George Bloque, prêtre et notaire apostolique, avec paraphe. Plus bas est écrit : contrôlé à Paris, le dix-sept novembre mil sept cent soixante-dix-neuf, reçu quatorze sols; signé, Boiteux.

Par-devant les conseillers du roi, notaires à Besançon et témoins soussignés, fut présent illustrissime et révérendissime seigneur, monseigneur Raimond de Durfort, archevêque de Besançon, prince du S. Empire, et de présent en son palais archiépiscopal en ladite ville. Lequel, après avoir mûrement réfléchi sur le projet d'échange de paroisses, proposé depuis longtemps entre son diocèse et celui de Basle, considérant l'intérêt que le roi a manifesté prendre audit échange dans la vue de rappeler une partie des terres de sa domination de la juridiction d'un évêque étranger à celle d'un évêque son sujet, et persuadé que le motif pour lui de concourir aux vues de Sa Majesté se concilie avec ceux de religion et d'ordre public ecclésiastique, a par ces présentes donné pouvoir à messire Pierre de Fraigne, vicaire général du diocèse d'Alby et ancien aumônier de Mesdames de France, demeurant à Paris, rue S. Maur, faubourg S. Germain, paroisse S. Sulpice, de, pour lui et en son nom, et pour ses successeurs archevêques de Besançon (sauf la réserve néanmoins de l'autorisation des deux puissances, comme celle de tous droits à quiconque il peut en appartenir dans la présente affaire) céder et transporter à perpétuité à illustrissime et révérendissime seigneur, monseigneur Frédéric, baron de Wanghen, évêque de Basle et prince du Saint-Empire, et à l'évêché et église de Basle, la juridiction épiscopale et diocésaine, avec tous les droits honorifiques et utiles en dépendant, qui appartiennent audit archevêché et église de Besançon sur les personnes existantes ou qui existerout, et sur les établissements ecclésiastiques séculiers et réguliers, bénéfices, fondations et autres objets situés dans les vingt paroisses ou succursales du doyenné d'Ajoie et leurs dépendances, comprises dans les États du prince-évêque et de l'évêché de Basle; savoir, Porrentruy, Cœuve, Buix, Boncourt, Bonfol, Bressaucourt, Burre, Cheveney, Courchavon, Cour-de-Maiche, Courgeney, Cornol, Courtedoux, Damphereux, Bernevesin, Damvan, Fontenoy, Grand-Fontaine, Alle et Montigny et autres paroisses ou succursales qui pourraient se trouver dans lesdits États du prince-évêque de Basle, laquelle cession sera faite sans aucune réserve, sauf les droits du métropolitain, qui demeureront en leur entier envers mondit seigneur archevêque de Besançon et de ses successeurs. Comme aussi donne pouvoir audit sieur procureur constitué d'accepter en

A contr' échange et pareillement à perpétuité, la juridiction épiscopale et diocésaine, avec tous les droits honorifiques et utiles en dépendans, qui appartiennent à l'évêché et église de Basle sur les personnes existantes ou qui existeront, ainsi que sur les établissemens ecclésiastiques séculiers et réguliers, bénéfices, fondations et autres objets compris dans les paroisses et leurs dépendances, composant la partie françoise de la haute Alsace, diocèse de Basle, pour autant et non autrement que ladite partie françoise est limitrophe et contiguë des districts de Belfort et de Delle, lesquels districts sont déjà du diocèse de Besançon. Comme enfin donne pouvoir audit sieur procureur constitué de consentir au démembrement de la juri-

B diction diocésaine et droits honorifiques ou utiles susdits, appartenans à l'archevêque et église de Besançon dans les États susdits du prince-évêque de Basle, et requérir le démembrement de la juridiction diocésaine et droits honorifiques ou utiles aussi susdits, appartenans à l'évêché et église de Basle dans la partie françoise susdite de la haute Alsace, pour les unir à perpétuité audit archevêché et église de Besançon, circonstances et dépendances desdits démembrement et union, solliciter, obtenir ou consentir à l'obtention de tous titres et actes d'autorisation ou de confirmation à ce nécessaires, stipuler et consentir et généralement faire pour le traité susdit d'échange et sa consommation ce que ledit seigneur consti-

C tuant feroit lui-même, promettant avoir le tout pour agréable, et le ratifier à la première réquisition qui pourroit en être faite, déclarant en outre mondit seigneur archevêque que la présente ne sera sujette à surannation; dont acte, obligeant, etc., etc. Fait et passé audit Besançon, au palais archiépiscopal, l'an mil sept cent soixante-dix-neuf, le vingt-huit octobre, par-devant Jean-Antoine Poulet, notaire susdit, citoyen de ladite ville; présens M[e] Jean-Baptiste Courvoisier, avocat au parlement, et M[e] Jean François Copel, aussi avocat en ladite cour, les deux demeurans également audit Besançon, témoins requis et soussignés avec mondit seigneur archevêque de Besançon, après lecture. Ainsi

D signé à la minute : Raimond de Durfort, archevêque de Besançon, Courvoisier, Copel et Poulet notaire. Ensuite est écrit : contrôlé à Besançon le vingt-neuf octobre mil sept cent soixante-dix-neuf, reçu sept livres, et pour bourse commune signé Lefebvre. Pour expédition conforme à la minute signé Poulet, notaire, avec paraphe.

Au dessous est écrit : Nous Claude Philippe Mommiotte, conseiller assesseur au bailliage de Besançon, comté de Bourgogne, où le papier marqué n'est pas en usage, certifions à tous qu'il appartiendra (pour absence de MM. les lieutenant général et particulier et autres officiers plus anciens du siége), que le sieur Poulet, qui a signé l'expédition de l'acte ci-dessus, est con-

E seiller du roi, notaire en ladite ville, que foi pleine et entière doit être ajoutée à sa signature en tous jugemens et dehors. En témoignage de quoi nous avons signé ces présentes, fait contresigner par Jean-François Billon, greffier ordinaire du siége, et à icelles apposé le sceau royal de la jurisdiction. Fait et donné en notre hôtel, à Besançon, le vingt-neuf octobre mil sept cent soixante-dix-neuf; signé Mommiotte, et plus bas, par ordonnauce, Billon, avec paraphe...

Et ensuite est écrit :

Et le septième jour de décembre audit an mil sept cent soixante-dix-neuf, sont de nouveau comparus devant les conseillers du roi, notaire

A au châtelet de Paris, soussignés, mondit seigneur évêque de Lydda et mondit sieur abbé de Raze, tous deux ci-devant nommés, qualifiés et domiciliés, d'une part, et mondit sieur abbé de Fraigne, aussi ci-devant dénommé, qualifié et domicilié, d'autre part. Lesquels ès mêmes noms et qualités que ceux dans lesquels ils ont respectivement stipulé en l'acte du 17 novembre dernier, dont la minute est des autres parts, duquel acte lecture leur a été de nouveau faite par ledit Mᵉ Cordier, l'un des notaires soussignés, son confrère présent, et qu'ils ont dit avoir bien entendu, ont déclaré : savoir, mondit seigneur évêque de Lydda et mondit sieur abbé de Raze, que c'est avec raison que, par l'acte susdaté du 17 novembre dernier, en observant que leurs pouvoirs
B n'étaient pas suffisans, ils présumoient les dispositions du prince-évêque leur constituant, sur les deux objets de demande faite par mondit sieur abbé de Fraigne audit nom; l'un concernant la prestation honorifique d'une croix pectorale d'or et ainsi qu'il est plus amplement expliqué audit acte, et l'autre relatif à la maintenue des droits de dixmes et patronages appartenans au chapitre de l'église de Besançon dans les États du prince-évêque de Basle, de la même manière dont ce chapitre a possédé lesdits droits et en a joui jusqu'à présent et avec les mêmes immunités et prérogatives ou priviléges, la demande concernant ladite maintenue étant indiquée par la ré-
C serve, qui suit la maintenue pareille, convenue par l'archevêché et les archevêques de Besançon; l'une et l'autre demande d'ailleurs étant dès lors et préalablement annoncées à mondit seigneur le prince-évêque de Basle et au chapitre de son église; qu'en effet et dès le 13 du même mois de novembre, par sa patente duement signée et munie de son sceau, laquelle contrôlée à Paris par Lezan cejourd'hui sera annexée à ces présentes, et au contenu de laquelle le grand prévôt, grand doyen, chanoine et chapitre de ladite église de Basle ont accédé par acte capitulaire du 16 dudit mois de novembre, duement signé par le syndic et scellé du sceau dudit chapitre, mondit seigneur prince évêque de Basle avoit déclaré
D consentir et s'engager pour lui et ses successeurs en l'évêché de Basle envers mondit seigneur archevêque, le siége et métropole de Besançon, à la prestation honorifique et à la maintenue des droits du chapitre de Besançon susdits. Pourquoi et en présentant ladite patente et acte ensuite susdit, mondit seigneur évêque de Lydda et mondit sieur abbé de Raze, esdits noms, requièrent qu'elle soit avec ledit acte annexée à ces présentes, pour ne former avec l'acte aussi susdit, du 17 novembre dernier, qu'un seul et même corps de traité sur l'échange convenu par ledit acte; en conséquence, lesdites patentes et acte capitulaire ci-devant datés et énoncés, représentés par mondit seigneur évêque de Lydda et mondit sieur
E abbé de Raze, audit nom, sont, à leur réquisition, demeurés annexés à la minute des présentes pour y avoir recours, après avoir été d'eux certifiés véritables, signés et paraphés en présence des notaires soussignés. Et mondit sieur abbé de Fraigne, audit nom, adhérant à ladite réquisition, a déclaré accepter les consentemens donnés et engagemens pris par mondit seigneur prince évêque de Basle, ainsi que l'accession du chapitre susdit de l'église de Basle, dans tout leur contenu, tant pour ce qui concerne mondit seigneur archevêque de Besançon et son siége, que pour ce qui regarde le chapitre de son église, et que c'est avec la plus entière satisfaction que mondit seigneur archevêque a vu que sur ledit échange il pouvoit faire concourir ce qu'il se doit et à son siége, avec son empressement de contribuer à ce qui peut être agréable au roi, et le désir d'obliger mondit seigneur prince-évêque de Basle. Par ainsi le tout a été accordé et convenu entre les parties esdits noms et qualités, qui, pour l'exécution des présentes et dépendances, ont réitéré l'élection du domicile par elles faite audit acte des autres parts; auxquels lieux nonobstant, promettant, obligeant, renonçant, fait et passé à Paris, en l'étude, ledit jour sept décembre mil sept cent soixante-dix-neuf, avant midi, et ont signé la minute des présentes étant ensuite de celle du concordat, dont expédition est des autres parts, le tout demeuré audit Mᵉ Cordier, notaire.

Suit la teneur dudit annexe :

Frédéric par la grâce de Dieu évêque de Basle, prince du S. Empire. Faisons savoir, que, pénétré des sentimens de la plus vive reconnoissance envers M. l'archevêque de Besançon de ce qu'il a bien voulu agréer un projet d'échange d'une partie respective des diocèses de Besançon et de Basle, tel qu'il est détaillé dans la procuration que nous avons donnée à ce sujet, sous la date du 5 octobre dernier, à M. l'évêque de Lydda, notre suffragant et vicaire général, et à M. l'abbé de Raze, notre ministre en cour de France, nous nous faisons un vrai plaisir de lui en donner une marque réelle, en nous assujettissant pour nous et nos successeurs à l'évêché de Basle à une prestation honorifique envers le siége et la métropole de Besançon; consentons et nous chargeons en conséquence de faire présenter à M. l'archevêque de Besançon par un de nos principaux officiers ecclésiastiques constitué en dignité, ou par un des dignitaires de notre cathédrale, une croix pectorale en or, portant à son revers par abréviation l'inscription suivante : *Archiepiscopo Bisuntino grati animi monumentum offerebant episcopus et ecclesia Basileensis, anno...;* laquelle prestation sera renouvelée par nous et nos successeurs, après la prise de possession de chaque seigneur archevêque de Besançon, pour ainsi perpétuer à jamais la mémoire des avantages que notre église devra à celle de Besançon, et en particulier la gratitude éternelle que nous vouons à l'archevêque qui en remplit aujourd'hui si dignement le siége. Nous nous engageons en outre, pour nous et nos successeurs, de laisser jouir et posséder tranquillement le siége et le chapitre métropolitain de Besançon des droits de dixmes et patronages quelconques qu'ils ont dans nos États, de la même façon qu'ils en jouissent et les possèdent aujourd'hui, sans qu'il soit porté de notre part, ni de celle de nos successeurs, le moindre trouble ou empêchement aux avantages, prérogatives, immunités dont ils peuvent être aujourd'hui en légale possession. En témoignage de quoi nous avons signé ces présentes de notre main, et à icelles fait apposer notre grand sceau pontifical, avec cette déclaration expresse que nous voulons qu'elles soient ajoutées et inscrites à la suite du concordat, et que foi y soit ajoutée, comme si elles étoient insérées dans l'acte même de procuration. Fait en notre château de résidence, à Porrentruy, ce treize novembre mil sept cent soixante-dix-neuf. Signé Frédéric, évêque de Basle. — Plus bas est écrit : contrôlé à Paris, le 7 décembre 1779, reçu 7 livres; signé : Lezan, avec paraphe. Au-dessous est encore écrit : Et nous les grand-prévôt, grand doyen, chanoines et chapitre de la cathédrale, approuvons et accédons au contenu de l'acte ci-dessus, promettant pour nous et nos après

venans de nous y conformer autant qu'il est en nous. En témoignage de quoi nous avons fait munir les présentes de notre sceau, et les avons fait signer par notre syndic. A Arletheim le 16 novembre 1779. Au bas est écrit : Par ordonnance, Streicher, syndic du haut chapitre de Basle; à côté est un sceau. Il est ainsi en ladite pièce annexée, certifiée véritable, signée et paraphée, duement contrôlée, et, comme dit est, demeurée annexée à la minute de l'acte ensuite de celle du concordat, dont l'expédition est des autres parts, le tout demeuré audit Me Cordier, notaire. Signé Caies et Cordier, tous deux avec paraphe, et en marge scellé lesdits jour et an avec paraphe.

Nous les haut-doyen, chanoines et chapitre de l'illustre église métropolitaine de Besançon, scavoir faisons qu'ayant été invités et requis par Monseigneur notre archevêque de donner notre consentement à un échange de paroisses entre son siége métropolitain de Besançon et celui de l'église de Basle, sçavoir de la ville de Porrentruy, de dix-huit paroisses et une succursale situées dans les États du prince-évêque de Basle en Allemagne, du diocèse de Besançon, contre vingt-neuf paroisses ou succursales situées dans le royaume et composant la partie françoise de la haute Alsace, diocèse de Basle, contiguë et limitrophe au district de Belfort et de Delle compris dans celui de Besançon, relativement auquel échange il auroit plu au roi de manifester ses intentions audit seigneur archevêque, nous, voulant donner à Sa Majesté une preuve de notre respectueuse déférence à ses vues dirigées vers le bien de ses peuples, et vu les actes passés les 17 novembre et 7 décembre 1779 entre monseigneur l'évêque de Lydda et M. l'abbé de Raze, fondés de procuration de monseigneur le prince-évêque de Basle, d'une part, et M. l'abbé de Fraigne, de monseigneur l'archevêque de Besançon, d'autre part, reçus par Cordier et son confrère, notaires au Châtelet, lesquels nous ont été communiqués par monseigneur l'archevêque le jour d'hier, avons arrêté de consentir audit échange, sous la réserve néanmoins des droits de patronage et responsion annuels sur les cures desdits patronages, des dixmes, des biens, ou droits temporels quelconques, situés dans la partie susdite, cédée pour être annexée au diocèse de Basle, desquels biens, droits ou dixmes la propriété et jouissance continueront au profit du chapitre avec les mêmes priviléges, immunités et exemption de toutes charges, même du droit de hallage pour les grains provenant desdites dixmes, soit qu'il les perçoive par lui-même ou par ses fermiers ou préposés, desquels il a joui jusqu'ici. Donnons en conséquence acte de notre présent consentement en la meilleure forme de droit, et promettons d'avoir pour fermes et agréables lesdits traités et concordats. En foi de quoi les présentes ont été signées par M. Maréchal d'Audeux, grand archidiacre de notre siége et président au chapitre du présent jour et contresignées par notre secrétaire ordinaire, auxquelles nous avons fait apposer le sceau de notre chapitre. Fait en notre salle capitulaire le cinq janvier mil sept cent quatre vingt. Signé Maréchal d'Audeux.

Ideo tam dictus modernus archiepiscopus Bisuntinus, quam præfatus modernus episcopus et princeps Basileensis, nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus eis et utrique eorum atque Bisuntinæ et Basileensi diœcesibus in præmissis opportune prævidere, præfata facta, seu concordata, atque permutationem in eis scriptam, ac instrumenta hujusmodi, in ipso Gallico idiomate,

A ad effectum tollendi in posterum quodcumque æquivocum et litigium, ut præfertur, exarata, sub conditionibus et clausulis in eis pariter expressis et contentis, atque dismembrationem et unionem, per te, ut infra, faciendas, pro præmissorum strictiori observantia in forma specifica approbare et confirmare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, eisdem modernis archiepiscopo Bisuntino et episcopo ac principi Basileensi specialem gratiam facere volentes, eosque et eorum quemlibet a quibusvis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, B harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, prædicta pacta, seu concordata, atque permutationem in eis scriptam, et sub conditionibus et clausulis in eisdem expressis et contentis, auctoritate nostra apostolica approbantes et confirmantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus attento consensu tam præfati regis christianissimi quam præfatorum capitulorum ecclesiæ Bisuntinæ et ecclesiæ Basileensis, ac consensum hujusmodi ratum habendo ad effectum et executionem prædictæ permutationis, ex una parte a diœcesi, sede et ecclesia Bisuntina supradictas parœcias et alia ecclesiastica instituta quæ decanatus vulgo *d'Ajoie*, a dicta Bisuntina C diœcesi pendentis, partem constituunt, et nihilominus in Germania et sub dominio temporali supradicti principis et episcopi, atque ecclesiæ Basileensis sunt et esse noscuntur, necnon jurisdictionem episcopalem in dictis parœciis, institutis et dependentiis, prout in supradictis pactis, et concordatis etiam fusius est positum et expressum, pari auctoritate nostra apostolica perpetuo dismembres et separes et præfatæ diœcesi Basileensi ejusque sedi episcopali et ecclesiæ cathedrali, ex nunc prout ex tunc, perpetuo pariter unias et adjungas; et ex altera a dicta diœcesi Basileensi ejusque sede episcopali et ecclesia cathedrali parœcias et alia ecclesiastica instituta quæ in ea superioris Alsatiæ parte, districtibus Belfortensi et Dellensi contermina, ubi vul- D garis gallici idiomatis est usus, atque capitulorum ruralium Mazopolitani et Elsgaudiæ, a dicta Basileensi diœcesi dependentium, partem constituunt et sub dominio præfati regis christianissimi sunt et esse noscuntur, necnon jurisdictionem episcopalem in dictis parœciis, institutis et dependentiis, prout in supradictis pactis et concordatis etiam fusius est expositum et expressum, simili auctoritate nostra apostolica, perpetuo quoque dismembres et separes, præfatæ diœcesi Bisuntinæ ejusque sedi archiepiscopali et ecclesiæ metropolitanæ, ex nunc prout ex tunc, perpetuo pariter unias et adjungas, utrumque sub conditionibus et clausulis in prædictis pactis et con- E cordatis expressis et contentis, et a te præfata auctoritate nostra apostolica ordinandis, illisque perpetuæ ac inviolabilis et irrefragibilis apostolicæ firmitatis robur, vim et efficaciam adjicias, ac ab omnibus et singulis ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari et adimpleri, nec ab illis ullo unquam tempore resiliri, aut recedi debere. Nos enim, si dismembrationem, separationem, unionem, adjunctione maliaque præmissa per te præsentium vigore fieri contigerit, ut præfertur, easdem præsentes semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, ac nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel alio quocum-

que defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, nec sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, aut contrariis dispositionibus per nos et sedem apostolicam præfatam, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio pro tempore factis et faciendis, comprehendi vel confundi, sed semper ab illis excipi, et quoties illæ emanabunt toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, etiam de latere legatos, vice-legatos dictæque sedis nuntios, judicari et definiri debere, irritumque decernimus et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Necnon tibi facultatem subdelegandi quamcumque personam in ecclesiastica dignitate constitutam, quam tu ad rem melius et congruentius existimaveris tam pro actibus jurisdictionis voluntariæ quam contentiosæ, ac etiam facultatem, quod, si insurgant aut superveniant a quocumque oppositiones earumdem præsentium, et in eis contentorum quorumcumque, provisionaliter et juxta eorum formam et tenorem, non obstantibus dictis oppositionibus quibuscumque, executionem demandandi et decernendi, et insuper facultatem quoque in dicto casu oppositio-

A num, eas definitive, atque omni appellationis via amota et seclusa judicandi, et supremo ac irrevocabili judicio pronuntiandi, dicta apostolica auctoritate earumdem tenore præsentium concedimus et impartimur. Non obstantibus quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictarumque ecclesiarum Bisuntinæ et Basileensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis superioribus, et personis in genere vel in specie, aut alias in contrarium præmissorum B quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem præsentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis, habentes, illis alias in suo robore permansuris latissime et plenissime, ad præmissorum validissimum effectum hac vice duntaxat specialiter et expresse, C necnon opportune et valide, harum quoque serie derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarn. Domin. 1780, pridie cal. Julii, pontificatus nostri anno sexto. Signatum Th. Antoguellus et ceteri.

SUPPLEMENTUM INSTRUMENTIS ECCLESIÆ BASILEENSIS (1).

I.

Joannes episcopus ecclesiam S. Martino sacram Basileensibus oppidanis visitandam commendat.

1352. JOANNES, Dei gratia episcopus Basiliensis, universis et singulis præpositis, decanis, camerariis, incuratis, vicariis, capellanis, plebanis seu vice-plebanis, per civitatem et diœcesim nostram constitutis, salutem in filio Virginis gloriosæ. Ad hoc nos prætulit Deus in pastorem, ut omnibus nobis commissis vigili custodia sollicite intendamus. Et ob hoc attendentes devotionem cujusdam personæ devotæ, quæ viam malam qua itur sursum et deorsum a ponte et versus pontem Rheni civitatis nostræ prædictæ, et versus ecclesiam S. Martini Basiliensis, construxit, et construi bonam procuravit, ut fidelis populus facilius ingredi valeat ecclesiam antedictam, nos omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui, quotiescunque cum devotione dictum iter cum lapidibus solidatum ascenderint vel descenderint, omnibus fidelibus animabus orationem dominicam cum *Ave Maria* attente oraverint, eisdem, de omnipotentis Dei misericordia et sanctorum suorum Petri et Pauli apostolorum gratia confisi, XL dies indulgentiarum de injuncta sibi pœnitentia in Dei nomine misericorditer relaxamus. Mandantes vobis quatenus prædictam indulgentiam, quando super hoc requisiti fueritis, taliter publicetis. Datum sub sigillo nostro Basileæ, anno Domini M.CCCLII, feria quarta ante festum beati Martini hyemalis.

II.

Statutum in gratiam canonicorum S. Ursicini.

1354. NOS præpositus totumque capitulum ecclesiæ S. Ursicini, Basiliensis diœcesis, notum fore cupimus præsentium inspectoribus universis quos nosse fuerit opportunum, quod cum dissensionis materia inter singulares personas nostri præfati capituli super ordinatione hebdomadarum sacerdotum et ministrorum divini cultus ibidem verteretur, accidit eamdem materiam ad aures reverendi in Christo patris ac domini domini Joannis Dei gratia episcopi Basiliensis, tunc in ecclesia nostra præsentis, per veridicorum relatum et certam experientiam pervenire. Qui, tamquam verus pastor, assumpto baculo pastorali, præsentes tunc in ecclesia canonicos, super dicta negligentia correcturus, in unum congregavit, et dicta dissensionis materia proposita, de ejusdem nostri prælati consilio et favore, ordinare decrevimus sub forma quæ sequitur. Videlicet, quod de communibus redditibus nostri capituli annuatim deputavimus præsentibus et deputamus duodecim modios avenæ mensuræ in *Porrendrut*. octo modios recipiendos annis singulis per octo canonicos complentes octo hebdomadas sacerdotum, vel gerentes vices eorum in officio sacerdotali, quorum octo præpositus
A primus, custos secundus, capellanus domini episcopi tertius, et reliqui quinque antiquiores in præbenda; ministri quoque, videlicet diaconi, subdiaconi, quatuor reliqui canonici si personaliter ministraverint, recipient reliquos quatuor modios, vel hi qui per ipsos fuerint deputati in prædicto ordine ministrorum. Et pertinebit deinceps administratio prædictorum duodecim modiorum ad illum seu ad illos ad quos pertinet ex antiquo administratio præbendarum in nostra ecclesia supradicta. Et ad majorem certitudinem ordinationis nostræ prædictæ omniumque præmissorum, nos præpositus et capitulum præfati hanc præsentem paginam sigilli reverendi in Christo patris domini nostri domini Joannis Dei
B gratia episcopi Basiliensis prædicti, una cum sigillis nostri præpositi et capituli præfatorum, devote petivimus munimine roborari, approbari, auctorisari et confirmari. Et nos episcopus Basiliensis prædictus, dilectorum nobis in Christo præpositi et capituli præfatorum precibus inclinati, memoratam ordinationem de consilio nostro ac favore factam, ut præmittitur, ut illibata permaneat gaudeatque robore firmiori, ipsam approbamus præsentibus et approbamus, laudamus, auctorisamus et in Dei nomine confirmamus. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum episcopale una cum sigillo præfatorum præpositi et capituli præsentibus litteris duximus appendendum. Datum anno Domini MCCCL quarto, feria ter-
C tia proxima post Epiphaniam Domini.

III.

Instrumentum fidem faciens de terræ motu qui Basileam funditus evertit.

IN Dei nomine Amen. Nos Thuringus de *Ramstein*, præpositus Waltherus de *Klingen* decanus, totumque capitulum ecclesiæ Basiliensis, notum facimus universis, quod nos Basileæ, in loco ecclesiæ Basiliensis capitulari, capitulariter propter hoc congregati, frequenter et sæpe præhabitis et habitis super hoc non tantum semel 1357.
D sed pluries etiam capitulariter in capitulo prædicto tractatibus capitularibus et deliberatione diligenti, ob evidentem utilitatem dictæ ecclesiæ nostræ Basiliensis et nostram, pro nobis et ipsa ecclesia nostra, nostrisque in dicta ecclesia successoribus universis, cum nuper videlicet de anno Domini MCCCLVI, in die beati Lucæ evangelistæ ejusdem anni, Domino permittente, ædificia civitatis Basiliensis universa, et inter cetera domus dicta *ze Blatzhein* olim sita Basileæ, in vico S. Udalrici, inter domum Joannis de Vallesia notarii curiæ jurati Basiliensis ex parte una, et domum dictam *ze Senhein* ex altera, propter et per horrendum et magnum terræ motum etiam factum ibidem, cum aliis ruentibus pariter cor-
E ruisset, ita quod ipsa domus sic destructa dictæ ecclesiæ nostræ Basiliensi inutilis erat omnino, servatis in hoc omnibus et per omnia observandis, vocatis nihilominus ad hoc capellanis seu vicariis dictæ Basiliensis ecclesiæ, priore et conventu fratrum ordinis S. Augustini domus Basiliensis, nec non rectore ecclesiæ sancti Martini Basiliensis, aliisque quorum intererat universis,

(1) Postquam secundum hujus libri fasciculum publici juris fecimus, doctissimus vir D. Joannes Trouillatius Bruntuti quartum edidit volumen Monumentorum ad Historiam Basileensis Episcopatus spectantium. Quod cum nobis volumen multa suppeditaverit magni momenti documenta, operæ pretium duximus quædam ex eis decerpere, quæ typis nostris mandaremus. Hæc est hujus supplementi materia.

de nostra et ipsorum communi, concordi et unanimi omnium voluntate, expressoque consensu, domum licet destructam dictam *ze Blatzhein* memoratam et ipsius aream, una cum suis pertinentiis et juribus universis, ad nostram ecclesiam Basiliensem præfatam jure proprietatis et dominii pertinentem, justo et legitimo inter vivos donationis titulo sub infrascripto tenore donavimus, tradidimus et assignavimus, nosque pro nobis, dicta ecclesia nostra, nostrisque successoribus universis donasse, tradidisse et assignasse recognoscimus publice per præsentes magistro Petro de *Nuet* canonico ecclesiæ nostræ Basiliensis, et secum uni certæ personæ masculo aut femellæ, quam ipse Petrus in vita sua quandocumque ad hoc duxerit nominandam et deputandam, et quotienscumque sibi placuerit variandam, ipsis duobus duntaxat in solidum. Ita quod ipsi quandiu egerint in humanis, et quod, uno ex ipsis vita functo, alter eorum superstes dictam domum et ipsius aream cum suis juribus et pertinentiis universis habeant, teneant et possideant, habere, tenere et possidere possint et debeant per se vel alium, seu alios, prout ipsis vel ipsorum alteri visum fuerit expedire, eamdem domum et ipsius aream prædictam, cum juribus pertinentiisque suis prædictis, per se, et dicta persona per ipsum Petrum, ut profertur, nominanda, a nobis quo supra nomine recipienti et in hoc consentienti, habendam, tenendam, possidendam, erigendam, ædificandam, reparandam, inhabitandam, eaque uti fruendam et utendam pro tempore vitæ ipsorum duorum et ad vitam eorum duntaxat, prout ipsis vel eorum alteri videbitur expedire. Et ut sic præfatam domum seu ipsius aream cum suis pertinentiis prædictis abdicantes a nobis, et in præfatos donatarios transferentes, ipsos misimus et præsentibus mittimus in possessionem dictæ domus, seu areæ, et pertinentiarum prædictarum corporalem, pacificam et quietam. Ita videlicet, quod ipsi donatarii pro tempore vitæ suæ duntaxat medietatem antiqui census dictæ domus, qui se in toto et in summa ab olim ad quinque libras et sex solidos denariorum usualium Basiliensium cum lumine perpetuo extendebat, videlicet duas libras, decem solidos et tres solidos denariorum usualium prædictorum, cum medietate dicti luminis de dicta domo, seu ipsius area et pertinentiis prædictis, annuatim, seu annis singulis, nomine census, solvere his ad quos hæc percipere pertinet teneantur. Postquam autem dicti dominus Petrus videlicet et persona prædicta de medio sublati fuerint, dicta domus, seu area, cum pertinentiis prædictis, in statu quo tunc fuerint, ad jus et dominium nostrum et dictæ ecclesiæ nostræ ac successorum nostrorum in ipsa redeant, seu redire debeant, debeantque devolvi libere sicut prius, imo ex tunc devoluta erunt et sunt ac esse debeant eo ipso. Promisimus insuper, nomine quo supra, pro nobis nostrisque successoribus supradictis, nos præmissa omnia et singula grata habere et firma, nec contra ea vel aliquod eorum facere vel venire per nos vel alios, in judicio vel extra, quovis quæsito colore vel ingenio; nec litteras a sede apostolica vel aliunde præmissis præjudiciales impetrare, vel impetratis uti velle, dolo et fraude in his penitus prætermissis. Renuntiantes insuper exceptioni doli, mali, in factum actioni et sine causa, et quod metus causa, beneficio restitutionis in integrum ob quamcumque causam et quo læsis ecclesiis subvenitur, ac omni juri et juris auxilio canonici et civilis, consuetudinarii et municipalis, nec non omnibus et singulis exceptionibus tam juris quam facti, scripti et non scripti, quibus contra præmissa juvari possemus, legi *hoc jus porrectum*, jurique dicenti renunciationem factam in genere non valere nisi præcesserit specialis. Et in testimonium et robur omnium præmissorum, nos præpositus, decanus et capitulum supradicti sigillum capituli nostri capitulare prædicti appendi mandavimus et fecimus ad præsentes. Datum et actum Basileæ, in loco capitulari prædicto, anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo septimo, feria secunda proxima post dominicam qua in ecclesia Dei cantabatur *Lætare Jerusalem*.

IV.

A Burchardo Monacho Joannes episcopus pecuniam mutuo accipit.

Wir Johans von Gottes genaden Byschof ze Basel. Tun kunt allen den, die disen brief ansehent oder horent lesen. Das wir durch nutz vnd notdurft willen vnser vnd vnser Stift von Basel ze versehende merren schaden, mit guter zitlicher bedenkunge vnd vor betrachtunge, die wir nit einest, wand dicke, dar vmbe gehebt hant, sunderliche mit willen, wissende, Rate vnd verhengnisse der erwirdigen vnd vnser lieben getruwen vnsers Cappitels gemeinliche der Stifte von Basel, hein verkovft, recht vnd redeliche, vnd in eins rechten kovffes wise hin gegeben abe allen vnsern Quarten, si sient an wine oder an korne, die wir vnd vnser vorgenante Stift hant in Elsas, nidewendig dem Otensbuhel, dem frommen, vesten vnserm lieben getruwen hern Burkarte dem Munche von Landskron (1), dem iungern, Ritter, zwei hundert guldin geltes zinses von Florenz guter vnd swerer, die wir ym oder sinen erben, ob er enwere, jerliehs geben vnd vfrichten sollent, gutliche vnd ane furzog, zu disen nachgeschriben zilen, das ist vf sant Johans tage ze Sungichten dem nechsten so nv kunt, hundert guldin; vnd dar nach vf sant Martins tage eins heiligen Byschofs, dem nechtsten, der ze herbeste kunt, die andren hundert guldin; vnd dannanthin also alle iar vf die selben zwei zil, ze ietwederme hundert guldin. Vnd bindent och har zu vns, vnser vorgenante Stift, vnd alle vnser nachkomen, mit disem briefe. Vnd hein ym die selben zwei hundert guldin geltz geben ze kovffende, als vorgeschriben ist, vmbe dru thusing guldin von Florents, och guter vnd swerer, der wir von ym gar vnd gentzlich gewert vnd bereit sint, vnd si in vnser vorgenante Stift von Basel offenbaren nutz vnd notdurft bekert hein, des wir verichent an disem briefe. Dar zu sol man wissen, das wir dem egenanten her Burkart dem Munche, durch sicherheit der vorgenanten zwei hundert guldin geltes, vnd och durch sunderliche liebe so wir zu ym hant, ingegeben hein vnser Burg Swarzenberg die gelegen ist in Munstertal, mit allem dem so dar zv gehort, ze einer rechten behusunge von vns vnd der vorgenanten unser Stift von Basel, vnd haben ym ze Burghute der selben vnser Burg Swarzenberg beschigket vnd verheissen funfzig guldin guter vnd swerer, alle iar vf den vorgenanten sant Martins tag, ane furzog vnd widerrede. Vnd binden och dar zu vns vnd vnser vorgenante Stift, vnd alle vnser nachkomen. Vnd durch das der vorgenante her Burkart der Munch vnd sine erben, ob er enwere, der vorgeschriben zwei hundert guldin geltes zinses, vnd 1359.

(1) « XIII Kal. Decemb. (19 Novemb.). Anno Domini MCCCLXXV, obiit Burckardus Monachi, miles, filius quondam Burchardi dicti Grellis, militis, de *Lantzkron*. » Necrologium eccles. Basil.

der vorgenanten funfzig guldin geltes Burghute, jerliebs deste sieherer sien, zu den vorgenanten zilen, das ist vf sant Johans tage ze Sungichten, hundert guldin, vnd vf sant Martins tage, hundert guldin zinses vnd funfzig guldin burghute, so han wir ym ze rechten gesworne Burgen vnd giseln geben vnd gesetzet vnuerscheidenliche, die frommen, vesten hern Wernlin Scholer Tumherre vnser vorgenanten Stift ze Basel, hern Cunrat von Bernfels, hern Wernher den Scholer, hern Johans den Pfaffen den eltern, heru Henman von Ramstein, Rittere; Hartung von Hertemberg, Heinrich Schenken, Ulrich von Ramstein, edelknechte; Otten von Sliengen, Lienhart zer Sunnen genant Furna, vnd Jacob Frevweler, burger von Basel. Also vnd mit der bescheidenheit, were das wir oder vnser nachkomen deheins iars svmig werent, das wir die vorgenanten zwei hundert guldiu geltes, zinses, vnd die funfzif guldin burghute nit richten noch geben egenanten her Burkart dem Munche, oder sinen erben, ob er enwere, zu den ziln als vorgescriben stat, wenne denne nach ietwederme zil, die vorgenanten Burgen dar vmbe gemant werdent, von dem selben her Burkart dem Munche, von sinen erben, oh cr enwerc, oder von iren gewissen botten ze huse, ze hofe oder vnder ovgen, so sont sich alle die denne gemant sint, antwierten nach der manunge in den nechsten vierzehen tagen, ze Basel, in die stat, vnd do rechte gewonliche giselschaft leisten, in offener wirte huser ze veilem kovff, vnd ze rechten molen vnuerdinget, bi gesworuen eiden, so die selben Burgen alle, vnd ir ieclicher in sonders har vmbe getan hant liplich zen helgen, mit vfgehebten henden vnd gelerte worten, vnd bi den selben eiden niemer von der giselschaft ze kommende, vntze das der zins, so denne geuallen ist, vnd dar vmbe si denne gemant sint, gar vnd gentzlich wirt vergolten vnd gewert ane geverde. Were och das der vorgenanten burgen deheiner die giselschaft selber nit leisten mochte, oder enwolte, der sol vnd mag bi den selben eide einen erbern knecht, mit eim muessigen pherde an sin stat legen in die giselschaft, der fur in do lige vnd leiste, vnd als vil zere, vnd als thur komme, ze rechten giselmolen als er, vntze er selber leisten mag oder wil, ane geuerde. Were och das der vorgenanten Burgen deheiner sturbe vnd abegienge, do vor Got si, oder sust vnnutze wurde ze leistende, so sont wir oder vnser nachkommen dem vorgenanten hern Burkart dem Munche, oder sinen erben, ob er enwere, andere Burgen geben, an der stat die denne abegangen, sint, als gute, ane geuerde, in dem nechsten monode dar nach, so es an vns geuordert wirt. Teten wir des nit, wenne denne die andern Burgen dar vmbe gemant werdent von dem egenanten her Burkart dem Munche, von sinen erben, oder von iren gewissen botten, ze huse, se hofe, oder vnder ovgen, so sont si aber denne ze Basel in der stat, rechte gewonliche giselchaft leisten, ze gelicher wise vnd mit allen gedingen als vmbe den zins vorgescriben stat, vntze das wir inen andere Burgen an der stat, die denne abegangen oder vnnutze worden sint, gegebent als gute, ane geuerde. Wir der obgenante Byschof Johans von Basel hant och gelobt bi guten truwen, fur vns vnd vnser nachkomen, disen brief, vnd alles das har an verschriben ist, stete ze handc, vnd och die vorgenanten burgen alle vnd ir erben von allem schaden ze ziehende, in den si kommen mochtent, von dure vorgenanten Burgschaft wegen, in deheinen weg, vnd binden och har zu vns, vnser nachkomen, vnd och der vorgenanten vnser Stift von Basel, ane alle geuerde. Es ist och ze wis-

A sende, das der vorgenante her Burkart der Munche von Landskron, fur sich vnd sin erben, vns dem egenanten Byschof Johans von Basel, vnd allen vnsern nachkommen, vnd och der vorgenanten vnser Stifte von Basel, ob wir nit werent, ein genade vnd ein fruntschaft hat getan, in disem vorgescribenen kovffe : also das wir oder vnser nachkommen, ob wir enwerent, oder das vorgenante vnser Cappitel, ob das Bystom asetze were, die vorgenanten zwei hundert guldin geltz widerkovffen mogent, weles jares vnd wenne wir wellent von dem vorgenanten hern Burkart dem Munche oder von sinen erben, ober enwere, vor sant Johans tage ze Sungichten, oder vor sant Martins tage ze Herbeste den vorgenanten, oder

B an ietveders tages abende, mit dru thusing guldin von Florenz, och guter vnd swerer, vnd mit versessenem zinse, ob deheiner ze dewederm der egenanten Ziln vor der losunge versessen vnd verungelten were. Vnde wenne wir den widerkovf also getunt, so sint vns dannanthin die egenanten zwei hundert guldin geltz, zinses, dic vorgenante vnser burg Swarzenberg, vnd die funfzig guldin geltz Burghute, mit allen dem so zv der selben Burg hort, vud och die vorgenanten vnsere Burgen, von dem selben her Burkart dem Munche vnd von sinen erben, gar vnd genzlich lidig vnd los. Also das inen dannanthin kein recht, vorder noch ansprache, von dis kovffes vnd behusunge wegen, dar an bliben sol, in deheinen weg. Har

C uber ze einem steten, offenen vnd woren vrkunde aller der vorgescriben dingen, so han wir Johans von Gottes genaden der obgenante Byschof ze Bazel vnser ingesigel gehenket an disen brief. Wir och Thuring von Ramstein tumprobest, Walther von Klingen Techan, vnd das Cappitel gemeinliche der obgenanten Stiftc ze Basel, wand dirre kovf vnd alles das vorgescriben ist, mit vnserm willen, wissende vnd Rate beschehen ist, durch nutzes willen der vorgenanten vnsrer stift, so han wir se merer sicherheit dirre dingen vnsers vorgenanten Cappitels Ingesigel och gehenkct an disen brief. Vnd wir die vorgenanten Burgen Wernlin Scholer tumherre der egenanten Stifte ze Basel, Cunrat von Bernfels, Wernher der

D Scholer, Johans der Phaffe der elter, Henman von Ramstein, Rittere; Hartung von Hertemberg, Heinrich Schenke, Vlrich von Ramstein, edelknechte; Otte von Sliengen, Lienhart zer Sunnen, Wernher zer Sunnen genant Furna, vnd Jacob Frevweler, burgere von Basel, veriehent alles das so vor von vns geschriben ist, vnd gelobent es och stete ze hande vnd ze vollefuerende vnnerscheidenliche bi gesworuen eiden, so wir alle, vnd vnser ieclicher in svnders, har vmbe liplich getan hant zen helgeu mit vf gehebten henden vnd gelerten worten, vnd hein dar vmbe och vnsere ingesigele gehenket an disen brief. Ich der vorgenante Burkart der Munche von Landskrou der iungere, Ritter, vergiche och an disem briefe, das ich williecliche, bedachtliche vnd vnbetwnn-

E genliche, die vorgenante genade des widerkovffes getan habe dem egenanten minem genedigen herren von Gottes genaden Bischoffe Johanse von Basel, sinen nachkomen vnd sinem Cappittel von Basel, in aller der wise, als do vor geschriben ist : Vnd lobe bi gesworuen eide, den ich har vmbe getan han zen helgen, mit vfgehebter hant vnd gelerten worten vnd binden och dar zu min erben mit disem briefe, den widerkovf ze tunde, als vorgeschriben ist, vnd des gehorsam ze sinde in aller der wise vnd iu aller der masse, als do vor geschriben stat, swenne es an mich oder an min erben, ob ich nit enwere geuordert wirt, vnd do wider niemer ze redende noch ze tunde,

vnd nieman ze gehellende, der do wider reden oder tun wolte, in deheine wise, ane alle generde. Vnd des ze einer sicherheit, han ich och min Ingesigel gehenket an disen brief, vnd binden och do mitte mich vnd mine erben ze behaltunge dis widerkovffes, vnd aller siner stugken. Dis beschach vnd wart dirre brief geben ze Basel, an der nechsten Mittewochen vor sant Gallen tag, in dem Jare do man zalte von Gottes geburte Dritzehen hundert vnd funfzig Jar.

V.

Joannes episcopus altare S. Randoaldo sacrum recens consecrato altari adnectit.

1361. JOANNES, Dei et apostolicæ sedis gratia... episcopus Basiliensis, universis Christi fidelibus salutem in Domino sempiternam. Noverint ergo universi et singuli præsentium inspectores, seu auditores, quod cum dilectus nobis in Christo dominus Joannes de *Redersdorf*, canonicus ecclesiæ Monasterii Grandis Vallis, nostræ diœcesis, ad laudem, gloriam et honorem omnipotentis Dei ejusque sacratissimæ matris et virginis Mariæ, altare de novo construxerit, sub honore sanctorum gloriosissimorum Oswaldi martyris, Desiderii episcopi, Jeronimi presbyteri, Agathæ virginis, necnon sanctarum undecim millium virginum, quorum reliquiæ dicto in altari sunt reconditæ et requiescunt, dotatione competenti subsecuta, nobisque tota devotione humiliter supplicarit, quatenus idem altare consecrare et confirmare dignaremur, nos ex debito officii pastoralis gestientes divinum officium incrementis continuis dilatare, ipsius Joannis devotioni filiali prævio affectu occurrendo, antedictum altare in Dei nomine consecravimus, confirmavimus, et tenore præsentium confirmamus. Insuper altare beati Randoaldi situm supra lectionare antefatæ ecclesiæ, cujus præsentatio ad venerabiles præpositum et capitulum ejusdem ecclesiæ pertinebat, ad preces eorumdem, jam dicto altari beati Oswaldi incorporavimus atque incorporamus, cum suis fructibus et reditibus universis. Sic tamen quod quilibet dicti altaris pro tempore capellanus, per se vel alium, binas in eodem altari missas, et unam in altari sancti Rodoaldi habeat, seu celebret, qualibet septimana, et ad residentiam personalem necnon ad omnes horas canonicas, sicut ceteri dictæ ecclesiæ capellani, sub juramenti debito adstringatur. Et ut idem capellanus crebrius cultui divino insistat, inque dicto altari commodius sustentari valeat, concessimus, præsentibus concedimus, ut quicumque pro tempore terram sæpedicto altari datam per Agnesam, natam quondam... dicti Amya de Bono fonte, coluerit, satisfaciens nobis aut nostris successoribus, per eumdem colonum, in quinque solidos denariorum, annis singulis, nomine collectæ, a cunctis aliis collectarum impetitionibus absolutus sit penitus et exemptus. Dignum est enim ut qui altari servit, de altari et vivat. Præterea, omnipotentis Dei misericordia, necnon beatorum Petri et Pauli apostolorum auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus, qui annis singulis memorati altaris dedicationi ac etiam patronorum sanctorum festivitatibus interfuerint, quadraginta dies indulgentiarum de injunctis sibi pœnitentiis, auctoritate ordinaria, præsentibus in Domino relaxamus. Et ne dictum altare, cujus præsentatio ad præfatum dominum Joannem, quandiu vixerit, et, post ejus decessum, ad prædictos dominos præpositum et capitulum pertinere dignoscitur, luporum incursibus succumbat, idem sub alas A nostræ protectionis, cum suis reditibus et fructibus universis, recepimus et recipimus per præsentes; inhibentes universis et singulis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne quis dotem seu alia quæcunque dicti altaris bona, tam præsentia, quæ canonice possidet, seu quæ ipsum futuris temporibus, concessione pontificum, liberalitate regum, aut aliorum Christi fidelium largitione seu etiam donatione, Domino concedente, juste adipisci contigerit, quæ quidem traditione præsentis chartæ seu privilegii confirmamus, quoquo modo invadat, distrahat aut alienet. Quod si quis contra præsentem nostram inhibitionem, confirmationem, attemptare præsumpserit, mucrone perpetui anathematis feriatur. Datum et B actum Monasterii, idus Junii, sub anno Domini MCCCLXI : in robur et testimonium efficax præmissorum, cum appensione sigilli nostri pontificalis.

VI.

Joannes episcopus quasdam ecclesias S. Albano confert.

NOS Joannes, Dei et apostolicæ sedis gratia episcopus Basiliensis, notificare cupimus præsentium inspectoribus et auditoribus universis, quod cum monasterium Sancti Albani extra muros civitatis nostræ Basiliensis per terræ motum C et ruinam sit heu! destructum et miserabiliter desolatum, nec eidem monasterio unde reædificari seu restaurari valeat suppetunt facultates, nos ad restaurationem ac reformationem ejusdem monasterii, ad instar piæ recordationis Burckardi olim prædecessoris nostri, in nostra Basiliensi ecclesia episcopi, qui idem monasterium a suo primordio fundavit pariter et dotavit, cum affectuoso desiderio anhelantes, ac inopiam præfati monasterii et tenuitatem præbendarum in ipso degentium ac Deo servientium personarum piæ considerationis oculo intuentes, ecclesiam parochialem Sanctæ Agathæ in *Hüningen*, nostræ diœcesis, cum ecclesia Sancti Martini Basiliensis, filia ejusdem ecclesiæ Sanctæ Agathæ, nec non D suis fructibus, reditibus, obventionibus, juribus et pertinentiis universis, ita tamen quod vicario perpetuo ibi instituendo, postquam ipsam vacare contigerit, præbenda competens, unde possit commode sustentari, jura episcopalia et collectationes imponendas solvere, juxta nostrum moderamen et arbitrium, deputetur, præfato monasterio pro reformatione et restauratione ipsius, et necessitatibus fratrum ejusdem ex causis præmissis modi, et ad instantes preces reverendi in Christo patris domini cardinalis Cluniacensis, interveniente etiam consensu honorabilium et in Christo nobis dilectorum dominorum præpositi, decani et capituli nostræ Basiliensis ecclesiæ memoratæ incorporandam, uniendam et annectendam decrevimus, et ex nunc prout ex tunc præ- E sentibus incorporamus, annectimus et unimus. Ita tamen, quod in singulis præfatæ ecclesiæ sanctæ Agathæ et filiæ suæ antedictæ vacationibus, prior monasterii suprascripti, qui pro tempore fuerit, ad quem jus patronatus et præsentandi..... (1) seu vicarium perpetuum ad easdem dignoscitur pertinere, aliquam personam idoneam, infra tempus debitum, nobis tanquam loci ordinario nostrisque successoribus, ad vicariam perpetuam ejusdem ecclesiæ debeat præsentare. In quorum omnium et singulorum testimonium evidens atque robur, sigillum nostrum 1362.

(1) Verbum unum deest.

pendi fecimus ad præsentes. Et nos Thuringus de *Ramstein* præpositus, Waltherus de *Klingen* decanus, totumque capitulum ecclesiæ Basiliensis prælibatæ, recognoscimus unionem, incorporationem et annexionem suprascriptas de omnium et singulorum nostrum propter hoc capitulariter congregatorum voluntate et consensu unanimi processisse, et in testimonium præmissorum sigillum nostri capituli autedicti etiam pendi fecimus ad præsentes. Datum et actum anno Domini MCCCLXII, feria quinta post festum beati Martini episcopi et confessoris.

VII.

Joannes episcopus inducias cum Bernensibus oppidanis pangit.

1368. Nos Joannes, Dei et apostolicæ sedis gratia episcopus Basiliensis, notum facimus universis præsentibus et futuris. Ex quo quædam discordiæ, offensiones, iræ et dissensiones sunt et fuerunt ortæ inter nos Joannem episcopum Basiliensem prædictum, nostrosque coadjutores, complices, fautores et servitores ex una, et scultetum, consules, burgenses ac communitatem de Berno, eorumque coadjutores, fautores, complices et servitores parte ex altera, unde tamen et de quo utrique partium aliqua evenerunt damna et exilierunt, et quia illustris et potens princeps dominus Amedeus, comes Sabaudiæ, inter nos partes prædictas quasdam inducias et treugas, ob amorem et dilectionem, hinc inde gerens, pertractaverit seu pertractari procuraverit usque ad festum beati Jacobi apostoli nunc in Julio proxime veniens, ea propter nos Joannes episcopus prædictus, pacem plus quam discordiam sicut hactenus præoptantes, dictas inducias et treugas, per dominum comitem Sabaudiæ prædictum factas, inter prædictos scultetum, consules, burgenses, ac communitatem de Berno, eorumque coadjutores, fautores, complices et servitores universos, pro nobis et nostris coadjutoribus, servitoribus, complicibus et fautoribus universis, donec ad instans festum beati Jacobi apostoli prædicti, et eamdem diem totam, confirmamus, ratificamus, firmam ac ratam fore promittimus et teuere utrique partium, nullam alteri inducendo, educendo, eundo et redeundo, stando, sedendo, præstando molestiam, offensam seu injuriam rebus sive in corpore aut aliomodo quocumque, et neutri partium liceat interim ac medio tempore aliquid novi attentare seu inchoare, quod in præjudicium seu gravamen alterius partis videatur fore, fraude et dolo penitus postergatis. Et ad ratihabitionem omnium et præmissorum singulorum, nos Joannes episcopus prædictus, obligamus nos, nostros successores, coadjutores, complices, servitores et fautores firmiter per præsentes. In quorum testimonium et robur sigillum nostrum præsentibus duximus appendendum. Datum die Mercurii post festum Epiphaniæ Domini. Anno a Christi nativitate millesimo tricentesimo sexagesimo octavo.

VIII.

Describuntur jura Basileensis episcopi, advocati, præpositi et capituli S. Ursicini in valle S. Ursicino nuncupata.

1369. Nos Joannes, Dei et apostolicæ sedis gratia episcopus Basiliensis, notum facimus universis, quod dum venimus ad regimen ecclesiæ Basiliensis, sponsæ nostræ, et nostræ diœcesis Basiliensis,

A inquisivimus de juribus nostris, quæ habemus in dicta nostra diœcesi, et inter cetera inquisitionem et informationem diligentes fecimus de dominio, juribus, emolumentis et obventionibus, quæ et quas nos ut episcopus Basiliensis, et præpositus, canonici et capitulum ecclesiæ collegiatæ Sancti Ursicini dictæ nostræ diœcesis, habemus et habent tam conjunctim quam divisim in potestate et dominio dictæ ecclesiæ Sancti Ursicini, seu præpositi, canonicorum et capituli prædictorum, et reperimus veraciter tam per litteras sigillatas sigillis authenticis prædecessorum nostrorum episcoporum Basiliensium, quam aliis sigillis, nec non per antiquas scripturas et per testes fide dignos et personas authenticas, quod
B potestas et dominium supradictæ ecclesiæ Sancti Ursicini habent ab antiquo tales præfixos terminos et districtus : videlicet, a fonticulo prope exclusam de *Bromuncour* usque ad collem montis *Grimarch;* inde ad rupem quæ appellatur Altare; inde per ambitum usque ad rupem de *Zuc;* inde ad spinam de Moute Falconis, usque ad Montem Boueti; rursum inde usque ad viam seu carrariam de Monte Rotundo, et inde usque ad rupes quæ Duæ Sorores appellantur. Item reperimus quod infra præfatos terminos et districtus quicumque fuerit mansionarius seu manserit per unum annum et diem, tenetur et debet juramentum fidelitatis, subjectionis et obedientiæ præstare Deo, beatæ Mariæ, ecclesiæ Basiliensi,
C Basiliensi episcopo, et præposito ac capitulo ecclesiæ Sancti Ursicini supradictæ. Item quod semel quolibet anno, in autumno, debent et teneutur omnes et singuli totius potestatis prædictæ, ad mandatum dictorum præpositi, canonicorum et capituli, ad generale placitum in villa Sancti Ursicini ejusdem potestatis, et in claustro dictæ ecclesiæ Sancti Ursicini convenire, securi veniendo, stando et redeundo, coram præposito et canonicis prædictis tunc præsentibus, adstanteque seu vocato advocato dictæ villæ, seu ejus locum tenente, jura ecclesiæ Sancti Ursicini, præpositi, canonicorum, et capituli prædictorum in dicta potestate referre, et de causis emergentibus ibidem in judicio stare, ac de omnibus his
D super quibus per fidelitatem suam fuerint requisiti salva conscientia judicare. Item omnes habitatores dictæ potestatis in villa Sancti Ursicini habitantes, liberi sunt et esse debent exempti, nomine et ratione dictæ ecclesiæ Sancti Ursicini, ab omnibus exactionibus, gestis, impositionibus, hospitationibus, servitiis et oppressionibus quibuscumque, et per quoscumque fiendis seu etiam imponendis, nisi de voluntate et consensu dictorum præpositi et capituli hoc procedat : excepta lancea, in qua teuentur episcopo Basiliensi servire, cum aliis ecclesiæ Basiliensis subditis, modo antiquitus consueto. Item canonici prædicti liberam electionem (1), ut quemcumque ipsi canonice elegerint in præpositum suum vel concanonicum
E dictæ ecclesiæ, præpositura ac canonicatu et præbenda vacantibus, in eadem præsentatum sibi debet episcopus Basiliensis, cessante omni refutationis obstaculo, investire : præterquam de canonicatu et præbenda, qui soli spectant in dicta ecclesia ad Basiliensem episcopum pro tempore; quos canonicatum et præbendam item solus confert cui vult, quando vacant. Item ipse præpositus tenet quemdam archidiaconatum seu decanatum ruralem in diœcesi Basiliensi, suæ præpositura annexum, de quo tenetur episcopo Basiliensi ad obedientiam. Tenet etiam totam jurisdictionem temporalem seu sæcularem nomine ecclesiæ Sancti

(1) Deest verbum *habent.*

Ursicini prædictæ, in villa Sancti Ursicini et tota potestate prædictis; de qua justitia tenetur facere hominium, seu homagium, episcopo Basiliensi pro tempore. Et idcirco dictus præpositus præest, nomine dictæ ecclesiæ Sancti Ursicini et capituli ejusdem, toti terræ infra prædictos terminos constitutæ, et habitatoribus ejusdem; nec episcopus Basiliensis, seu alius quicumque, potest ibidem aliquid novi facere quod concernat justitiam, vel aliter, nisi de ipsorum præpositi et capituli voluntate hoc procedat et assensu. Episcopus tamen Basiliensis omnibus præesse debet, et est superior tanquam pater, dominus et defensor. Item in villicaturis de Sancto Ursicino et de *Viler* prædictæ potestatis, duæ partes coloniarum sunt canonicorum prædictorum, et tertia pars episcopi Basiliensis; quæ tamen ab eis indivise possidentur, ut tertia pars episcopi duas partes canonicorum tueatur. Et ad episcopum Basiliensem spectat ponere vel deponere villicum in Sancto Ursicino more antiquitus consueto. Qui villicus solum cognoscere potest de iis quæ spectant ad hemburgiam, et præsertim quum emendæ spectantes ad ipsam hemburgiam summam octo solidorum non ascendunt; de aliis vero emendis se nullatenus intromittit. Item infra totam potestatem prædictam, in banno super venditione vinorum duæ partes spectant ad canonicos, et tertia pars ad præpositum supradictos; nec aliquis alius, quicumque sit, potest ibidem ponere bannum vini, nisi præpositus et canonici supradicti, nisi de ipsorum procedat voluntate et assensu. Ipseque præpositus cognoscit et habet jurisdictionem super omnibus mensuris et ponderibus totius potestatis supradictæ, vocato super dictam coercitionem advocato prædicto vel ejus locum tenente, more antiquitus observato; quem etiam vocat dictus præpositus quum taxat vina et carnes vendenda. Item, a rivo qui vocatur *Clarbez* per decursum Dubii fluvii, usque ad Campum Mandoti, sunt plures piscaturæ, quarum quatuor sunt episcopi Basiliensis pro se; et tenentur piscatores ipsarum quatuor episcopo Basiliensi quolibet anno in quadraginta glanis piscium, et sibi servire de omnibus piscibus quos capiunt, feria quarta, sexta et sabbato, quum præsens est in Sancto Ursicino; et illud idem servitium dictis feriis, quarta, sexta et sabbato tenentur solvere dicto præposito, quum dictus episcopus non est præsens in Sancto Ursicino; qui præpositus tenetur dare ad manducandum illi seu illis qui dictum servitium eidem apportabunt. Una etiam piscatura est præpositi prædicti pro se, et aliæ canonicorum prædictorum, in quibus ipse præpositus percipit sicut unus ex eisdem, prout etiam in aliis communibus inter canonicos percipit tanquam canonicus, sicut unus eorumdem si eorum canonicus præbendatus existat. Item ad manum dicti præpositi seu ad præstationem ejus pertinent omnes præstationes piscariarum, molendinorum, terrarum et decimarum tam episcopi quam canonicorum prædictorum, exceptis terris claustralium feodorum. Item in villa Sancti Ursicini sunt certa casalia libera ecclesiæ prædictæ Sancti Ursicini, seu personis ac canonicis ejusdem spectantia, in quibus manentes adeo sunt liberi, quod nullus eorum pro aliqua querimonia, præterquam in injuria quæ vocatur *fravail*, trahendus est in causam, nisi ante illum canonicum qui est dominus casalis, si præsens fuerit; si est absens, quadraginta diebus est expectandus : et si tunc non venerit, tunc ad dictum præpositum de facienda justitia sicut de aliis pertinebit. Et in potestate seu dominio prædictis, sunt certa casalia vocata militarium feodorum, quæ debent esse

A ejusdem libertatis. Item in curtibus de *Orcour*, de *Subiez*, et de *Courtedoub* prope *Porrointruy*, nihil juris, aut jurisdictionis, seu consuetudinis, vel alterius rei cujusque habet episcopus Basiliensis; scilicet jurisdictio tailiæ et omnia ad dominium pertinentia sunt ipsorum præpositi et canonicorum, excepto quod episcopus Basiliensis habet lanceam in dictis curtibus prout in Sancto Ursicino, et etiam partem emendarum de sexaginta solidis et supra; et in curte de *Courtedoub* certam quantitatem pecuniæ et avenæ, prout est sibi solvi consuetum, tanquam advocato in dictis curtibus seu villis constituto. Item omnes et singulæ querimoniæ, quæcumque sint et fuerint in dicta tota potestate et dominio, excepta sola hem-

B burgia de qua supradictum est, spectant ad dictum præpositum, nomine ecclesiæ Sancti Ursicini et capituli prædictorum : et de ipsis debet audire et judicare : hoc adjecto; quod si aliquis utriusque sexus deprehensus fuerit vel accusatus de latrocinio seu furto, vel aliquo alio gravi excessu, sicut de monomachia, vel duello, quod idem est, et aliis gravibus (1), propter quæ puniri debeat ultimo supplicio, incarcerari debet, custodiri et teneri in domo, seu carceribus dicti præpositi, per unam vel duas dies naturales, et deinde episcopo Basiliensi tanquam advocato, vel ejus mandato tanquam judici sæculari per judicium præsentari, pro eo quia tale judicium non interest judicis ecclesiastici, vel etiam sacerdotis.

C Item de omni causa præterquam de hemburgia omnia vadia quarumcumque emendarum, tam majorum quam minorum, in dictis terminis, veniunt ad manus dicti præpositi; ita quod minora vadia seu etiam minores emendas, sexaginta solidis citra, habet dictus præpositus pro se solo; de majoribus vero vadiis, seu majoribus emendis, quæ sunt sexaginta solidorum et supra, pro injuriis quæ vocantur *fravail*, seu etiam aliter, duas partes habet dictus præpositus et tertiam partem episcopus Basiliensis, ut advocatus. Ita tamen quod de tali vadio, seu emenda majori, potest remittere dictus præpositus, si velit, sine episcopo advocato, infra sex hebdomadas, totum usque ad tres solidos; quorum duo solidi erunt dicti

D præpositi et tertius advocati; exceptis illis vadiis seu emendis, quæ veniunt ex monomachia seu duello, et illis quæ sine advocati seu ejus mandati præsentia terminari non possunt, ut scilicet furta et excessus graves, de quibus supradictum est, quia de monomachia seu duello, ex quo firmatum fuerit cautione, diem assignatam et diem certam pro gravibus excessibus debet notificare dictus præpositus episcopo advocato, seu ejus mandato, ut veniat ad id quod sui juris est exsequendum. Postquam vero advenerint, sive peragatur duellum, sive non, et sive puniatur gravis excessus, sive non, de compositionibus et vadiis seu emendis et aliis quæ tunc in iis casibus solis recurrunt ad manus dicti advocati vel

E ejus mandati, neuter sine altero quicquam potest remittere, quia competunt ambobus communiter in expensas. Post quas expensas, si aliquod fuerit residuum, duas partes habeat dictus præpositus et tertiam partem advocatus. Item etiam cum advocatus debeat dictum præpositum tueri et vim sibi tribuere, et ob hoc secum præsens esse quotiens requiritur vel vocatur per eumdem, si ipse advocatus seu ejus mandatum venerit vocatus a dicto præposito propter aliquem contumacem coercendum, quem ipse præpositus coercere non possit, tunc ambobus simul residentibus in judicio, si contumax cogatur facere justitiam, licet

(1) Supple *excessibus*, ut infra legitur.

vadia seu emendæ veniant ad manus ipsius præpositi, nihil tamen ipse præpositus remittere tunc potest ex eis sine advocato, sed in expensis amborum communiter deputantur. Et si quod fuerit residuum post expensas, præposito debentur duæ partes; tertia pars advocato. Item ad nullas alias causas audiendas vel judicandas debet advocatus intrare terminos prædictæ potestatis, hoc solo cum præmissis scilicet casibus gravibus, duello et vi tribuenda excepto. Quod si forte ad dedicationem ecclesiæ Sancti Ursicini, cum est ibi forum annuale seu nundinæ, ipse advocatus in propria persona, pro custodia ipsius fori, una cum dicto præposito venire voluerit, de iis solummodo quæ ad ipsum forum pertinent et non de aliis, eidem cum dicto præposito facere justitias tunc incumbit. Item dicti præpositus et capitulum plura alia jura, libertates, proprietates et consuetudines habent in tota potestate et dominio supradictis, necnon et in aliis locis episcopatus prædicti, quibus usi fuerunt et utuntur, quæ propter prolixitatem non possumus in iis præsentibus declarare. Sed ipsa jura, libertates, proprietates et consuetudines non volumus nec intendimus, prout nec possumus, eisdem in aliquo perturbare. Imo volumus et concedimus eisdem per præsentes, pro nobis et successoribus nostris episcopis Basiliensibus, quod ipsis juribus, libertatibus, proprietatibus et consuetudinibus, ac omnibus et singulis juribus suis supradictis gaudeant et utantur, cum sit decens. Et insuper volumus et concedimus per præsentes, quod si aliqua in præjudicium prædictorum, seu aliter, eisdem ecclesiæ, præposito, canonicis et capitulo tam conjunctim quam divisim præjudiciabilia fecerimus, aut, quod absit, faciemus in futurum, quod illa pro non factis habeantur, et eorum singula ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc, tanquam per errorem et inadvertentiam facta seu etiam facienda per præsentes penitus revocamus. Item episcopus Basiliensis, ut advocatus prædictus, et tanquam pater, superior et defensor, tenetur et debet infra eamdem potestatem et alibi ipsam ecclesiam Sancti Ursicini et dictos præpositum, canonicos et capitulum in suis juribus et libertatibus illæsos custodire, et super homines et res ipsorum nihil juris, vel potestatis, seu etiam jurisdictionis, ulterius vel aliter quam dictum est petere vel etiam exercere. Nos igitur volentes, exigente ratione, dictis ecclesiæ Sancti Ursicini, præposito, canonicis et capitulo jura sua illæsa conservare, et ne processu temporis ipsa jura oblivioni tradantur, ac in testimonium omnium et singulorum præmissorum, præsentes nostras litteras sigilli nostri fecimus appensione muniri. Datum et actum in villa nostra *Telsperg*, dictæ nostræ diœcesis, in vigilia apostolorum Simonis et Judæ, anno Domini MCCCLXIX. Hæc autem omnia et singula suprascripta nos Joannes episcopus prædictus volumus et promittimus tenere et inviolabiliter observare, secundum modum per nostros prædecessores episcopos Basilienses antiquitus observatum. Datum et actum prout supra.

IX.

Joannes episcopus nonnulla castra Guillelmo d'Orsans *tradit.*

1370. Nos Joannes, Dei et apostolicæ sedis gratia episcopus Basiliensis, notum facimus et recognoscimus tenore præsentium universis et singulis quos nosse opportunum, quod, attentis et consideratis per nos fidelibus et fructuosis servi-

A tiis nobis et ecclesiæ nostræ Basiliensi per dilectum nobis in Christo nostrum et ejusdem ecclesiæ nostræ servitorem sollicitum et fidelem Guillinum de *Ossans* armigerum, Bisuntinensis diœcesis, exhibitis et impensis, et quæ exhiberi et impendi poterunt per eumdem, in recompensam servitiorum hujusmodi, eidem Guillino, de expresso consensu et voluntate venerabilium fratrum nostrorum Walthcri de *Klingen* decani, Rudolfi Monachi cantoris, Wernheri Scalarii archidiaconi, Conradi Monachi scolastici, et totius capituli præfatæ ecclesiæ nostræ Basiliensis, castrum nostrum et ecclesiæ nostræ Basiliensis nuncupatum *Miécourt*, situm in diœcesi nostra Basiliensi, una cum suis pertinentiis et juribus B universis, ad nos et ipsam ecclesiam nostram per mortem quondam Joannis de Arceyo, qui illud in feodum a nobis et eadem ecclesia dum viveret obtinebat, revolutum, ad quod spectare noscuntur octuaginta jugera terræ, nec non decem et octo falces seu diurnalia pratorum, et viginti solidorum denariorum *angster* reditus annuales, tenendum et habendum ac utifruendum in feodum a nobis et ecclesia nostra Basiliensi per eumdem Guillinum cum ceteris appenditiis dicti castri. Item et aliud castrense feodum, deserviendum in castro nostro et ecclesiæ nostræ prædictæ nuncupato *Nuwenburg*, et ad idem castrum spectans quod a nobis et eadem ecclesia quondam Burckardus *Senne* junior olim possidebat, ex ejus C morte nobis et dictæ ecclesiæ revolutum, una cum reditibus annuis octo modiorum avenæ, quinquaginta solidorum denariorum prædictorum in villa *Courtedoux*, et duorum modiorum speltæ et duorum modiorum avenæ in villa existente ante et prope præfatum castrum de *Nuwenburg* debitis et provenientibus, et octo falcibus seu diurnalibus pratorum, et una domo cum pertinentiis et circumferentiis ejus, in eodem castro situata, in qua hujus feodum deserviri concessum est, ipsi feodo spectantibus et pertinentibus, supradicto Guillino de *Ossaus* tenendum, habendum et utifruendum, et in eodem loco deserviendum per eumdem ac possidendum a nobis et dicta ecclesia nostra Basiliensi, in feodum castrense D locavimus et concessimus, ac locamus et concedimus per præsentes. Promittentes bona fide concessionem et locationem easdem non mutare vel revocare, nec contra ipsas ullo tempore facere vel venire, aut fieri procurare, sed easdem attendere et servare, et futuris temporibus inviolabiliter observare. Ad præmissa et eorum observantiam nos, ecclesiam nostram sæpedictam, nostrosque successores firmiter obligantes, dolo et fraude in iis sublatis. Et duo instrumenta paria confecta et tradita sunt de præmissis. In quorum testimonium, nostrum et dicti capituli ecclesiæ nostræ Basiliensis præfatæ, sigilla pendi fecimus ad præsentes. Et nos Waltherus de *Klingen* decanus, Rudolfus Monachi cantor, Wernherus Scalarii E archidiaconus, Conradus Monachi scholasticus, totumque capitulum ecclesiæ Basiliensis præfatæ, suprascripti, recognoscentes præsentibus præscriptas concessiones per prænominatum reverendum in Christo patrem et dominum nostrum Joannem, Dei et apostolicæ sedis gratia episcopum Basiliensem, factas et habitas fuisse et esse quemadmodum sunt præscriptæ, de expresso consensu et voluntate nostrum omnium eorumdem, in signum nostri consensus hujusmodi, sigillum dicti nostri capituli præfati domini nostri Basiliensis episcopi sigillo iis suis litteris fecimus coappendi. Datum anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo septuagesimo, feria sexta post festum sancti Laurentii martyris.

X.

Joannes episcopus instaurando Biello consulit.

1376. In Dei nomine amen. Nos Joannes, Dei et apostolicæ sedis gratia episcopus Basiliensis, notificari cupimus et recognoscimus publice per præsentes, earum inspectoribus et auditoribus universis, præsentibus et futuris, quod favore continuo et fideli et assidua obedientia, quos dilecti nostri et ecclesiæ nostræ Basiliensis fideles assidui, villicus, consules et universitas oppidi nostri nostræque ecclesiæ Basiliensis de Biello, Lausannensis diœcesis, ad nos ac venerabile capitulum nostrum et nostram ecclesiam memoratam habuerunt hactenus et habere noscuntur, nobis et nostris frequenter obediunt et intendunt, consideratis, dignum arbitramur ut ob hoc eos favore prosequamur generoso. Ut etiam idem villicus, consules et universitas prædicti oppidi nostri de Biello labores immensos et necessitates urgentes, quos habere noscuntur propter restaurationem ipsius oppidi, pridem per incendium et rapinam graviter et damnose destituti, melius valeant relevare, eisdem villico, consulibus et universitati, de expresso consensu, scitu et bona voluntate prædicti capituli nostri Basiliensis, generose duximus concedendum, et pro nobis dictaque ecclesia nostra Basiliensi et nostris successoribus concedimus et promittimus in his scriptis, bona et jura quæcumque, quibus inhærere dignoscitur seu inhæret jus patronatus ecclesiæ parochialis oppidi supradicti, una cum suis utilitatibus, reditibus et pertinentiis universis, quæ quidem bona et jura idem villicus, consules et universitas jam dudum habuerunt et possident a nobis, nostrisque capitulo et Basiliensi ecclesia prælibatis, obligandi, vendendi, tradendi, in alium vel alios transferendi vel donandi propter Deum vel pecuniæ pretio competenti, aut alio modo seu titulo quibuscumque voluerint, et prout eis dictoque oppido pro relevatione dictarum necessitatum et utilitate sua propria melius videbitur expedire. Promisimusque et promittimus in his scriptis pro nobis et quibus supra, bona fide, promissum, gratiam et concessionem nostras hujusmodi, omniaque et singula supra scripta rata habere, attendere et servare, nec ea mutare, vel causa ingratitudinis revocare, nec contra præmissa vel eorum aliquid ullo tempore quomodolibet facere vel venire, aut fieri procurare, quæsito quovis ingenio vel colore, nec contravenire seu revocare volentibus aut volenti aliqualiter consentire. Ad hæc et eorum observantiam inviolabilem, nos dictamque ecclesiam Basiliensem et nostros successores in eadem firmiter obligantes, dolo et fraude in his sublatis. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum episcopale majus pendi fecimus ad præsentes. Cui ad majorem certitudinem et cautelam, nos Waltherus de *Klingen* decanus, totumque capitulum præfatæ ecclesiæ Basiliensis recognoscentes præsentibus præmissa et ex causis prætactis per dominum nostrum reverendum in Christo patrem et dominum Joannem Dei gratia episcopum Basiliensem de nostrum expresso consensu, scitu et bona voluntate processisse, factaque et acta fuisse et esse, quemadmodum sunt præscripta, sigillum dicti nostri capituli in signum consensus ejusdem his litteris fecimus coappendi. Promittentes pro nobis et successoribus nostris, quos una nobiscum ad præmissa et eorum observantiam similiter obligamus præsentibus, bona fide, præscripta rata et grata tenere perpetuo atque firma harum testimonio litterarum. Datum et actum decimo die mensis Junii, anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo septuagesimo sexto.

XI.

Joannes episcopus a Bernensibus tria millia Florentinorum nummorum accipit, ob illata Grandi Valli damna.

In nomine Domini amen. Nos Joannes de Vienna, Dei et apostolicæ sedis gratia episcopus Basiliensis, notum facimus universis præsentibus et futuris. Cum tempore transacto quædam lis, discordia, seu controversia vertebatur inter nos et nostros ex una, et sapientes viros scultetum, consules et communitatem de Berno, suosque adjutores et fautores, parte ex altera, in qua quidem discordia, seu lite, nos et nostrates per dictos Bernenses et eorum complices multipliciter sumus læsi et dampnificati, unde et de quibus compromisimus : qua compromissione facta et de compromisso sententiata, nos attendentes nostrum ac nostri episcopatus statum decere amicitiæ (1) et componi amicabiliter, quia amicus amicum induit, qui justis amicorum condescendit petitionibus, tractatu inito per magnificam et generosam dominam dominam Elizabetham comitissam et dominam Novi Castri, fatemur per præsentes, pro ratione trium millium florenorum boni auri ponderis legalis, nobis per dictos Bernenses integre persolutorum, et in nostros et nostræ ecclesiæ Basiliensis usus penitus versorum, de quibus merito nos contentari fatemur, etiam ratione cujusdam auxilii ac servitii nobis per dictos Bernenses faciendo promissi, prout in quadam alia littera desuper confecta lucidius continetur. Et quia summis epulamur in deliciis, cum nostrorum amicorum postulationibus possumus acquiescere, et cum ipsis vitam ducere quietam, quamobrem nos Joannes episcopus Basiliensis prædictus, pro nobis et nostris successoribus nec non coadjutoribus, fautoribus et vasallis, ac pro omnibus et ceterorum singulis in nostro episcopatu existentibus, sive sint spirituales, ecclesiasticæ aut sæculares personæ, quos negotium prædictum aut subscriptum tangit vel tangere poterit quomodolibet in futurum, prælibatos Bernenses et eorum fautores, adjutores, sequaces et successores quittamus, absolvimus, quittatos ac liberos dicimus et dimittimus de omni quæstione, petitione, seu actione personali seu reali, quam vel quas nos vel ecclesia nostra Basiliensis, vel aliqui tam in specie quam in genere, ex nostro episcopatu prædicto, in solidum vel divisim erga eos vel ipsorum quemlibet gessimus, habemus, habere speramus vel quovismodo debeamus usque in diem hodiernum, sive sit de rapinis, spoliis, violentia ecclesiarum vel locorum spiritualium, incendiis, manuum injectionibus, homicidiis, vulnerationibus personarum utriusque sexus, oppressionibus, raptionibus, et specialiter in damnis, læsionibus, violentiis, incendiis, quas ipsi et sui complices fecerunt in nostrum monasterium Grandis Vallis et in ejus canonicos, necnon in personas et res eorumdem, vel qualiter nos et nostri per ipsos Bernenses seu eorum adjutores et fautores quovismodo in dicta discordia et guerra fuerimus damnificati, læsi et violati, illa omnia et singula ipsis in Domino remittimus. Absolventes eosdem si aliquas inciderunt sententias, et canones nobis a jure reservatos, nihil actionis, petitionis, juris seu facti in eisdem nobis reservatis; sed penitus ipsos quittamus de præmissis et singulis, fraude 1376.

(1) Aliquid deest.

et dolo penitus postergatis. Obligantes nos, nostrosque fautores, coadjutores, successores, nec non omnes nostri episcopatus Basiliensis quovismodo læsos seu damnatos in discordia, seu lite, ut supra, ad præmissa et præmissorum quælibet. De quibus omnibus et singulis dictos Bernenses, eorum adjutores, fautores seu sequaces cavemus prædictam quittationem, absolutionem, amicabilem compositionem, et omnia et singula præscripta rata et grata perpetuo habituros, nec contra ea venire, tacite vel occulte, judicio canonico vel civili, nec contravenire volenti aliquatenus consentire per nos vel per interpositas personas, quæsito quovis ingenio vel colore, in juramento nostro corporali et in officio nostro pastorali, sine omni dolo et fraude. Renuntiantes ex certa scientia super præmissis omnibus et singulis omni exceptioni juris et facti, omnibus privilegiis et libertatibus impetratis seu impetrandis, omni auxilio et consilio et omni adinventioni juris canonici et civilis, quibuscunque intuentibus præsens contractum posset infringi seu cassari, in toto vel in parte; exceptioni non numeratæ pecuniæ, rei aliter scriptæ, contra gestæ, deceptioni ultra dimidium justi pretii, nec non omnibus et singulis quibus præmissa, sive aliquod præmissorum, quovismodo possit annullari, fraude et dolo penitus relegatis. In quorum omnium testimonium et robur, nos Joannes, episcopus Basiliensis prædictus, sigillum nostrum majus appendendum duximus litteris præsentibus. Datum et actum die septima mensis Julii, anno Domini MCCCLXXVI.

XII.

Joannes episcopus S. Ursicini oppidanis quædam vectigalia concedit ut urbem suam munimentis cingant.

1378. Nous Jehan, par la graice de Dieu et du sainct siege de Rome euesque de Baisle, faicons scauoir a tous, que nous considerans et regardans les tres grant feaultez et affections que les bourgeois, prudhommes et habitans de nostre ville de Saint Vrsanne ont a nous et a nostre esglise de Baisle, et obeyssant loyaument à nous et a icelle nostre eglise, a tous commandemens et en toutes necessitez, que nous et nostre dicte esglise avons de leur; et aussy les bons conportemens, labeurs, peines, travaux, missions et frais, que les dits prudhommes, bourgeois et habitans font et soustiennent de iour en iour sans cesse, pour la reparation et amendement de la dite ville de Saint Vrsanne, pour ce que en elle la dicte ville, les prudhommes, habitans en icelle puissent et vaillent mieux resister es ennemis de lesglise de Baisle, et pour servir a icelle esglise et a nous; et les dicts prudhommes ne ayant pouvoir de assortir et accomplir la fermetey de la dite ville de Saint Vrsanne, tant de murs, chesaux, eschelles, que autrement, pour cause de leur pauvretey, ne icelle maintenir en estat, si nous ne leur survenons et faicons ayde : nous, tant pour le profit, utilitey et accroissement de nostre esglise de Baisle, que pour ce que la feautey des dits prudhommes, bourgeois et habitans de Saint Vrsanne soit doublez et qu'ils puissent mieux et plus seurement demeurer en solat, soubs nous et nostre dicte esglise, par griace especiale avons donnez et ouctroyez, baillez, deslivrez, donnons, ouctroyons, baillons et deslivrons par ces lettres aux dits bourgeois, prudhommes et habitans, pour ce que la dicte ville se puisse mieux par leur dit reparelier et maintenir, les angaux entierement de tous les vins que dez cy en avant lon vendra, tant en la dicte ville de Saint Vrsanne, que en toutes les villes estant de la mairie de Saint Vrsanne, soyent en la montaigne ou aultre part, tout ainsi et en la forme et maniere, sans changer, muer ou diminuer, comme ceux de nostre ville de Pourrentruy ont, tiennent et possedent de nos predecesseurs et de nous, les angaux et vins que lon vent tant en la ville de Pourrentruy que des mayries d'Ajoye et de Bure estant environ Pourrentruy, sauf et reservez au prevost et chanoine et au chapittre de lesglise collegiale de Saint Vrsanne les droits quils ont sur les vins que lon vent a Saint Vrsanne. Laquelle donation et ouctroyer par nous faict desdits angaux, si comme dit est, nous pour nous et nos successeurs evesques de Baisle, promettons en foy de prelat, pour tous jours, es dits prudhommes, bourgeois et habitans de Saint Vrsanne, tenir inviolable et sans corrumpre ou enfraindre, et sans jamais aller contre la teneur de ces lettres, coiement ne en apert, mais a les tenir, observer, defendre et garantir sans fraude, et sans baret et sans malangin, non obstant aulcune exception de fait ou de droit dite et faicte. De laquelle chose, en signe de veritey, nous avons mis nostre seel episcopal pendant en ces presentes lettres. Faictes et donneez eu nostre chastel de Pourrentruy, le onzieme jour du mois de Julliet, lan mil trois cents septante et huit.

XIII.

Joannes episcopus ecclesiam Magden *Horto Dei confert.*

Nos Joannes Dei et apostolicæ sedis gratia episcopus Basiliensis, notum facimus et recognoscimus publice per præsentes earum inspectoribus seu auditoribus universis, quod cum reverendissimus in Christo pater et dominus dominus Guillelmus, Dei sanctæque sedis apostolicæ supradictæ gratia tituli Sancti Stephani in Cœlio Monte presbyter cardinalis, sanctæque sedis ejusdem legatus a sanctissimo in Christo patre ac domino nostro Clemente, divina providentia papa septimo, ad certas mundi partes, provincias et terras specialiter destinatus, auctoritate apostolica ab eodem domino nostro domino Clemente papa septimo sibi commissa et competenti, ecclesiam parochialem in *Magden*, nostræ diœcesis Basiliensis, una cum suis juribus et pertinentiis universis, cujus quidem jam dictæ parochialis ecclesiæ *Magden* collatio et jus patronatus ac præsentandi rectorem ad eamdem ecclesiam, dum vacabat, ad religiosas in Christo dominas abbatissam et conventum pro tempore monasterii *Olsperg*, Cisterciensis ordinis, dictæ nostræ diœcesis, suo et ejusdem monasterii nomine, pertinere dignoscebatur, nuper univerit, annexaverit et incorporaverit, juxta tenorem suarum hujusmodi suæ incorporationis litterarum, præfatis dominabus abbatissæ et sororibus conventus monasterii *Olsperg* prænotati, et eidem monasterio pro mensa communi et uberiori in isto monasterio ad cultum divinum exercendum sustentatione earumdem, et aliarum eis successurarum monasterio in eodem, reservata tamen pro perpetuo vicario jam dictæ ecclesiæ parochialis in *Magden* per nos et successores nostros episcopos Basilienses ibidem instituendo, congrua portione pro juribus episcopalibus exsolvendis et aliis omnibus supportandis; subsequenter vero serenus et illustris princeps dominus Leopoldus, Dei gratia dux Austriæ, pro eisdem dominabus et monasterio suo et dictæ incorporationis omnimoda perfectione, admissione et expeditione, nobis direxerit cum magna instantia 1381.

suas preces, nos cupientes pro nostra possibilitate mandatis apostolicis intendere in omnibus et propere, etiam consideratione dicti domini ducis, nostri et ecclesiæ nostræ Basiliensis vasalli fidelissimi, contemplationeque dominarum abbatissæ et sororum conventus prædictarum, et præsertim retributionis intuitu, ac in eventum quod eædem dominæ et eis in isto monasterio, ut præmittitur, successuræ uberius valeant ibidem sub regulari habitu virtutum Domino famulari, prehabito super iis inter nos et venerabiles fratres nostros Conradum Monachi præpositum, canonicos et capitulum dictæ ecclesiæ nostræ Basiliensis tractatu diligenti, cum matura deliberatione et eorumdem fratrum nostrorum, scitu, expresso consensu et bona voluntate, unioni et incorporationi prædictis eas admittendo consensimus, et præscriptam ecclesiam parochialem in *Magden*, ac ipsas dominas abbatissam et conventum et earumdem monasterium memoratas, ejusdem ecclesiæ parochialis actionum a solutione primorum fructuum ecclesiæ *Magden* prædictæ, ac collectarum deinceps antedictæ ecclesiæ nomine imponendarum eximimus, absolvimus, quittamus, exoneramus et absolutas et liberas esse debere decernimus et declaramus tenore præsentium penitus et in toto, et dictam unionem, annexationem et incorporationem prætactas, insuper ipsarum mentem et tenorem ad finem debitum perducimus, perficimus præsentibus et complemus, adhibitis in his et circa ipsa juris et facti solemnitatibus, clausulis et cautelis ad ea necessariis, debitis et consuetis. Promittentes bona fide, etc..... Et nos Conradus Monachi præpositus, totumque capitulum dictæ ecclesiæ Basiliensis præfati, recognoscentes publice per præsentes omnia et singula supradicta per prænominatum reverendum in Christo patrem et dominum nostrum Joannem Basiliensem episcopum, de nostrum scitu concordi et expresso consensu et voluntate facta fuisse, et esse quemadmodum sunt præscripta, ad quorum observantiam et ratihabitionem nos et successores nostros præsentibus obligamus, sigillum dicti nostri capituli in signum nostri consensus prædicti sigillo dicti domini nostri Basiliensis episcopi his suis litteris fecimus coappendi. Datum et actum Basileæ, feria sexta, seu die Veneris penultima mensis Novembris et proxima ante festum beati Andreæ apostoli, sub anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo octogesimo primo.

XIV.

Venceslaus, Romanorum rex, Imerium episcopum tuetur, cujus Wernherus jura propugnabat.

1383. Wir Wentzlaw von Gots gnaden Romischer kunig zu Allen zeiten merer des Reichs, vnd kunig zu Beheim, embieten allen ffürsten, Grafen, herren, Freyhen, dinstleuten, Rittern, knechten, vnd bisundern den Burgermeistern, meistern, Reten vnd Burgern, gemeinlich vnsere vnd des Reichs stete Straszburg, Basell, Bern, Zürch, Lutzern, Solater, Colmar, Hagenow, Sletzstat, Ehenheim, Mullusen, Keysersberg, Tuerenckein, Münster, Roszheim, vnsern besundern getrewen, vnd allen andern vnsern vnd des Reichs vndertan, vnd lieben getreuwen, die des mit disem gegenwirtigen vnsern kuniglichen brieue vermant werden, vnser gnade vnd alles gut. Wann wir den Erwirdigen Imer Bischof zu Basill, vnsern lieben ffürsten vnd andechtigen sunderlich in vnser vnd des heiligen Reichs schutz vnd schirme genommen haben, durch sunderlicher manung vnd bete

A willen vnsers heiligen vatters Babsts Vrban des sechsten, der ym ouch dazselbe Bischtum zu Basel geben, vnd yn do mit gnediclich versehen hat, ist vnser meynung daz wir denselben Bisschoff zu Basill vollenkomelich schutzen vnd schirmen wollen, wider allermeniglich der ym gewalt oder vnrecht tun wolte, an demselben synen Bischtum zu Basill. Dorvmb gebieten wir uch allen und uwerin Iglicheu bisundern ernstlich vnd vestichlich, by vnsern vnd des Reichs hulden, daz ir den vorgenanten Bisschoff zu Basill, vnsern ffürsten, vnd senre stifft, land vnd leute, geistlich vnd werltlich, von vnser vnd des heiligen Reichs wegen, schutzent vnd schirment vnd vn getrewlich geraten, vnd behulffen seyt, wider Wernher B Schaler, der dazselbe Bischtum von dem widerhabste von Auion empfhangen hat, vnd wider alle syne helffer, vnd ouch wider allermeniglich der yn an dem vorgenanten synen Bischtum irren oder hindern wolte wider recht. Ouch wollen wir vnd gebieten uch allen vnd uwerin Iglichem bisundern ernstlich vnd vesticlich, daz ir dem egenanten Imer vnsern ffürsten vnd allen seynen helffern, wer die sint, oder wie sie genant sein, vnser vnd des Reichs Slosz offent, vnd sie dar in vnd dar vss laszent, alz offt vnd dicke yn des noet geschiht, vnd ir dez von yn vermant werden. Vnd tuet in disen sachen alse wir uch des sunderlich glouben vnd getrewen, vnd alz ir wollent vnser vnd des Reichs swere vngnade vermiden, C Mit vrkund ditz briefes versigelt mit vnsere kuniglicher Maiestat Ingsigil. Der geben wart am nehsten mentage nach Sant Gallen tage; vnser Reiche des Behemischen, in dem Eyn vnd zwentzigsten vnd des Romischen in dem achtem Jaren.

XV.

Imerius episcopus Liberi Montis incolas vectigalibus eximit.

Nos Imerius de *Ramstein*, Dei et sanctæ apostolicæ sedis gratia episcopus Basiliensis, notum facimus universis et singulis præsentes litteras inspecturis seu audituris, quod nos, considerantes 1388.
D magnum et evidentem profectum ac utilitatem nostri atque ecclesiæ nostræ Basiliensis, pro nobis et nostris successoribus, de expresso consensu et voluntate ac scitu venerabilium fratrum nostrorum præpositi, decani et capituli ecclesiæ Basiliensis, fecimus exemptos et liberos, et per præsentes litteras facimus liberos et exemptos de omnibus talliis et exactionibus seu impositionibus, omnes et singulos utriusque sexus homines, eorumque heredes perpetualiter commorantes et habitantes duntaxat in Monte Falconis et in districtu, terminis et metis subscriptis et hic insertis : videlicet a spina Montis Falconis usque ad metas seu terminos dictos *Es-dilles* de longo et lato, et de campis de *Tremmelein* usque ad E rivorum seu cursum aquæ Dubii. Volumus et promittimus per dictas litteras præsentes, quod omnes et singuli homines utriusque sexus venientes et se transferentes de extraneis dominis seu dominiis, moram et residentiam in dicto loco, infra metas et terminos præscriptos, facientes et habentes, quod ipsi et eorum heredes sint et esse debeant perpetue liberi et supportati de talliis ac sturis prout superius est expressum; ac etiam volentes et promittentes de gratia speciali, quod quilibet hominum commorantium seu domicilium tenentium, utriusque sexus, potest tenere unum juger terræ, una cum uno casali juxta domum suam, cum tali conditione quod nos et nostri successores habere debeamus in dictis

monte et loco, infra dictas metas seu terminos, a quolibet foco seu domicilio, in festo Sancti Martini hiemalis, quolibet anno, duodecim denarios monetæ cursibilis in episcopatu Basiliensi, et de quolibet habitatore seu mansionario in suis propriis expensis existente et in suo pane. Item debemus etiam habere a quolibet casali in dicto monte et locis prædictis duos cappones quolibet anno nobis et nostris successoribus solvendos, cum nostri nuntii vel officiarii id petant vel requirant. Insuper est sciendum, quod quolibet anno, in dicto termino, nos et nostri successores habere debeamus de quolibet jugero terræ, sito in dicto monte ac metis præscriptis, tres denarios, et de qualibet falca pratorum similiter tres denarios, exceptis illis jugeribus quæ quilibet ipsorum habitatorum tenere debet et potest juxta domum suam ut præmittitur. Promittentes bona fide, pro nobis et nostris successoribus episcopis Basiliensibus, (1) præsentem litteram et in ea contenta firmiter tenere et observare volumus, et nunquam contra eamdem venire vel facere, per nos vel alios occulte vel manifeste : non obstantibus exceptionibus quibuscumque, de facto vel de jure, sine dolo et fraude. Astringentes ad præmissa nos et nostros successores universos ecclesiæ nostræ Basiliensis episcopos, nec non capitulum ejusdem ecclesiæ, sede vacante. In quorum omnium et singulorum testimonium evidens atque robur, nos Imerius episcopus præscriptus sigillum nostrum episcopale majus huic instrumento fecimus appensari; cui et ipsi nostri fratres præpositus, decanus, totumque capitulum ecclesiæ nostræ Basiliensis, in signum dicti sui consensus, sigillum sui capituli fecerunt coappendi. Et nos Conradus Monachi præpositus, Rudolfus Monachi decanus, totumque capitulum dictæ ecclesiæ Basiliensis, recognoscentes publice per præsentes præmissa de nostrum consensu processisse, actaque et facta fore quemadmodum præscripta sunt, sigillum nostri capituli in evidentiam ejusdem nostri consensus sigillo reverendi in Christo patris et domini nostri domini Imerii Dei gratia episcopi Basiliensis præsenti instrumento fecimus coappendi. Datum et actum Basileæ. Anno Domini MCCCLXXXIIII, XVII die mensis Novembris, quæ fuit octava dies festi beati Martini episcopi.

XVI.

Imerius episcopus urbi Biello diversa jura concedit.

1388. Nos Imerius, Dei et apostolicæ sedis gratia episcopus Basiliensis, notum facimus tenore præsentium universis, quod nos provide attendentes illud quod ratio dictat et pluribus comprobatur exemplis, videlicet decens esse ac utiliter præsentibus expedire ea quæ in utilitatem ipsorum redundant, ac ad præservationem jurium suorum et eisdem subjectorum præstant opitulamen, seu augmentum, pro posse debere attendere et effectualiter promovere et adimplere; grata etiam servitia et fidelia obsequia subditorum, tanquam bene merita, dono favoris et gratiæ specialis compensare et remunerare : considerantes insuper et digne advertentes fidelia obsequia et plurima magna et grata servitia, nobis, prædecessoribus nostris et ecclesiæ nostræ Basiliensi prædictæ impensa et multiformiter exhibita per nobis dilectos et fideles videlicet burgenses homines, seu inquilinos oppidi nostri Biello, propter quæ quidem servitia et fidelia obsequia prædicti nostri

(1) Supple *quod.*

A burgenses veniunt non immerito per nos remunerandi.

Idcirco, præhabito super facto præsenti nedum semel, sed pluries, inter nos et consiliarios nostros fideles et juratos, rei gestæ et facti notitiam habentes, tractatu diligenti et deliberatione matura, perpendimus, consideravimus et decrevimus, in utilitatem nostram non modicam ac ecclesiæ Basiliensis prædictæ, nec non ad præservationem jurium nostrorum redundare, quod locum seu oppidum nostrum Biello prædictum et inhabitatores ejusdem præsentes ac futuros dono favoris et gratiæ specialis prosequamur et singularum libertatum et privilegiorum gratiis muniamus, eisdemque nostris burgensibus seu oppido prædictis id multum prodesse et suffragari. Eisdem B dilectis et fidelibus nostris et ecclesiæ nostræ Basiliensis hominibus, videlicet burgensibus, habitatoribus et incolis præsentibus et futuris, præfati oppidi nostri Biello, qui nostri et ecclesiæ nostræ præfatæ Basiliensis sunt et erunt homines ligii justiciabiles et fideles subjecti, pro se et eorum hæredibus ac singulis successoribus ibidem futuris, gratias, libertates, immunitates, privilegia, exemptiones et francisias, inviolabiliter observandas et perpetuo duraturas, eisdem indulgendo concessimus ac præsentibus concedimus infra scriptas de nostra gratia speciali. Eisdem enim burgensibus, habitatoribus et incolis dicti oppidi nostri Biello confitentibus et publice recognoscen- C tibus, prout et verum est, oppidum Biello, una cum ipsius juribus et pertinentiis universis, ad nos nostramque ecclesiam Basiliensem et pleno jure in solidum pertinere, seque et futuros habitatores et incolas ejusdem oppidi, ratione nostræ ecclesiæ Basiliensis supradictæ, nostros et ipsius ecclesiæ esse burgenses et homines ligios et fideles subjectos, nosque et successores nostros episcopos Basilienses, qui pro tempore fuerint, in locum seu oppidum supradictum et habitatores ejusdem, temporibus præsentibus et futuris habere jurisdictionem, dominium merum et mixtum imperium, superioritatem omnimodam, ac etiam potestatem, concedendas et largiendas duximus et decrevimus, concedimus et largimur, per præ- D sentes, de nostra gratia speciali, libertates et francisias infra scriptas et sub hac forma. Imprimis eosdem dilectos et fideles burgenses nostros præsentes et futuros dicti oppidi nostri Biello, cum omni posteritate sua, liberos, francos, quittos et exemptos ac exoneratos facimus et ab omni tallia, impositione et exactionibus quibuslibet, omnique jugo servitutis eximimus et etiam præsentibus liberamus, nostris juribus ordinariis, prædecessoribus nostris, nobis et ecclesiæ nostræ Basiliensi ab antiquo per eos debitis, duntaxat exceptis, nobisque et ecclesiæ nostræ Basiliensi nostrisque successoribus memoratis reservatis et salvis. Item volumus et confirmando ordinamus quod dicti nostri burgenses de Biello, qui sunt E vel erunt, pro tempore, habeant et nanciscantur omnia pascua in campis, nemoribus, pascuis et arvis quæ spectant et pertinent ad nostram Basiliensem ecclesiam memoratam, et in quibus usumfructum et usagia habere consueverunt temporibus retroactis, et prout etiam alias per eos regenda et dirigenda statuunt inter ipsos, et prout per dictos nostros burgenses de Biello transacto tempore fieri est solitum, et usu et consuetudine antiquitus observatum. Item facimus eosdem burgenses nostros dilectos idoneos, habiles, aptos et capaces ad habendum, possidendum et tenendum feoda per nobiles teneri consueta, sive sint feoda homagiorum, vel feoda castrensia et quæcumque alia. Item eximimus eosdem dile-

ctos burgenses nostros et privilegiamus ne possint pignorari per quoscumque, vel pro quocumque facto, seu negotio nostro ecclesiæ Basiliensis nostræ, seu etiam nostro vel successorum nostrorum. Item eximimus eosdem dilectos burgenses nostros, quod non possint citari, aut conveniri in palatio generali seu provinciali judicio in vulgari teutonico dicendo *Landgericht*, nec coram aliquo quocumque judice alieno, præterquam coram villico nostro de Biello, nisi conquerens coram eodem villico deficeret justitiæ complemento. Coram quo quidem villico iidem burgenses nostri de Biello, super et de omnibus casibus, causis et negotiis juri stare et parere tenebuntur et debent. Item statuimus quod villicus noster, qui est vel erit pro tempore dicti nostri oppidi Biello, præsidere debeat omnibus judiciis dicto oppido pertinentibus, assistentibus ei ac adstantibus consulibus, burgensibus nostris de Biello, prout hucusque fuit et est consuetum in eodem loco fieri et servari. Item volumus et ordinamus, ne quis a nobis vel aliquo successorum nostrorum in villicum dicti oppidi nostri Biello ordinetur vel constituatur, nisi sit homo dictæ ecclesiæ Basiliensis nostræ. Item volumus et confirmamus pro nobis et successoribus nostris, quod præfati dilecti burgenses nostri de Biello præsentes et futuri, omnes et singulas has francisias, libertates, privilegia, immunitates et jura habeant, de his gaudeant, quæ habet et quibus gaudet civitas nostra Basiliensis Major, sive sint emanatæ et concessæ ab imperatoribus, regibus, vel episcopis quibuscumque. Insuper omnes eorumdem burgensium nostrorum libertates, emanatas a regibus, ducibus, imperatoribus, seu episcopis, jura etiam, bonos usus et laudabiles consuetudines quæ et quas ab antiquis habuerunt temporibus et quibus usi fuerunt, etiam eis innovamus et præsentibus confirmamus. Item volumus et ordinamus ac statuimus per præsentes, quod villicus, consules et burgenses nostri de Biello, præsentes et futuri, habeant et habere valeant omnem potestatem, jurisdictionem, bonos usus et laudabiles consuetudines, quæ et quas a nobis vel nostris prædecessoribus, ecclesiæ Basiliensis episcopis, antiquitus habuerunt, illisque gaudeant contradictione alicujus nonobstante. Item ordinamus confirmando, quod vexilla, vexillatores, seu vexilliferi, per villicum, consules et burgenses nostros prædictos, ad nostram et dicti oppidi nostri constituantur utilitatem, ac etiam destituantur et mutentur, quando vel quotiescumque ipsis videbitur expedire. Item volumus, statuimus et ordinamus pro nobis et nostris successoribus, quod tota terra nostra ultra Petram Scissam constituta, vulgariter *jenseits dem Schlosse gelegen*, et omnes ac singuli nostri homines eidem terræ inhabitantes pertinere debent prout hactenus pertinebant, ad oppidum nostrum Biello prædictum, ac sub bannerio seu vexillo illius oppidi transire, et prædictos burgenses nostros juvare, quando et quotiescumque ipsi vel aliqui ipsorum ab ipsis nostris burgensibus pro utilitate seu necessitate nostra, ecclesiæ nostræ Basiliensis prædictæ, aut ipsorum, fuerunt moniti aut requisiti. Volumus etiam ut præscripti nostri homines ac omnes villici seu officiarii nostri quibuscumque nominibus censeantur ultra Petram Scissam existentes, seu moram trahentes, subesse debeant villico nostro in prædicto oppido Biello existenti, ac ejus mandatis ac præceptis obedire, prout hæc omnia ab antiquo ibidem fuerunt consueta et observata. Revocantes nihilominus et annullantes, ob utilitatem ecclesiæ nostræ prædictæ, per præsentes, pro nobis et nostris successoribus, omnia privilegia, omnes libertates ac francisias seu gratias, qualiacumque seu qualescumque per bonæ memoriæ dominum, Joannem de Vienna, olim episcopum Basiliensem et immediatum prædecessorem nostrum, quibuscumque oppido seu oppidis, terris seu hominibus ad prædictam ecclesiam nostram spectantibus indulta seu concessa, quæ præmissis nostris indulgentiis, libertatibus, privilegiis, francisiis, articulis seu ordinationibus, præjudicare possent, seu eosdem articulos in toto, vel in parte infringere. Item ordinamus ac volumus quod claves portarum sæpe dicti oppidi nostri de Biello, per villicum, consules et burgenses nostros prædictos, personis idoneis committantur, servandæ per illos ad utilitatem nostram et ejusdem nostri oppidi. In ceteris autem, jura ordinaria nostra, reditus et possessiones, census, redhibentias, exercitum, cavalturam, ac alia ratione dominii, justitiæ et superioritatis, nobis et ecclesiæ nostræ Basiliensi et nostris successoribus in eadem retinemus, auctoritate tamen dominorum nostrorum, papæ et imperatorum in omnibus semper salva. Promittentes pro nobis et nostris successoribus, bona fide nostra, omnes et singulas libertates, francisias, privilegia et immunitates prænotatas dilectis burgensibus nostris de Biello, præsentibus et futuris, attendere, firmiter tenere et inviolabiliter observare et non contra facere nec venire clam vel palam, tacite vel expresse, nec contraire volenti consentire, et ipsos in eisdem manutenere, dolo et fraude in his penitus remotis. Ut autem præmissa omnia et singula fidei certioris themate solidentur et inviolabiliter observentur, præsentes litteras quibus nostrum interposuimus et præsentibus interponimus plenam auctoritatem pariter et decretum, nostri sigilli majoris fecimus appensione communiri. Datum et actum duodecima die mensis Martii, anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo octuagesimo octavo.

XVII.

Frederici administratoris adventum capitulum urget.

Reverendo in Christo patri ac domino, domino Frederico, Dei et apostolicæ sedis gratia episcopo Argentinensi, Ymerius eadem gratia electus et a dicta sede provisus, totumque capitulum ecclesiæ Basiliensis sinceram in Domino caritatem. Quia nuper certis et juridicis ex causis, nos Ymerius electus prædictus, de consilio et assensu dicti capituli, auctoritate apostolica super hoc nobis a jure concessa, paternitatem vestram, quæ ad curam, regimen et administrationem tam in spiritualibus quam temporalibus ecclesiæ nostræ Basiliensis prædictæ recepimus et assumpsimus in coadjutorem, prout in litteris de et super his confectis, et nostri dictique capituli sigillis inpendenti sigillatis plenius continetur, idcirco nos Ymerius electus et capitulum prænominati cupientes ut ad hujusmodi coadjutoris officium exsequendum diligentius vestra paternitas reddatur, eo pronior quo magis occupationis materia certa vobis commissum officium refrænatur, et quanto major fiducia geritur de vestræ paternitatis administratione provida, solerti pariter et salubri, tractatibus pluribus et solemnibus inter nos capitulariter super his præhabitis, deliberatione communi et ex certa scientia, pro nobis et successoribus nostris in dicta ecclesia Basiliensi universis, et pro ipsa ecclesia, paternitatis vestræ legalitatem a reddenda ratione administrationis ex officio coadjutoris in dicta ecclesia Basiliensi, et de bonis et

1391.

A rebus ipsius faciendæ per vos nobis aut successoribus nostris liberam et immunem reddimus, eximimus et esse volumus atque decernimus præsentibus liberatam et omnino supportatam, constitutionibus et obligationibus quibuslibet contrariis non obstantibus, et quo ad præsentem casum propter vestræ paternitatis fidelitatem per nos relaxatis et sublatis. In quorum testimonium sigilla nostri electi et capituli prædictorum sunt præsentibus appensa. Datum et actum Basileæ, decima die mensis Junii, sub anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo primo.

XVIII.

Fredericus multas ad episcopatum Basileensem pertinentes decimas fœnori obligat.

1391. Wir Fridrich von Gottes gnaden Byschoff ze Straszburg, vnd phleger des Bystums ze Basel, Tund kunt allen den die disen brief ansehent oder horent lesen. Als wir mit gunst, willen vnd wussen der erwirdigen herren des Thumprobstes, des Techans vnd des capitels vnser stifte Straszburg, vnser lieben Brudern, unser Stat genant zu dem Heiligen Crutz, Baseler Bystums, die vns vnd vnser vorgenanten stifte Straszburg zu gehoret, vmb vierthusent vnd zwey hundert guldin guter an golde vnd gewichte versetzet und verphendet, nach lute vnd sag der briefen, so darüber gemacht sint, mit vnserm Fridrichs Byschofs vnd unsers capitels der Stifte ze Straszburg vorgenanten anhangenden Insigeln besigelt. Vnd als wir Fridrich phleger vorgenant die selben summe vierthusent vnd zweihundert guldin, in des obgenanten Bystums ze Basel schinberlichen nutz vnd notdurft, zu versehende vnmesselichen und vnwiderbringlichen schaden der teglichen vff daz obgenant Bystum ze Basel wachsent was, bekert vnd bewendet hant als kuntlich ist; wand ouch nu wir Fridrich phleger vorgenant vnd die Erwirdigen herren hern Johans von Kiburg Ertzpriester, hern Eberhart von Kiburg custer, hern Heinrich von Masmunster Schulherre, vnd daz capitel gemeinlichen der Stifte Basel, vnsere lieben brudere, das Bystum vnd die Stifte ze Straszburg von der obgenanten versatzung wegen, als verre uns das muglichen ze tund ist, keinen schaden wellent enphachen noch liden, ist ze wissent, das wir Fridrich vorgenant phleger, mit gunst, willen vnd wussen der obgenanten vnser lieben brudern Ertzpriesters, custers, schulherren vnd capitels vnser Stifte Basel, alle vnd iegliche nutz vnd fruchter der quarten Obern vnd Nidern Elsasz, die dem egenanten vnserm Bystum ze Basel zu gehorent vnd Jerlichs vallent uber die nutz vnd fruchte der selben quarten die vormals versetzet sint, ingesetzet habent vnd insetzent mit disem brief, der egenanten Stifte ze Straszburg, von sinem Byschoff ze Straszburg der ze ziten ist zu niessende, vnd da mit ze tund nach sinen liebsten willen, als lang vntz dem Byschoff ze Straszburg ze ziten gar vnd gentzlich von den obgenanten vierthusent vnd zweihundert guldin gar und gentzlich wirt voltan, ane alle geuerde.... Harumb ze merer sicherheit vnd gehorsami aller vorgeschribnen dingen, hand wir vnsers capitels Ingesigel zu dem obgenanten vnsers herren Byschoff Fridrichs phlegers Ingesigel gehencket an disen brief. Geben ze Basel an dem nechsten zistag nach sant Martins tag, des Jares do man zalt von Gottes geburt drutzehenhundert nuntzig vnd ein Jar.

XIX.

Conradus episcopus et Imerius canonicus arbitrum dissidiorum suorum eligunt Wilderichum, S. Deodati decanum.

Wir Conrat Munch von Gottes gnaden Byschoff ze Basel, vnd Imer von Ramstein wilant Byschof ze Basel vnd aber ine zu disen ziten Tumherre der Stift ze Basel, tunt kunt vnd verichen offenlich mit disem brieff allen den, die in ansehent oder horent lesen : Das wir mit guter zitlicher vorbedrathunge willeklich vnd wissendlich aller der missehellungen, stossen vnd ansprachen, die ich der vorgenant Imer von Ramstein B gehebt han in verlofnen ziten, vntz vff disen hutigen gegenwaertigen tag der date disz briefs an, vnd wider den vorgeschribnen erwirdigen minen gnædigen herren herren Cunraten Munch Byschoff ze Basel, vnd an die Stift ze Basel, von der gelubte vnd vber komnust wegen, die der erwirdig herre herre Friderich von Gottes gnaden wilant Byschof ze Straszburg vnd pfleger des Bystums ze Basel, wan der das Bystum ze Basel als ein pfleger Inne hub, mir dem obgenanten Imer von Ramstein verheissen vnd getan hatt, mir ab ze legende vnd mich ledig ze machende nach lut vnd sag der brieffen, die ich der vorgenant Imer darvmb Inne hab gelassen vnd gesetzt haben lassen vnd setzen; wir der vorgenant Cunrat Munch C Byschoff ze Basel fur vns vnd vnser nachkomen, vnd aber ich der egenant Imer fur mich, mine erben vnd nachkomen einbellenklich mit disem brief an vnd vff den erwirdigen vnd wisen herren herren Wilderich meister geistlicher rehten vnd Techan der Stift zu Sant Thiodat, Thuller Bystums, als einen vns den vorgenanten beiden teilen gemeinen richter, der och die selben vnser stossen vnd missehellungen, vmb sy vsser ze sprechende nach dem rehten, an sich willenklich vnd wissendlich genommen hett : mit semlichen gedingen, das derselb meister Wilderich mine, des vorgenanten Imers von Ramstein, vorderunge, anrede vnd ansprach, die ich Im morn des tags in geschrift geben vnd antwurten sol, vnd des obge- D nanten mines herren des Byschofz ze Basel antwurt vnd wider rede vnd vnser beider teilen reht kuntschaft vnd gezugnust, die wir fur in bringen, es sye mit brieffen oder luiten verhoren, vnd in niemen vnd nach beider teilen ansprach wider rede, kuntschaft vnd gezugnust hinnant vntz vff den nechsten frytag nach dem nechsten kunftigen Sant Philippes vnd Sant Jacobs der heiligen zweyer zwelf botten tag, nach blossem reht, vmb vnd uber vnser vorgenanten missehellungen vnd stosse vssprechen sol, semlichen sinen vsspruch vnd alle die ding die von vns den vorgenanten teilen an disem brieff geschriben stand. Wir die egenanten beide teil staete haben soellen vnd von dem sel- E ben meister Wilderich oder sinen vsspruch wir die selben ietzgenanten teil oder vnser einer an deheinen andern rihter oder iemant andern ziehen den man spricht appellieren, vnd des selben meister Wilderichs vsspruch oder in ansprechen oder wider sy reden nut sollen, bi den eiden, die wir vnd vnser ietweder harvmb sunderlich vnd liplich vff den heiligen ewangelien mit gelerten worten zu den heiligen getavn vnd gesworn hant. Wir die obgenanten teil vnd vnser eitweder muigen och vnser kuntschaft vnd gezugnust mit brieffen oder luiten haben vnd tun zwuschend nu hinnanthin vnd dem nehsten kunftigen zinstag, wenne wir wellen es sye an virtagen oder wergktagen ane darzu berueffunge vnd ane gegenwertigheit des andern teils avn alle geuaerde. Waere 1395.

ovch daz ich der vorgenant Imer deheiner miner ansprach vergesse, oder fur den selben meistern Wilderichen zwuschen nu vnd dem obgenanten kunftigen zinstag nut brachte, so ist vmbe semlich ansprach, der vorgenant min herre von Basel, nut schuldig mir darnach ze antwurtende. Och sollen wir der vorgenant Conrat Munch Byschoff ze Basel vnsers capitels ze Basel personen, die der obgenant herre Imer von Ramstein zu sinen ansprachen ze gezuigen haben wil, bitten ze swerende ein warheit ze sagende vmb sine ansprache vmb die er sye denne ze zugen legen wil; vnd sol och der vorgenant herre meister Wilderich vns den vorgenanten teilen oder vnsern botten vff den vorgeschriben frytag antwurten sinen vsspruch vngenarlich in dirre sach. Vnd ze vrkunde aller vorgeschribner dingen, so haben wir die vorgenanten Cunrat Munch Byschoff vnd Imer von Ramstein tumherr ze Basel vnser ietweder sin Ingesigel geheissen hengken an disen brief. Der geben wart ze Basel, an dem nechsten frytag vor der egenanten Sant Philippes tag vnd Sant Jacobs der heiligen zweyer zwelf botten tag, vnd an Irem abende, in dem Jare do man zalt von Gottes geburt druzehenhundert nuntzig vnd funf Jar.

XX.

Wilderichus, S. Deodati decanus, judicio solvit litem inter Conradum episcopum et Imerium canonicum.

1395. In Gottes namen Amen.. In den sachen, stossen, vnd misshellunge, so der erber vnd wolgeborn her.. her Ymmer von Ramstein, tumherr der Stift ze Basel hett, wider den erwirdigen Vater vnd herren, hern Cunrat erwelten Byschoff der obgenanten Stifft ze Basel.. der selben stosz vnd misshellung si gentzlich vff mich Wildrichen von der Huben, techen ze Sant Deodat, Tuller Bystums, sint komen, nach sage vnd wisung des anlasses briefs, der dar vber gemachet ist. Vnd ich mich ovch durch beider teil flissige bette willen, der sachen hab angenomen, vss ze rihten vnd vss ze sprechent nac dem rehten.. Dar vmb wen ich red vnd widerred, brief vud ander kuntschaft verhort hab, vnd wff diesen tag, als dur brief gegeben ist, vss sprechen sol,.. so sprich ich vff truwe vnd ere, als hoch ich mag gesprechen nieman ze lieb noch ze leid, denn allem Gott ze lob vnd ze eren, den ich ouch in disen sachen allein vor ovgen hab, vnd durch des rehten willen : Das der obgenant erwirdig Vatter her Cunrat, erwelter Byschoff der vorgenanten Stifft, sol alle schuld, die mit des cappitels Ingesigel besigelt sint, die der vorgeschriben her Ymmer gemacht hat, die wil vnd zu den ziten do er die selben Stifft als ein erwelter Byschoff inne hat, abtragen, gelten, vssrihten vnd genug tun, an des selben her Ymmers vnd siner erben merklichen schaden. Ovch sol er alle schuld abtragen, gelten, bezalen vnd vssrihten, die behebt, erholget vnd erkufert sint mit dem rehten, vor her Fridrichen wilant phleger der Stifft ze Basel, oder vor dem geistlichen geriht, die der obgenant her Ymmer zu den vorgeschribnen ziten gemachet hat; si haben des Cappitels Ingesigel oder nut. Was aber ander schuld oder schaden sigent, die nut erlanget sigint mit dem rehten, oder des Cappitels Ingesigel nut habint, die sol der obgenant her Ymmer vor dem egenanten her Cunraten erwelten Byschoff oder sinem geistlichen gericht wisen. Vnd was denn nie vorgeschriben gestifft zc Basel mit dem rehten verlieret, das sol ovch der selb her Cunrat erwelter Byschoff abtragen, gelten, bezalen vnd vssrihten, nach sag vnd wisunge des andern vnd nachgenden briefes, so her Ymmer fur gezogen vnd fur braht hat, mit kosten vnd redlichem schaden der dar vff gegangen ist. Was ovch der obgenant her Ymmer die wil er erwelter Byschoff was, schuld gemachet het, die niht mit des Cappitels Ingesisel besigelt sint, oder niht in kuntlichen vnd offenbaren nutz oder notdurft der Stifft ze Basel bewennet oder bekeret sint, oder mit dem rehten nut behebt, erholget vnd erkufert, die ist der obgenant her Cunrat erwelter Byschoff von geschribnem rehten nut schuldig ab zetragen, noch vss ze rihten, noch schaden, noch kosten so dar vff gegangen ist. Disen vorgeschribnen vsspruch hab ich der vorgenant Wildrich von der Huben getan vnd gesprochen von bette wegen der erbern hern Erhartz Bunus Bropst ze Sant Petern ze Basel, des vorgenanten hern Cunrats erwelten Byschoffs, vnd Burkartz Sytzen eines burgers ze Basel des egenanten hern Ymmer von Ramstein in discr sach gewissen botten vnd schaffnern, die ovch vnd ovgen gegenwirtig bi dem selben vsspruch gewesen sint; vnd ovch die erwirdigen meyster Johans Peyger official des hofs ze Costentz, Bruder Thabert von Moueelys preceptor ordens Sant Anthonien in Costentzer Bystum, her Peter Gabelhuser luitpriester ze Schaffhusen, vnd ander vil geistlicher vnd weltlicher luiten, die dar zu sunder beruffet wurdent.. Der beschah ze Friburg Costentzer Bystums, vff den nehsten fritag nach des heiligen Crutzes tag ze Meygen, des Jares do man zalt von Cristus geburt druzehen hundert nuntzig vnd funf Jar.

XXI.

Theobaldus, Novi Castri comes, Humberti, filii sui, personam implens, juramentum facit capitulo Basileensi.

In nomine Domini amen. Universis et singulis quos nosce fuerit opportunum, quorumque interest vel intererit quomodolibet in futurum, per hoc præsens instrumentum pateat evidenter, quod coram me notario publico auctoritate imperiali et curiæ Basiliensis jurato infra scripto, tamquam publica et authentica persona, nec non testibus inferius nominatis, ad subscripta in eorum testimonium vocatis specialiter et rogatis, loco et tempore infrascriptis, personaliter constituti venerabiles domini Conradus Monachi præpositus, Franciscus dictus *Boll* cantor, Joannes Thuringus Monachi archidiaconus, Wernherus Scalarii junior et Hartmannus Monachi canonici Basiliensis ecclesiæ, ut et tamquam capitulum et facientes capitulum ut dicebant præfatæ ecclesiæ Basiliensis, suo et earumdem ecclesiæ et capituli Basiliensis nomine ex una : et generosus nobilis et potens dominus Theobaldus comes et dominus de Novo Castro, Bisuntinensis diœcesis, vice et nomine reverendi domini Humberti de Novo Castro sui filii carnalis et legitimi, nuper per præfatos dominos præpositum et capitulum Basiliensis ecclesiæ prælibatæ, in eorum et ejusdem ecclesiæ Basiliensis episcopum et pastorem postulati, ex parte altera. Præscriptusque dominus Theobaldus comes et dominus de Novo Castro, sanus per Dei gratiam, prout per aspectum sui evidenter apparuit, mente, corpore et sensu, libere et sponte, non per errorem sed ex ejus certa et expressa scientia, promisit per juramentum suum sibi per me notarium publicum subnotatum, vice et nomine præfatorum dominorum præpositi et capituli 1395.

prædictæ ecclesiæ Basiliensis, et ejusdem ecclesiæ omniumque aliorum quorum interest vel intererit in futurum delatum et corporaliter præstitum ab eodem, solemni per me notarium eumdem stipulatione interposita, vice et nomine prænominati domini Humberti sui filii in episcopum Basiliensem ut præmittitur postulati, et pro illo, articulos infrascriptos inviolabiliter sine dolo et fraude attendere et servare; qui sunt hi: Primo fidelitatem observare Basiliensis ecclesiæ memoratæ. Item et fideliter tueri et servare jura, statuta et privilegia, libertates et bonas consuetudines atque bona et personas ejusdem ecclesiæ. Item satisfacere creditoribus de debitis et reditibus contractis per ejusdem filii sui postulati episcopi Basiliensis prædecessores episcopos Basilienses, qui fuerunt pro tempore, pro ejus posse, et in quibus intervenit consensus capituli et sigillum capituli est appositum. Item præter consensum capituli prædicti nihil de bonis ecclesiæ Basiliensis alienare, distrahere vel obligare. Item in casu quo aliqua bonorum ejusdem ecclesiæ vendere, distrahere, obligare vel alienare voluerit, ad hoc petere et requirere consensum capituli; quo consensu habito, principaliter obliganda, alienanda, vendenda vel distrahenda obligare, distrahere, alienare vel vendere ipsi capitulo, si voluerit acceptare. Sed si capitulum acceptare noluerit, ex tunc, de consensu ipsius capituli et non alias, hujusmodi obligationes, venditiones, distractiones et alienationes bonorum ecclesiæ Basiliensis prædictæ facere aliis personis vel locis. Item clero episcopatus ejusdem nomine dicti sui filii postulatam collectam aliquam non imponere, absque consensu capituli Basiliensis. Item fortalitia ecclesiæ Basiliensis committere dumtaxat ministerialibus ecclesiæ Basiliensis, et taliter quod ipsi commissarii jurent, quod in casu quo ipse dominus Humbertus, postulatus episcopus Basiliensis prænominatus, captus fuerit aut moreretur, aut episcopatum Basiliensem resignare vellet, seu resignaret, pareant super et pro ipsis fortalitiis dumtaxat capitulo ecclesiæ Basiliensis. Item se facturum quod custodes fortalitiorum, oppidorum et castrorum, et homines ecclesiæ Basiliensis similiter jurent observare articulum proxime præscriptum; videlicet, quod in casu quo dominus postulatus episcopus Basiliensis præfatus captus vel mortuus fuerit, aut episcopatum Basiliensem prælibatum resignare voluerit, aut resignaverit renuntiando, eidem ipsi custodes et homines non pareant, nec intendant alii vel aliis quibuscumque, nisi dumtaxat capitulo sæpedictæ ecclesiæ Basiliensis. Item et in casu quo aliquod adjuratorum feodorum ejusdem ecclesiæ Basiliensis per alicujus hujusmodi feodorum possessoris cessum vel decessum vacare et ad eumdem dominum postulatum devolvi contigerit, hujusmodi feodum præter consensum capituli Basiliensis nemini conferre vel assignare. Item et se facturum quod dominus Humbertus, ejus filius, postulatus episcopus Basiliensis supradictus, postquam confirmatus fuerit in episcopum Basiliensem, promittat et juret præmissos articulos et præscripto modo similiter observare, sine dolo et fraude. Quibus præmissis per prænominatum dominum Theobaldum comitem et dominum de Novo Castro promissis et juratis, prout præscripta sunt, præmissæ partes hinc inde requisiverunt me notarium publicum infrascriptum, petendo a me ut super et de præmissis ipsis publica instrumenta conficerem et traderem in fidem et testimonium eorumdem. De quibus etiam duo instrumenta paria et ejusdem tenoris, videlicet utrique unum partium prædictarum confecta sunt et tradita, in evidentiam omnium præmissorum. Quæ acta sunt anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo trecentesimo nonagesimo quinto, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini domini Bonifacii divina providentia papæ noni anno septimo, indictione juxta stylum curiæ Romanæ una cum eodem anno Domini sumpta tertia, sed alias regulariter quarta, de mense Novembri, die Jovis undecima mensis ejusdem, hora quasi tertiarum, in oppido *Lofufen* Basiliensis diœcesis prænotatæ, in stupa domus inhabitationis Henrici de *Froburg* in eodem oppido situatæ. Præsentibus nobilibus viris dominis Theobaldo et Joanne filiis, necnon Friderico de *Hadstatt*, genero, seu filiastro præfati domini Theobaldi comitis et domini de Novo Castro, necnon Joanne Monachi de *Munchenstein* milite, honorabili viro Erhardo de *Burius* præposito ecclesiæ Sancti Petri Basiliensis, Rutzschmanno de *Blawenstein*, Fritzschmanno de Reno, appellato de *Hesingen*, armigero, necnon peritis viris magistris Petro, dicto *Malmissert*, baccalaureo in utroque jure, et tribus auctoritate imperiali publicis notariis Bisuntinensis diœcesis supradictæ, videlicet Joanne de Fonte *Roman* baccalaureo in legibus, Joanne de Montetreno presbytero, Stephano dicto *Bernoul* de Longavilla, clerico, Theobaldo de Grandiwillario et Joanne Petrosilli de Lyla testibus ad præmissa in eorum testimonium vocatis specialiter et rogatis.

Et me Heinrico de *Diessenhoven* clerico Constantiensis diœcesis conjugato, Basileæ commorante, publico auctoritate imperiali et curiæ Basiliensis notario jurato, qui hoc præsens instrumentum publicum exinde confeci, manu mea propria me hic in eodem subscribendo publicavi, signoque meo solito signavi, vocatus et requisitus in testimonium præmissorum.

XXII.

Humbertus episcopus erga capitulum Basileense sacramento semet obligat.

In nomine Domini amen. Per hoc præsens publi- 1399.
cum instrumentum cunctis quorum interest vel intererit pateat evidenter, quod sub anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo nono, indictione septima, Pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini domini Bonifacii divina providentia papæ noni anno decimo, die Martis duodecima mensis Augusti, hora vesperarum vel quasi, Basileæ, in loco seu domo capitulari venerabilium in Christo dominorum præpositi, decani et capituli ecclesiæ Basiliensis, super capella sancti Nicolai episcopi, ipsi ecclesiæ Basiliensi contigua existente seu constituta, reverendus in Christo pater et dominus dominus Humbertus de Novo Castro, electus confirmatus Basiliensis, in mei notarii publici testiumque subscriptorum præsentia personali constitutus, etiam ibidem præsentibus venerabilibus dominis Conrado Monachi præposito, Johanne de *Hohenstein* decano, Johanne Thuringo Monachi archidiacono, Johanne Frowelarii, alias de *Hirtzbach*, scholastico, Conrado *Helye* canonico, et pluribus aliis canonicis dictæ ecclesiæ Basiliensis, et jam dictus Conradus *Helye* canonicus, suo et aliorum plurium ibidem præsentium prælatorum et canonicorum ecclesiæ Basiliensis præfatæ nomine, et de ipsorum mandato, detulit ipsi reverendo domino electo confirmato Basiliensi, qui etiam electus confirmatus ad delationem eamdem manu sua dextra pectori suo supposita, inspiciendo sacra Dei evangelia, præstitit corporaliter juramentum,

et per idem suum juramentum præstitum ipse A dominus electus confirmatus Basiliensis promisit se observaturum et ratihabiturum articulos infradescriptos tunc sibi per me notarium publicum subscriptum, in præsentia testium subscriptorum ac eorum dominis prælatis et canonicis prætactis perlectos, ac statuta et consuetudines bonas, laudabiles et approbatas hactenus a prædecessoribus suis episcopis Basiliensibus observatas, simul quod et prout iidem sui prædecessores episcopi illos, illas et illa se observaturos et ratihabituros jurarunt et servaverunt, sine dolo et fraude. Tenores autem articulorum præmissorum quos prædictus dominus Humbertus electus confirmatus Basiliensis ratos habere et observare juramento suo præstito in modum supra tactum promisit et B juravit sequuntur in hunc modum. Videlicet, primo: servare fidelitatem ecclesiæ Basiliensi supradictæ. Item fideliter tueri et servare jura, statuta et privilegia, libertates et bonas consuetudines atque bona et personas ejusdem ecclesiæ Basiliensis. Item satisfacere creditoribus de debitis et redditibus contractis per ejus prædecessores episcopos Basilienses qui fuerunt pro tempore, pro ejus posse, in quibus intervenit consensus capituli et sigillum capituli est appositum. Item præter consensum ejusdem capituli nihil de bonis ecclesiæ Basiliensis alienare, distrahere vel obligare. Item in casu quo aliqua bonorum ejusdem ecclesiæ vendere, distrahere, obligare vel alienare voluerit, ad hæc petere et requirere consensum prædicti C capituli; quo consensu habito, principaliter obliganda, alienanda, vendenda vel distrahenda, obligare, distrahere, alienare vel vendere prædicto capitulo si voluerit acceptare; sed si capitulum acceptare noluerit, ex tunc de consensu ipsius capituli et non alias hujusmodi obligationes, venditiones, distractiones et alienationes facere bonorum ecclesiæ Basiliensis prædictæ aliis personis vel locis, si voluerit. Item clero episcopatus Basiliensis collectam aliquam non imponere, absque consensu capituli Basiliensis. Item fortalitia ecclesiæ Basiliensis committere dumtaxat vasallis ecclesiæ Basiliensis; et taliter quod ipsi commissarii jurent in casu quo ipse dominus Humberthus captus fuerit aut moreretur, pareant super et ipsis fortalitiis dumtaxat D capitulo ecclesiæ Basiliensis prædictæ. Item et se facturum quod custodes fortalitiorum, oppidodorum et castrorum, et homines ecclesiæ Basiliensis similiter jurent articulum proxime præscriptum; videlicet, quod in casu quo ipse dominus Humbertus captus vel mortuus fuerit, ipsi non pareant nec intendant alii vel aliis quibuscumque, nisi dumtaxat capitulo ecclesiæ Basiliensis. Item in casu quo aliquod adjuratorum feodorum ejusdem ecclesiæ Basiliensis per alicujus hujusmodi feodorum possessoris cessum vel decessum vacare, vel ad eumdem dominum electum confirmatum devolvi contigerit, hujusmodi feodum præter consensum capituli Basiliensis nemini conferre vel assignare. Quibus præmissis prout præscripta sunt peractis, præfati dominus electus confirmatus, necnon prælati ac canonici Basiliensis ecclesiæ prælibatæ ut præfertur præsentes, sibi super eisdem præmissis a me notario publico subscripto requisiverunt et fieri voluerunt unum vel plura publicum seu publica instrumenta. Acta sunt hæc anno Domini, indictione, pontificatu, mense, die, hora et loco quibus supra, præsentibus etiam ibidem nobili et generoso domino comite Walramo de *Tierstein*, nec non honorabili et perito ac circumspectis et discretis viris dominis, magistro Petro *Gingger* de *Rütlingen*, officiali curiæ archidiaconi Basiliensis, Nicolao *Sanner*, Johanne *Husgow* capellanis dictæ Basiliensis ecclesiæ, Wernhero *Egglin* et Johanne de *Tann* presbyteris Basiliensibus, Johanne Erhardi protonotario, Conrado *Kilwart* subnotario civitatis Basiliensis et Conrado Sculteti de *Rütlingen* notario curiæ Basiliensis, præsentibusque aliis personis fide dignis, testibus ad præmissa in eorum testimonium vocatis specialiter et rogatis.

Et me Conrado *Anenstetter* de *Rütlingen* clerico Constantiensis diœcesis publico imperiali auctoritate et curiæ archidiaconi Basiliensis sigillifero, et notario jurato Basileæ commorante, qui juramenti delationi et præstationi, promissioni, requisitionibus aliisque omnibus et singulis præmissis, dum sic, ut præmittitur, per reverendum in Christo patrem et dominum dominum Humbertum electum confirmatum, ac dominum *Helye* canonicum supradictos, tempore et loco ac coram dominis prælatis et canonicis suprascriptis fierent et agerentur, una cum prænominatis testibus, præsens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi. Idcirco hoc præsens publicum instrumentum per alium fideliter scriptum exinde confeci, et in hanc publicam formam redegi, me hic manu mea propria subscribendo in eodem, et signum meum consuetum apponendo, rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum præmissorum.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ BELLICENSIS.

I.

E schedis Stephanoti 1032.

Permutatio rerum inter Berlionem et Aymonem episcopum.

Quotiescumque nota fueriut epistola commutationis, statim cogit ratio emptionis et venditionis forma testatur, ut communis assensus pro congrua et communi utilitate ad invicem quicumque de quavis potestate prohibeat, ac voluntate legitime præire videntur... auctoritate scripturæ pariter commutentur (1). Quapropter ego Aymo sanctæ sedis Belensis ecclesiæ episcopus, una cum consensu reverendorum canonicorum Deo in isto loco servientium, dono atque commuto quamdam ecclesiam de ratione S. Joannis, B cui, Deo annuente, deservio, partibus Berlionis et uxoris ejus Ildeardis ad proprietatem perpetuæ eorum juris in pago Viennensi, in insula inter Bulburum et Carusium sitam, et in honore S. Germani dedicatam, cum omnibus appenditiis ad eamdem pertinentibus ecclesiam : ad cujus vices doni ego Berlio et uxor mea, Ildeardis nomine, filii quoque nostri Arvæus et Artaldus, quamdam ecclesiam juris nostri domino Deo et S. Joanni ad locum qui Belensis nuncupatur, ubi præesse videtur domnus Aymo, episcopus et pontifex gloriosus; et est sita ipsa ecclesia in episcopatu Gratianopolitano, seu Salmontiaco, dicata in honore SS. Prothasii et Gervasii fratrum, in villa Carenciaca, cum omnibus appenditiis ad ipsam C pertinentibus ecclesiam, scilicet cum decimis, oblationibus, sepulturis, sive terris, seu quidquid pertinere ad ipsam ecclesiam videtur; ea scilicet ratione, ut, quamdiu ego Berlio et uxor mea Ildeardis, vixerimus, teneamus et possideamus, præter altare quod in præsenti investitura illis concedimus; post obitum autem meum et uxoris meæ, præfati servi Dei ipsam ecclesiam valeant possidere absque ulla inquietudine. Hæc omnia superius comprehensa donant ad invicem atque commutant, domnus videlicet Aymo episcopus, una cum norma reverendorum clericorum S. Joanni servientium, ac præfatus Berlio et uxor illius Ildeardis, ea ratione ut præfatum est; et ut perpetuum vigorem hæc commutatio valeat ob- D tinere, manibus propriis firmaverunt et firmari rogaverunt. Propterea tamen, quia domnus Aymo episcopus et canonici prædictam ecclesiam domno Berlioni et uxori ejus in vita sua laudaverunt et concesserunt, centum solidos ab eo usque in Assumptionem sanctæ genitricis Dei Mariæ percepturi sunt. Quod si quis aliquando exstiterit qui huic mutuæ commutationi contrarius existere velit, vel post obitum præfatorum seniorum, domni videlicet Berlionis et uxoris ejus, hanc ecclesiam quam præfati sumus contrariaverit, nullo modo valeat vindicare quod petierit, sed incurrat æterni judicii iram, nisi ad emendationem venerit congruam : anathematizetur etiam a populo christiano ex parte domni Burchardi archiepiscopi E Lugdunensis et domni Leodegarii archiepiscopi Viennensis, domni quoque Aymonis Belensis, et domni episcopi Malleni Gratianopolitani, nisi congrue satisfecerit. Signum domni Aymonis episcopi, qui fieri hanc chartam et firmari rogavit. A S. domni Berlionis et uxoris ejus, qui fieri et firmari rogaverunt. S. Arvæi et Artaldi, filiorum eorum. Ego Fr. Gauzbertus levita et monachus hanc chartam ad vicem cancellarii subscripsi rogatus, anno Incarn. Domin. MXXXII, regnante rege Rodulfo.

(1) Locum hunc veteris quem transcripsit codicis ipse Stephanotus mendosum agnovit.

II.

E Sammarth. circa 1105.

Notitia Inimonti datorum a Pontio episcopo.

Dominus Pontius, episcopus Bellicensis ecclesiæ, in cujus episcopatu Mons Inimontis est, cum consilio et laude canonicorum, et canonicis cum ejus voluntate concordantibus, dedit et BB. apostolis Petro et Paulo et Cluniacensi monasterio et fratribus ibi Deo servientibus, quidquid in eodem monte, aut terra quæ ad eumdem montem pertinet, vel ipse in proprio, vel alius de eo in feudum (possidebat). Dedit etiam ecclesiam quæ in eodem monte erat, cum omnibus quæ ad eamdem ecclesiam tam interius quam exterius pertinent, exceptis synodo et parada. Sunt autem in hac terra sylvæ multæ, prata multa, terræ aratoriæ et magni fontes, et rivi, et multa alia humano usui apta. Quæ omnia tam in dono domini episcopi quam domini Humberti comitis conclusa sunt, prout melius intelligere et inquirere potuit dominus Humbertus, in cujus manu hæc est facta donatio. Testes donationis domini Pontii episcopi, D. Bernardus *de Rossillon*, canonicus ejusdem ecclesiæ Bellicensis, Umbertus de Grandimonte.

III.

E Sammarthanis.

Pontius Majorævum ædificandæ Carthusianorum domui addicit.

1116.

Guillelmus, primæ Lugdunensis ecclesiæ decanus, universumque ejusdem ecclesiæ capitulum, omnibus Christi fidelibus salutem et pacem. Noverit quicumque vestrum hanc chartam aut legerit, aut viderit, quod dominus Pontius de Balmeto, Lugdunensis ecclesiæ prædictæ magister et pænitentialis et canonicus, vallem Majorævum nominatam dedit et libere concessit fratribus ordinis Carthusiensis, fratri videlicet Stephano pro priore ibi misso, Bono Filio et Gaufrido conversis, et omnia in prædicta valle nemora, prata, exserta existentia, cum omni jure proprietatis et dominii alti et bassi, nihil inde sibi vel suis retinens; quin potius omnia præmissa cum eorum appenditiis universis, prædictis religiosis, pro se et posteris suis ibidem eremitice Deo famulaturis, devote contulit et concessit, quæ ipse et sui jure parentum hæreditario pacifice possidebant. Ad testimonium autem hujus donationis, et ad removendam materiam quæstionis in rebus prædictis, dictus Pontius sicut ipse suique antecessores possederant terminos designavit, Montem Valesium, in aditu prædictæ vallis; a quo donationem suam terminare incipiens pervenit ad Montem Bardonem, a septentrione; unde progressus ad cacumen supra fontem Albaronæ, a meridie procedens ad roccam de Maconoleto et deinde ad Castellionem. Guarnerius de Balmeto et Willelmus dominus Dorchiæ, milites, prædicti

Pontii fratres, prædictam donationem approbarunt et laudaverunt in præsentia nostra. Actum in capitulo nostro Lugdunensi, anno 1116, cum appositione nostrorum sigillorum.

IV.

Ex Hist. Brix. et Beug.

1142.

Innocentius II regulares canonicos in ecclesia Bellicensi instituit.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Guillelmo, Bellicensi episcopo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut devotionis sin- B ceritas laudabiliter enitescat, et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Ea propter, dilecte in Domino frater, Guillelme episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, Bellicensem B. Joannis Baptistæ ecclesiam, cui Deo auctore præesse dignosceris, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus; in primis siquidem statuentes, ut quemadmodum a tua discretione, frater episcope, assensu potioris et sanioris partis fratrum ipsius ecclesiæ, in præsentia fratrum Portensium statutum est, eadem Bellicensium ecclesia secundum B. Augustini regulam ordinetur; nullus ibi de cetero nisi canonicus regularis substituatur; omnium quoque bonorum ipsius ecclesiæ usum C et administrationem regulares habeant, exceptis tribus obedientiis, videlicet Bellicensi, Veronensi, et ea quæ est apud Motam; quarum census in viginti quatuor partes dividatur, et quisque sæcularium unam ex ipsis accipiat, reliquæ vero in usus regularium convertantur; decedentibus vero sæcularibus qui prædictas habent obedientias, ad administrationem regularium redeant; censum tamen consuetum communi persolvant: obeunte vero te, nunc ejusdem civitatis episcopo, nullus ibi nisi regularis ordinis episcopus eligatur; præterea quascumque possessiones, quæcumque bona, quæ in præsentiarum juste et canonice possides, aut in futurum rationabilibus modis, Deo propitio, poteris adipisci, firma tibi D tuisque successoribus inconcussa, eidem ecclesiæ et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: jus episcopale videlicet in ecclesiis de Ponte, in ecclesia de Dombalino, de S. Joanne, de Avelano et de *Avant*, in ecclesia de S. Benigno, de S. Albino et villa de Bredoria, de S. Joanne de Verello et de Oncino, et de Boschia, de Aquabella, de Lepino, de Aino, de S. Franco, de Palude, de S. Andrea, de Festileo, de Pressino, de Romaneo, de Ghimilino, de Corbelino, de Favergiis, de S. Symphoriano, de Avolino, de S. Martino, de Amonstro, de Cæsino; in Lugdunensi archiepiscopatu, ecclesias de Ysernovo, terras ibidem, ecclesiam de Genriseto, ecclesiam de Nato cum E appenditiis, ecclesiam de Pulleio; in Bisuntino archiepiscopatu, ecclesiam de Savineo, de Sarruniaco. Decernimus ergo ut nulli hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, tuis et eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam venire tentaverit, secundo tertiove commonita si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se A divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat: cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax domini nostri Jesu Christi, quatenus hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Innocentius, catholicæ ecclesiæ episcopus;
Ego Conradus, Sabinensis episcopus;
Ego Stephanus, Prænestinus episcopus;
Ego Otto, diaconus cardinalis S. Georgii ad velum aureum;
Ego Aymarus, Tusculanus episcopus;
Ego Guido, S. R. E. indignus sacerdos;
Ego Guido, presbyter cardinalis tit. S. Chrysogoni.
Ego Thomas, presbyter cardinalis.

Datum Laterani per manum Gerardi, S. R. E. presbyteri cardinalis ac bibliothecarii, pridie nonas Decembris, ind. vi, Incarnat. Domin, anno 1142, pontificatus vero domini Innocentii II papæ anno decimo tertio.

V.

Amedeus, Sabaudiæ comes, possessiones S. Sulpicii describit.

Ex Hist. Brix. et Beug.

circa 1146.

Inter omnes hujus sæculi mutabiles casus, quibus necesse est humanum genus involvi, scripturarum firmitas ipsa sui auctoritate immutabilis perseverat. Unde necesse est ut ea quæ ad utilitatem præsentium profutura cognoscimus, ne per temporis longinquitatem in oblivionem vel in calumniam deveniant, chartis inserere sollicita provisione decernimus. Tempore igitur illo quo publica Dei gratia per prædicationem domini Bernardi, abbatis Clarævallensis, regem Francorum cum innumerabilibus Christiani nominis confessoribus ad susceptionem Hierosolymitanæ peregrinationis incitavit, ego Amedeus comes et marchio, eadem numinis gratia et exemplo vocatus ad Dei militiam pro defensione crucis, contempto consulatus honore, ejusdem crucis insignitus munimine convolavi; sed quoniam susceptum pietatis officium lucro semper propensiore expedit cumulari, idcirco quæ ad utilitatem et pacem religiosorum pauperum Christi nos olim fecisse meminimus litteris ac sigilli nostri impressione confirmare debemus. Sciant itaque episcopi, quorum officium est alimonias pauperum ecclesiastici vigoris censura servare, sciant et milites qui ad hoc gladium portant ut qui inquietant eosdem pauperes Christi debeant expugnare, quod ego fratribus S. Sulpitii in montanis quæ habitant terminos constitui, infra quos ut nullus capere prædam et captam ducere, vel cuilibet violentiam inferre, seu ædificium aliquod construere auderet banni mei impositione prohibui et adhuc præsentis chartæ attestatione prohibeo, quos videlicet terminos propriis duximus adnotandos vocabulis: caput de Viriaco, fagetum de Tappona quod pendet versus Bellum Montem, crux S. Mauritii, collum de Cormarenchia, villa de Longa Cumba, rupes de *Osciels*, rivus qui currit subtus Armis; et dedi etiam ad incrementum eleemosynæ meæ, tam pro anima mea quam pro anima filii mei Humberti, et prædecessorum meorum, ut ea quæ de feudis meis, Deo propitio, possent adipisci in perpetuum allodium firma illis et integra permanerent; similiter et pascua in tota terra mea ad usum pecorum suorum illis eadem donatione concedo. Sed ne quis de familia nostri

generis huic donationi calumniam inferre præsumat, noverit omnis tam extraneus quam propinquus hanc meam donationem fecisse antequam de uxore mea, Mathildi nomine, liberos aliquos procreassem. Obsecro itaque ut quicumque hanc chartam lecturi sunt meminerint animæ meæ, ut hanc nostram voluntatem studeant firmiter observare, quoniam grave sacrilegium est oblationes fidelium alienis usibus applicare. Si quis vero nostræ donationis formulam temere calumniari præsumpserit, totius possessionis nostræ et hæredii nostri beneficio careat, donec fratribus satisfactum sit.

Ego Humbertus comes, filius supra dicti comitis, laudo et confirmo quidquid pater meus domui S. Sulpitii dedit, prout præsens charta continet, et sigilli mei impressione corroboro. Testes sunt Ademarus de Bressiaco, Urfredus de Viriaco, Berlio de Chamberiaco, Guigo de Domnis, Aymo de Rimiliaco, Berlio Lyatardi, Genisius de Fabricis, Wilhelmus de Montefalcone. Et ego Aynardus, abbas ejusdem loci qui hoc donum recepi, cum monachis nostris.

VI.

E Max. Bibl. Patr. (1).

Bernardus de Portis litteras edit de Majorævo confirmatis rebus a Giraldo de Benuntia.

1149. BERNARDUS de Portis, Portarum prior dictus, in Christo dilectissimis Humberto priori Majorævi et fratribus ejus salutem et omne bonum. Notum sit vobis quod G. de Benuntia laudavit quidquid pater suus vobis perpetuo concesserat in monte de Chevillaco, ad meam requisitionem, cum adhuc Bellicensis episcopus forem. Promisit pariter idem Giraldus vobis omnem fidelitatem et manutentionem cunctis diebus, sicut pater suus promiserat. Hoc autem factum est in ecclesia nostra, die S. Thomæ apostoli, anno Christi 1147, coram toto conventu nostro, et Paulo et Antonio *los Forts* domicellis et Petro *Moschet* de Latiniaco.

VII.

E schedis Stephanoti (2).

Ecclesia Templariorum, Cohiaci sita, a Guillelmo episcopo consecratur.

1149. NOTUM sit omnibus hominibus quod dominus Willhelmus, Bellicensis episcopus, et alii S. Joannis ecclesiæ canonici, divino respectu commoniti, et benevola G. Fafeandarii (3) aliorumque militum Templi caritate devincti, dederunt ipsis Templi militibus casale illud, campum videlicet de Malliaco, in quo ecclesia de Cohiaco eorumque ædificia fundata sunt, usque ad molinare, sine omni detrimento et læsione nemoris. Postea vero ædificata ecclesia, domnus W., prædictus episcopus, rogatu domni A., Lugdunensis archiepiscopi, et sedis apostolicæ legati, aliorumque prudentum et sapientum virorum, consecravit ipsam ecclesiam militum Templi de Cohiaco in honore domini nostri Jesu Christi et B. Mariæ semper Virginis; et quoniam ipsa ecclesia sita erat in alodio et in parochia S. Joannis Baptistæ, constitutum est ibidem a domino W. præfato episcopo et Bellicensis ecclesiæ canonicis et a G. Faisenderio aliisque multis prudentibus viris qui aderant, ut ecclesia ipsas nullas decimas, nullas oblationes, vel mortuorum sepulturas, nullumque prorsus damnum, nullamque injuriam ecclesiæ

(1) Edit. Lugd., t. XXIV.
(2) In Max. Paris. Biblioth., S. Germ. Lat., num. 5565, p. 116.
(3) Infra *Faisenderio*.

A Bellicensi aliquando inferat, sed solito more ex integro Bellicensis ecclesia oblationes, mortuorum sepulturas et etiam hominum dictorum militum Templi et in eorum terris decimas in pace, sine omni calumnia, habeat. Decretum est etiam ut si aliquis de parochia S. Joannis se, vel sua, ipsis Templi militibus tradere voluerit, prius eum de utilitate et beneficio ipsius matris ecclesiæ admoneant, nullumque omnino jam defunctum, vel infirmum, nisi equitando ipse, vel pedibus suis, ad eorum domum venire valeat, sine concessione Bellicensis ecclesiæ suscipiant. Signum W., Bellicensis episcopi. S. Aynardi archidiaconi. S. magistri Anselmi. S. Rosonis *Cothet*. S. Hugonis *de Perieu*. S. Dodonis *de Silinieu*. S. Gerardi Faisenderii. S. W. *de Rochi*. S. fratris Joannis *Dacoieu*. S. fratris Bernardi de *Corroum*. S. W. de Palude. S. Joannis de Aula. S. Joannis *de Silinieu*. S. Desiderii de Petra Castri. S. Hugonis, fratris ejus. S. fratris *Gaston*. S. Petri Anselmi et fratris Aymonis *de Breis*.

Factum est autem hoc anno ab Incarn. Domini nostri Jesu Christi MCXLIX, cal. Decembris, indict. VIII, luna XXVII, epacta XXV (1), apud Viriacum Majorem. W. episcopo Bellicensi.

VIII.

Petrus de Balma ecclesiæ Bellicensi satisfacit. E schedis Stephanoti circa 1150.

QUORUMDAM religiosorum virorum evidenti revelatione cognovimus quod Humbertus de Balma Veromensi, scilicet pater Petri militis ejusdem Balmæ, post mortem suam, divina largiente (gratia), quibusdam religiosis viris apparuit, eisque conquerendo humiliter indicavit quod pro multis malis quæ Bellicensi ecclesiæ intulerat, tum etiam quia Petrus filius ejus, in hoc ipso malo patrem imitando, ab infestatione ejusdem ecclesiæ non desistebat, graviter et ultra quam credi possit torquebatur, ipsosque etiam quibus apparuit obnixe rogavit quatenus hoc idem sanctissimis patribus Arveriæ, quibus antea vivens satis vicinus familiaris erat, significarent, videlicet ut ipsi prædicti patres Petrum, filium suum, vocarent, et super illis et D de omnibus istis ipsum diligenter commonerent, ut, in quantum patris salutem et requiem et sui ipsius vitam volebat, non differret plene satisfacere ecclesiæ Bellicensi. Quocirca ego Petrus de Balma, prædicti Humberti filius, post ipsius apparitionem, conquestionem, atque religiosorum virorum commonitionem, cum Raymundo *de Chavernay*, cognato meo, humiliter ac devote ad ecclesiam præfatam, secundum patris mei imperium, accessi, ibique in capitulo, præsente venerabili Wilhelmo Bellicensi episcopo et domino Aymone, priore, cum aliis canonicis regularibus, pro patris et meis excessibus veniam postulavi et omnino me ipsum ad satisfaciendum ecclesiæ adstare ad mandatum ipsius exposui. Communicato quoque capitulari consilio, episcopus Bellicensis, ipse prior cum aliis canonicis in ecclesiam ante majus altare non coactum, non invitum, sed spontaneum ac voluntarium me deduxerunt, hicque etiam librum Missale de manu episcopi suscipiens, cunctis cernentibus qui ibi aderant, flexis genibus super altare, ponens prout melius episcopus, rector et qui aderant voluerunt.... adhuc super altare librum tenens, tibi Deo et ecclesiæ Bellicensi guerpivi et dimisi omnes malas consuetudines et omnes oppressiones, seu violentas exactiones, quas pater meus et ego faciebamus in terra S. Joannis-Baptistæ, scilicet in

(1) Hæ chronicæ notæ inter se non plane concordant.

parochia de Melavera. Insuper vero, adhuc manum super altare tenens, vovi ac promisi ac spopondi ei amplius me scienter malum non facturum in terra S. Joannis. Quibus actis altare deosculans, librum quem tenebam dimisi, statimque episcopus, aliorum rogatu, patris mei animam et meipsum, in quantum potuit et debuit, absolvit. Deinde porrigens mihi librum, omnium bonorum spiritualium ipsius ecclesiæ me participem fecit. Signum Willelmi episcopi. S. Domini Aymonis prioris. S. Petri de Balma, qui hanc chartam scribere jussit et firmare rogavit. S. Raymundi de Gavornia. S. Bosonis de Cerdone. S. Guillelmi de Grandimonte. S. Nicolai de Palude. S. Guidonis de Grandimonte et magistri Anselmi.

IX.

Ex Hist. Brix. et Beug.

Guillelmus præsul erga S. Sulpicii monachos beneficum se præbet.

1157.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Qui salutem animarum suarum magni pendent æternorum mercede præposita commodorum temporalium lucra parvi pendent, nec quæ sua sunt quærunt, sed quæ Jesu Christi, pauperum scilicet Christi curam gerendo et conventus sanctorum beneficiis sustentando. Ego Wuillermus, Dei gratia Bellicensis episcopus, Spiritu Sancto instruente mercedem intuens, et perpendens verum esse quod dicitur : *Quæ enim seminavit homo hæc et metet;* et operari volens pro meo posse, cum labore sanctorum laborare, et cum quiete visionis Dei quiescere, fratribus S. Sulpicii in episcopatu meo constitutis, quibus gratia me patrem constituit, quibus etiam bona temporalia et spiritualia prout spes consilii subministret oportet thesaurizare, decimam de Turre, de Chanliaco, de Creysino et adjacentibus terris, et omnem investituram terrarum quæ sub jure pontificatus mei tenebantur in eleemosynam concessi, et litterarum memoriæ tradidi, et sigilli mei impressione munivi, cupiens mihi et successoribus meis præmia æterna retribui; creysimentum etiam unius carrucæ terræ arabilis concessi, eo tenore ut quatuor sextarios annonæ, duos videlicet frumenti et duos avenæ, pro eadem carruca mihi tribuant, et si quid terragii supra carrucam istam potuerint in antea acquirere, quo censu debeat terminari, in misericordia meeum conveniat. Hujus rei testes sunt dominus Petrus Tarentasiæ archiepiscopus, Lambertus abbas de Chesiriaco, Brocardus abbas de Abundantia, Petrus abbas de Falera, Petrus canonicus de Crusili, Hugo de S. Lupicino, Eustachius canonicus Bellicensis, Josselinus, Bernardus, Evrardus de S. Germano, Pontius de Vareio, monachi S. Sulpitii, sanctimoniales Dulgardis abbatissa de *Buntz*, Margarita soror comitis Savoyæ, anno ab Incarn. Domini MCLVII.

X.

E Rer. Gall. Script. (1).

Anthelmi præsulis ad Ludovicum regem epistola.

circa 1163.

Excellentissimo domino suo Ludovico, Dei providentia regi Francorum, N. (2), Bellicensis ecclesiæ humilis minister, sic terrenum regnum regere, ut in cœlis cum sanctis valeat regnare. Ex quo, illustrissime rex, vestræ serenitatis sublimitas parvitatem Carthusiensis domus, suam nobis præsentiam exhibendo, visitate dignata est,

(1) T. XVI, p. 66.
(2) Apud Sammarthanos legitur *Antelmus*.

A in armariolo nostri pectoris ea qua potuimus dilectione suscepimus. Tunc enim, ut ita dicamus, nostris visceribus incorporatus estis, verum nec facile eruemini. Nunc quoque Dei voluntate, nescio aut disponente, aut permittente, ecclesiæ Bellicensi qualiscumque destinatus episcopus, nostris orationibus vestri memoriam habentes, preces pro vobis et regni stabilitate ad Deum fundimus. Proinde magnificentiæ vestræ suggerimus, ut humanis favoribus plus quam vobis non credatis; misericordiam et judicium, benignitatem et mansuetudinem, ac consimilia, imitemini, quæ scilicet insignia sunt regiæ dignitatis. De cetero majestati vestræ supplicamus quatenus cuidam nepoti carnali Parisius studenti, B pro Dei et nostri amore, unde sustentari et sapientiæ intendere possit subvenire dignemini. Valete.

XI.

Anthelmus præsul compositionem renuntiat initam inter Majorævi monachos et Rubeimontis toparchas. E Max. Bibl. Patr. (1).

Ad concordiam et pacem futurorum, ut quietius in silentio vivant, placuit antiquis res gestas litterarum memoriæ commendare. Noverit igitur quicumque hanc chartam legerit vel audierit, quod ego Nanthelmus, humilis Bellicensis ecclesiæ episcopus, ad domum venerim Majorævi ob C quasdam calumnias quæ obortæ fuerant inter domum illam et milites de Rubeomonte : inter quos pax hoc modo, Deo largiente, reformata est. Remota siquidem omni querela, et sedato omni rancore et discordia, concesserunt et libere dederunt dominus Willelmus et dominus Garnerius, cum filiis suis, pro se suisque omnibus vivis et defunctis, fratribus Majorævi omnia quæ ab ipsis vel antecessoribus dono vel pretio adquisierant, et quibus ipso die investiti erant : terras scilicet et nemora, pascuorum usum terram per omnem quæ infra eadem continetur pascua, ita ut nullam personam cujusque ordinis vel religionis in terra prædicta ad habitandum suscipiant, immo suscipere volentibus pro posse suo omnino resistant; excepto D quod dominus Garnerius in villa de *Mionz*, in eo quod suum est, religiosos quos voluerit potest suscipere ad habitandum, non ad pascua eremitis data devastanda, nisi quantum ad ipsam villam pertinet; ubi etiam pecoribus Majorævi transitus non negatur. Præterea omnia quæ fratrum Majorævi sunt in manutenentia et custodia sua susceperunt; euntibus et redeuntibus ad domum supradictam firmam de se suisque hominibus securitatem dederunt; et si quam aliquando injuriam sæpedictis fratribus, vel ad se venientibus, vel redeuntibus, fecerant, veniam suppliciter postulaverunt. Hæc quæ dicta sunt, sicut fideliter intellexi, promiserunt et juraverunt in manu nostra dominus Willelmus de Rubeomonte E et filii ipsius Willelmus et Aimo, dominus Garnerius et filii ejus Willelmus, Guiffredus, Garnerius, Gauceramnus, laudantibus etiam id ipsum uxoribus eorum quæ ad eremum venire non poterant. Definita sunt vero hæc apud Majorævum, in domo inferiori, anno ab Incarn. Dom. 1164. Interfuerunt autem huic determinationi mecum hi : Guillelmus, capellanus noster, monachus Portarum, magister Anselmus canonicus Bellicensis, Andreas etiam S. Sulpicii monachus, et Willelmus monachus; de Majorævo Humbertus prior et Hugo procurator; conversi Bonus Filius, Philippus, Girardus, Willelmus; sacerdotes sæcula-

1164.

(1) Edit. Lugd., t. XXIV, p. 1520.

res, Vicardus de Balmeto, Jordannus, et Willelmus de Bremo, Humbertus de Burco, Dua et Joannes de Isinana; milites vero Hugo et Vicardus de Balma, Aalardus de Biliniaco, Garnerius de Balmeto, Jordannus de Camberiaco, Evrardus de Martiniaco, Jordannus et Aimo de *Enflafol* : fuit etiam ibi Guido, præpositus Bellicensis, Lambertus clericus et Pontius frater ejus de Balmeto, Willelmus Pellicerius de Nautuaco. Sciendum est vero quod pro prædicta concessione et donatione Willelmo de Rubeomonte condonatæ sunt sex libræ Gebennensium. Filii etiam domini Garnerii supradicti in conventu monachorum laudaverunt quæ prædicta sunt, et habuerunt inde ferme quadraginta solidos Gebennensium.

XII.

Ex Hist. Brix. et Beug.

Fredericus imperator ecclesiam Bellicensem protegendam suscipit.

1175. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Fredericus, divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Ad imperialis excellentiæ dignitatem pertinet ecclesias Christi in imperio constitutas, cum eorum universis pertinentiis, salvas conservare, et eorum, quos in Dei suoque devoto invenit obsequio, commodis et profectibus clementer aspirare. Quapropter omnibus imperii nostri fidelibus notum esse volumus, quod nos, divinæ retributionis intuitu, Bellicensem ecclesiam S. Joannis Baptistæ ipsumque fidelem nostrum Anthelmum episcopum ejusque successores episcopos, canonicos, ejusque possessiones, et homines tam ad episcopum quam ad canonicos pertinentes, ipsam quoque civitatem cum omnibus appenditiis in nostram suscepimus protectionem, quatenus et episcopus et ejus canonici sub nostra pace securi permaneant, liberius Deo serviant, et pro nobis successoribusque nostris orationes assiduas apud Deum effundant. Ad hæc quoque omnia civitatis regalia, videlicet monetam, telonium, pedagium, ripaticum, aquaticum, pascua, piscationes, venationes, silvas, stirpaticum, et omnem districtum et jurisdictionem civitatis et suarum possessionum jam dicto episcopo ex nostra benignitate concessimus, salva in omnibus imperiali justitia. Unde statuimus, auctoritati imperiali firmiter inhærentes, ut nulla persona sæcularis, ecclesiastica, magna vel parva, dux, marchio, comes, vassallus, bannum quod episcopus in civitate posuerit infringere præsumat, nec in homines præfatæ ecclesiæ aliquam exactionem faciat, nec ad judicium illos trahat, aut in hostem ire compellat. Concessimus insuper eidem episcopo ut civitatem claudat, et munitionibus circumdet et muniat : mercatores quoque inhabitantes, in negotiationibus euntes et redeuntes per universum imperium nostrum, transitum habeant securum : soli quoque episcopo liceat ut in hominibus suis, in civitate et extra positis, justitiam exerceat et eos in hostem ire compellat, et debitum ab eis servitium requirat et accipiat. Si quis autem edicti nostri temerario ausu transgressor exstiterit, quinquaginta libras auri puri pro satisfactione componat, dimidiam partem cameræ nostræ et reliquam episcopo et ecclesiæ. Ut igitur nostræ largitatis donatio perpetuo rata maneat et inconcussa, chartam inde hanc conscribi et sigillo nostræ majestatis jussimus insigniri. Ego Gotofredus, Philippi Coloniensis archiepiscopi et Italici regni archicancellarii vice, recognovi. Acta sunt hæc anno Domin. Incarnat. 1175, indict. VIII, regnante domino Frederico, Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni ejus vicesimo quarto, imperii vicesimo secundo. Datum in obsidione Taboreti, VII cal. Aprilis. Feliciter, Amen.

XIII.

E Guich. Chronol. serie.

Lucius papa III jubet ut lis inter Portarum et Inimontis monachos exorta componatur.

circa 1182. Lucius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Joanni, Lugdunensi archiepiscopo et Rainaldo Bellicensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii nostri prior et fratres domus Portarum, transmissa nobis conquestione monstrarunt, quod prior et monachi Inimontis magnam eis molestiam inferunt et gravamen. Cum enim ab institutionibus Cartusiensis ordinis, quem ex professione servare tenentur, talis constitutio emanaverit ut nemini liceat infra terminos eorum aliquid emptionis titulo, vel donationis, in gravamen ipsorum acquirere, jam dictus prior et monachi terras ipsorum quas habent infra terminos illos illicite obtinere contendunt. Compositionem etiam, quam ante (1) ipsos abbas S. Thoderii et prior de Alveria et cambarlengus Cluniacensis de ipsius mandato super hoc fecisse noscuntur, servare non curant. Quia igitur indecens est ut inter religiosas personas diutius remaneat materia litigandi, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus memoratos priorem et monachos Inimontis ut ab indebita illorum molestatione desistant, et de gravaminibus et injuriis justitiam exhibeant coram vobis, per ecclesiasticam censuram, appellatione postposita, compellatur (2). Datum Anagniæ, XIII cal. Martii.

XIV.

E Guich. Chronol. serie.

Bernardus præsul contentionem eamdem inter monachos Portarum et Inimontis componit.

1200. Bernardus, Dei gratia Bellicensis ecclesiæ humilis sacerdos, omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint in perpetuum. Cum pro quibusdam terris, pascuis et terminis inter domum Portarum et domum Inimontis olim controversia fuisset exorta, nobis et Guygoni venerabili priori Alveriæ, de mandato Hugonis, venerabilis abbatis Cluniacensis, et voluntate partium, eadem querela commissa est, amicabili compositione, vel ordine judiciario, terminanda. Proinde, ut ex ipsa locorum inspectione fidem nobis oculi facerent pleniorem, ad loca illa de quibus agebatur cum eodem priore accessimus et partibus in nostra præsentia constitutis quæ proponenda videbantur hinc inde propositis, utriusque partis testibus cum congrua examinatione auditis, dicta testium nobis fecimus scripto commendari postmodum a discretis et sapientibus nobis assistentibus viris. Utriusque partis attestationibus diligentius perscrutatis, liquido nobis innotuit, quod, licet testes prioris Inimontis assererent se terramque de Comba S. Martini et campum de Arenario a Gandalmode, matre Girardi de *Briort*, olim domini Inimontis, fuisse donata, et præfatam domum illa aliquo tempore possedisse, nullus eorum se donationi asseruit interfuisse; testes vero domus Portarum testificati sunt quod cum olim, tempore Guidonis de Coloniaco, tunc prioris Inimontis, super eisdem terris quæstio mota fuisset, die condicta fratres Portarum per sex testes

(1) Lege *inter*.
(2) Lege *compellatis*

omni exceptione majores, præsente dicto Guidone, probarunt se Cumbam S. Martini ex donatione Girardi de *Biort*, ad quem pertinebat, et campum de Arenario tam ex ipsius Girardi quam aliorum nobilium donationibus adeptos fuisse, et se dictosque priores per quadraginta et amplius annos quiete et pacifice possedisse. Testes vero super hoc diligenter requisiti se donationibus interfuisse constanter asseruerunt, quorum et aliqui, qui superstites erant, idem sunt in nostra præsentia testificati. Probaverunt nihilominus fratres Portarum per duos alios testes religiosos et sacerdotes, quod tempore Bosonis et Bernardi, prioris Inimontis, per manum venerabilium virorum Rainaldi, episcopi Bellicensis, et Arberti abbatis S. Teuderii, quandiu domum Inimontis rexerat et Bernardi Cluniaci camberlengi, quibus a priore et conventu Cluniacensi eadem querela commissa fuerat, facta inter utramque domum amicabili compositione, præsente et favente Bosone præfato, priori domus Portarum fuerunt attributæ. His igitur omnibus acutius et subtilius indagatis, sic inter eos, de consensu et convenientia partium, componendum diximus, ut in nullo a juris termino deviaremus; denique quod fratres Portarum et justum titulum et longissimam possessionem, et quidem priorem, per testes idoneos coram aliis et coram nobis sufficienter probaverunt, et quod præfato priori per compositionem, a dictis venerabilibus viris factam, eis attributæ fuerant, et adhuc eas nihilominus retinebant; fratres vero Inimontis nec titulum aliquem, nec competentem possessionem probaverunt; et, prudentium et discretorum virorum consilio, præfatas possessiones domui Portarum adjudicavimus, fratribus Inimontis super eorum petitione silentium perpetuum imponentes. Querelam autem de pascuis hoc modo duximus terminandam : neque prior Inimontis, vel homines sui, pascendorum animalium gratia, vel alterius usus causa, terminos Portarum, sine consensu et bona voluntate eorum, intrare præsumant, neque fratres Portarum terminos territorii parochiæ Inimontis : extra terminos vero Portarum, sive fines parochiæ Inimontis, ubicumque domus Portarum usum pascuorum habet quiete et pacifice, sine ulla inquietatione domus Inimontis illum habeat et possideat. Similiter et domus Inimontis. Ubi vero extra prædictarum domorum usum pascuorum habet, quæ primum eorum usum acquirere poterit pacifice teneat et possideat. Sunt autem hi termini Portarum : colliculus de *Ordenas*, molendinum de *Ordenas*, et loca ubi fixi fuere cruces subtus molare de Riouquo, fons de *Rochat*, medium molare trium molarium quæ vocantur Urgrei, fons *Corily*, pinus *Chevalens*, pratum de *Chalmes*, malus *Amardoil*, pinus *Dleschedey*, novale Joannis Fuli, fagus de *Malpertuis*.

Actum est hoc anno ab Incarn. Dom. MCC; Humberto venerabili priore Bellicensi, Wuillemo archidiacono, magistro G., W. *Cochet*, Petro Hobo, Guillelmo Lyobardo, canonicis; Ramerio camerario Cluniaci, Bernardo priore S. Saturnini et Girardo de S. Cruce Cluniacensi monacho.

XV.

Ex Hist. Brix. et Beug.

Benedictus præsul se Arandati ecclesiam consecravisse refert et Portensium jura recognovisse.

1210. B., Dei gratia Bellicensis ecclesiæ servus, dilecto ac venerabili B., Portarum priori et cæteris ejusdem loci fratribus salutem. Religionis vestræ fastigium venerantes et apud Dominum A vestris meritis et precibus plurimum adjuvari sperantes, quæ ad pacem pertineant libentissime providemus. Quapropter in benedictione ecclesiæ, quam apud Arandatum anno proximo elapso celebravimus, et mulieribus omnibus nisi tantum viam facientibus finium vestrorum ingressum generaliter interdiximus, et ne quis per eosdem fines prædam duceret, aut ad prædandum, et malefaciendum armatus iret, aut rediret, nihilominus prohibere studuimus. Leydam vero prætcrea nobis petentibus, ibidem audiente toto qui aderat populo, vobis et successoribus vestris jure perpetuo terminorum vestrorum plenam et integram libertatem et omnimodam immunitatem nominatim fratres nostri Lambertus cum tribus B filiis suis et Arthaudus de Langiis et Hugo de Plumbis, et Higenertus frater ejus; similiter etiam Boso nepos noster qui tunc quidem aberat, hoc ipsum postea in manu nostra apud S. Raguebertum laudavit, et confirmavit sub testimonio Arthaudi fratris nostri et Guiofredi de *Caumont*. Actum hoc anno Incarnat. Christi 1210.

XVI.

Gregorius IX Bonifacium præsulem instituit. Ex apograph.(1).

Gregorius episcopus venerabili fratri episcopo Bisuntino salutem. Præsentatæ nobis tuæ ac 1232
venerabilium fratrum nostrorum Viennensis et C Tarentasiensis archiepiscoporum, Gratianopolitani et Maurianensis episcoporum, nec non et dilectorum filiorum prioris et capituli Bellicensis ecclesiæ et abbatum plurium Cisterciensis ordinis litteræ continebant, quod nuper eadem ecclesia pastoris solatio destituta, dicti prior et capitulum convenientes in unum, de futuri substitutione pontificis tractaturi, invocata Spiritus Sancti gratia, in dilectum filium B., natum nobilis viri comitis Sabaudiæ, in minoribus adhuc ordinibus constitutum, virum, sicut asserunt, providum ac discretum, morum honestate conspicuum, competenter litterarum scientia eruditum, uno duntaxat excepto qui nec expresse consensit, nec in aliquo contradixit, unanimiter et concorditer D vota sua in suum pastorem a nobis humiliter postulandum (2), cum per eum posse credant ecclesiam ipsam a pressuris multiplicibus quas ex vicinorum malitia tyrannorum passa est hactenus, et incessanter patitur, liberari. Quare a nobis humiliter postulabant ut ipsum, per quem sperant ecclesiam memoratam in spiritualibus et temporalibus salubriter gubernari misericorditer dispensando super ætatis defectu, quem patitur, cum vigesimum sextum annum nondum egerit, postulationem ipsorum admittere, ac eis eumdem in pastorem concedere de benignitate sedis apostolicæ dignaremur. Nos igitur de discretione tua plenam fiduciam obtinentes, mandamus quatenus ipsum de vita, scientia et moribus examinare E procures, et de ætate diligenter inquirens, inspecta necessitate ac utilitate ecclesiæ supradictæ et consideratis circumstantiis universis, si eum competentis litteraturæ et conversationis honestæ fore constiterit, et vigesimum sextum annum attigerit, ætatis non obstante defectu, procurationem ecclesiæ nominatæ tam in spiritualibus quam in temporalibus committas eidem, sibi a capitulo antedicto, clero et populo civitatis et diœcesis Bellicensis faciens obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Contradictores etc. etc. Ipsum autem facias consequenter ad subdiaconatus ordinem promoveri in Quatuor Temporibus proximo

(1) E collect. D. *La Porte du Theil.*
(2) Omissum est verbum *direxerunt*.

nunc venturis. Alioquin priorem et capitulum sæpe dictos moneas diligentius et inducas, ut, infra certum tempus quod eis duxeris præfigendum, sibi per electionem canonicam de persona idonea in episcopum provideant et pastorem. Datum Spoleti II non. Julii, anno sexto.

XVII.

Ex apographo (1).

Innocentius IV jubet ut Bellicensis episcopus eligatur.

1244. INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Gratianopolitano et dilecto filio abbati S. Michaelis de Clusa, Taurinensis diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum ecclesiarum omnium cura nobis immineat generalis, nos convenit sollicite præcavere ne occasione vacationis incurrant spiritualium vel temporalium detrimenta. Cum igitur ecclesia Bellicensis vacet ad præsens, et de ipsius vacatione diutina et læsione per consequens timeatur, præsentium vobis auctoritate mandamus quatenus dilectis filiis capitulo ejusdem ecclesiæ auctoritate nostra mandare curetis, ut infra certum terminum præfigendum a vobis per electionem canonicam sibi provideant de pastore. Alioquin vos ad ecclesiam ipsam personaliter accedentes, et habentes præ oculis solum Deum, de gremio ipsius ecclesiæ, si fieri poterit, alioquin aliunde de persona idonea, quæ utiliter ipsi præesse valeat et prodesse, eidem provideatis ecclesiæ, vice nostra facientes ei a subditis suis obedientiam et reverentiam exhiberi, nec non a vassalis ipsius ecclesiæ præstari fidelitatis solitæ juramentum. Datum Laterani, VIII cal. Aprilis, anno primo.

XVIII.

E sched. Droz. (2).

Pactum de diversis censibus inter Bellicensem episcopum et abbatem S. Eugendi.

1258. NOS humilis abbas Ambroniacensis notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod cum controversia seu querela mota esset inter venerabilem in Christo patrem Joannem, Dei gratia episcopum Bellicensem, ex una parte, et religiosos viros Humbertum, abbatem S. Eugendi et conventum ejusdem loci, ex altera, super jure patronatus ecclesiæ Sarroniaci, sitæ in diœcesi Bisuntina, quod quidem jus patronatus prædictus episcopus ad se spectare dicebat, prædictis abbate et conventu in contrarium asserentibus dictum jus patronatus ad se specialiter pertinere; supra quo cum inter ipsos, scilicet episcopum, abbatem et conventum esset diutius altercatum, tandem, die Mercurii post festum divi Andreæ prima, anno Domini 1258, prædictis domino episcopo pro se, et abbate pro se et conventu suo S. Eugendi, apud S. Martinum de Fraxino præsentibus, et nobis præsentibus cum eisdem, idem episcopus et dictus abbas pro se et conventu suo alte et basse, per juramentum, et sub pœna 200 librarum Viennensium, in nos de hujusmodi compromittunt, dantes nobis hinc in liberam potestatem ut quidquid nos de jure patronatus dictæ ecclesiæ Sarroniaci et de 32 solidis Viennensibus quos prædictus episcopus asserit se habere in ecclesia prædicta Sarroniaci censuales annuatim (item asserit rectorem dictæ ecclesiæ sibi solvere debere annuatim), et de omni jure,

A si quod habet, in ecclesia Sarroniaci eadem, item de 60 solidis Viennensibus quos præfati abbas et conventus in ecclesiis de *Virieu*, Bellicensis diœcesis, et de 9 solidis Viennensibus quos in parochia de *Virieu* habent annuatim, nomine suo, vel prioratus Bellimontis, et de omni jure quod in dicta parochia habent, quoque modo possimus dicere, ordinare et statuere secundum nostræ arbitrium voluntatis et unicuique ad bonum pacis de prædictis attribuere, assignare, et scambium facere, vel recompensationem dare, prout melius videbimus expedire. Promittunt autem prædicti per juramentum, scilicet episcopus pro se et abbas pro se et conventu S. Eugendi, et sub pœna 200 librarum prædictarum, datis

B hinc inde fidejussoribus, junctis in nostra manu ex parte dicti episcopi magistro Stephano de *Duberes* de 100 libris Viennensibus et Bosone rectore ecclesiæ de Cuisia, Bellicensis diœcesis dictæ, de 100 libris, et, ex parte dictorum abbatis et conventus, scilicet Girardo, rectore ecclesiæ de Dosingo, de 100 libris, et Stephano Morteri, rectore ecclesiæ de *Arbene*, de 100 libris, se dictam nostram ordinationem et statutum supra prædictis firmiter et inviolabiliter servaturos, et contra de cetero modo aliquo non venturos : quam quidem pœnam 200 librarum pars quæ dictam nostram ordinationem vel statutum nollet observare parti observare volenti solvere teneretur. Et dicta die Mercurii, apud

C S. Martinum de Fraxino, præfato domino episcopo pro se, dicto abbate similiter pro se et conventu suo coram nobis præsentibus, habito diligenti tractatu cum partibus, nos dictam nostram ordinationem et statutum supra hujusmodi proferimus in hunc modum :

Quod prædicti abbas et conventus monasterii S. Eugendi de cetero et in perpetuum jus patronatus habeant ecclesiæ Sarroniaci supradictæ, et 32 solidos Viennenses quos episcopus Bellicensis in dicta ecclesia Sarroniaci annuatim censuales asserit se habere, seu quos quicumque rector esset dictæ ecclesiæ annuatim solvere teneretur, et etiam omne jus quod habet in dicta ecclesia Sarroniaci et quacumque causa, dicti abbas et

D conventus similiter habeant et percipiant in perpetuum pacifice et quiete. Item, ex alia parte, pronuntiamus et dicimus quod per recompensationem prædictorum prædictus episcopus prædictos 69 solidos Viennenses, quos prædicti abbas et conventus habent, nomine prioratus Bellimontis, in parochia de *Virieu* censuales, et etiam quicquid ipsi habent in parochia de *Virieu* tam in ecclesiis quam in terris, quam causis, quam rebus aliis, habeat et percipiat in perpetuum pacifice et quiete. Item pronuntiamus quod iidem religiosi abbas et conventus dent 40 libras Viennenses semel prædicto episcopo pro bono pacis ad opus alicujus reditus acquirendi, in re-

E compensationem prædictorum 30 solidorum et duorum. Item pronuntiamus et dicimus quod prædicti abbas et conventus S. Eugendi reddant episcopo memorato litteram oppositionis factæ inter Bellicensem episcopum, et una parte, et ipsos ex altera, per venerabilem patrem Humbertum, divina providentia tituli S. Sabinæ presbyterum cardinalem, super juribus quæ ipsi abbas et conventus dicebant se habere in ecclesiis Viriaci, et de 60 solidis Viennensibus quos ecclesia Viriaci solvebat eis annuatim. Item pronuntiamus et dicimus quod partes hinc et inde modis omnibus procurent sub dicta pœna quod dicta oppositio dictam nostram ordinationem seu statutum per reverendum in Christo patrem dominum Guillelmum, Bisuntinum archiepiscopum,

(1) E Collect. D. *La Porte du Theil.*
(2) T. XIV, p. 65.

diœcesanum ecclesiæ Sarroniaci et metropolitanum episcopatus Bellicensis, in cujus diœcesi villa de *Virieu* consistit, confirmetur. Hanc autem dictam nostram ordinationem et statutum sub pœna prædicta volumus et præcipimus a partibus inviolabiliter observari, pronuntiantes item et dicentes quod præsenti litteræ episcopus et capitulum Bellicense, et abbas et conventus prædicti sigilla sua apponant in testimonium facti inter nos compromissi et omnium prædictorum. Et nos nostrum sigillum cum sigillis eorumdem præsenti litteræ in testimonium prædictorum duximus apponendum. Nos vero Joannes Dei gratia Bellicensis episcopus et capitulum Bellicense, et nos Humbertus abbas et conventus S. Eugendi, et prior Bellicensis, de mandato eorumdem abbatis et conventus, omnia supradicta et singula vera esse confitentes, dictam ordinationem seu statutum prædicti abbatis Ambroniaci in hac parte laudamus et approbamus, promittentes contra de cetero aliquatenus non venire, sed potius firmiter et inviolabiliter observare. Item renuntiamus ex certa scientia in hoc facto hinc et inde per juramentum nostrum omni beneficio restitutionis et illi constitutioni *hoc jus porrectum*, et omni auxilio et beneficio nobis super hujusmodi competenti et competituro, tam juris canonici quam civilis. Etiam ad majorem firmitatem supra omnibus prædictis habendam, nos una cum sigillo prædicti abbatis Ambroniacensis, et in testimonium omnium prædictorum, præsenti chartæ sigilla nostra duximus apponenda. Nos vero prior et capitulum Bellicense omnibus supra dictis et singulis grato concurrentes assensu, præsentibus sigillum nostrum apponimus in testimonium veritatis.

Datum anno Domini 1258, mense Decembri.

XIX.

Ex Hist. Brix. et Beug.

Sabaudiæ comes agnoscit auxilium militare sibi non ab episcopo Bellicensi debitum.

1285. Nos Philippus, comes Sabaudiæ, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod cum venerabilis in Christo pater dominus Petrus Dei gratia episcopus Bellicensis, ac etiam cives et capitulum Bellicense nobis et gentibus nostris ad requisitionem nostram de guerra nostra pluries auxilium præstiterint et succursum, curialiter et benigne, quoties per nos et nostros requisiti fuerunt, nos confitemur et recognoscimus quod ipsi prædicti fecerunt non pro aliquo debito, nec pro eo quod nobis et nostris ad prædicta facienda in aliquo teneantur; nec volumus, nec intendimus quod prædicta curialitas nobis facta a prædictis episcopo et civibus et capitulo, et quæ per ipsos fiet nobis in posterum, ipsis erga nos aut nostros possit nocere, seu aliquod præjudicium generare, quoad hoc quod ipsi nobis vel nostris ad prædicta facienda in antea in aliquo teneantur, nec quod ex prædictis aliquod eisdem in posterum servitutis debitum generetur. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum apud Moletas, die Jovis ante festum B. Mariæ Magdalenæ, anno Domini 1285.

XX.

Ex Hist. Brix. et Beug.

Pactum de jurisdictione inter Sabaudiæ comitem et Bellicensem episcopum.

1290. Nos Amedeus comes Sabaudiæ et marchio in Italia, et nos Petrus Dei gratia Bellicensis
A episcopus, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod cum diversæ naturæ quæstiones, dubitationes et controversiæ fuerint temporibus retroactis ad invicem inter nos comitem prædictum et prædecessores nostros ex una parte, et nos dictum episcopum et prædecessores nostros ex altera, super limitatione mandamentorum et jurisdictione meri et mixti imperii castri nostri Rossillionis Comitis, et civitatis nostræ episcopalis Bellicensis, nec non super articulis aliis inferius terminatis, nos dicti comes et episcopus, volentes habere pacem et concordiam inter nos et nostros, et specialiter nos dictus comes ob reverentiam sanctissimi præcursoris Domini B. Joannis-Baptistæ, cujus reliquiæ, ut
B firmiter credimus, in Bellicensi ecclesia requiescunt et etiam venerantur, intendentes in hac parte dictæ ecclesiæ gratiam facere specialem super prædictis omnibus quæstionibus, dubitationibus et controversiis, per manus venerabilis viri D. Nicolai de *Billens*, legum professoris et canonici Lugdunensis et discretorum virorum Ruffini Dracensis, judicis nostri comitis in Vienna, et magistri Bernardi de Bellicio, rectoris domus pontis Petræ Castri, per compositionem et transactionem amicabilem ad pacem et concordiam devenimus in hunc modum. In primis convenimus nos dictæ partes ad invicem, et per modum compositionis et transactionis concessimus una pars alteri, quod mandamentum, jurisdictio,
C merum et mixtum imperium Castri Rossillionis distinguatur, limitetur et dividatur a mandamento, jurisdictione, mero et mixto imperio civitatis Bellicensis in modum infra scriptum; videlicet quod quidquid est terræ, aquæ, sive nemoris, a medietate pontis magni qui est in aqua matre de *Furans*, in loco qui dicitur de *Parrigueu*, inferius versus pontem de *Boguens* usque ad mandamentum de *Cordon* versus Bellicium, sit et remaneat perpetuo de mandamento, mero et mixto imperio, et jurisdictione omnimoda episcopi Bellicensis. Item convenimus quod a dicto ponte de *Parriguen* superius distinguatur et dividatur mandamentum prædictum, ita scilicet quod a dicto ponte magno protendatur per viam
D quæ venit a molendino de Rotono, Bellicium versus, et postea per dictam viam quæ tendit a dicto molendino versus Bellicium superius, usque ad superiorem caudam cujusdam campi qui est juxta dictam viam ex una parte, et Castagnetum de Rotono ex altera; deinde a fine dicti campi directe protendatur limes dictorum mandamentorum usque ad quemdam grossum lapidem qui est in crestata dicti Castagneti, et ex dicto lapide protendatur dictus limes, directe protendendo a dicto lapide per crestatam dicti Castagneti, sicut distinguitur parochia Bellicii de *Chasey* usque ad bachatum de *Coverues*. Item quod a dicto bachato dictus limes protendatur usque ad dominum villæ de *Magnieu* eo modo quo se extendit
E parochia Bellicii; ita ut quidquid erit terræ, vel nemoris, sive aquæ, a dictis terminis versus civitatem Bellicensem sit ex nunc et in perpetuum de mandamento, mero, mixto imperio, et jurisdictione omnimoda episcopi Bellicensis: ea vero quæ remanebunt ultra terminos atque limites prædictos deversus Rossillionem sint et remaneant perpetuo de mandamento, mero et mixto imperio, et jurisdictione omnimoda comitis nostri Sabaudiæ et domini castri Rossillionis supra dicti. Item significamus universis quod concordatum et conventum fuit inter nos partes prædictas, quod nos dictus episcopus et successores nostri de cetero non retineamus gentes domini comitis Sabaudiæ, exceptis mobilibus rebus et possessio-

nibus quas voluerint emere infra jurisdictionem A nostram ubicumque fuerint, facta nobis satisfactione de laudis et vendis, sicut est consuetum, et quod versa vice nos dictus comes teneamur facere illud idem, ita tamen quod dicti emptores teneantur ad omnia onera facienda quæ requirunt possessiones per eos acquisitæ; et est actum quod si homo nostri comitis apud Bellicium et jurisdictionem domini episcopi se trausferat, quod de eodem possit expectare idem episcopus sicut de suo proprio ligio et de sua jurisdictione existente, et vice versa hoc idem facere possimus nos comes prædictus de homine dicti episcopi ad jurisdictionem nostri comitis se transferente. Item ordinatum est et conventum inter nos partes prædictas, quod, infra terminos jurisdictionis B Bellicensis ponendos, facta limitatione prædicta, vel alibi in jurisdictione nostri episcopi Bellicensis, nos dictus comes, vel hæredes nostri non possimus aliqua immobilia acquirere per quamcumque viam, vel ex quacumque causa, etiam nobis oblata recipere jure proprietatis, possessionis, vel feudi, feudo excepto de Bechiraisino; et hoc quod in articulo dicitur locum habeat in vita nostri episcopi qui nunc sumus; post mortem vero nostram, scilicet nostri dicti episcopi, non possimus nos dictus comes prædicta acquirere, nec nobis oblata recipere, nisi de licentia episcopi qui ibidem pro tempore fuerit, et nisi quantum de jure scripto possemus, et absque omni præjudicio episcopi, ecclesiæ et capituli Bellicensis. C Item ordinatum est et conventum inter nos partes prædictas, quod nos dictus comes, nec hæredes nostri, non possimus habere infra limites jurisdictionis episcopi prædicti aliquam arcem, vel aliud facere vel habere, vel exercere per nos vel per alium, propter quod minuatur jurisdictio domini episcopi vel ecclesiæ Bellicensis. Item quod non sustineamus contra episcopum Bellicensem aliquem delinquentem in jurisdictione ipsius domini episcopi Bellicensis, et quod honorem, dominium et jurisdictionem ipsius dicti episcopi ecclesiæ prædictæ illæsa servemus, et ea sibi nos dictus comes teneamur defendere; salvo quod si dubietas, sive ambiguitas reperiretur in prædictis, seu in aliquo prædictorum, illud inter- D pretetur vel specificetur per duos interpretes quorum unus ponatur per dictum dominum comitem, et alius per nos episcopum supradictum. Prædictas autem transactionem et conventiones, prout de verbo ad verbum superius continentur, nos dictæ partes promittimus nobis ad invicem, pro nobis et successoribus nostris, nos ad hæc observanda in quantum possumus obligantes specialiter et expresse per stipulationem et per juramentum a nobis super sancta Dei evangelia corporaliter præstitum, et, sub pœna totius damni et interesse, nos et nostros rata et firma habere perpetuo, tenere, et contra per nos, vel per alium, in toto vel in parte aliquatenus de cetero non venire, et insuper nos prohibere, et defendere E toto posse, et etiam procurare et cum effectu facere, sub pœna prædicta, quod aliqui, seu aliquis, vivens, seu nasciturus, contra non veniat ullo modo. Confitentes nos dictus comes nos habuisse et recepisse a dicto episcopo, ratione præsentis compositionis et transactionis, centum libras Viennenses, de quibus nos tenemus plenarie pro pagatis, et dictum episcopum et suos inde solvimus et quittamus, facientes eidem pactum de dictis centum libris ulterius non petendis : quocirca renuntiamus nos dictæ partes in hoc facto, ex certa scientia et per juramentum, omni actioni et exceptioni legitimæ limitationis mandamentorum prædictorum et rationabilium, ac legitimorum compositionis et conventionum prædictarum, ut prædictum est, non factarum, doli, metus et in factum, et quod neutra pars possit objicere de cetero vel dicere se esse deceptam ultra dimidiam justi pretii, nec dolum dedisse causam præsenti contractui; et specialiter quod neutra pars possit prætendere de cetero præsentem transactionem seu compositionem esse reducendam ad arbitrium boni viri, et insuper omnibus auxiliis restitutionis in integrum, et omnibus beneficiis totius juris tam canonici quam civilis, seu consuetudinarii editi et edendi, per quæ, vel quam, præmissa possent infringi, vel modo quolibet annulari. Et est actum quod de prædictis duæ fiant litteræ ejusdem tenoris, quorum nos dictus comes habeamus unam, et nos dictus episcopus aliam ad perpetuam firmitatem. Item actum est inter nos partes prædictas, quod per limitationes et ea quæ superius continentur non intendimus derogare juribus, si quæ nos habemus, in regalia et confidentia quarateriæ et cavalcatis hominum nostri comitis, habitantium in civitate et suburbio prædictæ civitatis, in gardis et commandis jam factis tam in civitate quam in suburbio et infra terminos antedictos. In quorum omnium testimonium nos partes prædictæ sigilla nostra præsentibus duximus apponenda, et rogavimus venerabilem in Christo patrem dominum Guillelmum, Dei gratia episcopum Gebennensem, ut præsentibus sigillum suum cum nostris apponat in testimonium prædictorum. Et nos prædictus episcopus Gebennensis, ad preces et requisitionem prædictarum partium sigillum nostrum una cum prædictis sigillis præsentibus apponimus in testimonium veritatis. Datum apud *Ast*, die Veneris in crastino B. Matthæi apostoli 1290.

XXI.

Aymo Sabaudiæ comes Jacobo de S. Andrea præsuli Bellicensi percipiendos e regalibus juribus fructus vendit. *E Guich. Chron. Seriæ.*

In nomine Domini Amen. Anno ejusdem 1333, 1333. ind. 1, die Veneris, 27 die mensis Augusti, per hoc præsens publicum instrumentum cunctis tam præsentibus quam futuris appareat evidenter, quod, cum in omni casu et eventu quo qualitercumque et quandocumque lapsu temporis vacare contigerit ecclesiam Bellicensem, comites Sabaudiæ qui pro tempore fuerunt, prædecessores illustris et magnifici viri Aymonis, nunc comitis Sabaudiæ, consueverint et usi fuerint civitatem Bellicensem et suburbia, castra, domos et omnia quæcumque mobilia et immobilia ubique existerent, pertinentia qualitercumque ad ipsam ecclesiam, ad manum suam ponere, custodire et sub colore custodiæ tenere, ipsaque bona mobilia dictæ ecclesiæ sibi retinere et sua facere, nisi successor episcopus super ipsis bonis mobilibus cum dicto domino comite conveniret amicabiliter et aliud obtineret, ac merum et mixtum imperium et omnimodam jurisdictionem, ubicumque pertinent ad episcopum et ecclesiam Bellicensem, exercere, seu facere exerceri, quousque de episcopo successore confirmato fuerit in dicta ecclesia Bellicensi provisum, et quousque dictus episcopus successor, post confirmationem hujusmodi, expeditam possessionem prædictorum civitatis, suburbiorum, castrorum, domorum, exercitii meri et mixti imperii, ac jurisdictionis omnimodæ et aliorum prædictorum bonorum immobilium et temporalium a domino comite specialiter recepisset; pro qua etiam

expeditione possessionis hujusmodi dictorum A bonorum temporalium comes Sabaudiæ qui pro tempore fuit, casu adveniente prædicto, consuevit emolumentum recipere, sicut dictus Aymo, nunc Sabaudiæ comes, asserens prædicta ad se justo titulo pertinere : verum cum reverendus in Christo pater dominus Jacobus de S. Andrea, Dei gratia Bellicensis episcopus, asserens prædicta esse in jacturam et damnum ecclesiæ Bellicensis, et quasi nullam utilitatem domini comitis supradicti, maxime tam pro eo quia tempore vacationis hujusmodi familiares domini comitis deputati ad custodiam bonorum temporalium prædictorum consueverunt abuti bonis dictæ ecclesiæ existentibus, et tempore vacationis hujusmodi obvenientibus, ipsa bona dissipando, sive B eo quod dominus comes Sabaudiæ non consueverit exinde aliquod commodum reportare, quam pro aliis causis, supplicaverit, ut dicitur, dicto domino Aymoni, nunc comiti Sabaudiæ, ut, pietatis intuitu et ad relevationem ipsius dictæ suæ ecclesiæ Bellicensis, prædicta remittere dignaretur eidem domino episcopo et dictæ suæ ecclesiæ Bellicensi, ut propter exercitium prædictorum ex consuetudine hujusmodi, vel sub prætextu ipsorum, dicta Bellicensis ecclesia sic de cetero non gravaretur, hinc est quod præfatus dominus Aymo, comes Sabaudiæ, consideratis, tam affectione quam habet et sui prædecessores merito habuerunt ad dictam ecclesiam Bellicensem, quam sua et sui comitatus Sabaudiæ necessaria C utilitate, volens dictæ ecclesiæ de relatione prædictorum et eorum cujuslibet providere, informatus ad plenum ad supra et infra scripta, nec deceptus in aliquo, vel seductus, pro se suisque heredibus et successoribus quibuscumque, vendit, et ex causa meræ, puræ, perpetuæ et irrevocabilis venditionis, dat, donat, tradit, vel quasi cedit, concedit, quittat penitus et remittit, prout melius fieri et intelligi potest, nobis notariis infra scriptis tanquam personis publicis stipulantibus, et solemniter recipientibus de mandato dicti domini comitis, vice, nomine et ad opus dicti domini episcopi et successorum suorum et dictæ Bellicensis ecclesiæ, et omnium quorum interest in præsenti, vel quomodolibet in futurum D intererit, omnia et singula supra dicta, cum eorum usu et exercitio, et quidquid juris, actionis, rationis, usus, consuetudinis, et quasi possessionis habet, habere potest, habere debet, vel habere videtur in prædictis bonis tam præsentibus in casu prædicto, quam obvenientibus durante vacatione prædicta, quocumque titulo, quacumque ratione, occasione, vel causa, in prædictis et quolibet prædictorum, vel circa, ac ipsorum exercitio tam de consuetudine quam de jure, nihil juris, actionis, rationis, proprietatis, dreituræ, usus, vel consuetudinis, dictus dominus comes sibi vel suis retinens aliqualiter in prædictis, sed ea omnia per nos notarios infra scriptos transferre in prædictum dominum epi- E scopum et ecclesiam Bellicensem, nominibus supradictis, devestiendo se prædictus comes de prædictis omnibus et singulis, et me Joannem Raynaudi, notarium infra scriptum, recipientem prædictis nominibus investiendo per traditionem unius parvi libri Sacras Scripturas continentis, quem ego dictus Joannes Raynaudi ab eodem domino comite recepi in signum et effectum investituræ prædictæ, constituens se dictus dominus comes prædictis nominibus prædicta omnia et singula sic vendita quasi possidere nomine dicti domini episcopi, successorum suorum et ecclesiæ Bellicensis, quousque dictam quasi possessionem apprehenderint de prædictis, quam adipiscendi et

adeptam tenendi dat et concedit dictus dominus comes prædictis nominibus dicto domino episcopo et suis successoribus ministerio nostrum notariorum infra scriptorum, stipulantium et recipientium ut supra, auctoritatem et licentiam, nullius alterius exspectata licentia, vel petita; mandans et præcipiens dictus dominus comes tenore præsentis instrumenti, pro se et successoribus suis omnibus et singulis, baillivis, castellanis et aliis officiariis suis, quicumque et cujuscumque conditionis exstiterint, qui fuerint pro tempore quo dictam ecclesiam qualitercumque vacare contigerit, quatenus occasione (1) dictorum consuetudinis et usus, nomine custodiæ, seu quovis alio colore, seu occasione, vel causa, manum suam nullatenus apponant, vel apponi faciant in prædictis civitate, suburbiis, domibus, castris, vel bonis aliis quibuscumque, tam præsentibus quam obvenientibus tempore vacationis prædictæ, pro quibusdam venditione, cessione et aliis supra dictis dictus dominus comes pro se et suis confitetur solemniter, et tanquam in judicio publice recognoscit, ad instantiam et requisitionem nostrum notariorum, requirentium et recipientium nominibus quibus supra, se habuisse et recepisse per manum Guillelmi Boni, burgensis Chamberiaci, thesaurarii dicti domini comitis, centum et decem libras bonorum denariorum Turonensium grossorum argenti, cum O rotundo, in pecunia realiter numerata, nomine et ex causa veri, justi et legalis pretii omnium prædictorum contentorum in venditione præsenti, de quibus centum et decem libris Turonensium grossorum dictus dominus comes se tenere integre pro pagato ipsis confitetur et asserit ad utilitatem suam et sui comitatus prædicti in suis causis necessariis et utilibus fore totaliter positas et conversas, pactum realiter faciens nobis notariis infra scriptis, recipientibus ut supra, de ulterius aliquid non petendo a dicto domino episcopo, vel alio quocumque, de quantitate prædicta, vel occasione ejusdem, et si forte prædicta plus valent in præsenti vel in futurum valere poterunt pretio supra dicto, illud plus dictus dominus comes, nominibus quibus supra, ex præcedentibus causis, dat et concedit dicto domino episcopo ministerio nostrum notariorum infra scriptorum recipientium ut supra; promittens dictus dominus comes, pro se et suis notariis infra scriptis, stipulantibus et solemniter recipientibus nomine, vice et ad opus dicti domini episcopi et successorum suorum, et ecclesiæ Bellicensis, et omnium quorum interest et in posterum intererit, dictas venditionem, donationem, cessationem, quittationem, et singula supra et infra scripta rata et ratas, grata et gratas, firma et firmas habere, tenere et perpetuo inviolabiliter observare, et nunquam contra facere, vel venire, nec impedimentum aliquod apponere vel consentire, vel sustinere apponi, sed prædicta omnia supra vendita et quodlibet ipsorum manutenere et defendere contra omnes in judicio et extra, suis propriis sumptibus et expensis dicto domino episcopo et successoribus suis et dictæ ecclesiæ Bellicensi, quibus de omni evictione universali se teneri constituit, sub obligatione bonorum, nominibus quibus supra; renuntians dictus dominus comes ex sua certa scientia in hoc facto exceptioni dicti pretii non habiti et dictæ pecuniæ non habitæ, non receptæ et non numeratæ, et spei futuræ receptionis et numerationis, et juri dicenti confessionem factam extra judicium non valere, et omni alteri juri canonico et civili per quod posset

(1) Pro *occasione* in editione Guichenonis legitur *ecclesiæ*.

contra prædicta facere vel venire, etiam juri dicenti generalem renuntiationem non valere nisi præcesserit specialis; volens et præcipiens dictus dominus comes de prædictis fieri unum, duo vel plura tenoris ejusdem instrumenta, signanda et publicanda per nos notarios infra scriptos pro ipsis; consumpto vel amoto quocumque casu, nihilominus omnia et singula supradicta plenum atque perpetuum effectum obtineant et habere debeant perpetui roboris firmitatem; rogans etiam et requirens hujus instrumenti tenore dictus dominus comes reverendos in Christo patres dominos B. Dei gratia Tarentasiensem archiepiscopum et Aymonem eadem gratia Maurianensem episcopum, ut ad majorem firmitatem et rei gestæ notitiam pleniorem huic instrumento sigilla sua apponi faciant; quibus sigillis appositis, vel non, nihilominus prædicta omnia valeant, et plenam atque perpetuam habeant firmitatem. Actum apud Chamberiacum, in castro, præsentibus testibus domino Antonio de Claromonte, domino Bastidæ in Albaneysio, Philippo de Prohanis, Aymone de Camera militibus, et domino Petro Ravasii, judice Sabaudiæ, et Pet. *Berre de Costa* juris peritis, vocatis specialiter et rogatis.

XXII.

E Guich. Serie Chronol. *Guillelmus præsul multos agros multaque jura numerato pretio comparat, quorum Amedeus comes venditor.*

1361. Nos Amedeus, comes Sabaudiæ, dux Chablaisii et Augustæ, in Italia marchio et princeps, notum facimus universis præsentibus et futuris has nostras litteras inspecturis et etiam audituris, quod nos scientes et spontanei, non vi, non dolo, non metu ducti, sed de jure nostro certiorati et informati ad plenum, consilio et matura deliberatione præhabitis, considerata utilitate nostra et commodo evidentibus, attendentes contractum hujusmodi fore nobis et nostris certis negotiis utilibus et necessariis fructuosum, pro nobis et nostris heredibus et successoribus, et causam a nobis et nostris habentibus et habituris in posterum, perpetuo vendimus et titulo puræ, perfectæ, perpetuæ, simplicis et irrevocabilis venditionis, damus, cedimus, tradimus, concedimus, deliberamus, mandamus et transferimus jure proprio et in perpetuum Joanni Luyseti de Latigniaco, civi Bellicensi, procuratori, et procuratorio nomine reverendi in Christo patris domini Gulielmi de Martello, Dei et apostolicæ sedis gratia episcopi Bellicensis, ad opus et nomen episcopatus Bellicensis, et per ipsum dominum episcopum suis perpetuo successoribus in episcopatu Bellicensi, ipso procuratore nomine quo supra præsente, emente, recipiente et solemniter stipulante, pro justo et æquivalenti pretio trium millium et octies centum Florenorum auri boni ponderis, quos habuimus et habuisse et recepisse realiter in bonis Florenis auri numeratis confitemur a dicto domino episcopo, per manum dilecti fidelis Petri Gerbaisii de Bellicio, thesaurarii nostri, qui nobis computabit de ipsis, et de quibus ipsum dominum episcopum et suos in perpetuum successores solvimus penitus et quittamus, per pactum irrevocabile dicto procuratori quo supra nomine facienti, recipienti, de ulterius aliquid de dicto pretio non petendo; vendimus, inquam, ut supra, videlicet omnia universa et singula quæ habemus et habere possumus, debemus, nobisque competunt, et competere et pertinere possunt, quocumque titulo, ratione, occasione, seu causa, tam in hominibus, homagiis, redditibus, servitiis, usagiis, tailliis, gardiis, furnis, molendinis, battitoriis, curvatis, angariis, parangariis, terris cultis et incultis, nemoribus, aquis, aquarum decursibus, honoribus, utilitatibus, reclamationibus, bannis grossis et minutis, clamis, emolumentis, obventionibus, possessionibus, proprietatibus quibuscumque, cognitionibus, examinatione et determinatione tutelarum, curarum et quorumcumque actuum legitimorum, datione per se vel per deputandos ab ipso in assisiis et extra, causarum civilium et criminalium quarumcumque decisione, ac etiam mero, mixto imperio et omnimoda jurisdictione alia media et bassa, et omnimoda gladii potestate animadvertendique in facinorosos homines, prout habet et noscitur habere idem dominus episcopus in civitate et territorio Bellicensi, quam rebus, juribus et actionibus corporalibus et incorporalibus, et aliis quibuscumque, ut supra, infra terminos, confines et limites inferius descriptos et designatos, in omnes et singulos homines utriusque sexus infra ipsos confines habitantes et advenas quoscumque et undecunque sint, et qui perpetuo habitabunt, contrahentes et delinquentes, vel convocantes estrangerios, infra quos confines ipse dominus episcopus et sui in perpetuum successores per suos officiarios et gentes possit erigi facere furcas et erectas tenere, et omnia alia instrumenta, ubi et quoties voluerit, ad sententias criminales exsequendas, ipsasque furcas seu patibulum possit semel et pluries erigere, erectas tenere, et divulsas etiam reparare in quocumque loco sibi placuerit infra prædictos confines inferius designandos, necnon mistraliam spectantem infra confines infra scriptos ad dilectum fidelem nostrum Petrum de Onciaco, mistralem Petræ Castri, et Margaritam ejus uxorem, cum omnibus universis et singulis juribus et bannis, clamis, pœnis, mulctis, gagiamentis, concordiis, condemnationibus, et aliis quibuscumque officium mistraliæ tangentibus infra confines eosdem; item hommagium Joannis Marrelli et suorum heredum et successorum et posteritatis ejusdem hominis nostri taillabilis ad tailliam ascensatam, cum omnibus servitiis, usagiis, tailliis et servitutibus in quibus nobis tenebatur ante præsentem venditionem, una etiam cum omni dominio rerum et possessionum pro quibus ipsa taillia, servitia et usagia debentur, et cum omnimoda jurisdictione super ipsum Joannem Marrelli suosque heredes et successores, etiam si plures existerent et facerent plures focos, ubicumque delinquerent infra mandamentum et jurisdictionem Petræ Castri. Item vendimus pro nobis et nostris pretio prædicto dicto Joanni Luyseti, procuratorio nomine prædicto recipienti, omnem feuatariam nobis competentem et competituram, et quibuscumque locis et per quascumque personas solvendam infra limites, jurisdictionem et territorium Bellicense.

Quæ omnia universa et singula vendita idem dominus episcopus et sui successores in episcopatu Bellicensi perpetuo habeant, et teneant in eisdem nobilitate et jurisdictione quibus tenet civitatem et districtum Bellicensem, salvis tamen et retentis nobis et nostris homagiis et feudis nobilibus et nobilium et nobis et nostris specialiter reservatis. Confines vero termini et limites sunt ii : videlicet a limitibus terræ et jurisdictionis Petri Gerbaisii de Bellicio, qui dudum erat mandamenti Rossilionis, scilicet a parte villarum de Magniaco, de Billiaco et de Marrigniaco, usque ad quamdam arborem quercum, vocatam quercum de Chappiusiis, quæ sita est in quodam campo in quo divisæ sunt jurisdictiones Petræ

Castri dicti Petri Gerbaisii, de iis quæ dudum A erant mandamenti Rossilionis, necnon Viriaci et Rupisfortis; et a dicta arbore quercu, recte pertendendo per viam publicam tendentem versus Poilliacum, usque ad quemdam fontem, vocatum fontem de *Evorins;* et a dicto fonte recte pertendendo usque in introitum rochatii, seu montis, vocati de *Myeimont;* et a dicto loco, recte pertendendo inferius semper per summitatem seu crestatam montis de *Myeimont*, usque ad locum vocatum *Rochecorbiery*, supra lacum de *Leysien;* et a dicto loco de *Rochecorbiery*, inferius descendendo, usque ad ripam dicti lacus de *Leysien;* et a dicto loco, semper descendendo inferius per dictam ripam ejusdem lacus, usque ad finem cujusdam campi, seu essarti, Perroneti B Poyrini de Poilliaco et quamdam arborem saugii in dicta ripa ejusdem lacus positam; et a dicto essarto et saugio, recte transversando per mareschatum ejusdem lacus, usque ad quoddam rochatium situatum in alia ripa ejusdem lacus a parte de *Chamoysi*, quod quidem rochatium vocatur *Pas à Lano;* et a dicto loco, recte tendendo superius inter nemus Philipponis Fondra et Humberti Poyrini de Poilliaco, usque ad summitatem montis de *Les Aux;* et a dicto molari de *Les Aux* recte tendendo usque ad molare d'*Armont;* et a dicto molari d'*Armont*, recte protendendo semper per summitatem seu per crestatam montis de *Chamoysi*, usque ad rupem de *Griveyrins;* et a dicto loco de *Griveyrins*, descen- C dendo inferius et transversando per quoddam iter publicum, per quod itur de Bellicio versus Rupemfortem, usque ad crestatam seu summitatem cujusdam molaris vocati de *Escrini*, siti juxta costacium de *Chamoysi*, via publica intermedia; et a dicto molari recte protendendo usque ad rupem de Petra *de les Ryères* (1), seu summitatem nemoris *Descrigni*, quod est Lancelotti de Escruviaco; et a dicto loco, recte ascendendo, usque ad summitatem seu crestatam montium et rupium de ecclesia de *Malbriet;* et a dicto loco, recte tendendo semper per summitatem seu crestatam, usque ad goletum *del Rorret*, alias rupem de Corniola *Bernart;* et a dicto loco usque ad *Lavardour don Siecho;* et ab eodem loco, recte D tendendo, usque ad *la boucheur del mont de Coron;* et a dicto loco, semper tendendo per summitatem et crestatam rupis de *Perey*, usque ad pertuisium de Doucella; et a dicto loco, semper tendendo recte per crestatam seu summitatem, usque ad rupem de Fenestra; et a dicto loco, descendendo recte inferius per quemdam *Dorey*, sive *Touvierey*, inter nemus nostrum de Monte et nemus illorum de *Chinillieu*, usque ad fontem S. Saturnini; et ab ipso fonte S. Saturnini, recte transversando per campos de *la Champagne*, usque ad magnum iter, seu viam publicam per quam itur de Bellicio versus Petram Castrum; et a dicto loco, recte tendendo semper per viam publicam quæ situata est inter grangiam *Dimiery* E et salicetum vocatum de *La Larmissiery*, per locum de *La Tieillry*, usque ad fluvium Rhodani; et a dicto loco, descendendo inferius semper per ripam ejusdem fluvii Rhodani, ipsa ripa remanente semper eidem domino episcopo et ejus successoribus, usque ad aquam seu rippariam de *Furans;* et a dicto loco, ascendendo superius semper per filum seu medium ejusdem aquæ, seu rippariæ de *Furans*, usque ad metas antiquas territorii et jurisdictionis Bellicensis; et infra prædictos confines sunt villæ de Chatono, de S. Campo, de Magniaco, de Musino, de Corone, de Lassigniaco, de Barbaco et de *Breins*, cum quatuor hospitiis alibi infra dictos confines et limites existentibus.

(1) Alias *Les Ryres*.

De quibus omnibus universis et singulis, venditis prout supra, cum pertinentiis, appenditiis et juribus quibuscumque, nos et nostros devestientes, ipsum procuratorem, procuratorio nomine quo supra, per concessionem præsentium investimus, et in possessionem corporalem, vel quasi, ponimus de eisdem, ad habendum, tenendum, gaudendum et perpetuo possidendum et suam faciendum omnimodam voluntatem; nihil juris, actionis, dreituræ, proprietatis, possessionis, dominii, vel alterius reclamationis in prædictis venditis et quolibet ipsorum, ut supra, penitus retinentes; sed omnia jura omnesque actiones, reales et personales, civiles, prætorias et mixtas, utiles et directas, nobis competentia et competentes in præmissis venditis et quolibet eorumdem, ut supra, in ipsum dominum episcopum et suos successores perpetuo transferimus et transportamus, ita quod ipsis juribus et actionibus ipse dominus episcopus et sui successores agere et experiri possint, uti, gaudere, et se tueri prout et quemadmodum ante dictam venditionem quomodolibet poteramus, facientes et constituentes ipsum dominum episcopum et suos successores in his singulis et omnibus, venditis ut supra, verum procuratorem et dominum ut in re sua propria bene et legitime acquisita; constituentes nos ea omnia et singula, vendita, ut præfertur, precario nomine, ad opus et nomine dicti domini episcopi et successorum suorum, tenere et possidere, quousque ipsorum omnium idem dominus episcopus vel successores sui, per se, vel per alium, possessionem fuerint adepti veram et corporalem; quam possessionem adipiscendi, intrandi, et perpetuo retinendi dicto domino episcopo et suis successoribus damus et concedimus plenariam potestatem, et speciale et irrevocabile mandatum sua auctoritate propria, sine mandato alicujus in præmissis; mandantes et præcipientes expresse tenore præsentium baillivo nostro Beugesii et castellanis nostris Rossilionis, Rupisfortis, Petræ Castri et Coronis, et omnibus aliis officiariis nostris quibuscumque, ad quos pertinet et poterit in posterum pertinere, qui nunc sunt et qui pro tempore fuerint perpetuo, aut eorum loca tenentibus, quatenus omnia universa et singula supra dicta teneant, custodiant firmiter et observent, dictoque domino episcopo et suis successoribus manuteneant, et defendant ab omnibus et contra omnes, et non contra faciant quomodolibet, vel attentent; mandantes etiam omnibus universis et singulis hominibus et personis utriusque sexus, præsentibus et futuris, infra dictos confines habitantibus et residentibus et advenis quibuscumque, quatenus in et super prædictis omnibus et singulis, venditis ut supra dicto domino episcopo et suis successoribus, perpetuo obediant, respondeant, pareant totaliter et intendant indilate, sine alterius exceptione mandati; sicut et quemadmodum nobis ante præsentem venditionem solvere, respondere, parere et obedire tenebantur per modum superius designatum; et nos, facta dicta responsione et recognitione, ipsos omnes et singulos de et super his omnibus et singulis solvimus in perpetuum et quittamus; præcipientes et mandantes insuper tenore præsentium magistris et receptoribus computorum nostrorum quatenus reditus, exitus, taillias, gardias et alia omnia prout superius exprimuntur de computis nostris detrahant et deducant sine difficultate quacumque; promittentes bona fide

et per juramentum nostrum ad sancta Dei evangelia corporaliter præstitum, dicto procuratori nomine quo supra stipulanti et recipienti per pactum expressum solemni stipulatione vallatum pro nobis et nostris in perpetuum, quos et eorum bona ad prædicta et infra scripta tenenda et observanda ex nunc prout ex tunc obligamus et adstringimus expresse, obligatosque esse volumus perpetuo et adstrictos, et sub obligatione omnium bonorum nostrorum præsentium, et futurorum quorumcumque prædicta omnia universa et singula vendita cum juribus et pertinentiis eorumdem dicto domino episcopo et suis successoribus in episcopatu Bellicensi in perpetuum manutenere, defendere et garantire ab omnibus et contra omnes in judicio et extra, nostris tamen sumptibus et expensis, et omnem quæstionem et litem pro ipso domino episcopo et suis prædictis successoribus in qualibet parte judicii super prædictis, si moverentur, in nos et nostros assumere, omni necessitate denuntiandi cessante penitus et remissa, omne onus evictionis in nos et nostros totaliter assumendo; eaque omnia universa et singula supra dicta rata, grata et firma, valida habere, custodire, attendere et salvare, et non contra ullo tempore facere, vel venire, opere, consensu, favore, aut alio quovis modo, tacite, vel expresse, in judicio vel extra, aliqua occasione seu causa, de jure vel de facto; promittentes sub juramento et obligationibus quibus supra facere et procurare omnimode cum effectu quod dicti Petrus de Onciaco, mistralis Petræ Castri, et Margarita ejus uxor, infra duos menses postquam fuerimus in Sabaudia, prædictam venditionem, et omnia universa et singula supradicta ratificabunt et perpetuo solemniter confirmabunt, in quantum ipsos et eorum quemlibet tangit et tangere potest et debet, cum debitis obligationibus, juramentis, cautelis et renuntiationibus opportunis. Quocirca nos præfatus comes, de nostra certa scientia et sub virtute præstiti juramenti, renuntiamus in hac parte specialiter et expresse omni actioni et exceptioni doli mali, metus, et in fraudem dictarum venditionis, devestituræ, confessionis, pacti de non petendo promissionis, obligationis et omnium præmissorum non sic factorum, seu non rite et legitime factorum, conditioni sine causa, vel ex injusta causa, dictorum Florenorum non habitorum, non receptorum, spei receptionis et numerationis futuræ, rei minori pretio, vel minus dimidia justi pretii venditæ subsidio. Et ne possit objici per nos dolum causam dedisse contractui præsenti, vel incidisse in conditionem juris per quod deceptis in jure subvenitur et omni alii juri scripto, non scripto, canonico, prætorio et civili, consuetudini et statuto, per quæ seu aliquod ipsorum contra prædicta, vel ipsorum aliqua possemus facere, vel venire, aut in aliquo nos tueri, et præcipue juri dicenti generalem renuntiationem non valere nisi præcesserit specialis. Et ut præmissa omnia et singula, prout jacent superius, perpetuam obtineant firmitatem, præsentes litteras appositione nostri magni sigilli fecimus roborari et muniri. Datum in castro nostro Pinerolli, die decima tertia mensis Februarii, anno Domini 1360. Per dominum, præsentibus Guillelmo de Balma et Joanne Ravasii cancellario. Jo. de Marsio.

XIX.

Joannes, abbas S. Sulpicii, Burbelleriæ decimam locitat. *Ex archivo Burgensi.*

ANNO Domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indictione quarta, die secunda mensis Julii, per hoc præsens publicum instrumentum cunctis fiat manifestum quod reverendus in Christo pater et dominus dominus Joannes de *Argil*, abbas S. Sulpitii, sciens et spontaneus, nomine suo ac totius sui conventus, accensat et nomine censæ dat, tradit et concedit pro anno præsenti Petro Reynardi de Viriaco Magno, præsenti et recipienti, decimam suam Burbelleriæ, pretio octo sestalium siliginis et octo sestalium hordei ad mensuram granarii abbatiæ S. Sulpitii: quam bladi quantitatem promittit dictus Petrus dicto domino abbati, præsenti et recipienti, nomine suo et conventus sui, bonam fidem agnoscendo per juramentum suum et cet., solvere, dare et tradere in pace et sine lite eisdem dominis abbati et conventui in granario abbatiæ, sine aliqua exceptione, hinc ad festum proximum Purificationis B. Mariæ Virginis una cum damnis et cet., cum druliis consuetis pro conventu et granaterio; renuntians omni juri, et cet. 1381.

Actum apud S. Sulpitium, infra stupam abbatiæ. Frater Stephanus *Anermas*, monachus et celarerius S. Sulpitii; Humbertus Belli; Petrus Galleti curati, et Thomassetus de Turre rendutus S. Sulpitii, testes ad præmissa vocati et rogati.

XX.

Joannes, abbas S. Sulpitii, Prumilliari decimam locitat. *Ex archivo Burgensi.*

ANNO Domini millesimo trecentesimo octuagesimo secundo, indict. quinta, die vicesima secunda mensis Julii, per hoc et cet., quod reverendus in Christo pater et dominus dominus Joannes de *Argil*, abbas S. Sulpitii, sciens et spontaneus, nomine suo et totius sui conventus, accensat et nomine censæ tradit et concedit pro anno præsenti, secundum bonos usus et consuetudinem patriæ et loci, Thomasseto de Turre, renduto S. Sulpitii, Petro Berruerii de Armisio et Guiffredo donato domini Thomæ de Chamburtio, curato quondam Armisii, præsentibus et recipientibus, et cuilibet ipsorum in solidum, decimam Prumilliaci, pretio septuaginta quatuor sextariorum boni bladi ad mensuram granarii abbatiæ, videlicet octo sextariorum frumenti, octo sextariorum siliginis, trium sextariorum hordei pelati, unius sextarii leguminis, viginti sextariorum hordei communis et triginta quatuor sextariorum avenæ, cum druliis consuetis, videlicet una canali muthonis, uno floreno pro granatario et uno bicheto frumenti pro me notario infra scripto. Quod bladum promittunt dicti accensati per juramenta sua et cet. solvere in granario abbatiæ, et omnia alia prædicta hinc ad festum proximum Purificationis B. Mariæ Virginis, una cum damnis et cet. Ad quæ omnia prædicta attendenda et complenda, ad preces et requisitionem dictorum accensatorum, se constituunt fidejussores unus pro alio et ad requisitionem dicti Thomasseti et pro ipso Jacommetus *Eschalons* de Prumilliaco in solidum, et ad requisitionem dicti Guiffredi et pro ipso Joannetus Bertini de Armisio, et pro Petro Berruerii, pro ipsis duobus, pro duabus partibus ipsius decimæ. Qui promittunt per juramenta sua et cet. Quos quidem fidejussores promittunt dicti principales ser- 1382.

vare indemnes de prædictis et renuntiant omni juri et cet.

Actum apud S. Sulpitium, ante domum porteriæ. Testes Guillelmus de Longa Comba domicellus, dominus Perretus Balli, sacerdos vicarius Armisii, et Humbertus Bertini rendutus S. Sulpitii.

XXI.

Ex archivo Burgensi. *Cujusdam decimæ locatio a Joanne, S. Sulpitii abbate, facta.*

1386. Anno Domini millesimo tricentesimo octuagesimo sexto, indict. nona, die octava mensis Julii, per hoc etc. etc., quod reverendus in Christo pater et dominus dominus Joannes de *Argil*, abbas S. Sulpitii, sciens et spontaneus, nomine suo et totius sui conventus, tradit et concedit ad censam et nomine censæ, pro anno præsenti, Jacquemeto Barberii habitatori Armisii, præsenti et recipienti, decimam ad ipsos dominos abbatem et conventum pertinentem apud Nyvoletum et *Egion*, supra Rossillionem, secundum bonos usus et consuetudines patriæ et loci, pretio quatuor sextariorum boni bladi ad mensuram granarii abbatiæ S. Sulpitii, videlicet trium sestalium frumenti, trium sestalium siliginis, unius sextarii hordei et duorum sextariorum avenæ, solvendorum per juramentum suum et cet., et sub obligatione omnium bonorum suorum præsentium et futurorum in granario abbatiæ hinc ad proximum festum Purificationis B. Mariæ Virginis, una cum damnis, et cet.; una cum tribus denariis grossis pro granaterio. Pro quibus melius persolvendis et attendendis, et requisitionem dicti Jacquemeti principalis debitoris se constituit fidejussorem penes dictum dominum abbatem et me notarium, et cet., videlicet Jacquemetus Fornerii de Prumilliaco in solidum: qui quidem fidejussor promittit et cet., quem servare promittit indemnem de prædictis.

Actum apud S. Sulpitium, ante domum portariæ. Testes Petrus Trolleti, Petrus a Labalessa de S. Sulpitio Veteri, et Joannes Bertheti de Prumilliaco. Ita est per me Antonium Picardi.

XXII.

F. Guich. Chron. serie. *Radulfus præsul castro Bellicensi custodiendo Jacobum Castinellum præficit.*

1413. Radulfus, Dei et apostolicæ sedis gratia Bellicensis episcopus, universis serie præsentium fieri volumus notum, quod nos de diligentia, discretione, legalitate et probitate dilecti nostri nobilis viri Jacobi Castinelli, domicelli, et mistralis nostri Bellicensis ad plenum confidentes, eumdem Jacobum præsentium tenore facimus, constituimus et creamus capitaneum mœniorum, clausurarum et fortalitii civitatis nostræ Bellicensis, ad salarium per syndicos consules in talibus dari consuetum et constitutum, et hoc quamdiu bene fecerit et nobis placuerit, dantes et concedentes per præsentes dicto Jacobo capitaneo prædicto præfatum officium capitanatus tenendum, regendum, gubernandum et exercendum, et generaliter omnia faciendum, procurandum et exercendum quæ ad dictum officium pertinent et incumbunt. Necnon eidem damus, ut supra, potestatem et auctoritatem dictam civitatem claudendi, portas firmandi, excubias et guardias tam nocte quam die contra inimicos ordinandi et servari faciendi, prout necesse fuerit et opportunum, sub stipendio et salario per dictos A syndicos et cives aliis capitaneis dari solito, ita quod nos exinde sibi in salario alio, vel stipendiis, occasione dicti officii minime teneamur quoquo modo. Mandantes præterea omnibus et singulis nobis subditis et aliis quibus pertinet, quatenus dicto Jacobo tanquam vero capitaneo fortalitii et custodiæ nostræ civitatis Bellicensis circa ea quæ dicto officio incumbunt pareant efficaciter et intendant. Ipse autem Jacobus capitaneus præfatus nobis promisit ad sancta Dei evangelia nobis et dictæ civitati nostræ et singulis nostris incolis et civibus esse fidelis et obediens, dictamque fortificationem procurare fideliter et diligenter, nemini parcendo, custodiamque civitatis, excubias et vigilias procurare ab his qui tenentur in pecu- B niis, vel alias sunt adstricti, ratione fortalitii de tempore præterito procurare, restitui et persolvi, ad opus et utilitatem dictæ fortificationis, et computa reddi legitima cum restitutione residui, vocatis vocandis, nemінemque ratione dicti officii minus juste opprimere seu gravare, nec alicui favere, dictumque officium diligenter, probe et fideliter exercere, omni odio, favore, pretio, vel timore postpositis, et generaliter omnia alia quæ dicto incumbunt officio fideliter facere, complere et procurare et exercere; in quorum testimonium præsentes nostras litteras eidem concessimus, sub sigillo nostro rotundo, die quinta mensis Decembris, anno Domini MCC- C CCXIII.

XXIII.

Guillelmus præsul, adversus syndicum civium Bellicensium litigans, sententiam obtinet.

In nomine Domini Amen. Anno ejusdem Domini 1431, die prima mensis Decembris, assi- 1431. gnatis per nos consilium illustrissimi principis domini nostri domini Amedei, ducis Sabaudiæ, Camberiaci residens, partibus inferius nominatis, ad comparandum Camberiaci ante tertiam (horam) coram nobis, et super ipsas partes jus et sententiam diffinitivam per nos proferendam, in et super quadam appellationis causa coram nobis D aliquandiu ventilata et adhuc vertente inter reverendum in Christo patrem et dominum dominum Guillelmum, miseratione divina Bellicensem episcopum, et nobilem Georgium de Layoliis, præpositum antedicti Bellicii, appellatos, ex una, et Jacobum Danielis, appellantem, ex alia partibus, videndum et audiendum peremptorie et precise, prout de dicta appellatione nobis constat, quodam memoriali a nobis die vigesima sexta proxime præteriti mensis Novembris emanato actis dictæ causæ annexo. Quibus die et loco et hora, dictæ assignationis vigore, comparuerunt judicialiter coram nobis consilio memorato Jacobus *Tropt*, procurator substitutus per Humbertum Rigotonis procuratorem, ut in actis dictæ E causæ, et procuratorio nomine præfati domini Bellicensis episcopi conappellati, prout de dictis constitutione et substitutione nobis constat, duobus publicis instrumentis per dictum Jacobum in dicta causa die vigesima sexta mensis Februarii proxime præteriti productis et designatis, et etiam procuratorem, ut in eisdem actis, et procuratorio nomine dicti nobilis Georgii de Layoliis, præpositi Bellicii conappellati, prout etiam de sua potestate comparendi fidem debitam in dicta causa fecit pro dicto Georgio, quodam alio instrumento per eum in eadem causa dicta die producto et designato, ex una, et Joannes Frumenti, procurator apud acta dictæ causæ constitutus per dictum Jacobum Danielis

appellantem, et procuratorio nomine ipsius, prout de hujusmodi constitutione nobis constat, quodam memoriali a nobis dicta die vigesima sexta mensis Februarii emanato, actis dictæ causæ annexo, ex alia partibus : petentes dictæ partes et requirentes hinc inde per nos super et in dicta appellationis causa diffiniri, et jus dici juxta dictæ appellationis formam.

Et nos memoratum consilium, præmissis auditis, viso prius libello appellatoris prædicti Jacobi Danielis conappellantis partis, die vigesima sexta mensis Februarii coram nobis oblato, cujus tenor sequitur, qui talis est :

Coram vobis, venerabili consilio illustris et excelsi principis domini nostri domini Amedei, ducis Sabaudiæ, Camberiaci residenti, dicunt, asserunt et judicio proponunt Jacobus Danielis et Petrus Aymonini, syndici et procuratores communitatis et civitatis Bellicensis, et seu eorum nominibus propriis quantum ipsos tangit seu tangere potest particulariter et divisim appellantes, seu eorum legitimus procurator, contra et adversus nobilem Georgium de Layoliis, assertum vice-præpositum Bellicii, et discretum virum Humbertum Rigotonis, assertum procuratorem reverendi in Christo patris et domini domini Guillelmi, miseratione divina Bellicensis episcopi, appellatos, seu contra quemcumque alium pro ipsis appellatis in judicio legitime intervenientem, quod ipsi Georgius et Humbertus appellati, de anno præsenti, currente anno Domini millesimo quatercentesimo trigesimo primo, et die sexta mensis Februarii, dictis Jacobo et Petro, vel procuratoribus et syndicis dictæ civitatis, voluntarie et de facto, sine judiciali cognitione, injunxerunt, seu dictus Georgius injunxit, quatenus omnes et singulas informationes facientes ad opus fortificationum civitatis Bellicensis eidem Georgio tanquam vice-capitaneo Bellicensi traderent et expedirent, ut, sicut ipse asserebat, compellere posset debentes in fortificationem civitatis Bellicensis prædictæ; et deinde, die decima dicti mensis Februarii, idem asserti procurator et vice-præpositus eisdem injunxerunt quod responderent quibusdam processibus contra eos formatis tanquam jurisdictionem præfati domini Bellicensis enervantes, et conventicula, ut dicebant, facientes, et sub pœna viginti quinque librarum fortium; assignaveruntque dictum Petrum Aymonini ad diem lunæ tunc sequentem, compariturum personaliter in bancha curiæ præpositi Bellicii responsurum intitulatis et intitulandis in eum, et sub pœna prædicta. A quibus quidem injunctionibus dicti syndici et procuratores existentes infra legitima tempora, suis syndicario et procuratorio nominibus antedictis, in scriptis appellaverunt et apostolos petierunt. Qui Georgius et Humbertus eisdem nullum responsum dederunt. Unde, cum prædictæ injunctiones et pœnæ impositiones sint et fuerint ipso jure nullæ, aut saltem iniquæ et injustæ, tum quia præcipitanter et ex abrupto, tum quia sine judiciali cognitione factæ fuerunt, tum quia communitas Bellicensis habet capitaneum per serenissimum principem dominum nostrum Sabaudiæ ducem eisdem ordinatum, cui capitaneo ipsas informationes tradiderunt, et easdem dictis assertis vice-præposito et procuratori tradere non debebant, tum quia ipsis non debet fieri processus nisi mediante denuntiatore, qui teneatur idonee cavere, et præsertim in isto casu, et hoc secundum formam et tenorem franchesiarum eisdem concessarum; et sic, quia non haberent denuntiatorem, qui cavisset, non debebat eisdem fieri processus; tum quia omnes officiarii Bellicenses
A tenentur jurare franchesias ipsorum civilem, suburbanorum, incolarum et habitantium civitatis Bellicensis; alias omne quod sit per ipsos est irritum, nullius valoris et momenti; tum quia ipsi officiarii ipsas franchesias jurare noluerunt, licet eisdem fuerint præsentatæ; tum quia pluribus rationibus suis, loco et tempore proponendis, et si necesse fuerit probandis. Quapropter cum ipsi appellantes sint intentionis prosequi eorum appellationem, coram vobis agunt contra ipsos appellatos, et petunt a vobis dicto venerabili consilio pronuntiari et declarari dictas injunctiones et pœnarum impositiones esse et fuisse nullas in casu quo de nullitate potuerunt redargui, aut saltem iniquas et injustas, et per
B consequens per ipsos appellantes bene fuisse appellatum et ad vos recursum, et per ipsos appellatos male fuisse processum; protestantes de expensis factis et fiendis, vestrum officium super ante missis humillime implorando. Et prædicta dicunt et proponunt ipsi appellantes contra ipsos appellatos non in modum solemnis libelli, sed simplicis petitionis, summarie, simpliciter, et de plano, secundum formam et tenorem novorum Sabaudiæ statutorum, edicti perpetui beneficio semper eisdem salvo.

Petrus de Calcibus, visis, inquam, quodam publico confirmationis libertatum et franchesiarum Bellicii et quodam altero publico appellationis instrumentis, dicti Jacobi Danielis parte
C die quinta mensis Martis in causa productis, necnon quibusdam pergamineis litteris a prælibato domino duce emanatis die decima nona mensis ejusdem in causa productis, viso quoque quodam publico injunctionis instrumento prædicti Jacobi Danielis parte die vigesima quarta mensis ejusdem ad justificationem prætensi gravaminis in causa producto, visa insuper cedula pro parte reverendi in Christo patris et domini episcopi Bellicensis et ejus præpositi appellatorum parte die decima septima mensis Aprilis in causa producta, visis itaque cedula et positionibus dictorum appellatorum parte die secunda Maii in causa productis, responsionibusque ad easdem ex adverso factis, et testium examinatorum super eisdem
D attestationibus, visis et subsequenter instrumentis libertatum et franchesiarum civium Bellicii, duobus injunctarum pœnarum publicis instrumentis, litteris dominicalibus et litteris excommunicatoriis a domino officiali Bellicensi emanatis, prædicti Jacobi Danielis conappellantis parte ad justificationem sui libelli appellatorii die secunda Junii in causa productis, visa quoque renuntiatione litis et causæ coram nobis per Petrum Picoti alias Aymonerii, conappellantem, die vigesima septima mensis ejusdem coram nobis facta, visis subsequenter quodam privilegio imperiali, litteris transactionis dudum factæ inter illustrem tunc dominum comitem Sabaudiæ et reverendum in Christo patrem tunc Bellicensem
E episcopum, datis anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo, die Veneris crastina B. Matthæi apostoli, tribus litteris dominicalibus, duobus publicis instrumentis, tribus processibus, inquisitionalibus litteris, et aliis documentis pro parte reverendi in Christo patris domini episcopi Bellicensis et sui prædicti præpositi die octava mensis Augusti in causa productis, pronuntiationeque die prima mensis Septembris per nos facta, qua declaravimus secundum fatale dicto Jacobo Danielis conappellanti competere et competiisse, visis denique duabus litteris dominicalibus dicti Jacobi Danielis parte die decima sexta mensis Octobris in causa productis, allegatis et fieri requisitis, sedentes pro tribunali, more

majorum, Deum et Sacras Scripturas oculis præhabentes et nihil de contingentibus obmittentes, sed servatis solemnitatibus in talibus opportunis, Dei nomine invocato, et, signum sanctæ crucis faciendo, dicentes : *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen :*

Quia per aliqua quæ pro parte dicti Jacobi Danielis fuerunt proposita et producta, ipsius intentionem, quam in suo libello appellatorio non comperimus sufficienter probatam nec etiam justificatam, maxime consideratis et attentis ex adverso propositis, productis et probatis, quapropter his et aliis justis rationibus et causis nos ad hæc moventibus et movere debentibus, per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam in his scriptis ferimus, pronuntiamus et declaramus per dictum Jacobum Danielis conappellantem male et indebite fuisse provocatum et appellatum, et bene et legitime ad pœnales injunctiones contra ipsum fuisse processum, condemnantes dictum Jacobum Danielis in personam dicti Joannis Frumenti, ejus procuratoris, dictumque procuratorem procuratorio nomine ipsius, in expensis in præsenti instantia quatenus ipsum concernit factis, in quibus tamen neutra partium exstitit condemnata, ipsarum taxatione nobis in posterum reservata; a qua quidem sententia nostra, per nos ut supra lata, dictus Joannes Frumenti, procuratorio nomine prædicto, incontinenti nobis adhuc pro tribunali sedentibus, viva voce supplicavit, apostolosque, seu litteras dimissorias per nos sibi dari petiit sæpe, sæpius et sæpissime; quam quidem supplicationem non recipimus nec admittimus, nisi et in quantum de jure recipienda est admittendaque, et non alias nec ultra. Hanc autem responsionem nostram loco apostolorum, litterarum dimissoriarum talium, quales de jure concedendi veniunt, eidem supplicanti concedentes.

Data, lata et lecta fuit hæc nostra sententia diffinitiva in castro Camberiaci, loco in quo jura per nos partibus reddi sunt solita, anno et die primo scriptis, in concilio præsentibus domino Lamberto Oddineti præsidente, Antonio Carioni et Joanne Oddineti, judice Chablaysii, in absentia Stephani Rosseti. Signatum Fabri.

XXIV.

E Guichen. Ser. Chronol.

Ludovicus, Sabaudiæ dux, Bellicensis episcopi privilegia confirmat.

1454.

Ludovicus, dux Sabaudiæ, Chablaysii et Augustæ, sacri Romani imperii princeps vicariusque perpetuus, marchio in Italia, princeps Pedemontium, Gebennesii et Baugiaci comes, baro Vuaudi ac Faucigniaci, Niciæque Vercellarum et Friburgi dominus, dilectis consiliis nobiscum et Chamberiaci residentibus, necnon baillivo, judici et procuratori Beugesii, etiam et procuratori fiscali, castellanisque Jennæ, Pontisbelli Vicini, Rossellionis, Castrinovi, Seysselli, S. Genesii, ac ceteris officiariis nobis tam mediate quam immediate submissis, præsentibus et futuris, ad quos spectat et præsentes pervenerint, seu illorum loca tenentibus, salutem. Visis supplicatione his annexa, necnon libertatibus, largitionibus imperialibus juribusque, etiam transactionibus inter illustres prædecessores nostros ex una, et quondam episcopos Bellicenses ex alia factis, in ea mentionatis, consideratisque in eis contentis, nolentes, prout nec æquitas justitiæ suadet, jurisdictionem reverendi in Christo patris, compatris et consiliarii nostri carissimi, episcopi Bellicensis supplicantis, enervari, seu alias quomodolibet
A infringi, quin imo transactiones et jura ipsius episcopi de puncto ad punctum observari affectantes, certisque aliis justis ac laudabilibus moti respectibus, vobis ac vestrum cuilibet in solidum districte committimus ac mandamus, sub pœna ducentarum marcharum argenti per vestrum quemlibet qui non paruerit committenda et nobis irremissibiliter applicanda, quatenus ipsas omnes et singulas transactiones juraque et libertates ipsius ecclesiæ juxta illarum formam, continentiam et tenorem, teneatis, attendatis et inviolabiliter observetis, tenerique et attendi et inconcusse observari per quoscumque faciatis illæsas, necnon contra illarum formam quicquam faciatis vel attentetis, fierive seu attentari per quemquam
B patiamini, aut permittatis, quin imo secus attentata et in præjudicium ipsarum ad pristinum et debitum statum reducatis, quæ nos etiam reducimus et reducta esse volumus per præsentes, quibuscumque frivolis appellationibus rejectis et non obstantibus, etiam absque alterius exspectatione mandati, in quantum dicta pœna vos formidatis affligi. Datum Chamberiaci die 18 Junii, anno Domini 1454. Per dominum, præsentibus dominis Ja., ex comitibus Vallispergis, cancellario Sabaudiæ; Ja. de Balma de Albergo; Petro de Balma de Rupis; Ludovico *Sestasses,* conservatori generali; Martino *Le Franc,* magistro requestarum; Francisco de Thomatis, præsidente Gebennesii; Ponterio Chabodi; Philiberto de *Montouz;*
C Stephano Scalliæ; Mermeto de Jugis, advocato fiscali.

XXV.

Innocentius papa regularibus Bellicii episcopis, etiam ordini S. Benedicti aggregatis, permittit ut vestem canonicorum regularium induant. E Guich. Chron. Serie.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Joanni, episcopo Bellicensi, salutem et apostolicam benedictionem. Exigit tuæ devotionis et sinceritatis affectus quem ad nos et Romanam ecclesiam gerere comprobaris, ut petitionibus tuis quantum cum Deo possumus fa- 1484.
D vorabiliter annuamus. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum ecclesia Bellicensis, cui præesse dignosceris, ordinis S. Augustini existat, et canonici ejusdem ecclesiæ dicti ordinis habitum cum rocheto lineo continuo gestent, tuque, qui eo tempore quo de persona tua eidem ecclesiæ provisum exstitit habitum ordinis S. Benedicti, quem professus fuisti, gestaveris, prout geris de præsenti, pro majoris dignitatis episcopalis decore et Christi fidelium erga dignitatem ipsam veneratione, te sub uno atque eodem habitu cum canonicis prædictis conformare, et rochetum ad instar illorum gerere tibi et successoribus tuis episcopis Bellicensibus qui fuerint pro tempore, si forsitan dicti S. Benedicti,
E vel alterius ordinis, tempore quo de persona ipsorum præfatæ ecclesiæ provideri contigerit, professores exstiterint, hoc specialiter per sedem apostolicam indulgeri desideras. Nos igitur te ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris et pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, quo ad hoc ut præsentium duntaxat consequaris effectum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, qui orator ad nos pro dilecto filio nobili viro Carolo duce Sabaudiæ destinatus fuisti, quod tu et successores tui episcopi Bellicenses qui fuerint pro tempore præ-

dicti, si forsan, tempore quo de personis eorum dictæ ecclesiæ Bellicensi auctoritate apostolica providebitur, alicujus præterquam S. Augustini ordinis professores fuerint, in habitu cum canonicis dictæ ecclesiæ in ipsa duntaxat ecclesia Bellicensi ad instar canonicorum prædictorum te conformare libere ac licite possis et valeas, ac possint et valeant, quod tu dicti ordinis S. Benedicti professus sis, ut præfertur, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon ecclesiæ Bellicensis et prædictorum ac aliorum quorum successores ipsi professores fuerint ordinum statutis et consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus auctoritate apostolica tenore præsentium, de speciali gratia, concedimus pariter et indulgemus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis et indulti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarn. Dominicæ 1484, calendis Martii, pontificatus nostri anno primo.

XXVI.

F. Guich. Chron. Serie.

Curiæ Romanæ sententia de dissidiis inter Bellicensem episcopum et Bellicense capitulum exortis.

1501. In nomine Domini amen. Nos Petrus de Accoltiis, utriusque juris doctor, domini nostri papæ capellanus, ac referendarius domesticus, et ipsius sacri palatii apostolici cantor, causæque et causarum ac partibus infra scriptis ab eodem domino nostro papa auditor specialis deputatus, universis et singulis præsentis publici instrumenti seriem et tenorem inspecturis notum fieri volumus, quod dudum sanctissimus in Christo pater ac dominus noster dominus Alexander, divina providentia papa sextus, quamdam commissionem, sive supplicationem, papyri cedulam, nobis per certum suum cursorem præsentari fecit, quam nos cum ea qua decuit reverentia recepimus hujusmodi sub tenore :

Beatissime pater, orta olim materia differentiæ inter reverendissimum patrem dominum Joannem, episcopum modernum Bellicensem ex una, et devotos vestros oratores priorem, canonicos et capitulum ecclesiæ Bellicensis parte ex altera, de et super jurisdictione, visitatione, (jure) corrigendi et puniendi canonicos et incorporatos dictæ ecclesiæ, nonnullaque beneficia conferendi et instituendi in eisdem, nonnullosque actus jurisdictionales tunc hinc inde expressos exercendi, quos episcopus ad se licet falso spectare prætendebat, episcopus, prior et capitulum præfati ad certam inter se de et super differentiis hujusmodi devenerunt concordiam, postmodum per sanctitatem vestram auctoritate apostolica confirmatam et approbatam, etiam cum suppletione defectuum, prout in instrumento publico ac litteris apostolicis desuper confectis plenius continetur; cumque, post concordiam et confirmationem hujusmodi, nonnulla damna in quadam silva Rotona nuncupata, in diœcesi Bellicensi existente, et ad capitulum dictæ ecclesiæ spectante et pertinente, clandestine et furtive data et illata fuissent, priorque et capitulum præfati malefactores et damna hujusmodi dantes ignorarent, monitorium generale contra damna hujusmodi dantes, et scientes et non revelantes, sub certis pœnis obtinuerunt et exsequi fecerunt, in parrochiali ecclesia dictæ civitatis, et alia fecerunt, prout in illo et executione ipsius quæ omnia et pro expressis etiam plenius continentur. Cives vero dictæ civitatis, quia forsan ligna in dicta silva inciderant, et damna intulerant, dicto monitorio se opposuerunt, asserentes, licet falso, dictam silvam ad eos spectare, iisque licere scindere ligna et capere de dicta silva, causamque contra episcopum, priorem et canonicos ac capitulum consilio Chamberiaci, curiæ sæculari domini ducis Sabaudiæ, committi fecerunt, litigatoque aliquandiu inter partes prædictas, nonnullæ ordinationes, sive sententiæ, in favorem prioris et capituli contra dictos cives latæ fuerunt, appellatumque pro parte dictorum civium, adjunctoque sibi dicto domino episcopo, asserente omnimodam jurisdictionem circa dictam silvam et totam diœcesim ad se spectare. Cum partes ipsæ super differentiis hujusmodi plures compromisissent in certos arbitros et amicabiles compositores, materiaque differentiæ hujusmodi sic penderet, præfatus dominus episcopus, fingens super præmissis concordiam tractare velle, canonicos præfatos ad se vocari fecit; cumque nonnulli et major pars ex ipsis ad domum episcopalem accessissent, dictus dominus episcopus eosdem per violentiam detineri fecit, ac eisdem mandavit ut nonnullis pro parte ipsius domini episcopi intitulandis respondere deberent sub certis pœnis, canonicique sic detenti respondissent etiam dictum dominum episcopum in eos non habere jurisdictionem, sed priorem dictæ ecclesiæ fore eorum superiorem et omnimodam in eos habere jurisdictionem, præfatusque dominus episcopus respondisset, quod *si prior esset eorum coram eo, ipsum poneret in fundo turris et ipsos canonicos desuper*, multaque verba comminatoria contra eosdem canonicos tunc coram se existentes protulit, per quæ metu coacti fuerunt respondere intitulatis pro parte dicti episcopi, et præsertim nonnullis contentis in dicta transactione concordiæ, protestantes primo quod quidquid agerent et dicerent metu agebant et dicebant, et quod non noceret jurisdictioni et bono juri prioris et ipsius capituli, litterasque desuper testimoniales a notario super præmissis petendo, responsaque sic metu extorta, eosdem sic detentos canonicos liberavit devotumque oratorem vestrum Guigonem Maconi, canonicum et thesaurarium dictæ ecclesiæ, ut sub pœna excommunicationis et centum ducatorum infra horam comparere deberet coram eodem episcopo ad respondendum similiter intitulandis monuit; et quia idem orator, prout nec tenebatur, metu carcerum et propter defectum jurisdictionis non competentis, in eum comparere recusavit, a dicto præcepto sive citatione appellando, idem vero episcopus eumdem Guigonem iterum citari mandavit sub pœna excommunicationis et aggravationis, ac ducentarum librarum, ut responderet deberet, alias ad declarationem pœnarum contra eumdem procederet. A quibus citatione, mandato primo, ut præfertur, et postmodum iterum a comminatione pœnarum et censurarum, et nonnullis aliis gravaminibus eidem oratori illatis, pro parte ejusdem oratoris appellatum exstitit. Sed, appellatione hujusmodi nonobstante, idem dominus episcopus ad declarationem et aggravationem prætensarum censurarum et pœnarum processisse dicitur, temere attendendo. A quibus omnibus gravaminibus ei et canonicis sic illatis et inferendis, idem Guigo, suo et dicti capituli nominibus, iterum, ut præfertur, ad sanctitatem vestram et sedem apostolicam appellavit, et cum, nonobstantibus appellatione ac concordia et confirmatione prædictis, idem episcopus canonicos

et capitulum præfatos visitare vellet, ipsique (prout etiam non tenebantur) se visitare non paterentur, nisi juxta tenorem transactionis factæ inter eosdem episcopum, priorem et canonicos, et confirmationis desuper obtentæ, prout eidem episcopo intimarunt, dictus vero dominus episcopus, convocatis cum eo in domo episcopali civibus dictæ civitatis, voce præconis cum armis et fustibus ad effectum (ut creditur), ut de facto facerent ea quæ de jure non poterat, ad palatium suum episcopale in quo erat convocari fecit. Sed prior, canonici et capitulum præfati, timentes furorem episcopi et civium, ut præmittitur, convocatorum, januas dictæ ecclesiæ et domorum ipsorum clauserunt; dictus vero episcopus ipsam ecclesiam cathedralem ac quamdam parrochialem S. Laurentii, necnon canonicos et incorporatos et servitores dictæ ecclesiæ totumque capitulum, ac loca ad quæ eos declinare contingeret, ecclesiastico, licet nulliter et de facto, supposuit interdicto, nullis tamen præcedentibus monitionibus nullisque solemnitatibus juris servatis; a quo et aliis gravaminibus eis illatis præfati prior et capitulum ex abundanti iterum coappellarunt. Sed dominus episcopus, mala malis et errores erroribus addendo, nullo habito respectu ad diminutionem divini cultus et ad periculum animarum, publice per totam civitatem proclamari fecit quod nullus auderet ingredi cathedralem et parrochialem ecclesias prædictas, nec devotionem, nec orationem in eis facere, nec aquam benedictam, nec panem benedictum accipere præsumeret, sub excommunicationis ac pecuniarum pœnis, mensæ episcopali quoad pecunias applicandis, in grande damnum et præjudicium ipsorum prioris et capituli eorumque ecclesiæ et non parvum scandalum plurimorum. Et cum eidem domino episcopo litteræ apostolicæ confirmationis dictæ concordiæ per unum ex executoribus earumdem, sive per alium, de mandato ipsius executoris intimatæ fuissent, episcopus, prætendens illum non habere jurisdictionem in eum, ad sanctitatem vestram dicitur appellasse. Supplicant igitur hujusmodi sanctitati vestræ præfati prior et Guigo Maconi canonicique et capitulum et aliis appellationibus prædictis adhærere volentes, quatenus causam et causas omnium et singularum appellationum prædictarum, nullitatisque et nullitatum, iniquitatum et injustitiæ, omnium et singulorum per prædictum episcopum contra eosdem occasione præmissa, ut præmittitur, habitorum et gestorum, attentatorumque et innovatorum, necnon quam et quas præfati oratores movere volunt et intendunt contra et adversus episcopum et cives prædictos respective super molestationibus perturbationibus et impedimentis, in et super tam silva quam jure visitandi et alia præmissa faciendi et illorum occasione præstitis..., necnon contra eumdem episcopum super prætensa jurisdictione, correctione, punitione et transactioni prædictæ per dictum episcopum contraventione et aliis prædictis, jactationibusque per eosdem episcopum et cives respective super præmissis factis, et aliis in actis causæ deducendis, committere dignemini alicui ex palatii apostolici causarum auditoribus audiendas, cognoscendas, decidendas, fineque debito terminandas, cum suis incidentiis emergentibus, dependentibus et connexis, tam conjunctim quam divisim, et cum potestate citandi prædictos dominum episcopum et cives etiam per edictum publicum, quatenus ad eos personaliter citandos tutus non pateat accessus, ac omnes alios sua quomodolibet conjunctim vel divisim interesse putantes, et in executione, citatione, decernendi, comminandi ac inhibendi, etiam sub suspensionis et interdicti aliarumque censurarum ecclesiasticarum pœnis omnibus quibus erit inhibendum, interdictumque ecclesiasticum prædictum tollendo et amovendo, ac absolvendo eosdem omnes et alios, videlicet tam presbyteros incorporatos quam servitores ipsorum omnium, a dictis prætensis censuris, si quas forsan incurrisse censeri possent, simpliciter, vel ad cautelam, per se, vel alium, in dicta curia, vel extra eam, nonobstante quod causa et causæ hujusmodi non sint forsan ad eamdem curiam legitime devolutæ, neque de juris necessitate tractandæ, nec finiendæ constitutionibus et ordinationibus apostolicis, stylo palatii, ceterisque in contrarium facientibus nonobstantibus quibuscumque, præmissorum omnium et singulorum tenorem pro sufficiente expressum habentes.

Hujusmodi namque commissio in ejus fine duplicem habebat signaturam, quarum prima talis est :

De mandato domini nostræ papæ, audiat magister Petrus, et constito summarie de non tuto accessu, citet, inhibeat, etiam sub censuris et per edictum, ut petitur, absolvat et relaxet, per se, vel alium, etiam ad cautelam, sic et prout de jure et justitiam faciat.

Alia vero talis subsequebatur :

Placet domino nostro papæ Joannes cardinalis Alexandrinus, cujusquidem commissionis vigore per nos et coram nobis, in causa et causis hujusmodi, ad Romanam curiam nobis legitime introductis, et inter partes in supra et infra scriptis commissionibus et sententia contentis, ad nonnullos actus et terminos citra causæ conclusionem processo.

Demum idem dominus Alexander papa sextus quamdam aliam commissionem sive supplicationem..... papyri cedulam nobis per certum suum cursorem præsentari fecit, quam nos cum ea qua decuit reverentia recepimus, hujusmodi sub tenore :

Beatissime pater, quamvis tam de communi quam ex speciali jure jurisdictio in canonicos et capitulum et personas ecclesiæ Bellicensis illiusque exercitium, necnon visitatio et correctio, ac cognitio eorumdem ad devotam creaturam vestram Joannem episcopum Bellicensem spectet ac pertineat, nihilominus cum nuper ipsa creatura eamdem ecclesiam, cui per quadraginta annos jam præest, causa visitandi, corrigendi et reformandi personas ejusdem et nonnulla enormia et notoria crimina, et excessus ac delicta, ac de illis inquirendi et alia quæ circa præmissa necessaria fuerint et opportuna exercendi, se personaliter contulisset, dicti canonici et capitulum, in superbiam ac temerariam rebellionem elati, eamdem creaturam ad visitationem faciendam et jurisdictionem exercendam et alia sibi ex debito etiam pastoralis officii circa præmissa incumbentia gerenda, non solum non admittere, sed, quod ab omni disciplina, modestia et honestate prorsus alienum existit, ac inter ipsos capitulares specialiter et nominatim quidam Petrus de Seyssello, pro canonico et camerario ejusdem ecclesiæ se gerens, eamdem creaturam atrocibus injuriis, opprobriis et contumeliis afficere, ad personales et reales injurias et verbera, nisi ab adstantibus repulsi et retenti fuissent, procedere et prorumpere, et ipsius creaturæ personam offendere, ipsiusque officiarios et familiares percutere et verberare palam et publice, in præsentia multorum etiam gravium personarum, præsumpserunt et non erubuerunt; et cum, pater beatissime, dicta creatura propter præmissa, et graves et manifestas notoriasque offensas hujusmodi, ipsam eccle-

siam Bellicensem ecclesiastico supposuisset interdicto, ipsi tamen canonici et capitulum illud violare aliosque ad ipsius non observationem inducere, imo et cogere attentaverunt et præsumpserunt, irregularitatis maculam contrahendo, quos etiam vinculo excommunicationis innodavit : a quibus cum ipsi canonici et capitulum, prætendentes prætextu cujusdam confectæ transactionis alias inter episcopum Bellicensem et capitulum prædictos, super hujusmodi jurisdictionis exercitio, ut dicebatur, initæ, et, ut dicitur, per sedem apostolicam confirmatæ, jurisdictioni ipsius creaturæ non subesse et ad sanctitatem vestram appellasse asserentes, demum recursum habentes ad præpositum Gebennensem, quem executorem litterarum dictæ prætensæ confirmationis, transactionis, fore afferebant, certas litteras contra ipsam creaturam ut sub censuris ecclesiasticis tunc.... processus contra aliquas ex personis eorumdem canonicorum et capituli formatos, et interdictum prædictum revocaret et cassaret ab eodem præposito impetrarunt, ut dicitur, exsequi contra creaturam fecerunt. A quibus litteris, et aliis in appellatione desuper interjecta latius contentis, fuit pro parte ipsius creaturæ ad eamdem sanctitatem vestram et sedem apostolicam provocatum et appellatum. Successive, pro parte dictorum canonicorum et capituli, causa prætensæ appellationis pro parte eorum ab appositione dicti interdicti, ut dicitur, interpositi, ac super observatione dictæ prætensæ transactionis et nonnullis aliis, reverendo patri Petro de Accoltiis, causarum vestri sacri palatii auditori, cum potestate adversarios a dictis censuris per se, vel alium, absolvendi, et interdictum relaxandi, commissa exstitit; qui citationem decrevisse ac absolutionem et absolutiones prædicto abbati monasterii sancti Sulpitii, Cisterciensis ordinis, Bellicensis diœcesis, commisisse dicitur; qui dictos adversarios, et nonnullos alios per creaturam propter manifestam injuriam excommunicationis vinculo innodatos, etiam post appellationem pro parte illius interpositam, et satisfactione nulla præcedente, absolvisse, et interdictum prædictum relaxasse dicitur. A quibus etiam relaxatione et absolutione et aliis in supplicatione contentis, pro parte creaturæ vestræ, iterum fuit ad eamdem sanctitatem vestram et sedem apostolicam provocatum et appellatum. Dignetur propterea eadem sanctitas vestra causam et causas appellationis et appellationum prædictarum, pro parte oratoris, ut præmittitur, interpositæ et interpositarum, necnon attentatorum et innovatorum quorumcumque post et contra ipsas appellationes et earum quamlibet, et respective nullitatis omnium et singulorum processuum per dictos præpositum et abbatem successive et respective habitorum et gestorum, necnon negotiorum principalium ex præmissis insurgentium, quatenus per dictam commissionem adversariorum commissa sufficienter forte non existant, ac quam et quas ipsa creatura habet et movet habereque et movere vult et intendit contra et adversus dictos canonicos et capitulum, dictumque Petrum de Seyssello, canonicum et camerarium, et singulares etiam personas ipsius capituli tam communiter quam separatim et respective, de et super supra specificatis injuriis latis, etiam in processu causæ specificatis et illorum occasione, necnon nullitatis et invaliditatis et subreptionis et obreptionis prætensarum transactionis et apostolicæ confirmationis prædictarum, tam conjunctim quam divisim, et respective præfato reverendo patri domino Petro de Accoltiis per dependentiam summarie, simpliciter et de plano et tam præmissas quam sibi ex adverso jam commissas causas committere audiendas, cognoscendas, decidendas, et fine debito terminandas, cum emergentibus incidentibus, dependentibus et connexis, ac potestate canonicos et capitulum nominatum et supradictum Petrum de Seyssello aliosque omnes prædictos, conjunctim, vel separatim, in Romana curia et extra eam, etiam per edictum publicum, citandi, et dictis præposito et abbati, ac quibuscumque aliis quibus inhibendum fuerit, inhibendi, ipsamque creaturam a censuris ecclesiasticis, si quæ in eum promulgatæ forent, simpliciter vel ad cautelam, per se vel alium, absolvendi, dictosque adversarios quatenus maneant nulliter absoluti..... et pristinas censuras ecclesiasticas...., nonobstantibus quod causa seu causæ hujusmodi ad ipsam Romanam curiam forsan legitime devolutæ aut juris necessitate tractandæ, vel diffiniendæ, non existant, constitutionibusque et ordinationibus apostolicis et ceteris in contrarium facientibus nonobstantibus quibuscumque.

Signaturæ commissionis tales erant :

De mandato domini nostri papæ, audiat idem auditor, et constito summarie de non tuto accessu, citet etiam per edictum et inventum, et procedat etiam summarie, et, ut petitur, absolvat per se, vel alium, etiam ad cautelam, sic et prout de jure et justitiam faciat.

Alia talis erat :

Placet domino papæ. Joannes cardinalis Alexandrinus, post cujusquidem commissionis, sive supplicationis dependentis, et cedulæ præsentationem et receptionem, nos in causa et causis hujusmodi dictarum præscriptionum, commissionum, prætextis ulterius, rite et legitime procedentes, omnibusque terminis, substantiis, inter dictas partes, seu verius earum legitimos procuratores, coram nobis tentis et observatis, tandem nos, ad providi viri magistri Nicolai de Bosco, in Romana curia causarum, et reverendi patris domini Joannis episcopi, principalis in prædictis et in infrascripta commissione et sententia principaliter nominati, procuratoris instantiam, providum virum magistrum Nicolaum de Parma, in eadem curia causarum, et venerabilium virorum dominorum prioris et capituli ecclesiæ Bellicensis, ex adverso principalium, procuratorem, de quorum hinc inde procuratorum mandatis in actis hujusmodi constat legitime documentis, ad concludendum et concludere videndum, necnon ad videndum, et audiendum nostram diffinitivam in scriptis ferri et promulgari sententiam, vel dicendum, et causam, si quam habet rationabilem per quam præmissa fieri non debeant, allegandum, per unum ex domini nostri papæ cursoribus citari mandavimus et fecimus ad certum peremptorium terminum jus competentem, diem videlicet et horam infrascriptos. Quibus advenientibus, comparuit in judicio legitime coram nobis magister Nicolaus de Bosco, procurator prædictus, nomine quo supra procuratorio; et data per eum quadam petitione, sive papyri cedula dicti magistri Nicolai de Parma, ex adverso procuratoris, non comparentis, contumaciam accusavit, ipsumque contumacem reputari, in ejus contumaciam quantum melius potuit et debuit in causa et causis hujusmodi conclusit, secumque concludi et pro concluso haberi, necnon diffinitivam pro se parteque sua prædicta et contra dictam partem sibi in hujusmodi causa adversam fieri et promulgari sententiam, per nos debita cum instantia postulavit. Nos tunc dictum magistrum Nicolaum de Parma, ex adverso procuratorem, non comparentem reputamus merito,

prout erat, id exigente justitia, contumacem, et in ejus contumaciam una cum dicto magistro Nicolao de Bosco procuratore more solito conclusum, necnon visis per nos et diligenter inspectis omnibus et singulis actis actibus, litteris, scripturis, privilegiis, juribus et meritis, testiumque attestationibus, depositionibus, in hujusmodi causa quomodolibet habitis et factis, exhibitis ac productis, ipsisque cum diligentia et maturitate debite recensitis, de dominorum coadjutorum nostrorum consilio et assensu, quibus de ipsius causæ meritis relationem fecimus plenariam et fidelem, ad nostram diffinitivam in hujusmodi causa in scriptis ferendam et promulgandam sententiam procedendum duximus et processimus, eamque per ea quæ vidimus et cognovimus in scriptis tulimus in hunc qui sequitur modum :

Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes, et solum Deum præ oculis habentes, per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam de dominorum coadjutorum nostrorum consilio pariter et assensu ferimus, in his scriptis pronunciavimus, sententiamus et declaramus, in causa et causis coram nobis in prima instantia vertentibus, inter reverendum in Christo patrem dominum Joannem, episcopum Bellicensem, ex una, et priorem et canonicos et capitulum Bellicense, de et super prætenso jure exemptionis ab jurisdictione ipsius domini episcopi ac jure visitandi, sub transactioneque contentis, necnon de et super prætensa nullitate, iniquitate et injustitia omnium et singulorum per dictum dominum episcopum contra ipsos priorem, capitulum, canonicos et personas circa præmissa habitorum et factorum, attentatorum et innovatorum, ac molestationibus perturbationibus et impedimentis eisdem de et super præmissis per dictum episcopum, ut afferebant, præstitis, ac jurisdictione et jurisdictionis exercitio ipsius domini episcopi, et a rebus aliis in actis hujusmodi causæ latius deductis et illorum occasione, partibus ex altera; molestationes, oppositiones, turbationes, inquietationes, vexationes et impedimenta eidem domino episcopo per dictos priorem, canonicos et capitulum de et super jurisdictione episcopi præmissa, exemptione a jure visitandi et corrigendi, illiusque exercitio attentatorum, nullitatibusque ac omnibus et singulis præmissis seu illorum occasione, factas et præstitas, factaque et præstita fuisse, et esse temerarias, illicitas, iniquas, indebitas et injustas, et temeraria, illicita, iniqua, indebita et injusta, et de facto præsumptas et præsumpta, illaque et illas præfatis priori, canonicis et capitulo, ac personis adversariis minime licuisse, neque licere, ipsum dominum episcopum ab impeditionibus, turbationibus, molestationibus et impedimentis omnibusque et singulis præmissis definitive absolvendum fore; et nos absolvimus, ipsisque priori, canonicis et capitulo de et super prætensa exemptione juris visitandi per episcopum omnibusque et singulis præmissis silentium perpetuum imponendum fore, et imponimus, necnon ipsos priorem, canonicos et capitulum in expensis in hujusmodi causa coram nobis legitime factis condemnandos fore, et condemnamus; quarum expensarum taxationem nobis in posterum reservamus. Quamquidem sententiam diffinitivam de manu nostra propria taliter subscripsimus : Ita pronunciavi ego Petrus de Accoltiis, auditor; in quorum omnium et singulorum fidem et testimonium præmissorum præsentes litteras, sive præsens publicum instrumentum hujusmodi, nostram diffinitivam sententiam et expensarum taxationem prædictas in se continentes, sive continens, exinde fieri et per notarium publicum nostrumque et hujusmodi causæ coram nobis scribam infrascriptum, subscribi et publicari mandavimus, sigillique nostri jussimus et fecimus appensione communiri. Lecta, lata et in scriptis promulgata fuit nostra præ inserta diffinitiva sententia per nos Petrum de Accoltiis, auditorem prædictum, Romæ, apud sanctum Petrum, in palatio causarum apostolico, in quo jura reddi solent, nobis inibi mane, hora audiendi causas consueta, ad jura reddenda et causas audiendas in loco nostro solito et consueto pro tribunali sedentibus, sub anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo primo, indictione quarta, die vero lunæ septima mensis junii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Alexandri divina providentia papæ sexti anno nono; præsentibus ibidem discretis viris magistris Gerardo Gerardi et Paulo *Decansis* de Castillione, notariis publicis, scribisque nostris, Cameracensis et Mediolanensis diœceseon, testibus ad præmissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Petrus Garneri, clericus Viennensis diœcesis, publicus auctoritate apostolica notarius, dictique reverendi patris domini Petri de Accoltiis auditoris, et hujusmodi causæ coram eo scriba, quia dictæ sententiæ diffinitivæ pronunciationi ceterisque præmissis, dum sic ut præmittitur fierent et agerentur, una cum prænominatis testibus præsens fui, eaque sic fieri vidi et audivi, ac in notam sumpsi, idque hujusmodi publicum instrumentum manu alterius fideliter scriptum confeci, subscripsi et publicavi, et in hanc publicam formam redegi, signoque et nomine meis solitis et consuetis, una cum dicti domini auditoris sigilli appensione signavi, in fidem et testimonium præmissorum requisitus.

XXVII.

Pactum inter episcopum et canonicos de conservandis episcopi juribus. *E Guich. Chron. Sebus.*

1577.

In nomine Domini, amen. Notum sit omnibus et singulis hoc præsens instrumentum publicum visuris quod cum reverendissimus in Christo pater et dominus Joannes Gottofredus Ginodius, Dei et (sedis) apostolicæ gratia episcopus et dominus Bellicensis, ac reverendus dominus Carolus *de Mallians*, archidiaconus, et venerabiles domini Petrus *Bovard* thesaurarius, jurium doctor, Claudius Gaspardus de Jenna, Claudius *Freynel*, Jacobus *de Fyon*, Carolus Constantinus, Ludovicus d'*Arreres*, Guido *Curty* sacrista, Guillelmus de Bossuzello camerarius, Joannes a Camera infirmarius, Claudius de Closo et Andreas *Bozon*, canonici ecclesiæ cathedralis Bellicensis, capitulariter in loco capitulari, die et hora solitis et consuetis, invicem congregati essent, et ipse reverendissimus dominus episcopus fuisset a dictis domini dicti capituli rogatus et requisitus de subscriptione supplicationis sanctissimo domino nostro papæ exhibendæ, ad effectum reductionis ecclesiæ cathedralis Bellicensis a statu regulari in sæcularem, et propter multa ibidem inserta et enarrata, quorum dominus reverendissimus episcopus se notitiam minime habere assereret, quia nondum omnia sui episcopatus scripturas et monumenta recuperarit, illaque propterea dubitaret suæ jurisdictioni et dignitati episcopali contraria esse, aut saltem eidem obstare seu detrahere, ideoque se redderet in supplicatione hujusmodi subscribenda morosiorem, hinc est quod præfati venerabiles domini

archidiaconus et canonici, nolentes quidquam minui jurium dicti episcopi præfati, sed illa potius conservari, mediis cujuslibet eorum juramentis pro se et successoribus suis in ipsa cathedrali, declaraverunt, convenerunt et promiserunt, quod, etiamsi gratia dictæ reductionis et aliorum supplicatorum, ab eis postulanda ipsis concessa forent modis et formis in dicta supplicatione expressis, nolunt propterea aliquo modo juvari posse dicta gratia adversus prædictum dominum episcopum, in vim verborum narrativorum, seu dispositivorum, aut alio quocumque modo, sub prætextu quod ipse episcopus, adjectus et connominatus dictæ supplicationi, censeatur fateri statuta, privilegia, uniones, jurisdictiones, indulta, exemptiones et libertates et alias concessiones aut dispositiones qualitercumque enuntiative expressas et expressa dictis canonicis competere : quinimo consentiunt et consenserunt dicti canonici de capitulo, quod quoad præfatum dominum episcopum expressiones hujusmodi seu dispositiones super his concessæ censeantur et reputentur pro minime conscriptis, et nullum sibi nec successoribus suis præjudicium afferant, ac perinde habeantur omnia et singula præmissa inter ipsum et dictos canonicos ac si eodem statu permansissent quo sunt de præscuti et de ipsis nulla mentio facta foret, sintque jura supplicantium ipsis respective salva et reservata, atque omnino integra et illæsa. Quæ quidem declaratio per præfatum reverendissimum dominum episcopum admissa et acceptata, cum protestatione quod aliter et alio modo dictam supplicationem præmissam subscripsit, sed procuratorem in Romana curia ad alius impetrationem, coram me notario et testibus infra scriptis, eodem contextu constituit et ordinavit, et ita per quoscumque judices tam in possessorio quam in petitorio decidi et determinari. Rogantes subdicti reverendissimus dominus episcopus, ac reverendi et venerabiles domini archidiaconus et canonici prædicti in scriptis ad perpetuam rei memoriam per me notarium infra scriptum redigi, atque ex his unum vel plura concedi et confici instrumentum et instrumenta, expedienda eorum cuilibet toties quoties fuerint requisita. Actum Bellicii, in capitulo et loco capitulari solito, præsentibus ibidem reverendo domino Nicolao Salterio, canonico Rupensi, theologiæ professore, magistro Joanne Perreto, in majori curia Beugesii procuratore et dicti capituli Bellicensis secretario, magistro Claudio a Curia cantore ipsius ecclesiæ, testibus ad præmissa vocatis. Signaverunt in mea scheda originali Joannes Gottofredus Ginodius, episcopus præfatus, Carolus Mallianus archidiaconus præfatus, Jacobus *Fyon*, procurator generalis capituli, die undecima Septembris, anno Dom. millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, et me notario publico prædicto, *Chavasse*.

XXVIII.

Guichen. Episc. Bellic. (1).

Recognitio corporis S. Anthelmi, Bellicensis episcopi.

1630.

Hic est processus auctoritate ordinaria illustrissimi ac reverendissimi domini D. Joannis *de Passelaigue*, episcopi et domini Bellicii, principis Imperii, institutus a venerabili domino Benedicto *Jantet*, juris canonici doctore et vicario generali diœcesis Bellicensis, et R. P. Francisco a Camberio capucino, concionatore, et A sacræ theologiæ professore, deputatis a supradicto illustrissimo ac reverendissimo domino episcopo ad informandum, inquirendum et perquirendum super titulum sanctitatis, identitatem corporis, vetera et nova miracula S. Anthelmi, episcopi quondam Bellicensis, ex ordine Carthusianorum.

In nomine Domini Jesu Christi, Amen. Anno a nativitate ejusdem Domini nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo trigesimo, indictione tredecima, die vigesima mensis Maii, pontificatus vero sanctissimi domini nostri Urbani papæ VIII, anno... coram nobis Benedicto *Jantet*, juris canonici doctore, et vicario generali diœcesis Bellicensis, et fratre Francisco a Camberio capucino, concionatore et sacræ theologiæ professore, B ad instantiam et requisitionem venerabilis domini Joannis *Reydellet*, canonici cathedralis ecclesiæ et honorabilis et discreti viri Joannis *Carrel*, procuratoris in tribunali Beugesii, congregatis in domo habitationis dicti domini vicarii generalis, comparuerunt iidem venerabilis dominus Joannes *Reydellet*, et discretus Joannes *Carrel*, qui nobis exhibuerunt libellum ex parte R. R. D. D. decani et canonicorum cathedralis ecclesiæ Sancti Joannis Baptistæ, nec non spectabilium D. D. syndicorum civitatis Bellicensis, exponentium et requirentium ut venerandum corpus beatæ memoriæ Sancti Anthelmi, episcopi quondam Bellicensis, auctoritate sanctæ matris Ecclesiæ, ob sanctitatem vitæ, titulo sanctitatis C donati et miraculis clari, honoratius reponatur, sacello particulari donetur, et ejus festum quotannis solenniter celebretur, cum decreto illustrissimi ac reverendissimi supradicti D. D. episcopi Bellicensis, de perquirenda prius veritate contentorum in dicto libello, præsertim de identitate corporis dicti sancti Anthelmi, pro quibus nos supernominatos commisit die vigesima præsentis mensis et anni.

Nobis etiam iidem venerabilis dominus Joannes *Reydellet* et honorabilis et discretus Joannes *Carrel* exhibuerunt mandatum suæ constitutionis ad procurandum et probandum contenta in supradicto libello, nomine dictorum dominorum, quod quidem cum supradictis libello et decreto D jussimus hic inseri, et de verbo ad verbum transcribi.

Tandem instanter rogaverunt nos ut commissioni injunctæ incumbere quamprimum dignaremur.

Cui petitioni libenter annuentes, eadem hora mandavimus dictis procuratoribus ut si quæ in promptu habeant, pro probatione contentorum in memorato libello proferant.

Jussis obsequentes, pro probatione primi articuli, videlicet quod beatæ memoriæ sanctus Anthelmus sancte vixerit, sanctus communiter habitus fuerit, et quod auctoritate sanctissimæ matris Ecclesiæ titulum sancti merito obtinuerit, sequentibus clarum esse asseruerunt. Primo, E quod sancte vixerit, in medium protulerunt librum R. P. Theophili Rhenaudi, e societate Jesu, quem inscripsit de Sanctis Lugdunensibus, in quo describens vitam sancti Stephani, episcopi Diensis, antea Carthusiani, circa medium, verba faciens de sancto Anthelmo, illum sanctitate vitæ et miraculorum gloria insignem prædicat. Quod sanctus communiter habitus sit, obtulerunt Surium, authorem approbatum et fidem facientem, qui, sanctorum vitas describens, vitam beati Anthelmi enarrat tituloque sancti decorat, vigesima sexta Junii, tomo tertio. Quod auctoritate sanctæ matris Ecclesiæ obtineat, probant ex martyrologio, quod produxerunt, in quo sexto Julii hæc verba leguntur : « Item memoria

(1) Pag. 119.

« S. Anthelmi *episcopi Bellicensis*. » Ex quibus auctoritatibus luce clarius constat S. Anthelmum sancte vixisse, sanctum esse, et sanctum declaratum. Veniens postmodum ad secundum articulum, videlicet quod corpus illud requiescens in ecclesia cathedrali S. Joannis Baptistæ, a latere dextro ante portam chori, sit vere corpus sancti Anthelmi, antequam dicti domini procuratores procedant ad ampliores probationes, enixe requisierunt ut nos transferre dignaremur ad illius sepulchrum, cujus situm, statum et formam cum donativis ex voto affixis petierunt describi.

Absque mora igitur iter nostrum direximus ad ecclesiam cathedralem S. Joannis Baptistæ, ad quam cum pervenissemus, dicti domini procuratores indicaverunt nobis sancti Anthelmi tumulum ante fores chori ad dexteram ingredientium, quem lapideum invenimus, duorum circiter pedum latitudinis et sex longitudinis, cum antiqua effigie episcopi ex gypso, aliquantulum in facie deformata, habente desuper arcellam ferream, et in circuitu quadrato opere cancellos ligneos, armatos in superiori parte acuminibus ferreis; decoratur insuper tumulus iste imperiali thalamo diversi coloris, habente in columna sinistra a parte anteriori hujusmodi inscriptionem :

D. O. M

B. Anthelmo Thaumaturgo,

Libertatis ecclesiasticæ strenuo vindici, Carthusiæ Majoris septimo priori, totiusque ordinis item septimo generali præposito, sacri Imperii principi, civitatis Bellicii quadragesimo tertio præsuli, primo dynastæ et tutelari pientissimo, cives Bellicenses, illius devotissimi clientuli D. et D.

Hactenus illæsum per bella, incendia, pestes,
Bellicium hoc, Anthelme, tibi debere fatetur;
Et ne nulla tibi referatur gratia posthac,
Urbs tua perpetuos voto tibi sacrat honores.

Hanc sepulturæ descriptionem tanquam ad integrum facientem pro probatione identitatis corporis sancti Anthelmi satisfacere in aperto est. Ad alias nihilominus dicti domini procuratores procedentes probationes, denuo produxerunt Surium, qui in serie miraculorum quæ in calce vitæ sancti Anthelmi recenset ait illum in ecclesia S. Joannis Baptistæ inhumatum fuisse, atque per eumdem auctorem constat de loco, cum miraculum trium vicinarum lampadarum tempore inhumationis divinitus accensarum affert, illasque nobis ante pulpitum indicaverunt.

Demum pro superabundanti probatione addiderunt publica voce et fama, ex antiqua patrum nostrorum traditione, hoc sepulchrum dici sepulchrum sancti Anthelmi, omnesque qui ad ejus intercessionem recurrunt hic vota sua depromere, ut per testes omni exceptione majores probare parati sunt, et quos canonice citatos producunt; sic subsignatum : B. *Jautet*, vicarius generalis; F. Franciscus, cap. indig.; J. *Vallon*, decanus; J. Mermetius, archidiaconus; *Perret*, thesaurarius; *Vulliet; Constantin Reydellet; Du Poysat*; H. *Deseschelles*, primicerius; *Tricaud*; M. *Borsier*; F. *Monnier*; *Bondon*; *Des Roys*; *de Mallians*; *Carrel*, *procureur*; *Ribod*, *secrétaire commis*.

Nos Joannes *de Passelaigue*, Dei et sanctæ sedis apostolicæ gratia episcopus Bellicensis, A visis suprascriptis informationibus et depositionibus, quibus nobis constitit et certissime constat sancti Anthelmi Seignini, alias *de Cheignin*, ex ordine Carthusianorum, quondam hujus civitatis et diœcesis Bellicensis episcopi, verum esse corpus quod jacet in antiquo et a terra aliquantulum elevato sepulchro, prope portam chori ecclesiæ nostræ cathedralis Bellicensis, ad dexteram illudque miraculis claruisse hactenus, sicuti et modo, dignumque quod honoratius collocetur decernimus, declaramus, et judicamus, ideoque nos ad illius levationem et translationem, ex humili in quo hucusque jacuit loco, ad sacellum recens ad hujusmodi opus erectum, die vigesima sexta mensis præsentis, qua ejus festum hac in B diœcesi solenniter colitur, auxiliante Domino procedemus. Actum Bellicii, die duodecima mensis Junii, anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo.

Joannes, episcopus Bellicensis.

In nomine Domini, Amen. Anno salutis millesimo sexcentesimo trigesimo, die vero vigesima sexta mensis Junii, nos Joannes *de Passelaigue*, Dei et sanctæ sedis apostolicæ gratia Bellicensis episcopus, sacri Romani Imperii princeps, juxta decretum, declarationem et ordinationem nostram diei duodecimæ mensis et anni præsentium, et in exsecutione ejusdem, ad ecclesiam nostram cathedralem in pontificalibus acce- C dentes, assistentibus nobis venerabilibus decano et capitulo dictæ nostræ cathedralis ecclesiæ, multisque aliis tam regularibus quam sæcularibus nostræ civitatis et diœcesis sacerdotibus et ecclesiasticis personis, cum maxima populi multitudine, tumulo in quo hucusque sancti Anthelmi, quondam Bellicensium episcopi, corpus jacuit jussu nostro aperto, sacras dicti corporis, pontificalibus vestimentis ornati et induti, reliquias, inter se pro majori parte adhærentes in eo inventas, ea qua decuit reverentia a nobis recollectas, et in capsam novam reconditas, in sacellum et super altare, ad nomen et memoriam ejusdem sancti Anthelmi per nos consecratum, cum solennitatibus in talibus requisitis, ad majorem D Dei omnipotentis (qui in sanctis suis gaudet venerari) gloriam, devote reposuimus et collocavimus. In cujus rei fidem præsentes propria manu subscriptas per magistrum Claudium *Ribod*, notarium regium et publicum, pro secretario nostro in hac parte assumptum, confici et subsignari, sigillique nostri fecimus affixione muniri. Datum et actum, loco, die et anno præfatis.

Joannes, episcopus Bellicensis.

Ribod, notarius regius, pro secretario assumptus.

XXIX.

E *Episcopi Bellicensis jura a Ludovico, Gallorum rege, confirmantur.* *Guichen. Epist. Bellic.* (1).

Louis, par la grace de Dieu roy de France et de Navarre : à tous présens et à venir salut. 1635.
Sçavoir faisons avoir receu l'humble supplication et requeste qui nous a esté faite en nostre conseil par nostre amé et feal conseiller en nostre dit conseil, messire Jean de Passelaigue, evesque de Belley; contenant que feu Federic (de bonne memoire) empereur des Romains, lors tenant les païs et duché de Savoye, dont dependoit ledit evesché, dès l'an mil cent soixante et

(1) Pag. 134.

quinze, auroit donné et octroyé audit evesque de Belley certains beaux privileges et libertez, droict de battre monnoye, droict de talon et mesure, droict de péage, droict de rivage et de riviere, droict de pasturage, droict de pesche, droict de chasse, droict de chauffage, souche et mort-bois; selon que particulièrement est contenu audit privilege et lettres dudit empereur, confirmées par celles de nos predecesseurs roys Françoys premier, Henry second, et par feu nostre tres honoré seigneur et pere le roy Henry le Grand dernier decedé, que Dieu absolve! le tout ci-attaché sous le contre-seel de nostre chancellerie; desquels privileges le dit exposant et ses predecesseurs evesques ont tous jours bien et deuement jouy et usé, jouissent et usent encore à present; nous suppliant tres humblement, à l'imitation de nos dits predecesseurs roys, de confirmer et ratifier les dits privileges, et luy en vouloir octroyer nos lettres necessaires. A ces causes, desirant bien et favorablement traicter iceluy exposant, et le maintenir, et ses successeurs evesques dudit Belley, ausdits privileges; avons de nostre grace speciale, pleine puissance et authorité royale, confirmé, approuvé et ratifié, confirmons, ratifions et approuvons par ces dites presentes lesdits privileges; excepté toutesfois le droict de régale et fabrication de monnoye, reservé par les lettres de nos dits predecesseurs roys; pour d'iceux privileges jouir par le dit evesque de Belley et ses successeurs audit evesché, comme ses predecesseurs en ont bien et deuement jouy et usé, et qu'il en jouit encore à present. Si donnons en mandement à nos amez et feaux conseillers les gens tenans nostre cour de parlement et chambre de nos comptes en Bourgongne, et à tous nos autres justiciers et officiers qu'il appartiendra, que de nos présentes graces, confirmation, ratification et approbation, ils fassent, souffrent et laissent le dit evesque de Belley et ses successeurs audit evesché jouir et user doresnavant, plainement, paisiblement et perpetuellement; sans leur mettre ou donner ne souffrir leur estre mis ou donné, ores ne à l'advenir, aucun trouble empeschement au contraire. Lequel, si mis ou donné leur avoit esté, ou estoit, le mettent ou fassent mettre incontinent et sans delay à pleine et entiere delivrance, et au premier estat et deub. Car tel est nostre plaisir. Et afin que ce soit chose ferme et stable à tous jours, nous avons fait mettre nostre seel à ces dites présentes. Données à Paris, au mois de fevrier, l'an de grace mil six cens trente-cinq, et de nostre regne le vingt cinquieme.

Ainsi signé : Par le Roy, *Rousseau*. Et à costé : Visa, et scellé du grand seel de Sa Majesté en cire verte.

XXX.

Ex Archivo sancto Bellic. (1). 1240.

Recognitio corporis S. Arthaldi.

Anno salutis millesimo sexcentesimo quadragesimo, die vero nona mensis Augusti, ego Joannes, indignissimus episcopus Bellicensis, rogatus a venerabilibus patribus priore et religiosis monasterii de Arveria, ordinis Carthusiensis, de consensu et permissione illustrissimi et reverendissimi domini Justi, episcopi Gebennensis, ossa et reliquias sancti Arthaudi, quondam Bellicensis episcopi, ex dicto Carthusiensi ordine assumpti, in quodam sepulcro lapideo, prope et extra parvam portam chori ecclesiæ dicti monasterii de Arveria, ad meridiem inventas, visitavi, easque devote veneratus, ea qua potui reverentia ibidem reposui.

Joannes, episcopus Bellicensis; Fr. Claudius *de Hee*, prior Petræ Castri, convisitator provinciæ, præsens; Fr. Claudius *Rosier*, prior Arveriæ.

(1) Edente doctissimo viro D. *Depery*, p. 256.

XXXI.

Translatio quarumdam reliquiarum S. Arthaldi.

Ex Archivo sancto Bellic. (1).

Anno salutis millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto, die vero ultima mensis maii, illustrissimus ac reverendissimus DD. Joannes *de Passelaigue*, miseratione divina episcopus et dominus Bellicensis, sacri romani Imperii princeps, unam costam sancti Hippolyti, quoudam episcopi Bellicensis et abbatis monasterii Sancti Eugendi, alias sancti Claudii, in comitatu Burgundiæ, diœcesis Lugdunensis, ordinis Sancti Benedicti, ubi sepultus est, ad eum per majorem priorem et religiosos ejusdem monasterii missam, necnon os quoddam sancti Arthaudi, olim ex Carthusiano etiam episcopi Bellicensis, a Carthusia Arveria Gebennensis diœcesis, ubi quiescit, allatum, cum toto clero suæ diœcesis ad sanctam synodum celebrandam congregato, maxima populi multitudine comitante, ad ædem Capucinorum extra muros civitatis Bellicii, processione amplissima devote recepit, ac in ecclesiam suam cathedralem Sancti Joannis Baptistæ (in qua jam corpus integrum sancti Anthelmi ex Carthusiano et septimo sui ordinis generali, Bellicensis item episcopi, quotidiane miraculis clari, asservatur et colitur) transtulit, ac in pontificalibus in honorem dictorum sanctorum confessorum et pontificum solemniter celebravit.

XXXII.

Capitulum Bellicense Joannem Ludovicum Brillat vicarium diœcesis Bellicensis generalem instituit.

Ex archivo Burgensi.

1745.

Nos Antidius *Rubat*, decanus insignis ecclesiæ cathedralis S. Joannis Baptistæ Bellicensis, Franciscus *Jalliet* archipresbyter et Laurentius *Barnier* primicerius, totum dictæ cathedralis ecclesiæ capitulum repræsentantes, secundum facultatem nobis a dicto venerabili capitulo datam et traditam per deliberationem hujusce diei, universis et singulis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Notum facimus quod post obitum illustrissimi et reverendissimi Joannis *Du Doucet*, episcopi Bellicensis, more solito in capitulo dictæ ecclesiæ in nomine Domini congregati, dilecto uobis in Christo reverendo domino Joanni Ludovico *Brillat*, presbytero, doctori theologo, necnon ejusdem ecclesiæ archidiacono, de suis vita, probitate, doctrina et morum honestate in Domino confidentes, dictum Joannem Ludovicum *Brillat* magnum vicarium nostrum in spiritualibus et temporalibus diœcesis Bellicensis, necnon officialem dictæ diœcesis a parte Bugesii, fecimus et constituimus, facimusque et constituimus, dantes sibi omnem potestatem quæ ad vicariatus generalis per sedis vacationem munus spectat et pertinet, pariterque quoad munus officialitatis jurisdictionem et potestatem audiendi testes, interrogandi reos, processus faciendi, et omnia necessaria agendi, et ad judicium inclusive pronuntiandum aliaque munia

(1) Pag. 257.

officialitatis obeundi quæ ad jurisdictionem contentiosam pertinent, cum omnibus juribus et emolumentis spectantibus. Datum Bellicii in dicto capitulo, die sexta mensis Februarii, anno Dom. 1745, præsentibus magistris Antonio *Genet* et Joanne *Collet*, hujus ecclesiæ presbyteris honorariis, nobiscum et secretario nostro subsignatis. *Rubat*, decanus Bellicensis. *Jalliet*, archipresbyter. *Barnier*, primiciarius. *Genet, prêtre. Callet, prêtre. Richerand*, secretarius.

XXXIII.

Ex archivo Burgensi.

Bellicense capitulum Joannem Antonium de Tinseau *Bellicensis episcopatus possessionem adire permittit.*

1745.

Assemblés capitulairement et extraordinairement en la chapelle de S. Vincent, lieu accoutumé tenir les assemblées capitulaires, le dimanche douzième décembre 1745, à l'issue de la grande messe capitulaire, révérends messires Antide Rubat doyen, Jean Louis Brillat archidiacre, M. le doyen a représenté à la compagnie qu'illustrissime et révérendissime seigneur messire Jean-Antoine de Tinseau, nommé par le roi à l'évêché de Belley, vacant par le décès d'illustrissime et révérendissime messire Jean Du Doucet, lui avoit adressé les bulles qu'il a obtenues de S. S. le pape Benoît XIV pour la confirmation dudit évêché, datées à Rome *apud S. Mariam Majorem, anno Incarnat. Dominicæ* 1745, XIV *cal. Augusti, pontificatus nostri anno quinto*, doublement certifiées par les sieurs de Lanoue et Tournay, expéditionnaires en la cour de Rome, demeurant à Paris, et controlées le dixième septembre dernier, insinuées et controlées aux bureaux des insinuations et contrôle ecclésiastiques de ce diocèse le 27 novembre dernier, et cejourdhuy ensemble une procuration pour, au nom dudit seigneur de Tinseau, prendre possession dudit évêché et des honneurs, prééminences, fonds, fruits, revenus et droits en dépendants, passée devant Me Gillet, qui en a la minute, et son confrère, conseillers du roi, notaires au Châtelet de Paris, le 22 octobre dernier, duement scellé; lesquelles bulles et procuration mon dit sieur le doyen a exhibées, et, après en avoir fait lecture, a requis la compagnie de le mettre, au nom de mon dit seigneur de Tinseau, en la possession réelle, actuelle et corporelle dudit évêché de Belley, à la soumission par lui de prêter serment au nom dudit seigneur évêque où besoin sera, et de faire tous actes capitulaires qu'il appartiendra, suivant le pouvoir à lui donné par la susdite procuration et de remplir toutes les cérémonies et formalités requises et accoutumées. Sur quoi la compagnie a reçu en toute humilité, honneur et révérence lesdites bulles et procuration, et en vertu d'icelles ledit révérendissime messire Jean-Antoine de Tinseau pour évêque et seigneur spirituel et temporel dudit Belley, et en conséquence est prié révérend Me Jean-Louis Brillat, prêtre, docteur en théologie, chanoine archidiacre de cette église et vicaire général du diocèse, de mettre, pour et au nom de tout le corps, ledit révérendissime seigneur Jean-Antoine de Tinseau, en la personne de mondit sieur le doyen, en la possession réelle, corporelle et actuelle dudit évêché, et ordonné que l'acte de prise de possession, ensemble lesdites bulles et procurations seroient registrées tout au long dans les registres du chapitre par le secrétaire d'iceluy, pour y avoir recours au besoin, sous les protestations que fait la compagnie de ne préjudicier aux priviléges, immunités, autorités, statuts et autres droits appartenant au chapitre. Rubat, doyen de Belley; Brillat, archidiacre; Jalliet, archiprêtre; Barnier, primicier; de Chavagniat; Delonge Combe; Maret; Dufort; P. Curty; Bazin; le prieur Curty; de Courtines; Vullierod; Bouillet de Boissire; Rollet; assemblés capitulairement.

XXXIV.

Ex arch. Burgensi.

Joannes Antonius episcopalem urbem solemniter ingreditur.

1746.

Du 1 février 1746. Illustrissime et révérendissime messire Jean-Antoine de Tinseau, évêque et seigneur de Belley, prince du saint Empire, conseiller du roi en ses conseils, ayant fait prendre possession de son évêché le 12 décembre dernier par M. Rubat, doyen de cette église, en vertu de la procuration qu'il lui avoit passée à ce sujet, est arrivé incognito en cette ville le samedi 29 janvier dernier. Cette arrivée imprévue fut la cause qu'on ne put faire au révérendissime seigneur évêque les honneurs et cérémonies qu'on est en coutume d'observer à l'entrée des seigneurs évêques en cette ville. Cependant dèsque l'on fut averti de l'arrivée de sa grandeur, l'on fit sonner le même soir la grosse cloche.

Le lendemain dimanche, à l'issue de la messe capitulaire, MM. du chapitre allèrent en corps visiter ledit seigneur évêque, qui fut harangué par M. le doyen, premier du corps. En suite de quoi mondit seigneur évêque reçut les harangues et complments des autres corps de la ville.

Aujourd'hui monseigneur l'évêque ayant témoigné qu'il désiroit faire son entrée solennelle dans son église cathédrale, MM. du chapitre, pour observer les cérémonies accoutumées, à la sortie des vêpres, le sont allés recevoir à la porte de la maison curiale, où il a pris logement en attendant qu'on eût fini les réparations du palais épiscopal.

A la sortie de ladite maison curiale, habillé pontificalement, il a été reçu sous un dais porté par quatre gentilshommes, lequel dais a été fourni par MM. de ville, qui l'avoient emprunté au vénérable chapitre, sous la promesse faite et signée des sieurs maire et syndic de le rendre en bon état et de le payer s'il étoit pris ou gâté. Marchant en cet état, le clergé et les religieux le sont venus recevoir à la porte de ladite maison curiale, où M. le doyen l'a abordé revêtu d'une chape, lui a donné la croix à baiser; après quoi l'on a continué la marche au son de la grosse cloche et au bruit de plusieurs décharges de la milice ou garde bourgeoise, mon dit sieur évêque suivi de son juge et autres officiers de sa maison, et pendant sa marche, après l'antienne *Ecce sacerdos magnus*, le chœur chantoit l'hymne *Iste confessor*. Etant enfin arrivés au devant la garde porte de l'église cathédrale S. Jean-Baptiste, les bulles de mondit seigneur l'évêque ont été lues par le secrétaire du vénérable chapitre, à la réquisition du procureur à ce commis par mondit seigneur l'évêque; lesquelles acceptées, ledit sieur Rubat, doyen, lui a présenté l'aspersoir dont il s'est béni et a béni les autres. Et ensuite a été conduit par le sieur doyen au devant le maître-autel de ladite église, la musique chantant le *Te Deum* : où étant arrivé il a adoré le S. Sacrement à genoux sur un prie-Dieu dressé sur la dernière marche du marche-pied dudit grand autel : puis s'étant levé, est allé embrasser et baiser ledit autel au

milieu et aux deux coins, toujours conduit par A ledit sieur doyen, et s'étant mis à genouil de nouveau jusques à la fin du *Te Deum* et l'antienne de S. Jean-Baptiste, il est monté vers ledit autel du côté de l'épître pour dire l'oraison de S. Jean-Baptiste; après laquelle, venant au milieu dudit autel, il a donné la bénédiction épiscopale. Et enfin le sieur doyen l'a conduit en son siége du chœur et en la chapelle S. Vincent, lieu destiné à tenir ledit chapitre; où, étant assis sur un fauteuil à côté de l'autel, ledit sieur doyen lui a parlé en ces termes :

« Monseigneur, je vous prie, de la part de tout le corps dudit chapitre, de vouloir, comme tous vos prédécesseurs, promettre à Dieu que vous observerez les statuts et louables coûtumes de B cette église, et que vous deffendrez les droits de l'évêché et du chapitre. »

Cette réquisition du serment ainsi faite, il lui a présenté les saints évangiles, qu'il a touchés pour marque de son serment, avec cette repartie : « Oui, Monsieur, très-volontiers. » Et a signé :

J. A., évêque de Belley.

Assemblés capitulairement et extraordinairement illustrissime et révérendissime messire Jean-Antoine de Tinseau, évêque et seigneur de Belley, prince du S. Empire, conseiller du roi en ses conseils, etc., etc., révérend messire Antide Ruba doyen, Jean-Louis Brillat archidiacre, Francois Jalliet archiprêtre, Laurent C Barnier primicier, Thomas de Chavagniat, François de Longecombe, Anthelme Maret, Paulin Dufort, Pierre Curty, Jean Bazin, Guillaume-Etienne Curty prieur d'Ordonnax, Joseph de Courtine, Philibert Constantin de Montarfiec, Philibert Bouillet de Boissire, Louis Vullierod, Guillaume d'Angeville et Louis-Francois Rollet, tous chanoines de ladite église cathédrale, lequel seigneur évêque ayant été conduit par ledit révérend doyen dans le chapitre pour y prendre place comme ses prédécesseurs, et y étant il y a pris place et prêté serment sur les saints évangiles, entre les mains dudit sieur Rubat doyen, et a promis de maintenir les droits et priviléges dudit vénérable chapitre et de ne rien faire à son D préjudice. Et ensuite a été conduit par ledit révérend doyen au palais épiscopal où il est entré, et en est ressorti : le tout fait sans préjudicier, et au contraire en corroboration de la prise de possession que ledit seigneur évêque a ci-devant prise par procureur, à laquelle il n'entend point déroger par ce qu'il vient de faire présentement, et des réserves et protestations réciproquement faites par ledit seigneur évêque et par ledit vénérable chapitre. (Suivent les signatures.)

XXXV.

Ex arch. Burgensi. *Canonicorum Bellicensium decretum de novo altari in honorem S. Anthelmi construendo.* E

1759. Du 29 Avril 1759. Assemblés capitulairement et extrordinairement, à l'issue de vêpres, illustrissime et révérendissime messire Gabriel Cortois de Quincey, évêque et seigneur de Belley, prince du S. Empire, conseiller du roi en ses conseils et conseiller honoraire au parlement de Dijon, révérends messires Antide Rubat doyen de l'église cathédrale, Claude Chariot archidiacre, François de Longecombe archiprêtre, Laurent Barnier primicier, Thomas de Chavagniat, Jean Bazin théologal, Guillaume-Etienne Curty prieur d'Ordonnax, Joseph de Courtine, Philibert Bouillet de Boissire prieur d'Inimont, Louis Vullierod trésorier, Louis François Rollet, Pierre-Anthelme-Béatrix-César de Lestra, Jean-Baptiste Prévost et Jérome Collet, tous chanoines de ladite église, lecture a été faite d'une requête présentée à Monseigneur l'évêque par les sieurs prieur, conseillers, sacristains et confrères de la confrairie de S. Anthelme établie en cette église, par laquelle ils demandent la permission de faire placer dans la chapelle de S. Anthelme un nouvel autel et une châsse qu'ils ont fait construire en marbre pour y déposer le corps de S. Anthelme, et à cet effet que ce corps saint soit transféré dans une autre chapelle de l'église cathédrale, où il reposera jusqu'à la parfaite construction du nouvel autel et de la châsse. Décret en marge de ladite requête, de cejourd'huy, portant qu'elle sera communiquée aux vénérables doyen, chanoines et chapitre de cette église, qui seroient invités de s'assembler cejourd'huy immédiatement après vêpres, avec sa Grandeur, pour conférer aux fins d'icelle. Le procès-verbal de la translation faite le 26 juin 1630 préalablement rapporté à sa Grandeur, pour sur le tout être statué ce qu'il appartiendroit. Signé : Gabr., év. de Belley. Autre requête présentée par les mêmes au vénérable chapitre, tendante aux mêmes fins. La matière mise en délibération, il a été unanimement délibéré et statué, que, pour remplir le vœu du clergé et du peuple de cette ville et du diocèse, permission sera donnée de construire ledit autel et la châsse en marbre : et pour donner aux ouvriers la liberté d'y travailler, sera le corps de S. Anthelme transféré à la diligence du vénérable chapitre à l'issue de matines, demain 30 du courant, en la chapelle du S. Sauveur, et reposera sur l'autel de ladite chapelle, laquelle demeurera fermée, et ce seulement jusques à la parfaite construction du nouvel autel. Il a été de plus statué qu'en présence de Monseigneur l'évêque, de M. le doyen, de M. l'archidiacre et de M. de Chavaigniat, plus anciens chanoines, la châsse sera ouverte pour faire la visite des saintes reliques qui y sont renfermées, reconnoître l'état où elles sont, les sceaux et scellés qui peuvent avoir été apposés, et y apposer de nouveau ceux de mondit seigneur l'évêque et dudit vénérable chapitre; dont sera dressé procès-verbal; et ce immédiatement après la messe capitulaire du même jour. Et après que l'ouvrage aura été reconnu construit, sera ledit corps saint transféré solennellement aux jour et heure qui seront indiqués dans la suite, au son de toutes les cloches, et sous un dais, dans la chapelle et autel qui lui est destiné. Mondit seigneur l'évêque et MM. du vénérable chapitre ayant égard à la demande qui a été faite par le vénérable prieur de la Chartreuse de Pierre-Châtel de participer avec quelques autres prieurs et au nom de l'ordre à cette pieuse cérémonie, il a été consenti que la translation se fera en partie par lesdits vénérables prieurs et en partie par ceux de MM. les chanoines qui auront été à ce députés; et sera au surplus observé dans tous les autres points le cérémonial de la translation faite le 26 juin 1630. (Suivent les signatures de l'évêque et des chanoines.)

XXXVI.

Reliquiæ S. Anthelmi cum solemni pompa transferuntur. Ex arch. Burgensi.

La veille, comme au jour de la fête du saint, l'on sonna la grosse cloche à midi. A cinq 1759.

heures du soir l'on sonna toutes les cloches pour annoncer la solemnité.

A

Le dimanche matin, 20 mai, jour de la solemnité, pendant les offices du chœur, on alluma quatre cierges sur l'autel du S. Sauveur, où reposoient les reliques, et autant à vêpres.

On commença les vêpres à 2 heures, et, après complies, le chapitre en corps alla prendre Monseigneur l'évêque, comme aux jours qu'il officie. Monseigneur l'évêque, précédé par plusieurs curés, prêtres et ecclésiastiques en surplis, qui marchèrent tous en qualité d'aumôniers, arriva à l'église, et, s'étant rendu dans la chapelle du S. Sauveur, où le chapitre seul entra en silence, on s'agenouilla, et les chantres en chappes entonnèrent l'antienne *Sacerdos et pontifex*. Après quoi les quatre chanoines qui devoient porter le corps saint, étant revêtus de dalmatiques blanches, levèrent la châsse, et l'on marcha en procession au son des cloches et en chantant l'hymne des confesseurs pontifes lentement, et en répétant chaque strophe.

B

Les confrairies des Pénitents et des Sœurs du Rosaire ouvrirent la marche de la procession. Ensuite le clergé régulier. MM. les curés et autres ecclésiastiques qui se trouvèrent en surplis se rangèrent sous la croix du chapitre, dans le rang des prêtres habitués de l'église. Le chapitre précédoit immédiatement la châsse, qui fut portée sous un dais, et le dais par quatre confrères de S. Anthelme, les autres confrères l'accompagnant portant des flambeaux, et les cavaliers de la maréchaussée escortèrent la marche. La châsse fut suivie par Monseigneur l'évêque, et après lui MM. les officiers du bailliage qui avoient été invités, ainsi que les officiers du corps de cette ville et de la justice seigneuriale.

C

On sortit par la porte qui est au-devant de l'évêché. La bourgeoisie sous les armes faisoit une double haie au dehors jusques à la grande porte de l'église, par laquelle la procession rentra. On fit station au milieu de la nef, où l'on reposa la châsse sur un autel préparé à cet effet. Le chapitre prit place dans les deux bancs qui lui sont destinés, et le reste du clergé fut placé dans la nef. Ceux qui avoient porté la châsse étoient placés sur des chaises aux angles de l'autel, et ceux qui avoient porté le dais auprès d'eux, ainsi que le reste des confrères, les cavaliers de la maréchaussée faisant toujours leur escorte.

D

Lorsque le sermon prononcé par Monseigneur l'évêque fut fini, les musiciens chantèrent un mottet, comme au jour de la fête du saint, et ensuite on leva la châsse, et le clergé seulement l'accompagnant marcha dans le même ordre que ci-devant, jusques à la chapelle du saint, en chantant l'hymne des confesseurs pontifes.

En sortant et en rentrant la procession passa par le chœur, et lorsqu'on fut arrivé à la chapelle, on plaça le corps saint au lieu qui lui étoit préparé. Après quoi l'on chanta de nouveau l'antienne *Sacerdos et pontifex*, qui fut suivie de l'oraison et des autres prières accoutumées pour le Salut. De là le chapitre revint au chœur, où le *Te Deum* fut chanté par la musique; ensuite on donna la bénédiction du S. Sacrement. A la fin de la cérémonie M. l'archidiacre annonça les indulgences de 40 jours. Les prêtres et les autres ecclésiastiques qui assistèrent à la cérémonie prirent place les uns dans les basses stalles, au rang des prêtres du bas-chœur, les autres au-devant du trône de Monseigneur l'évêque, au rang des aumôniers.

E

XXXVII.

Inopiæ suæ levamen capitulum Bellicense poscit. *Ex arch. Burg.*

Messieurs les gentilshommes du Bugey, assemblés à Belley le 10 septembre 1788. 1788.

Messieurs,

Le chapitre de Belley eut l'honneur de députer, en l'année 1785, trois de ses membres à l'assemblée des trois ordres, pour lui exposer la modicité des revenus de son église et pour implorer son assistance et sa protection auprès de S. M., à l'effet d'obtenir des secours qui pussent mettre en état une des plus anciennes églises de son royaume de remplir ses charges avec décence, et de soutenir avec honneur la dignité qui est attachée à son titre. Cette auguste assemblée, ayant égard à la détresse extrême de cette église, arrêta, le 15 février, d'autoriser celui de MM. les syndics qui serait député à Paris à employer tous les moyens qui dépendraient de lui pour obtenir du roi la réunion de quelques bénéfices à l'église cathédrale de cette ville, et à solliciter la recommandation des ministres ayant le département de cette province.

Cette délibération, Messieurs, est particulièrement consignée dans vos registres.

La difficulté de trouver un objet qui pût remplir les vœux des trois ordres a sans doute retardé jusqu'à présent le succès de leurs démarches; mais le roi ayant tout récemment, par un arrêt de son conseil, ordonné la suppression des maisons conventuelles de l'ancienne observance de Cluny, cette circonstance semble devenir extrêmement favorable, puisqu'elle laisse à la disposition de S. M. les revenus des maisons de Nantua et de S. Rambert.

La justice et la bonté du roi nous donnent la certitude que S. M. n'en disposera pas sans connaître les vœux des trois ordres de notre province, dans laquelle les revenus de ces maisons sont situés. C'est pourquoi nous recourons de nouveau, Messieurs, à votre piété et à votre bienfaisance, vous priant de vouloir bien nous accorder votre protection et vos sollicitations pour nous obtenir des secours que la grande médiocrité des biens de notre église a rendus nécessaires. Cette médiocrité est telle que S. M., qui en a une parfaite connaissance, d'après les états qui ont été mis sous ses yeux, a déjà ordonné provisoirement par lettres patentes une suspension aux nominations de ses prébendes de cette église.

Vous avez, Messieurs, en votre qualité de nobles, un droit plus particulier à exprimer votre vœu sur la disposition des revenus de la maison conventuelle de Nantua, dont les revenus, par ordre du roi, sont déjà saisis et en régie, en attendant qu'il en ait fait pour l'avenir une destination fixe et invariable. Si vous daignez en solliciter la réunion à l'église cathédrale de cette ville, vous remplirez tout à la fois trois objets dignes de votre attention : vous empêcherez que les revenus ne sortent de la province; vous satisferez à votre piété, en devenant comme les fondateurs d'une église qui ne saurait subsister longtemps, par l'état de pauvreté à laquelle elle est réduite; enfin vous mettrez vos droits à couvert, puisqu'alors il deviendrait juste et nécessaire que vous eussiez autant de prébendes à votre disposition pour ceux de votre ordre que vous apporteriez de revenus dans cette église.

Dans ce dernier cas il serait facile de déterminer soit le nombre des places qui seraient particuliè-

rement destinées à messieurs les gentilshommes de la province, soit la manière dont ils exerceraient leurs droits; le chapitre actuel adoptera toujours avec empressement, à ce sujet, le plan qui vous sera le plus agréable.

Si nous sommes assez heureux pour réussir à vous intéresser dans l'exécution du projet que nous avons l'honneur de vous présenter, il deviendrait facile encore d'obtenir, par vos sollicitations réunies aux nôtres, que S. M. autorisât un règlement qui affecterait exclusivement tous les canonicats de notre église aux nobles et aux fils de gradués eux-mêmes.

Par ce moyen, Messieurs, le chapitre de Belley recouvrerait son antique splendeur : dans les temps les plus reculés et qui remontent au-delà de cinq siècles, le plus grand nombre de ses membres était constamment choisi dans les familles les plus illustres de cette province; les noms des Seyssel, des Dangeville, des Longecombe, des Moyria, des Maillaud et d'une infinité d'autres orneront à perpétuité ses registres. La décadence successive de la fortune temporelle de cette église, en a éloigné ceux de votre ordre qui n'y trouvaient plus des ressources suffisantes pour vivre d'une manière convenable à leur naissance.

Rendez-lui donc, Messieurs, son ancienne aisance, et bientôt elle aura recouvré son ancien état. C'est la religion elle-même qui vous y invite, c'est le vœu des citoyens de la capitale de cette province. Nous ajouterons que c'est l'intérêt de votre propre gloire, puisque dans tous les temps vous l'avez autant fait consister à vous montrer les protecteurs de l'Église qu'à mériter le titre glorieux de défenseurs de l'État.

INDEX GENERALIS.

A

B

C

D

E

H

I

J

M

N

O

Q

R

U

V

W

Z

INDEX ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM.

A

B

C

I

J

K

L

M

U

V

W

Z

INDEX DECANORUM,

THESAURARIORUM, CANTORUM, ETC., ETC.

K

L

M

N

O

P

W

Z

INDEX ABBATUM,

ABBATISSARUM ET PRIORUM.

A

B

C

D

E

F

I

J

K

L

N

S

T

U

V

W

Z

INDEX ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM

AD ALIOS TOMOS PERTINENTIUM.

DECANI, PRÆPOSITI ET CANTORES

AD ALIOS TOMOS PERTINENTES.

ABBATES, ABBATISSÆ ET PRIORES

AD ALIOS TOMOS SPECTANTES.

A

B

C

D

E

F

V

IN HOC TOMO CONTINENTUR

ABBATIÆ TUM VIRORUM,

TUM FEMINARUM, IN PROVINCIA VESUNTIONENSI,

ORDINE ALPHABETICO DIGESTÆ.

VETERA MONASTERIA

AD HANC PROVINCIAM SPECTANTIA.